MONVMENTA
GERMANIAE
HISTORICA

INDE AB ANNO CHRISTI QVINGENTESIMO
VSQVE AD ANNVM MILLESIMVM
ET QVINGENTESIMVM

EDIDIT

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS
RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI

EPISTOLAE SAECVLI XIII
E REGESTIS PONTIFICVM ROMANORVM SELECTAE

TOMVS III.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCXCIV

EPISTOLAE SAECVLI XIII

E REGESTIS

PONTIFICVM ROMANORVM

SELECTAE PER

G. H. PERTZ.

EDIDIT

CAROLVS RODENBERG.

TOMVS III.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
MDCCCXCIV

Aulae Vimariensis officina typographica.

SOCIETAS APERIENDIS FONTIBVS RERVM GERMANICARVM MEDII AEVI.

SANCTVS
AMOR PATRIAE
DAT
ANIMVM.

FRANCOFVRTI A. M.
XIII. KAL. FEBR. MDCCCXIX.

Pauca sunt, quae huic tertio atque ultimo Regestorum pontificum Romanorum saeculi XIII volumini praemittere opus est, cum editor ipse in praefatione sua de consilio ratione subsidiis copiose ac dilucide disseruerit. Unde maiorem paene huius tomi partem — copia archivi Vaticani adeundi liberaliter iam data — ei ipsi et adiutoribus ab eo constitutis nos debere elucet, quoniam quae Pertz olim collegerat minime sufficere potuissent. Opus, itinere Romano a. 1888 facto, a Rodenbergio praeparatum et triennio post iam magna ex parte prelo datum, tum diutius interruptum est, cum editori et ad studia privata exercenda commeatus daretur et indicum tertii epistolarum tomi perficiendorum onus ingratum iniungeretur. Postquam his impedimentis sublatis ad regesta reversus est, munus professoris historiarum Kiloniensis, quo inde ab auctumno anni 1892 fungitur, huic tomo celeriter absolvendo aliquantulum obfuit. Casu igitur felici evenit, ut Carolo Hampe Bremensi in historia saeculi XIII iam satis versato indices quasi laborum suorum primitias societati nostrae offerre licuerit.

Quae quondam sodalis noster W. Wattenbach hac epistolarum diu reconditarum serie serio edenda magno studiorum nostrorum commodo inde ab anno 1880 incohavit, a Carolo Rodenberg, cui ipse negotium mandaverat, per haec tria volumina ampla ad prosperum exitum adducta sunt.

Dabam Berolini
medio Februario mense
a. 1894.

E. Dümmler.

PRAEFATIO EDITORIS.

Tertium hoc volumen, quo 'Epistolae saeculi XIII e Regestis pontificum Romanorum selectae per G. H. Pertz' terminantur, a duobus anterioribus aliquatenus discrepat. Magnam quidem epistolarum quas proponimus partem Pertz et ipsam praebuit; sed quo magis ille olim Regesta perlustrando processerat, eo minus ex eis exscripserat, ac denique ex Regestis Clementis IV [1265—1268] nihil omnino excerpserat. Unde cum archivum Vaticanum liberalitate summi pontificis Leonis XIII studio et eruditioni apertum esset, nos a. 1888 Romam missi sumus, ut opus a Pertzio coeptum perficeremus, epistolas quas exscripsit recenseremus, quae deesse nobis viderentur adderemus. Sed opus quasi redintegrare nos oportuit; nam ut novam ex Regestis selectionem haberemus, omnia eorum volumina a. 1250—1268 composita denuo pervestiganda nobis erant; epistolae, quas Pertz descripserat, omnes in eis a nobis sunt requisitae, multae denuo collatae; et quot ille dederat, tot circiter nos eis adiunximus.

Excerpsimus haec volumina[1]: *Volumina excerpta.*

Innocentii IV Vol. II [22][2], quod continet Lib. VIII, IX, X[3].

- *Lib. VIII: fol. 1—77 epp. 1—535; f. 81—95 litterae curiales 1—77 vel numeris arabicis 536—612; f. 97—109 epp. [beneficia] 613—702.*
- *Lib. IX: f. 113—169 epp. 1—344; f. 171—172 epp. [curiales] 345—355 numeris arabicis; f. 175—181 epp. [beneficia] 356—406; f. 182—185 epp. [beneficia] 407—419.*
- *Lib. X: f. 196—288 epp. 1—817; f. 291—300 et 301—302 epp. [beneficia] 818—906 numeris arabicis; f. 305—312 epp. [curiales] 1—53 vel numeris arabicis 907—959; f. 313—314 epp. [beneficia] Inn. anni XII 960—965[4].*

Innocentii IV Vol. III [23] continet Lib. XI et XII.

- *Lib. XI: f. 1—109 epp. 1—779; f. 113—127 beneficia 780—887 numeris arabicis; f. 129—140 curiales 1—49 vel numeris arabicis 888—937[5].*

---

1) *Cf. Denifle in Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. t. II, p. 77 et sequ.* 2) *Ita volumen hodie signatum est.* 3) *Cf. Berger, Les Registres d'Innocent IV [Bibl. des Écoles françaises d'Athènes et de Rome 2. série] t. I, p. IX et sequ.* 4) *Cf. Denifle p. 78, not. 1.* 5) *Inter curiales n. 37 duabus epistolis adscriptus est.*

Lib. XII: f. 141—199 epp. 1—439; f. 201—204 beneficia 440—465 numeris arabicis; f. 209—212 curiales 1—47.

Alexandri IV Vol. I [24] continet Lib. I et II.

Lib. I: f. 1—116 epp. 1—795; f. 119—120 epp. [beneficia] 796—807 numeris arabicis; f. 121—122 curiales 808—817.

Lib. II: f. 125—212 epp. 1—491.

Alexandri IV Vol. II [25] continet Lib. III—VI.

Lib. III: f. 1—113 epp. 1—789.

Lib. IV: f. 115—169 epp. 1—321.

Lib. V: f. 187—235 epp. 1—263.

Lib. VI: f. 237—267 epp. 1—170[1].

Urbani IV[2] *Vol. I [26] continet Lib. I et II.*

Lib. I: post indicem f. 1—37 epp. 1—136.

Lib. II: f. 40—46 index Lib. II; f. 48—129 [= numeris Romanis I—LXXXII] epp. 1—259.

Urbani IV Vol. II [27] f. 1—149 continet cameralia et diversa; epistolae numeris carent[3].

Urbani IV Vol. III [28] continet Lib. III et IV.

Lib. III: post indicem f. 1—79 epp. 1—317; f. 80—124 bis[4] *curiales 1—168; f. 125—134 litterae de beneficiis 1—60.*

Lib. IV: f. 137 epp. 1—5; f. 138 curiales 1—5.

Urbani IV Vol. IV [29] continet litteras beneficiorum et aliarum gratiarum a. III et IV[5].

A. III: post indicem f. 1—75 bis[6] *epp. 1—180; f. 76—227*[7] *epp. 1—1060; f. 228—301 epp. 1—324 [et quidem epp. 1—203 numeris Romanis, sequentes arabicis; cum ep. 324 desinit haec computatio et reperitur sola altera, secundum quam inde ab initio voluminis epp. numeratae sunt, ita ut ep. 324 sit ep. 1566]; f. 301—339*[8] *epp. 1567—1834.*

A. IV: f. 340—342 epp. 1—25; epistolis 18 et 19 spatia reservata sunt, quae expleta non sunt.

Clementis IV[9] *Vol. I [32] continet Lib. I—IV.*

Lib. I: post indicem f. 1—55 epp. 1—214; f. 57—58 index curialium 1—29; f. 59—66 curiales 1—28; liber mutilatus est, nam desunt finis ep. 28 et ep. 29; cf. infra p. 641, not. a.

---

1) *Registrum authenticum a. VII, f. 1—13 epp. 1—46 hodie Parisiis conservatur, Bibl. nat. 4038 B; Denifle p. 80, not. 1. Argumenta epistolarum dedit Delisle, Bibl. de l'École des chartes a. 1877, t. 38, p. 103; sed nos nullam epistolam inter nostras recepimus.* 2) *Regesta Urbani IV edere coeperunt Dorez et Guiraud in Bibl. des Écoles françaises etc. 2. série.* 3) *De hoc volumine v. infra.* 4) *F. 124 bis itemque duo sequentia folia, quae scriptura vacant, sine numeris; tum in f. CXXV incipiunt litterae de beneficiis.* 5) *De hoc volumine v. infra.* 6) *F. 75 bis itemque duo sequentia folia vacua numeris carent; tum f. 76.* 7) *Sequitur folium vacuum sine numero.* 8) *Ut not. 7.* 9) *Regesta Clementis IV edere coepit Iordan in Bibl. des Écoles françaises etc. 2. série.*

Lib. II: f. 67—113 epp. 1—167; f. 115 index curialium: f. 116—123 curiales 1—21.

Lib. III: f. 127—131 index; f. 133—195 epp. 1—153; 197 index curialium; f. 199—208 curiales 1—18.

Lib. IV: f. 211—213 index; f. 215—243 epp. 1—82; sequuntur 3 epp., quibus desunt numeri; f. 245 index curialium; f. 246—258 curiales 1—17.

Clementis IV Vol. II [31] continet cameralia et diversa[1]*: f. 1—32 epp. a. I—IV [cameralia] 1—87; f. 33—37 curiales a. IV, epp. cardinalium sede vacante scriptae et duae epp. Caroli regis Siciliae*[2] *1—17.*

Urbani IV cameralia.

Regesta quomodo composita et instituta sint, Kaltenbrunner[3]*, Denifle*[4]*, Berger*[5] *descripserunt, neque cum eorum speciem et habitum in praeclaris illis 'Speciminibus palaeographicis Regestorum Rom. pont.' quilibet qui vult aspicere nunc possit, quae docte illi exposuerint, animus est repetere. Sed tria inter nostra columina sunt, quae ab aliis differunt, 'Cameralia' et 'Beneficia' Urbani IV et 'Cameralia' Clementis IV*[6]*. Cum enim in aliis codicibus epistolae registratae quodam ordine chronologico progrediantur, ita ut priores quaeque tempore anteriores esse soleant etiam loco, in 'Cameralibus' Urbani IV*[7] *secundum personas et res, ad quas spectant, coniunctae et collocatae reperiuntur. Singula vel bina vel plura simul quaternionum folia eidem negotio reserrata sunt; haud raro in capite inscriptio posita est, ut f. 3:* Nuntiis seu collectoribus, ut mittant vel portent pecuniam collectam et veniant reddituri rationem; *f. 49:* Super colligenda pecunia seu censu *et ita saepius*[8]*; suae cuique loco epistolae destinatae sunt et ordine chronologico registratae; nonnullis registratis notae camerae adiectae sunt, ut f. 4:* Ista littera assignata fuit Raynerio Iacobi[9]; *f. 128:* Missa fuit etiam forma iuramenti sub bulla[10]; *ad alias verba leguntur:* Satisfactum est camere; *aliae linea perducta deletae sunt. Denique post mortem Urbani, ut videtur, hi quaterniones camerae cum quibusdam aliis modo simili institutis in unum comprehensi et colligati sunt; unde volumen factum est, in quo multae scribentium manus discerni possunt, epistolae per annos pontificatus distinctae non sunt, et numeri et rubra desunt, multa folia vel partes eorum scriptura vacant*[11].

Clementis IV cameralia.

Clementis IV 'Cameralia'[12] *quomodo orta sint, ex solo aspectu minus luculenter cognoscitur*[13]*. Deficiunt in capite voluminis et nomen papae et quaelibet*

1) *De hoc volumine v. infra.* 2) *Cf. Posse, Analecta Vatic. p. 52, n. 654—657.* 3) *Römische Studien I; Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. V, p. 213 et sequ.* 4) *Die päpstl. Registerbände d. 13. Jahrh. u. das Inventar derselben vom J. 1339; Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. d. Mittelalters t. II, p. 1.* 5) *l. c. t. I, préface. Cf. etiam Bernoulli, Acta pont. Helvetica t. I, Vorrede.* 6) *V. supra vol. n. 27, 29, 31.* 7) *Cf. Denifle, l. c. p. 53; Specimina palaeogr. tab. 27 et 28.* 8) *Cf. infra n. 513.* 9) *Similes notae saepius occurrunt.* 10) *Iuramentum in epistola, iuxta quam haec nota reperitur, commemoratum est.* 11) *Apparet Pertzium aliosque post eum errasse, qui hoc volumen 'einen Kladdenband' appellaverunt; Archiv t. V, p. 345; erat potius registrum camerae. Neque haec primaria epistolas registrandi ratio fuit, ut Kaltenbrunner l. c. p. 268 voluit.* 12) *Cf. supra in vol. 31, f. 1—32.* 13) *Kaltenbrunner, l. c. p. 269; Denifle, l. c. p. 83; Specimina palaeogr. p. 32 ad tab. 29.*

inscriptio. Inscriptionibus singularum epistolarum verbum idem *antecedit, sed initio f. 13, quod folium est primum secundi sexternionis, nomen Clementis IV reperitur. Iam ex eo sexternionem primum et secundum locum permutasse conicere licet; id quod certum redditur et ordine chronologico epistolarum et eo, quod ultima epistola folii 12ᵗ continuata et finita est in folio 25. Haec perturbatio accidit, antequam epistolis appositi sunt numeri, qui sicut scriptura sunt saeculi XIII. Scribae duo fuerunt, quorum alter f. 28ᵗ—32 confecit. Inscriptiones epistolarum in margine iuxta corpus scripturae sunt collocatae, neque vero rubra picta, quamvis inter epistolas eis reservata sint spatia vacua. Adsunt omnes anni pontificatus ordine servato; sed epistolae in libros divisae non sunt, et eadem manus sine intercapedine scribere perrexit. Ab aliis eiusdem papae Regestis hic codex satis discrepat, eique, cum res et negotia, quae contingit, similia sint eis, quae 'Cameralia' Urbani IV tradunt, neque notae camerae desint, nomen 'Cameralium' non immerito attribuendum est. Sed hic libellus 32 foliorum integrum registrum camerae Clementis IV vix fuit, et exquirendum adhuc videtur, utrum inter negotia ipsa confectus sit, an supplementum 'Cameralium' Clementis fuerit, post mortem papae compositum. Aliquid certi quidem dicere non conamur, antequam codicem denuo exploravimus, sed eo facilius haec nobis venerunt in opinionem, quo ea, quae f. 33 sequuntur, alterum supplementum Regestorum papae eiusdem videntur fuisse. Legitur enim f. 33 haec inscriptio:* Incipit Regestrum domini Clementis pape IIII litterarum curialium anni quarti[1]; *ipsae vero litterae curiales anni IV alio loco registratae sunt*[2]. *Denique epistolae cardinalium et Caroli regis Siciliae sede vacante datae, quae in fine inveniuntur, in hoc codice post mortem Clementis scriptum esse confirmare videntur.*

Urbani IV beneficia. *Urbani IV 'Beneficia'*[3] *in scriptura, inscriptionibus marginalibus et rubricatis, litteris initialibus et in eo quoque, quod eadem manus multas epistolas uno tenore scripsit, ceterorum voluminum speciem gerunt, sed suum locum tenent per ea, quae in iis continentur. Legitur in capite:* Regestum domini Urbani pape IIII de litteris beneficiorum et aliarum gratiarum concessarum anno tertio pontificatus eius; *f. 340 similis inscriptio paucis epistolis anni IV anteposita est. Beneficia ergo et gratiae segregata et separatim ab aliis epistolis collecta et registrata sunt. Ad quod aliud novi accedit; permultis enim locis notae marginales leguntur, quae quibus meritis exigentibus et quibus personis petentibus epistolae impetratae, quoties reprobatae et correctae, quomodo expeditae sint, indicant*[4]. *Non omnino quidem haec nova fuerunt, cum et sub Innocentio IV et Alexandro IV beneficia ab aliis epistolis registrandis nonnunquam separata fuisse sciamus*[5] *et*

---

1) *Inter has una epistola a. II est.* 2) *Cf. p. IX vol. 32. Etiam beneficia Innocentii IV a. XII, quae nunc Lib. X annexa sunt, supplementum huiusmodi fortasse fuerunt, cum alia beneficia a. XII extent, quae loco iusto posita sunt; v. p. VII.* 3) *Kaltenbrunner, l. c. p. 273; Denifle, l. c. p. 81; Specimina palaeogr. tab. 26.* 4) *Cf. Pertz, Archiv t. V, p. 351; Kaltenbrunner, l. c. p. 275—276; Pitra, Analecta novissima t. I, p. 604—606. Sed Pitra quoque non omnes notas proposuit, quae ibi leguntur.* 5) *Cf. p. VII et VIII. Collectio 60 beneficiorum Urbani a. III cum aliis epistolis eiusdem anni coniuncta nunc reperitur; v. p. VIII vol. 28.*

notae marginales consimiles alibi quoque licet raro occurrant[1]. Mirum vero est tantam beneficiorum multitudinem uno Urbani IV anno expeditam et registratam esse, et notae illae non sine ratione cogitata adiectae videntur[2]. Unde quis forsan coniciat consuetudines rationesque cancellariae immutatas tum esse; sed successores Urbani volumina eiusmodi nobis non reliquerunt, neque inventarium a. 1339[3], ut ea quondam exstitisse credamus, permittere videtur; propter quod cum unus ille pontificatus annus et antecedentes et sequentes ita vix superaverit beneficiorum concessorum numero, arbitramur potius Urbani papae, qui homo acer et accuratus fuit, cuius Regesta eleganter scripta et insigniter exornata sunt[4], qui se praedecessorum suorum gesta et regesta cum omni diligentia revolvere ipse narravit[5], opera et studio actum esse, ut epistolae eius cum maiore quam ante et post moris esset et integritate et diligentia in Regesta referrentur[6].

Clementis IV volumina.

Quinque volumina Clementis IV, quae nunc n. 30, 33—36 signata omnia easdem vel fere easdem epistolas habent, praetermisimus, cum mox intellexerimus, quamvis nisi in curia tantus epistolarum papalium numerus colligi nusquam potuerit, tamen Regesta authentica hos codices non fuisse[7]. Eos propter hoc minus valere non dicimus, sed nostrum non erat eos excerpere, cum a nobis solae Regestorum epistolae proponendae essent, editione, quae cuiuscunque originis epistolas papales comprehenderet, temporibus posterioribus reservata. Etiam tempus nobis defecit haec volumina accuratius perscrutandi, et interim editio, quam Martène et Durand ex codice simili praebuerunt[8], sufficere videbatur.

Regesta archetypa.

Omnia quae excerpsimus volumina Regesta authentica fuisse, quae ex ipsis epistolis registrandis conscripta sint, pro certo haberi licet, neque quicquam invenimus, quod huic rei obsistat; sed quae in praefatione secundi tomi editionis nostrae de primis libris Innocentii IV incerti aliquatenus disputavimus, ea cadunt etiam in volumina sequentia, et inspectio ipsa nova nobis argumenta attulit. 1) Nonnullae epistolae verbo 'va — cat' primis et ultimis verbis superscripto vel linea perducta deletae sunt[9]. In Alexandri IV Lib. III, 648 etiam omnia nomina quidam erasit, ut omnino cognosci non possit, cui papa provisionem facere voluerit. Aliae epistolae primo correctae, tum extinctae sunt[10]. Sub Innocentii IV Lib. XI. 610

---

1) *Ad Alex. IV Lib. V, 103:* Iste littere non estrantur sine assensu domini Raynaldi nepotis domini pape; *ibid. ad ep. 104 vel 105:* Non exeant sine mandato domini R. *Ad Urb. IV Lib. II, 229:* De consilio domini . . episcopi Sabinensis transivit hec littera sine audientia. *Ad Urb. IV Lib. III, cur. 100:* Istis non utatur sine speciali mandato domini pape; *cf. infra p. 592.* 2) *De his notis infra disputabimus.* 3) *Cf. Denifle, l. c. p. 82 et sequ.* 4) *Multis locis argumenta epistolarum in margine posita et numeri aliarum ante et post registratarum, quae ad eandem rem pertinent, adscripti sunt; cf. Dorez et Guiraud n. 48, 104, 109, 146, 165, 168 et saepius.* 5) *Cf. infra n. 521.* 6) *Etiam Urbani IV Registrum camerae primum est, quod compositum esse scimus. Edidit quidem Martène, Thes. t. II aliquot magni momenti epistolas Urbani, quae in Regestis eius non reperiuntur; sed hae fortasse ex 'libro parvo et antiquo' sumptae sunt, quem commemorat inventarium a. 1339; Denifle, l. c. p. 82.* 7) *Neque in inventario a. 1339 commemorantur; Denifle, l. c. p. 82. Saltem vol. 30 saec. XIV scriptum est; Kaltenbrunner, l. c. p. 261.* 8) *Thes. t. II. Posse nonnullas epistolas annotavit, quae ibi non reperiuntur.* 9) *Inn. IV Lib. X, 54 et 60, quae ep. ad eandem rem spectant; Lib. XI, 134; sub Lib. XI, 526 secunda epistola; Lib. XI, 649; Lib. XII, 177; Urb. IV Vol. IV [beneficia] ep. 967, post ep. 1770; Clem. IV Lib. II, 58. Pleraeque epistolae deletae sunt, antequam rubra picta fuerunt.* 10) *Inn. IV Lib. X, 855; Urb. IV Vol. IV [beneficia] f. 108, ep. 158.*

registrator duas lineas et duo verba exararit et epistolae supplendae duodecim lineas sibi reservarit; postea autem quod scripsit cassarit et lineae sequentes vacuae remanserunt[1]. *Non intellegitur, quo iure epistolae, quae scriptae vel scribi coeptae iam erant, ex Regestis eici potuerint, nisi is eas revocavit, qui ut fierent mandaverat. Ad epistolam Innocentii IV Lib. X, 285, in cuius corpore scriptor spatium vacuum reliquit, manus aequalis annotavit:* correcta etc. in CCCXII; *et sub n. 312 eadem epistola reperitur, in qua prior pars usque ad lacunam illam pertinens registrata est verbis:* etc. ut in CCLXXXV capitulo, *deinde sequuntur quaedam nova, quibus lacuna epistolae 285 non suffecit, denique:* etc. usque in finem. *Eodem modo epistolae 286 subrogata est epistola 313*[2]. *Ex his omnibus colligitur haec Regestorum volumina, quae hodie supersunt, confecta esse, antequam epistolae ipsae vel aliquot earum curiam exiissent; alias enim exempla registrata cassari vel emendari modo praedicto non potuerunt. 2) Ultimae epistolae nonnullorum librorum alia atque reliquae tinctura scriptae sunt vel rubris et litteris initialibus carent*[3]; *id quod probat eas additas esse, postquam corpus epistolarum eiusdem anni completum iam esset. Praesertim Regesta Alexandri IV minore studio et diligentia tractata sunt*[4]; *ibi enim non solum in fine librorum, sed etiam multis aliis locis suam quaeque epistola tincturam ostendit*[5], *et Libro IV epistolae annorum I—V sine ullo ordine adiunctae sunt*[6]. *3) Etiam in nostris voluminibus singulae collectiones epistolarum, ut 'litterae curiales' et 'beneficia', suos quaterniones habent, ita ut in mediis libris folia sint, quae scriptura vacant; quae res vix accidisset, si codices nostri apographa fuissent. 4) Emendationes factae sunt, non quia quae scripta legebantur inepta vel obscura erant, sed ut verba mutata aliud dicerent et exprimerent. Ad epistolam Innocentii IV Lib. X, 681 in margine additum est:* aut prioratuum vestrorum; *et iuxta sequentem epistolam, per quam conservator gratiae concessae constitutus est, reperitur nota:* aut prioratuum suorum[7]. *In rubro Lib. X, 568 verba* Lincolniensis dioc. *tinctura nigra correcta sunt in* Eboracensis dioc. *In Urbani IV Vol. IV [beneficia] ep. 1025 legitur* de palatio Pictavensi et de Castro Rupelle, *et verba* de palatio Pictavensi *linea perducta et verbo* va—cat *superscripto deleta sunt. 5) In aliquot epistolis lacunae exstant, in quibus rasurae animadverti non possunt*[8]; *post alias*

1) *Etiam epistolae Alex. IV Lib. II, 148 registrator solam primam partem scripsit, quam verbo* etc. *abrupit et tum delevit. In utraque epistola rubra desunt.* 2) *Cf. Berger 6142, 6143, 6169, 6170. Cf. etiam Inn. IV Lib. X, 436 et 470 et infra p. 164, n. 198.* 3) *Inn. IV Lib. IX, 342—344 desunt rubra; 343 et 344 etiam litterae initiales; certe 344 alia tinctura. Lib. XII inde ab ep. 432 scripserunt manus variae. In fine Clem. IV Lib. IV post ep. 82 sequuntur tres aliae, quae numeris carent neque una cum antecedentibus scriptae videntur.* 4) *Rubra desunt: Lib. II, 491 data a. VI; Lib. III, 789. In Lib. IV rubra usque ad ep. 293, litterae initiales usque ad ep. 318; in Lib. V rubra usque ad ep. 5; litt. init. usque ad ep. 250; in Lib. VI et rubra et litt. init. desunt.* 5) *Lib. II, 316 et sequ.; Lib. III, 251 et sequ.; Lib. IV saepius; Lib. V, 98 et sequ., 154, 192.* 6) *Annotavimus post Lib. IV, 294 epistolas legi annorum 2, 3, 5, 4, 3, 4, 1, 4, 1, 5.* 7) *Similes emendationes Inn. IV Lib. X, 8 et 25; Lib. XI, 140 et 422; cf. infra p. 155, not. c; p. 293, not. *; p. 319, not. a et b; p. 472, not. e; p. 614, not. b. In Inn. IV Lib. X, 108 primum 'non obstante' deletum est; in Lib. X, 129 duo 'non obstantia' addita sunt. Cf. supra de epistolis deletis; Finke, Westf. U. B. t. V, p. XIII.* 8) *Cf. p. 48, not. c; p. 162, not. b; p. 264, not. c; Alex. IV Lib. I, 579 et saepius.*

una vel duae vel plures lineae[1] *vel tota inferior paginae pars*[2] *vacuae remanserunt; aliis locis solus numerus*[3] *vel initium epistolae*[4] *scripta sunt et deficientibus verbis subtus addendis spatium reservatum est. Pleraque spatia vacua postmodo expleta non sunt. Sed in Innocentii IV Lib. X post epistolam 380 sequitur iterum n. 377, in qua epistola conservator cuiusdam gratiae datus est, et hoc additamentum antecedentis epistolae 377 duabus lineis, quae post 380 quo consilio nescimus vacuae relictae erant, insertum est*[5]. *Etiam notae chronologicae in locis reservatis manu altera suppletae inveniuntur*[6]. *6) Praeterea quaeritur, qua de causa inscriptiones marginales, secundum quas rubra pingebantur, factae sint. Supervacaneae erant, si nostra volumina apographa aliorum fuerunt, ex quibus sicut epistolae ipsae ita rubra sumi poterant. 7) Denique nonnulla saltem nostrorum voluminum temporibus posterioribus transcripta esse certa indicia exstant. In Alexandri IV Lib. V epistolae 134 quoddam signum adiectum est cum hac nota marginali manus ut videtur saec. XIV:* quere in registro litterarum anni sexti domini Alexandri pape IIII simile signum et recipe litteram sub eodem signo registratam directam archiepiscopo Tarantasiensi. *In Alexandri IV Lib. VI iuxta epistolam 110, quae anno V data est*[7], *idem signum reperitur cum his verbis manus eiusdem*[8]: quere simile signum in registro litterarum anni quinti pontificatus prefati domini Alexandri pape quarti, quia in eodem registro cadit et debuisset esse registrata presens littera. *Ab eo igitur, qui apographum scripsit, epistola signata loco recto collocanda erat. Aliis quoque non paucis locis notae sunt*[9], *quae produnt ex nostris voluminibus alterum Regestorum exemplum confectum esse; qua re ea quae transcripta sint authentica fuisse eo probabilius redditur.*

Et in praefatione secundi tomi et alibi[10] *contendimus Regesta ex minutis* *Scripta ex minutis.* *conscripta esse, neque nunc aliud dicere possumus. Solas quidem minutas registratori exhibitas esse nemo asseverabit, cum authentica exstent, quae notis registraturae ornata sunt*[11]; *sed qui moris fuisse contenderit, ut Regestis authentica perfecta subfuerint, qua ratione ea volumina, de quibus agitur, componi et formam speciemque suam accipere potuerint, vix aperiet. Iam ea, quae supra disseruimus, huic conatui obstant. Quid enim sibi voluit scriptor, qui lacunas in epistolis vel lineas vacuas post eas reliquit*[12], *nisi ut postmodo aliquid adderet*[13], *quod in cartis, quas prae oculis habebat, non invenit vel satis bene legere non potuit?*

---

1) *Inn. IV Lib. X, 162, 600; Lib. XI, 244, 474, 500; Alex. IV Lib. I, 117; Lib. III, 166; Lib. V, 25, 39; Urb. IV Lib. I, 128 etc. etc.* 2) *Alex. IV Lib. I, f. 39.* 3) *Inn. IV Lib. XI, 762; tres lineae vacuae.* 4) *Alex. IV Lib. I, 570; septem lineae vacuae. In Urb. IV Vol. IV inter beneficia a. IV epistolis 18 et 19 spatium reservatum est, sed epistolae scriptae non sunt; cf. p. VIII.* 5) *Cf. idem infra sub p. 237, not. a.* 6) *Cf. p. 292, not. a; p. 294, not. d; p. 295, not. d; cf. etiam p. 295, lin. 39. Epistolae nostrae n. 42 notam chronol. manu altera additam esse dicit Bernoulli, Acta pont. Helvetica t. I, p. 334, n. 551, not. e.* 7) *Directa quidem* archiepiscopo Taurinensi. 8) *Quae praeterea in margine annotavit in hac ep. ante verbum* mandamus *addendum esse:* fraternitati tue per apostolica scripta. 9) *Cf. Pertz, Archiv t. V, p. 347; Kaltenbrunner l. c. p. 216; Denifle, l. c. p. 38.* 10) *N. A. t. X, p. 510 et sequ.* 11) *V. in primis Denifle, Archiv f. Litt. etc. t. III, p. 631; Finke, Westf. U. B. t. V, p. XI. Cf. etiam finem huius disquisitionis.* 12) *Cf. p. XII, n. 5.* 13) *Multa Regestorum exempla ex authenticis correcta esse infra demonstrare studebimus.*

Certe ibi non vidit notas chronologicas, quibus spatium vacuum in Regestis reservavit quasque manus altera denique supplevit[1]. *Neque emendationes commemoratae*[2] *quomodo fieri potuerint, facile explicatur, nisi registratori minutae litteris notatis parum accurate confectae et iterato correctae transcribendae fuerunt.*

Epistolarum ordo.

Sed transeamus ad alia argumenta. In primis iterum monemus, ut quo ordine epistolae registratae legantur, respiciatur. Quae priores tempore sunt, eae, ut supra iam diximus, anteriorem etiam locum tenere solent; sed permultae sunt, quae alias sequuntur multo post datas, ita ut uno vel duobus vel pluribus mensibus post eum diem in Regesta relatae sint, quem earum nota chronologica indicat[3]. *Omnium earum authentica perfecta apud curiam tamdiu remansisse neque hodie nobis facile persuadetur; et certum est aliquas epistolas in Regesta scripta esse, cum authentica in eorum quibus directa essent manus iam pervenissent, ut epistola, qua Innocentius IV a. 1251, Ian. 27 archiepiscopo Bremensi mandavit, ut usque ad Apr. 9 apud sedem apostolicam compareret, post Apr. 2 registrata est*[4]. *Praesertim ultimis epistolis nonnullorum librorum aliae additae vel interiectae sunt multo ante datae, neque intellegitur, qua de causa, cum annus pontificatus in exitu esset, plura authentica diutius detenta expedita fuerint quam aliis temporibus; sed cum aliquis Regestorum liber absolvendus esset, minutae sepositae vel neglectae conquisitae sunt, ut et ipsae registrarentur. Omnibus quidem epistolis, quae sero demum in Regesta scriptae sunt, ad confirmandum quod statuimus uti nolumus. Cum enim litteris apostolicis dies, quo papa eas concessit, subsignaretur*[5], *tum maius tum minus temporis spatium praeteriit, donec omnium officialium manus, sicut praeceptum erat, percurrerunt; unde fieri potuit, ut duarum epistolarum, quae eodem die datae sunt, altera multo post alteram perficeretur. Epistolas impetratas legimus non esse expeditas, quia papa, qui ut fierent mandaverat, interim mortuus est*[6], *et nonnulla privilegia, quorum, cum subscriptionibus ornata sint, registrator sine dubio authentica habuit, sicut per locum quem in Regestis tenent apparet, multo post diem subsignatum consummata sunt*[7]; *quas subscriptiones cardinalium aliquibus de causis brevi tempore omnes non afferendae, ut credimus, retardarunt. Etiam eorum, qui epistolis impetrandis apud sedem apostolicam operam dabant, saepius non intererat multum, ut eas cito reciperent; nam inde a medio saec. XIII homines apud*

1) *Cf. p. XIII, not. 6.* 2) *Cf. p. XII, n. 4.* 3) *Ut exempla ponamus, non oportet, cum multa quilibet facile colligat, qui editiones percurrat, quas praebuerunt Les Écoles françaises d'Athènes et de Rome. Alex. IV Lib. II, 372 a. 1256, Nov. 30 data legitur inter epistolas mensium Iul. et Aug. 1256. Omnes ergo epistolae Iul.—Nov. datae post Nov. 30 registratae sunt. Cf. ibid. Lib. III, 554 a. 1257, Oct. 30 [infra n. 466] inter epistolas mensis Aug.; cf. etiam Berger 5950.* 4) *Cf. n. 41 et 104. Authenticum bullatum ep. n. 646 a. 1265, Nov. 4 datae Clemens IV sub eodem die legato suo, quem in Francia habebat, subscribendum transmisit [p. 653, not. 3], sed epistola post Dec. 30 registrata est; Iordan 241 et 243. Mandata Radulfo legato a. 1266, Febr. 15 etc. in regno Siciliae commissa post Mart. 22 registrata sunt, sed legatum post victoriam Caroli Febr. 26 apud Beneventum reportatam Perusium exiisse pro certo tenere licet; Iordan 255 et 257 et sequ. Ep. infra sub n. 550 proposita post mensem Aug. registrata est.* 5) *Cf. N. A. t. X, p. 549 et sequ. et infra.* 6) *Cf. Denifle, Archiv f. Litt. etc. t. II, p. 68, not. 4. Cf. etiam infra p. 354, lin. 23 et p. 665, lin. 36.* 7) *Cf. infra n. 125 et Berger 5852 et 5990.*

curiam perpetuo degebant, qui pro quocunque, qui operae pretium solvebat, procuratoris munus susciperent[1]. Denique quaedam epistolae tum demum registratae videntur, cum in eorum quibus missae sunt manibus iam fuissent, quas ii, qui ius suum persequebantur aut gratiam confirmandam vel innovandam postulabant, ut rebus suis fidem facerent, ad curiam reportarant. Ita enim universitatem Parisiensem quoddam authenticum ad sedem apostolicam remisisse Denifle demonstravit[2], idque saepius accidisse consentaneum est; et in Regestis iuxta nonnullas epistolas aliae multo ante datae, quae eandem rem contingunt, positae reperiuntur[3]. Itaque litterae gratiae sero registratae nos non cogunt, ut eis omnibus minutas subfuisse credamus; sed ut contrarium ponamus, non magis licet, cum quasdam eius generis epistolas ex minutis in Regesta transcriptas esse alia ratione comprobare possimus[4] et decretum generale fuerit[5], ut litterae concessae quam citius expedirentur. Verum omnes quas admisimus exceptiones nihil valent contra eas epistolas, quae mandata continent vel ad negotia curiae spectant. Papa enim, quando ut summus iudex praesidens inquisitiones fieri iubebat et sententias ferebat, personis illustribus et magnae auctoritatis, ut sibi faverent, gratias faciebat, episcopos nominabat, de rebus gravioribus et in primis saecularibus, sedis apostolicae rationibus prospiciens, disponebat, satis nimirum providebat, ut quae statuisset celeriter exsequenda mandarentur. Sed harum quoque epistolarum non paucae[6] diu sepositae videntur, donec registratae sunt, ut epistola, qua Clemens IV Ricardum regem a. 1267, Mai. 9 de negotio imperii citavit, non ante medium mensem Augustum in Regesta relata est[7], cum authenticum iam dudum curiam exiisset. Minutas vero per multum tempus in cancellaria conservatas esse docet altera epistola eiusdem papae, qua a. 1266, Sept. 18 principibus Alamanniae interdixit, ne Conradinum regem eligerent; quae epistola ipsa registrata non est, alteri autem epistolae a. 1266, Nov. 18 datae inserta invenitur[8]. Etiam Berardus de Neapoli, cum dictamina sua componeret, minutis usus est[9], id quod iam lectiones

---

1) *Cf. Diekamp, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. IV, p. 526; Finke, Westf. U. B. t. V, p. XXIII.* 2) *Archiv f. Litt. etc. t. III, p. 625. Nos similia N. A. t. X, p. 518 iam coniecimus.* 3) *Cf. Inn. IV Lib. XII, 167 duae epp.; Alex. IV Lib. III, 778—780; Lib. IV, 20—24; Lib. VI, 110 duae epp. Cf. etiam Lib. V, 256 et 257. Num epistolae annorum I—V, quae Alex. IV Lib. IV adiunctae sunt [cf. p. XII, not. 6], hoc modo in Regesta transierint, in medio relinquimus.* 4) *Cf. infra p. XVI.* 5) *Cf. Merkel, Documenta ad pontif. cur. spectantia, Arch. stor. Ital. Append. V a. 1847, p. 147, n. IX. Haec documenta post a. 1280 confecta non esse Bresslau, Urkundenlehre t. I, p. 253 et 258 et Tangl, Mitth. d. Inst. t. XIII, p. 12 demonstraverunt; et simile decretum antea quoque valuisse credere licet, praesertim cum sub Alexandro IV certus ordo circa epistolas expediendas iam fuerit, ita ut rescribendae aliis anteferrentur: Erler, Liber cancellariae p. 171.* 6) *Epistolae huius generis non ante mensem post diem subsignatum registratae: infra n. 23, 118, 124, 127, 130, 196, 233, 260, 309, 324, 357 et sequ., 362, 366, 404, 407, 439, 442, 451, 463, 464, 465, 490, 538, 668; cf. etiam p. 382 not. 1; p. 544, not. 1 Urb. IV Lib. II, 137; p. 632, not. 1 Clem. IV Lib. I, 169. Ex multis aliis has citamus: Inn. IV Lib. IX, 266, 305, 307, 308, 331 [Potthast 14569], 342; Lib. XI, 776 [P. 15354], cur. 23, 24, 26; Lib. XII, 385; Alex. IV Lib. I, 557 [P. 15758]; Lib. II, 367 [P. 16289]; Lib. III, 311 [P. 16709], 562 [P. 16802]; Urb. IV Lib. I, 35, 118 [P. 18195], 130 [P. 18350] et sequ.; Lib. II, 66 [P. 18461], 85; Lib. III, 128, 129, 202 [Finke, Westf. U. B. t. V, p. 296, n. 635], cur. 10 [P. 18651]; Clem. IV Lib. I, 211 [P. 19326]; Lib. II, 146 etc.* 7) *Lib. III, cur. 10. Citatio Alfonsi regis Castellae, quae ad verbum concordat [cur. 4], multo ante registrata est; cf. infra n. 661.* 8) *Cf. n. 657.* 9) *Cf. Kaltenbrunner in Mitth. d. Inst. t. VII, p. 609 et sequ.*

a Regestis differentes[1] *quas praebet produnt. Hic enim minutarum locos correctos vel deletos aut non attendit aut eos, secundum quod operi suo proposuisset, attendendos non esse putarit; unde quales minutae fuerint aspectu, aliquatenus ex eis percipi potest. Itaque, quominus Regesta ex minutis conscripta habeamus, nihil obstare videtur; neque qua alia ratione difficultates, quas ordo epistolarum affert, solvi facile possint, videmus.*

Epistolarum formae. *Praeterea formae multarum epistolarum registratarum tales sunt, quales ex authenticis provenire nullo modo potuerunt. 1) Inscriptiones mendosae occurrunt. Papa cum gratiam alicui faceret, executorem vel conservatorem gratiae concessae per alteram epistolam constituere solebat, et cum utraque eiusdem fere tenoris esset, una sola minuta componebatur, ita instituta, ut duo illa authentica ex ea mutatis mutandis facile scribi possent*[2]. *In Regestis vero animadvertimus haec duo exempla nonnunquam ita confusa esse, ut alteri inscriptio alterius data et epistolae illi cui gratia facta est missae nomen executoris, quod in contextu verborum iterum legitur, superscriptum sit*[3]; *quod mendum nisi ex minuta huiusmodi duplici oriri non potuit. 2) In ipsis epistolis alia reperiuntur notanda. Cum Ricardus comes Cornubiae et Alfonsus rex Castellae a. 1263, Aug. 27 sub eadem litterarum forma ad sedem apostolicam citarentur, sola epistola Ricardo mittenda integra in Regesta relata est, ibi vero verba, quae epistolae Alfonso mittendae congruebant, singulis locis superscripta sunt*[4]. *In ep. n. 642 II lector relegatur ad 'superiorem proximam', sed verba desiderata ibidem non inveniuntur; quia vero epistolam, in qua scripta erant, exstitisse oportet, registrator minutam, qualem sub oculis habuit, ad verbum transcripsisse videtur, se epistolam mutilam ita praebere non animadvertens*[5]. *Exstant in Regestis epistolae, quarum arengae omissae sunt*[6]; *et aliquas saltem formulas, quae perscriptae ibi non sunt, ita, ut leguntur, ex minutis sumptas esse conicere licet ex eo, quod uno loco liber commemoratus est, ex quo supplendae essent, scil. in epistola Innocentii IV Lib. IV, 522:* etc. ut habetur in provinciali cancellariae usque in finem[7]. *In Urbani IV Lib. I, 129 ministro provinciali ordinis fratrum Minorum in regno Franciae mandatum est, ut crucem praedicaret; in qua epistola, ubi nomen regni, in quo ei officium illud commissum est, ponendum erat, scriptor lacunam reliquit*[8], *neque in fine notam chronologicam subsignavit. Sane minutam epistolae*

1) *Cf. infra notas sub n. 583 et 584 et p. 551, not. a; Raynaldus enim l. c. etiam Cod. Vallicell. 49 Berardi usus est. Epistolam ap. Potthast 18635 primam formam minutae ep. 18634 praebere propter ea, quae Kaltenbrunner l. c. disseruit, probabile nobis nunc est; cf. N. A. t. X, p. 172.* 2) *Cf. N. A. t. X, p. 536. Hae fuisse videntur 'duplices notae', quas Iohannes XXII commemoravit; Erler, Liber Cancellariae p. 177.* 3) *Infra p. 202, n. 235; p. 466, n. 505; cf. p. 293, not.*. Etiam inscriptio ep. n. 591, quae registrata est, in authentico non exstitit. In Clem. IV Lib. I, 96 [Iordan 98] aut inscriptio mendosa est aut verba sub* In eundem modum *adiecta delenda sunt; cf. N. A. t. X, p. 541.* 4) *Cf. n. 560. Sed etiam epistola Alfonsi in angustum coacta registrata est; quae suam minutam habuit, cum quaedam in ea partes alio ordine disponendae fuissent.* 5) *Cf. etiam n. 122 III et aliud mendum, quod eandem epistolam contingit, p. 102, not. 3.* 6) *Cf. p. 250, n. 280; p. 540, n. 557.* 7) *Bernoulli, Acta pont. Helvetica t. I, p. 199, n. 320; cf. Tangl in Mitth. d. Inst. t. XIII, p. 639. Cf. etiam Kaltenbrunner, ibid. t. VII, p. 627.* 8) mandamus, quatinus *etc.* proponens eisdem fidelibus per regnum necnon per alia loca *etc.* verbum crucis; *Dorez et Guiraud 131.*

encyclicae reddidit, cui solam inscriptionem adiecit[1]. *3) Notas chronologicas nonnullis privilegiis manu altera additas esse iam commemoravimus*[2]*; multis praeterea neque accurate neque integre subscriptae sunt*[3]*, neque Regestorum verba* Dat. ut supra *cum die authenticorum semper conveniunt*[4]. *4) Etiam appendices, multis epistolis registratis sub verbis* In eundem modum *annexae, quaedam habent, quae ex authenticis sumpta esse non possunt. Sub epistola 119 IV duae inscriptiones, quae sub 119 III recte positae iam erant, mendose repetitae sunt, qui error fieri vix potuisset, si registratori authentica vel etiam litterae perscriptae praesto fuissent: sed hic inscriptiones, quas alicubi annotatas invenit, loco non iusto registravit*[5]. *Sub n. 606 legitur:* In eundem modum . . patriarche Gradensi et . . archiepiscopo Ravennati ac singulis episcopis legationis predicti cardinalis; *sed verba* singulis episcopis *in nulla epistola scripta erant. Ad similitudinem epistolae 624 exaratae sunt 28 aliae; sed num omnium earum authentica perfecta registratori exhibita sint, ut ex unoquoque solam inscriptionem in Regesta transcriberet, satis dubium est. Illa potius scedula, per quam vicecancellarius et scriptores instructi sunt, quibus personis haec forma litterarum mittenda esset, registrator quoque usus est*[6]. *Nonnullis vero locis ipsa Regestorum verba aperte praedicant inscriptiones modo praedicto epistolis adiectas sub earum minutis iam extitisse; legitur enim sub n. 106:* In eundem modum quibus placet, *et pluries* In eundem modum *etc.* scribatur *vel aliud verbum sub forma coniunctiva reperitur*[7].

In 'Beneficiis' Urbani IV, ut supra diximus[8]*, multae notae marginales scriptae sunt, quae alias epistolas sine audientia transiisse, alias non obstante contradictione concessas, alias coram papa lectas, ab eo reiectas vel correctas, retractatas, denique approbatas esse narrant. Cum notas eiusmodi, quae nos edocent de litterarum apostolicarum expeditione, in authenticis quae supersunt nemo invenisset, nos cum aliis, qui de his rebus disseruerunt, eas minutis inscriptas fuisse pro certo habuimus*[9]. *Nuper autem Bresslau*[10] *pontificibus praesentata esse epistolarum, quae coram eis legerentur, non minutas sed authentica posuit; quod si verum est, argumentum validum contra ea, quae supra statuimus, in se continere videtur, qua de causa paulo fusius de hac re disputabimus. Alias epistolas coram* *Litterae legendae.*

1) *Cf. N. A. t. X, p. 545. — T. II, p. X monuimus quasdam formulas ordine praepostero in Regestis saepius positas esse; sed magnam vim huic rei tribuere nunc nolumus, cum Denifle demonstraverit idem mendum etiam in quodam authentico occurrere; Specimina palaeogr. p. 13. Idem mendum in authentico ap. Ennen u. Eckertz, Qu. d. Stadt Köln t. II, p. 331, n. 317. Sed fortasse notandum est in fine ep. Inn. IV Lib. XII, 149 ita legi:* Nulli ergo etc. D̋at. Anagnie, XI Kal. Aug. a. XII, p̋resentibus post triennium etc. 2) *Cf. p. XIII, not. 6.* 3) *Cf. Berger, Préface p. XLII, qui has litteras privilegia non fuisse contendit: 'actes solennels autres que les priviléges'. Sed epistolam infra n. 208 VIII subscriptionibus cardinalium firmatam fuisse narrat Nicolaus de Curbio c. 31 ap. Baluze, Misc. t. VII, p. 390. Cf. de litteris solemnibus, quae privilegia non fuerunt, etiam Diekamp, Mitth. t. IV, p. 501.* 4) *Cf. p. 145, not. l; p. 340, not. a; cf. etiam n. 37 et 38.* 5) *Simile mendum sub n. 122 III; cf. N. A. t. X, p. 538.* 6) *Cf. N. A. t. X, p. 535.* 7) *Cf. p. 139, lin. 8* dicatur*; p. 301, 32* apponatur*; p. 313, 32* scribatur*. Sub Alex. IV Lib. VI, 96* scribatur *bis legitur.* 8) *Cf. p. X.* 9) *Cf. t. II, p. X; N. A. t. X, p. 523.* 10) *Urkundenlehre p. 775. Huic libro, qui omnes institutiones cancellariae ex ordine, et qua ratione inter se connexae essent, praeclare descripsit, quoad ea quae sequuntur multum debemus, quamvis cum auctore non ubique concordemus.*

papis lectas, alias lectas non esse constat[1]. *Anno 1278 Nicolaus III papa quandam constitutionem edidit*[2], *per quam multas litterarum formas enumerans definivit, quae inter eas legerentur et quae darentur sine lectione vel transirent per audientiam, i. e. per audientiam litterarum contradictarum*[3]. *Recte sine dubio Bresslau contendit in audientia tractata esse litterarum authentica, unde haec etiam coram papa lecta esse conclusit, id quod aliis argumentis firmavit. Neque nos negamus verba Nicolai aliud quid dicere noluisse*[4]. *Sed quaeritur, quid in audientia et quid coram papa circa epistolas, quas Nicolaus enumeravit, factum sit. In audientiam ii vocabantur, quos causa epistolae scriptae contingebat, ut proponerent, si quid authentico perfecto adhuc obicere vellent*[5]. *Si ea quae prolata sunt iusta iudicabantur, authenticum cassari poterat, quo facto retractandum et rescribendum erat*[6]. *Neque vero omnis exceptio admissa, ut nova epistola conficeretur, exigebat, sed saepius, ut videtur, auditor ei, cuius intererat, alteram epistolam misit, cui primam inseruit et exceptionem ab eo interiectam approbatam esse neque iuri eius per epistolam concessam praeiudicium generari addidit*[7]. *Agebatur igitur in audientia de iure neque vero de forma litterarum. Fortasse non eodem modo, certe simili epistolarum legendarum non verba, sed res coram papa disceptata esse cognoscimus ex eo, quod Nicolaus III non eas sibi legendas reservavit, quarum formae aliquid difficultatis haberent, sed eas causas, quae ad reges et principes et personas maioris auctoritatis pertinerent, et eas, quas solus papa decidere posset*[8], *ne in iis nisi ex certa scientia a sede apostolica quicquam emanaret. Omnia vero, quae Nicolaus praecepit, ad eas solas epistolas spectabant, quarum formae vel constabant vel quoad verborum compositionem disceptationem movere non poterant; unde ex constitutione eius nisi de hoc epistolarum genere quicquam colligere non licet. Sed aliae praeterea litterae apostolicae erant, quae neque ad similitudinem*

---

1) *Cf. N. A. t. X, p. 510 et Bresslau p. 225, not. 5.* 2) *Merkel, Documenta ad pontif. cur. spectantia, Arch. stor. Ital. Append. V a. 1847, p. 140; melius ap. Pitra, Analecta novissima t. I, p. 162; non sine mendis in Libro cancellariae ed. Erler p. 140. Quominus hac constitutione nos utamur, nihil obstare videtur, cum ultimae epistolae nostri voluminis parvo temporis spatio ab ea distent et inter epistolas legendas et non legendas tempore Urbani IV et Clementis IV modo simili, etiamsi non eodem, distinctum iam esse ipsa verba constitutionis indicent; Pitra p. 164.* 3) *Inscriptio ap. Pitra:* Iste sunt littere, que solent dari sine lectione et que transeunt per audientiam. *Merkel omisit secundum verbum* que, *legens* et transeunt; *quod perperam scriptum videtur, cum non omnes epistolae, quae coram papa non legebantur, transirent per audientiam. Nam hanc eandem fuisse atque audientiam litterarum contradictarum Liber cancellariae [Erler p. 191 et saepius] satis aperte monstrat; et multae fuerunt gratiae apostolicae, quibus, cum singulis personis ex eis praeiudicium non fieret, contradicere nemo poterat. Legimus praeterea in quadam constitutione Iohannis XXII:* Quod in litteris, que transire habeant per audientiam publicam, scriptor apponat datam diei, qua ipsas recipiat ad scribendum *etc.* In gratiosis vero litteris illam datam studeat apponere, quam appositam sive scriptam viderit in notis earundem; *Erler p. 184. Itaque in audientia litterae de iustitia et eae gratiae tractandae erant, quibus aliquis contradicere poterat. Bresslau epistolas non legendas ita distinguendas esse non attendit.* 4) *Cf. finem constitutionis:* Item in *[deest Pitra]* premissa generalitate litterarum, que iustitiam continent, hoc servetur *[servatur Pitra]*, ut si quando emergat seu occurrat forma, que non contineatur inter supra expensas, legatur domino nostro forma, que occurrit, ut ipse mandet, quid *[quod Pitra]* velit in litteris eiusdem forme servari, scilicet utrum velit eas dari cum lectione vel sine. *De formis igitur sive verbis harum litterarum legendarum coram papa non disceptabatur.* 5) *Bresslau p. 226.* 6) *De litteris rescribendis cf. p. XXIV.* 7) *Strassb. U. B. t. II, p. 36, n. 54; Diekamp in Mitth. d. Inst. t. IV, p. 536, n. 2.* 8) *Cf. N. A. t. X, p. 511 et supra not. 4.*

aliarum neque ex formulis in cancellaria iterum et iterum adhibitis confici poterant; inter quas in primis eae numerandae sunt, quae non diplomata fuerunt, sed verae epistolae, quarum verba rerum vicissitudinibus accommodanda erant. Compositionis earum pontifices expertes fuisse nemo facile opinaretur, etiam si nihil traditum nobis esset; sed Berardi de Neapoli habemus testimonium[1], *qui ad quandam epistolam Martini IV annotavit:* Non processit, quia licet sic mandasset dominus Martinus papa et notam[2] auditam multum acceptasset, tamen ad instanciam cardinalis mitigavit; *praeterea epistolam nostram n. 668 Clementem IV ipsum fecisse nuntiavit et alia eiusmodi in notis adiectis narravit. Itaque non solum authentica coram papa lecta, sed etiam minutae ei praesentatae sunt et ab eo approbatae vel correctae vel reprobatae.*

Quae cum ita sint, si ad notas marginales, a quibus haec disquisitio initium cepit, revocamus mentem, alia 'Beneficiorum' Urbani IV inter epistolas fuisse cognoscimus, quae coram papa legendae non fuerint, quia ire debebant per audientiam, sed, sicut notae adiectae pronuntiant, ex speciali gratia sine audientia transierunt. Utrum verba adscripta registrator ex minutis epistolarum an ex authenticis sumpserit, in medio relinquimus. Ea authenticis non defuisse certum est, quia haec iure suo praecipuo alias frui non potuerunt[3]; *et alias quoque notas cancellariae in multis chartis originalibus collocatas fuisse scimus, quae pleraeque postmodo erasae sunt, non paucae hodie ibi conspiciuntur*[4]. *Nec minus certum nobis videtur verba illa etiam in minutis scripta fuisse. Nam si epistolas ad instantiam camerarii vel obtentu alicuius cardinalis vel de speciali gratia sine audientia transiisse legimus, is, qui hoc permisit vel iussit, sine dubio non vicecancellarius fuit, sed papa. Hic igitur iam tum, cum ut aliqua epistola fieret, mandaret, gratiam eiusmodi concessit, quae alicubi annotata in minutam postea delata est. Qua de causa notae, quae audientiae remissae mentionem faciunt, neque ad comprobandum neque ad redarguendum quod de registratura supra posuimus quicquam certi afferunt. — Alia 'Beneficia' coram Urbano IV lecta sunt; et profecto quaedam inter notas eis appositas, si eas authenticis inscriptas cogitamus, minus difficultatis habent; una unde sumpta sit nisi ex authentico, nescimus:* Fuit data ad bullam per dominum nostrum[5]; *nam cum haec verba scriberentur, sola bullatio superfuisse videtur. — Sed aliae sunt epistolae, quas coram papa pluries lectas vel ab eo correctas esse notae nostrae narrant*[6]. *Iuxta epistolam 1641 posita sunt verba:* Ter[7] fuit lecta per vicecancellarium et ter cassata; ultimo dominus concessit eam et magister Laurentius promovebat eam. *Nimirum authentica quoque coram papa lecta, si necesse erat, ab eo corrigebantur, idque radendo in eodem exemplo fieri potuisse loci rasi et correcti,*

Notae marginales.

1) *Kaltenbrunner in Mitth. d. Inst. t. VII, p. 35.* 2) *'Nota' = minuta iam sub Alex. IV:* Item nullus abbreviator, qui sit scriptor, notam in grossam redigat, nisi *etc.; Erler p. 171.* 3) *Cf. finem huius capituli.* 4) *Cf. Diekamp, Mitth. d. Inst. t. III, p. 597 et sequ.; t. IV, p. 520; Strassb. U. B. t. II, p. 129, n. 167 et 168; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. XIX; p. 173, n. 368; p. 230, n. 499; p. 271, n. 582; p. 274, n. 587; p. 334, n. 703; cf. etiam Merkel p. 136, II, 4.* 5) *F. 310, ep. 1615.* 6) *F. 43, ep. 91; f. 151, ep. 432.* 7) *Ita nos cum Pertzio legimus; Kaltenbrunner, l. c. t. V, p. 276:* Tamquam lecta — tamquam cassata; *Pitra p. 606:* Tunc fuit lecta, tunc fuit cassata. *Sed Specimina palaeogr. p. 31, not. 72:* Ter etc.

qui in multis chartis originalibus occurrunt[1], *nos edocent: unde quis forsan hanc quoque notam ex authentico sumptam esse coniciat. Sed epistola, quae ab Urbano ter reprobari poterat, inter eas formas vix fuit, quae multae ex cancellaria procedentes papae tum demum proponebantur, cum in litteras grossas redactae essent; neque magister Laurentius, qui epistolam 'promovit', is fuit, qui eam ad bullam portaret, sed aliquantum circa expeditionem eius etiamnunc exequendum fuisse videtur; cui ut magister ille inserviret, mandatum est. Hac de causa nobis multo probabilius est notam illam minutae inscriptam fuisse. Si vero ibi extitit, eam in authenticum translatam esse non credimus, nisi forte nomen magistri Laurentii fuit, ut idem efficeret, quod nomen cardinalis, obtentu cuius aliqua epistola concessa esset, authentico inscriptum valuisse infra studebimus demonstrare. — Praeterea, si iuxta epistolam 407*[2] *reperitur:* Frater Amalricus vidit eas, ut dominus noster preceperat, et placuit sibi, quod fierent: *verba* quod fierent *authentico conficiendo magis conveniunt quam confecto. — Et quid 'littera, quam dominus Riccardus sigillavit a tergo'*[3], *fuerit nisi minuta, ignoramus, praesertim cum in quodam scripto de consuetudinibus cancellariae circa a. 1280 confecto*[4] *legatur:* Et si forte cardinalis aliquis gratiam aliquam impetrabat, mittebat eam sub sigillo suo expediendam ad notarium, quem volebat; qui notarius scribebat in margine grosse mittende ad cancellariam: 'Non legi, sed domnus talis cardinalis mandavit'. *Quae verba si recte intellegimus*[5], *cardinalis minutam, quam papa approbavit, vel petitionem ab eo exauditam sub sigillo suo alicui notario expediendam mittebat, et epistola in litteras grossas redacta neque coram papa neque in audientia*[6] *legenda erat, sed in cancellariam mittebatur, ut bullaretur et ei, cuius esset, exhiberetur. Gratiae igitur, quas cardinales impetrabant, celerius quam aliae epistolae via quasi compendiaria per cancellarium transgrediebantur; unde perspicimus, qua de causa nonnullis 'Beneficiis' Urbani IV, cuius cardinalis consilio vel obtentu concessa sint*[7], *adscriptum inveniatur; quae verba et in minutis ponebantur neque authenticis deesse debebant. Praeterea ex scripto citato discimus verbum 'expedire' idem non fuisse atque 'dare ad bullam', sed omnia, quae ad epistolam conficiendam pertinerent, comprehendisse; ideoque ubi, ut epistola aliqua expediretur, papam mandasse notae nostrae referunt, ut eum authenticum approbasse sumamus, non oportet*[8]. *Ex omnibus vero supradictis elucet notas illas*

---

1) *Cf. p. XIX, not. 4.* 2) *F. 148.* 3) *F. 297, n. 1543:* Ista littera, ut iacet, fuit concessa ad instantiam domini Riccardi et domini Sabinensis. Dominus R. perhibuit testimonium viva voce de tenore littere et sigillavit eam a tergo. Dominus Sabinensis consuluit domino nostro, quod secure daret eam, quia poterat secundum Deum; et dominus noster acquievit sibi. *Riccardus, qui episcopo Sabinensi antepositus est, sine dubio diaconus cardinalis S. Angeli fuit et is, qui ut epistola concederetur, petivit. Hic igitur epistolam sigillavit.* 4) *Merkel p. 136, II, 4; Erler p. 136. De tempore cf. p. XV, not. 5.* 5) *Bresslau p. 220, not. 4 hunc locum alias interpretatus est; sed verbum 'grossa' in hoc capitulo bis occurrens loco altero aliud vix significavit atque altero; et notarios grossas scribendas curae sibi nonnunquam habuisse sequi videtur ex eo, quod scriptores ab eis quoque mandata receperunt; cf. Merkel p. 137, 6 et infra.* 6) *Hae epistolae pro lectis habebantur et litterae legendae per audientiam transiisse non videntur; cf. p. XVIII, not. 3.* 7) *Si quasdam epistolas obtentu camerarii vel aliarum personarum maioris apud curiam auctoritatis concessas esse legimus, haec verba adscripta fortasse idem effecerunt. Itaque hae notae idem fere significasse videntur atque eae, quae epistolas sine audientia transiisse referunt; cf. not. 6.* 8) *Cf. consti-*

a scriptoribus ut libuit adiectas non esse, sed eas omnes ad expeditionem epistolarum aliquid valuisse[1].

Urbani IV 'Beneficiis' cura et diligentia maior quam aliis voluminibus adhibita est; sed de ratione epistolas registrandi notae additae nihil nos docent, *Ratio epistolas conficiendi.* *nisi quod non ignoravimus; nam aliquas epistolas ex minutis, aliquas ex authenticis in Regesta relatas esse demonstrant; plurimae unde transcriptae sint, non detegunt. Inter exempla quae registrator haberet minutarum numerum multo maiorem fuisse aliis ex causis collegimus; et hanc sententiam non modice firmari credimus, si quam viam litterae apostolicae, donec perfectae sint, in cancellaria fecerint, oculis perlustremus*[2]. *Omnium epistolarum, quas papa fieri iussit, minutae sive notae componebantur; quas qui conficiebant sub Innocentio IV breviatores*[3], *inde a tempore Alexandri IV abbreviatores vocabantur*[4], *qui ministri et familiares notariorum erant*[5] *neque inter officiales cancellariae apostolicae numerabantur. In minutis ea sola scribebantur, quae grossae exarandae sufficere possent, ita ut formulae tritae non darentur plenis verbis vel etiam grossator moneretur, quo loco eas perscriptas inveniret*[6]. *Cum plures epistolae eiusdem vel fere eiusdem tenoris conficiendae essent, unius minuta integra fiebat, cui verba in aliis epistolis mutanda leviter annotabantur*[7] *et nomina personarum, quibus praeterea scribendum erat, verbis* In eundem modum *subter annectebantur*[8]. *Saepius autem, ut videtur, nulla inscriptio posita est*[9], *sed nomina personarum alicubi conscripta sunt*[10]. *Neque vero hunc usum minutas conficiendi semper eundem fuisse dixerimus.*

Aliarum epistolarum minutae coram papa legebantur, aliarum non legebantur[11]. *Litterae legendae.* *Qua lege distinctae sint, nescimus; sed suspicamur papam ipsum inter epistolas, quas scribi iuberet, eas designasse, quarum minutae sibi essent proponendae. Legendae fuerunt nimirum eae, quarum formae novae essent*[12], *et in primis eae, quae non documenta, sed verae epistolae res curiae vel negotia publica regnorum et principatuum et ecclesiarum contingentes ad instar aliarum epistolarum exarari non possent. Hae coram papa discutiebantur, corrigebantur, ut retractarentur reiciebantur, approbabantur; et quo die ille eas absolvisset, eum epistolis subsignatum credimus*[13]. *Dubium autem nobis est, num notae chronologicae sub ipsa*

---

tutiones Iohannis XXII ap. Erler p. 173: pro expediendis notis; *p. 175:* litteras, que expediri debent in cancellaria; *p. 180:* litterarum, que per petitiones a nobis signatas expediuntur.

1) *Id cadit etiam in verba:* Satis competenter legit, cantat et latinizat *etc., quae saepius inveniuntur. Propter quod velimus, ut V. Cl. Dorez et Guiraud, qui Regesta Urbani IV edere coeperunt, non solum omnes notas sed etiam omnes epistolas, iuxta quas legantur, integras nullis formulis omissis proponant.* 2) *De omnibus quidem, quae ad hanc rem pertinent, non agemus, sed quae fuerit ratio in epistolis conficiendis et ordo, breviter perstringemus.* 3) *Bresslau p. 219.* 4) Item nullus abbreviator, qui sit scriptor, notam in grossam redigat, nisi ei per manum distributoris sicut aliis scriptoribus assignetur; *constit. Guillelmi magistri scolarum Parmensium vicecancellarii Alexandri IV [a. 1255—1256, Mai.]; Erler p. 171.* 5) *Bresslau p. 219. Familiares singulorum notariorum fuisse videntur, cum suum quisque notarium haberet, de cuius camera erat. Sed paullatim omnes abbreviatores quidam ordines communes continuerunt, ita ut per singulos menses unus eorum vel duo essent distributores petitionum simplicium; Merkel p. 145, VII; Erler p. 12.* 6) *Cf. p. XVI, not. 7 et Kaltenbrunner, Mitth. t. VII, p. 613 et sequ.* 7) *Cf. p. XVI.* 8) *Cf.* In eundem modum scribatur *etc. p. XVII, not. 7.* 9) *Cf. p. XVI.* 10) *Cf. p. XVII et Kaltenbrunner, Mitth. t. VII, p. 630.* 11) *Cf. p. XVII.* 12) *Cf. constitutionem Nicolai III p. XVIII, not. 4.* 13) *Cf. N. A. t. X, p. 552. Cf. etiam infra n. 646: a. 1265, Nov. 4 Clemens IV instrumentum longissimum, per quod Carolo regnum Siciliae collatum erat, confirmavit, et sub eodem*

verba minutarum semper positae sint; non raro, praesertim cum epistolae essent encyclicae vel sub forma simili diversis personis mittendae, alio loco annotatae videntur[1]; unde fieri potuit, ut epistolis dies non approbationis papalis, sed aliquis posterior, ille forsan, quo authenticum scriptum est, adsignaretur[2]. Minutas a papa acceptas in litteras grossas redigere hasque cum minutis conferre et ex eis corrigere cancellariae erat, neque papam litterarum legendarum authentica, nisi essent privilegia solemnia ab eo signanda[3], denuo vidisse opinamur. Hae epistolae quam citius expediebantur, cum constitutum esset[4], ut scriptores negotia curiae praeponerent omnibus aliis. Denique epistolis bullae papales appendebantur.

Litterae gratiae et iustitiae.

Epistolae, quarum minutae non legebantur, aut gratias aut iustitiam continebant[5]. Petitiones gratiarum apud sedem apostolicam impetrandarum, quas personae sublimes porrigebant, ab earum nuntiis vel procuratoribus papae exponebantur[6]; aliae 'datae communi' exhibebantur[7], ex qua notarii eas recipiebant, ut eas per ordinem coram papa legerent[8], eo modo ut omnes petitiones personae eiusdem proponerentur simul[9]. Omnes petitiones, quae admissae sunt, ad indicium approbationis papalis factae per notarium vel eius abbreviatorem, qui praesentes erant, signabantur[10]. Eae, ex quibus minutae epistolarum sine difficultate confici poterant quaeque 'simplices' vocatae videntur[11], in 'datam communem' remittebantur, quas 'distributor petitionum simplicium', qui unus ex abbreviatoribus erat, inter collegas suos distribuit[12]; aliae certis notariis expediendae committebantur. Minutae ex petitionibus simplicibus compositae in correctoriam portabantur[13], cui corrector

die cuidam cardinali legato iam scripsit se ei hoc privilegium bullatum et omnium cardinalium praesentium subscriptionibus roboratum, ut et ipse subscriberet, transmittere. Utraque epistola eodem die approbata videtur. — Epistolis solus dies neque vero locus adscriptus videtur. In tribus enim epistolis Innocentii IV a. 1254, Oct. 11 et 18 datis loca non iusta reperiuntur; Lib. XII, 255, 260, 293. Papa in itinere tum erat. Cf. etiam BFW. 8722a et Kaltenbrunner, Mitth. t. VII, p. 610.

1) Cf. N. A. t. X, p. 554, et minutam encyclicae supra p. XVI. Epistola n. 657 inserta, quae nota chron. caret, ex minuta sumpta est; cf. p. XV. Cf. epp. 119 III et IV neglegenter registratas. Notae chron. quorundam privilegiorum altera manu additae sunt; cf. p. XIII et Diekamp, l. c. t. IV, p. 500. 2) Cf. N. A. t. X, p. 551. 3) Cf. Diekamp, l. c. t. IV, p. 499, not. 1. 4) Iam sub Alexandro IV; Erler p. 171, cf. p. 137 et Merkel p. 137, n. 8. 5) Merkel p. 136, II, 4; cf. formas, quas Nicolaus III enumeravit, ap. Pitra p. 162. 6) Ne 'datae communi' exhiberentur, interdictum est ap. Merkel p. 146, IX, cap. 2; ne aliquae earum [vel omnes?] a notariis legerentur, ap. Merkel p. 136, II, 1 et 2. 7) Merkel p. 146, IX, cap. 2. Hae fuisse videntur in primis eae, quas personae praesentabant, quae pro quolibet, sibi pecunia id compensante, procuratoris munere fungebantur; cf. p. XIV. 8) Merkel p. 136, II, 1. 9) Merkel p. 146, IX, cap. 2. 10) Merkel p. 145, VII. Notarium aliquem et abbreviatorem etiam lectioni petitionum personarum sublimium interfuisse, praesertim ut de minutis conficiendis praecepta papalia audirent, consentaneum est. 11) Non omnes petitiones 'simplices' erant; Merkel p. 145, VII. Neque omnes petitiones expediendas notarii [vel pro eis abbreviatores eorum] ex data communi recipiebant, sed quasdam a papa ipso vel a cardinalibus vel ab aliis; Merkel p. 146, IX, cap. 1; cf. p. 145, VII. 12) Sed cf. notam sequ. 13) Eas solas in correctoriam missas esse conicimus ex eo, quod minutas, quas aliquis notarius signo suo approbavit, corrector, qui multo minoris auctoritatis erat [Merkel p. 137, 12 et p. 143, 18 et 19], in dubium revocare vix potuit. Praeterea in iuramento abbreviatorum inter constitutiones Iohannis XXII tradito legimus ap. Erler p. 12 et 174: Item aliquam legendam non signabo sine mandato notarii nec ad correctoriam transmittam vel portabo sine mandato notarii; quae verba ita intellegimus: litteras legendas aut signandas aut ad correctoriam mittendas fuisse. Neque vero scimus, num corrector minutas signo suo approbare potuerit, cum ap. Merkel p. 136, II, 4 legamus: Item iidem notarii solummodo vel eorum abbreviatores de ipsorum mandato signare consueverunt omnes notas et grossas provisionum et formas pauperum et quascunque alias gratias et iustitiam continentes; et qui secus faceret, derogaret offitio notarie. Epistolae, ubicunque in cancellaria erant, sub eius notarii, de cuius camera erant, custodia

praeerat; minutae aliarum ab eo notario, in cuius camera confectae sunt, approbatae per eum vel per aliquem ex abbreviatoribus eius signabantur. Si quid dubii circa minutas exaratas emergebat, vicecancellarius et notarii abbreviatoribus advocatis eas de iure et stilo examinabant[1]; *in causis difficilibus et gravioribus ad papam recurrebatur*[2]. *Minutis gratiarum notas chronologicas iam fuisse adscriptas Regesta nos docent; nam inter exempla, quae registratores receperunt, saltem quaedam fuisse minutas gratiarum constat, quae omnes notis chronologicis ornatae in Regestis reperiuntur*[3]. *Praeterea, cum eis minutis, quae coram papa legebantur, dies quo approbatae sunt adsignaretur, aliis diem, quo papa petitiones porrectas exaudivisset, appositum esse eo facilius nobis persuadetur, quo saepius statutum esse accipimus, ut quae gratiae impetratae priores essent per datam litterarum, eae executioni prius mandarentur*[4]: *id quod dicere videtur ex data ordinem cognosci, quo papa gratias concesserit. Litterarum iustitiae, quas papa fieri iubebat, minutas eodem modo confectas arbitramur, praeter quod per 'datam communem' non transibant, sed certis notariis committebantur*[5], *qui minutas aut ipsi scribebant aut per abbreviatores suos scribendas curabant easque denique signabant*[6]; *et eis quoque notas chronologicas adiectas iam fuisse Regesta et ipsa demonstrare videntur*[7]. *Minutae approbatae in cancellariam portabantur, a scriptoribus in litteras grossas redigendae, quas distributor notarum grossandarum generalis inter collegas suos scriptores distribuebat*[8]. *Grossae factae, postquam*

remansisse videntur, ut hic de eis, quando petebatur, rationem redderet. — Ea, quae constitutio ap. Merkel p. 147, IX, cap. 3 de 'notis correctis' refert, fortasse perperam tradita sunt, cum expeditio minutarum vix fuerit partium.

1) *Merkel p. 135, I, 1; p. 138, 26; cf. emendationem, quam Bresslau p. 219, not. 5 fecit. Bresslau p. 218 et 776 litteras grossas ita examinatas esse dicit, neque vero videmus, qua de causa id credat. Ea, quae notae quaedam marginales 'Beneficiorum' Urbani IV referunt, sine dubio examinationes de iure et stilo fuerunt, Pitra p. 604, n. 828 et 1021: de 'collatione', et quid hoc verbum significaverit, cf. infra p. 688, 18. Sed ut notas illas omnes authenticis inscriptas sumamus, non oportet; cf. p. XIX. Praeterea, ut inter grossas 'dubiae' invenirentur, omnes de iure et stilo examinandae erant; sed nihil videtur esse, cur id hoc tempore factum opinemur; et iterum monemus litteras a notariis approbatas ab aliis retractari vix debuisse. Fieri nimirum poterat, ut res dubiae alicuius epistolae tum demum animadverterentur, cum in litteras grossas redacta esset.* 2) *Cf. Pitra p. 605, n. 1221.* 3) *Cf. p. XVI et in primis not. 7. Etiam tempore Iohannis XXII minutae gratiarum notis chronologicis instructae erant; cf. p. XVIII, not. 3.* 4) *Cf. t. II, p. 402, 31; p. 440, 23.* 5) *Merkel p. 145, VII. Si litterae iustitiae a singulis notariis taxabantur, ei soli eis expediendis incumbebant; ideoque earum minutae conficiendae inter abbreviatores non distribuebantur.* — 6) *Nimirum eae quoque, si necesse erat, de iure et stilo examinabantur.* 7) *Legitur quidem in quadam constitutione Iohannis XXII ap. Erler p. 184:* Quod in litteris, que transire habeant per audientiam publicam *[quae in primis litterae iustitiae erant]*, scriptor apponat datam diei, qua ipsas recipiat ad scribendum, nisi vacationes communes existerent, et tunc data[m] ponere teneatur diei prime audientie resumendae. In gratiosis vero litteris *etc. ut p. XVIII, not. 3. Sed num consuetudo saec. XIII eadem fuerit, dubium nobis est, cum omnes Regestorum epistolae notis temporum ornatae et aliquot saltem ex minutis scriptae sint, inter quas litterae iustitiae vix defuerunt. — Fuerunt praeter litteras gratiarum et iustitiae litterae camerae apostolicae; neque vero qua via expeditae sint, documenta, quae Merkel edidit, satis detegunt. Sed ibid. p. 136, I, 5 legimus:* Tenebatur etiam vicecancellarius et notarii antedicti assistere pape in camera ad exequenda mandata eius*: et litteras camerae ab aliis non omnino separatas esse colligimus ex eo, quod saltem unam epistolam monstrare possumus, quae et inter alias epistolas Urbani IV et inter cameralia eius registrata est; infra n. 610.* 8) *Merkel p. 137, II, 10; cf. constitutionem sub Alexandro IV editam ap. Erler p. 171:* Item nullus abbreviator, qui sit scriptor, notam in grossam redigat, nisi ei per manum distributoris sicut aliis scriptoribus assignetur, et qui contrafecerit, ex tunc ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, mandato vicecancellarii semper salvo. *Neque vero certum nobis est, num omnes minutae ingrossandae ita distributae sint; legimus enim ap. Merkel p. 137, 6:* Item quando scriptor

a scriptoribus cum minutis collatae et ex eis, si necesse erat, radendo correctae sunt[1], *eis notariis*[2], *qui singulis epistolis promovendis ab initio invigilaverant, restituebantur, ut ultimum omnibus in rebus subirent examen*[3]; *in quibus tum quoque correcturas non leves factas esse scimus*[4], *quas cuique exemplo idem scriptor immisit, qui id scripserat*[5]. *Denique notarii vel eorum abbreviatores litteras grossas signabant. Epistolarum, quae ab eis ita absolutae sunt, aliae ad bullam portabantur*[6], *aliae antehac papae praesentandae erant; authentica enim legenda non videntur fuisse bullata*[7]. *Haec coram papa simili modo tractabantur atque minutae ei expositae*[8]: *corrigebantur, si emendationes in eodem exemplo fieri poterant, reiciebantur, ut correcta rescriberentur, approbabantur, ut mitterentur ad bullam. Inter epistolas bullatas non legendas aliquibus per audientiam litterarum contradictarum transeundum erat, ubi, sicut supra narravimus*[9], *disceptatae aut ratae habebantur aut reprobabantur, ita ut rescribendae essent. Litteris rescribendis incumbebat rescribendarius*[10], *qui eas inter scriptores distribuebat; quae epistolae omnibus aliis, nisi spectabant ad negotia curiae, praeferendae gratis et scribebantur et bullabantur*[11]. *Omnibus, quae lege praeceptum erat, in cancellaria rite expletis epistolae taxis legitimis solutis*[12] *eis ad quos pertinebant*[13] *exhibebantur.*

Registratura. *Quaeritur, quo tempore litterae apostolicae, quarum expeditio secundum ordinem et usum processit, registratae sint. Hoc scriptorum fuisse*[14] *scimus; sed aliae, antequam earum authentica missa sunt*[15], *aliae multo post*[16], *aliae ex authenticis, aliae ex minutis in Regesta relatae sunt; multae, quamvis ad gravissima negotia curiae pertinuerint, ibi desunt, aliae bis reperiuntur*[17]. *In tanta varietate*

aliquis negligenter vel inobedienter se gerebat in offitio suo sive erga vicecancellarium sive erga notarios, suspendebatur ab offitio citra ammotionem totalem, vel alias puniebatur ad simplicem denuntiationem notarii pro arbitrio vicecancellarii. *Scriptores igitur etiam a singulis notariis mandata recepisse videntur; cf. Merkel p. 136, II, 4 et supra p. XX, not. 5. Praeterea omnes epistolae sub cura illius notarii, cui vel cuius abbreviatoribus commissae erant expediendae, semper remansisse videntur, cum notarii soli et minutas et grossas signarent; cf. p. XXII, not. 13.*

1) *Cf. constitut. Ioh. XXII ap. Erler p. 184.* 2) *Hoc ex eo sequi videtur, quod notarii soli grossas signo suo approbare poterant; cf. p. XXII, not. 13.* 3) *Etiam scriptura examinabatur. Quid in singulis epistolis observandum fuerit, legitur ap. Winkelmann, Sicilische u. päpstl. Kanzleiordnungen p. 33, n. 8 et 9; cf. etiam n. 7.* 4) *Cf. Diekamp, Mitth. d. Inst. t. III, 597; t. IV, 520 et sequ.; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. XVI; cf. Strassb. U. B. t. II, p. 129, n. 167 et 168.* 5) *Diekamp t. IV, p. 522.* 6) *Etiam epistolae, quae per audientiam transibant, bullatae erant; nam si rescribendae erant, gratis bullabantur; v. infra.* 7) *Cf. p. XIX ad ep. Urb. IV benef. 1615:* Fuit data ad bullam per dominum nostrum. *Iuxta Honorii III Lib. II, 264 ap. Kaltenbrunner, Mitth. d. Inst. t. V, p. 234 legitur:* Ista littera, postquam fuit bullata et registrata, fuit remissa domino, et postea mutata fuit sed nondum remissa ad Regestum; *authenticum epistolae ante et post bullam affixam papae praesentatum videtur.* 8) *Cf. p. XXI; sed verba minus examinabantur quam ius; cf. p. XVIII.* 9) *Cf. p. XVIII.* 10) *Merkel p. 137, 11. Iuramentum eius ap. Erler p. 3; cf. Bresslau p. 254—255. Legimus officium eius cum audientia quasdam rationes habuisse.* 11) *Merkel p. 137, 8 et 9; cf. Erler p. 171.* 12) *Taxae solvebantur tempore Nicolai III [nimirum pro litteris gratiae et iustitiae neque vero pro litteris curiae]: abbreviatoribus pro minutis; Merkel p. 145, VII; scriptoribus pro grossis p. 137, 7, 8, 10; pro bulla p. 137, 9 et p. 138, 20; pro regesto p. 137, 7. Cf. Diekamp, Mitth. d. Inst. t. IV, p. 507; Tangl, ibid. t. XIII, p. 1, qui p. 75 taxam scriptorum tempore Alexandri IV compositam edidit. Cf. etiam epistolam eiusdem papae a. 1255, Mai. 21 Beneventanis concessam infra p. 373, not. 1.* 13) *Cf. N. A. t. X, p. 566.* 14) *Merkel p. 137, 7:* Item tenebantur et tenentur scriptores scribere gratis litteras pro personis notariorum, fratrum et nepotum suorum, et pro regesto ab eisdem nichil dari consuevit. 15) *Cf. p. XII.* 16) *Cf. p. XIV.* 17) *Cf. infra n. 37, 38, 357, 536, 610. Nescimus, an etiam epp. ap. Inn. IV Lib. XII, 236 et 237 eaedem sint atque epp. 436 et 439. Alex. IV Lib. III, 783b = Lib. IV, 58?*

id certum est: in epistolis registrandis non fuisse consuetudinem stabilem neque decretum esse, ut unaquaeque stato tempore per manus registratoris transiret, ita ut eius expeditio, nisi id factum esset, promoveri amplius non posset; qua re epistolae curiam sine difficultate exire poterant, etiamsi registratae non essent. Quod si verum est, moris fuit, ut non authentica, sed minutae, quae in cancellaria remanebant, Regestis conficiendis servirent, quae, prout res et tempus ferebant, vel cum authentica absoluta nondum essent, vel postea in Regesta transscribebantur.

Sed qui id accipit, ei de Regestorum fide dubitare licet, cum multae grossae factae non leviter sint correctae vel etiam rescriptae[1] *et Finke nobis monstraverit duobus locis rasis cuiusdam authentici Honorii III verba reperiri, quae a Regestis omnino differrent*[2]*; quae res probat hanc epistolam in litteras grossas redactam sustinuisse correctionem, quae de authentico in exemplum antea iam registratum*[3] *non sit translata. Sed aliis locis, ut decuit, hoc factum est, idque eo facilius fieri poterat, quo scriptores et grossas scribebant et corrigebant et Regesta conficiebant*[4]. *Legimus enim iuxta epistolas Innocentii III Lib. XIII 114—115*[5]: Iste littere fuerunt rescripte et sic correpte, postquam fuerunt bullate; *et nunc plene intellegitur, quomodo emendationes quaedam, quas supra commemoravimus et quarum causa vix fuit vitium vel neglegentia registratoris, Regestorum exemplis addi potuerint*[6]. *Has epistolas ex minutis registratas ex authenticis emendatis esse correctas apparet; neque opponere cuiquam licet eas omnes ex authenticis registratas esse et correctas ex litteris rescriptis, quia in multis Regestorum epistolis spatia vacua relicta sunt*[7], *ad quod authentica perfecta occasionem nimirum non dederunt; sed registratorem in lacunis illis verba dubia, vel quae in minutis suis satis bene legere non posset, ex authenticis postmodo supplere voluisse*[8] *habere nos oportet pro re approbata. Quae cum ita sint, notae registraturae, quae reperiuntur in dorso aliquot authenticorum*[9], *unde Regestorum exempla sumpta sint, certum reddere non possunt, nedum qui fuerit usus in litteris registrandis, testimonio esse, quia factum esse potest, ut notae illae tum demum additae sint authenticis, cum ex eis Regesta corrigerentur vel cum eis conferrentur. Ex eis vero quae diximus elucet Regestis maiorem nobis licere attribuere auctoritatem, quam pro eo, quod maxima ex parte conscripta sint ex minutis, permissum primitus videatur. Omnis quidem de fide eorum dubitatio non removetur, quia non pauci sunt loci vacui, quos registratores explendos sibi reliquerunt neque expleverunt, et multae epistolae tum demum registratae sunt, cum ex authenticis corrigi* Regestorum fides.

---

1) *Cf. p. XXIV.* 2) *Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. XVI. In Reg.* vinee de ibidennesbusnacant, *sed in authentico* prebende ibidem tunc vacantis; *in Reg.* et in autentico eiusdem episcopi plenius continetur, *sed in authentico* constitutione Turonensis concilii non obstante. 3) *Ut videtur, ex minuta; nam aut ex minuta aut ex grossa non correcta sumptum est, grossas autem non correctas neque a notariis signatas registratoribus exhibitas esse probabile non est.* 4) *Cf. p. XXIV.* 5) *Cf. Kaltenbrunner, l. c t. V, p. 234; Denifle, l. c. t. II, p. 67. Cf. etiam notam ad ep. Honorii III Lib. II, 264 supra p. XXIV, not. 7. In Urb. IV Vol. II [cameralia], f. 24 iuxta epistolam deletam legitur:* Correcta fuit, et postquam fuit bullata et *[est?]* scripta alibi. 6) *Cf. p. XII.* 7) *Cf. p. XII.* 8) *Cf. in primis p. XII Inn. IV Lib. X, 285.* 9) *Cf. p. XIII, not. 11.*

amplius non possent. Satis esse nobis debet, quod pontifices Regestis suis et antecessorum suorum non minus quam ipsis authenticis epistolarum crediderunt, cum ex eis instrumenta deperdita innovaverint[1].

Editio. *Propositum nobis erat, ut ex litteris Regestorum a. 1250—1268 eas seligeremus, quae ad historiam imperii huius temporis illustrandam aliquid afferrent. In qua re exequenda saepius haesitavimus, quia imperii scissi et distracti historia quasi in plures rivos tum diffluxit, ita ut casus et eventus singularum terrarum inter se vix cohaererent, et quid momenti ad imperium habuissent, pro certo affirmari non posset. Quia vero dubium non est, quin sors et imperii et totius Christianitatis subiecta fuerit controversiae illi, quae inter domum Stauforum et papatum dudum exorta non ante a. 1268 finem cepit, eius vicissitudines per litteras apostolicas ante omnia persequendas nobis esse credidimus, et quae Conradum IV, Manfredum, Conradinum attingerent, ea omnia collegimus; quod quidem effecit, ut res Italicae magnam partem huius tomi occuparent, sed recusandum non fuit. Inter res Theutonicas inprimis ad negotia Willelmi, Ricardi, Alfonsi animum advertimus, tum ad alia, quae graviora videbantur, eas provincias et regiones prae aliis respicientes, in quibus regibus aliquid etiamnunc superesset auctoritatis vel quibuscum eis rationes essent. Praeterea cum tantus esset epistolarum numerus, quae ad historiam huius temporis aliquid saltem valerent, aliis eas anteponere visum est, quae alibi publicatae non essent. Itaque multas earum, quae ad res Bohemicas spectant, praetermisimus, quia bene editae sunt; et idem circa res Prusciae et ordinis Theutonici nobis licere eadem de causa censuimus, praesertim cum regiones ad quas pertinerent ab imperio alienatae paene iam essent. Ita quidem forsan quivis in editione nostra alias epistolas desiderabit, alias quas praebuimus supervacaneas reputabit; sed nemo, qui selectionem eiusmodi facit, omnibus satisfaciet, quia quid ponderis singulis epistolis tribuat, ex solo arbitrio suo et opinione pendet et aliquae semper erunt, de quibus controversia fieri potest. Ne autem permultae illae litterae apostolicae, quas ne collectio nostra nimis intumesceret, omisimus, in volumine nostro omnino deessent, earum argumenta locis convenientibus annotavimus, quas notas gratas fore lectori speramus, qui quo loco de rebus ibi propositis in novis editionibus Regestorum Innocentii IV, Urbani IV, Clementis IV plura quaerat, simul instruitur.*

In epistolis edendis id egimus, ut Regestorum verba quam maxima diligentia redderemus et locos correctos et rasos et ea, quae manus alterae addidissent, indicaremus. Inter Pertzii apographa, quorum fidem eximiam non ignoravimus, alia, ne tempus breve, quod in archivo Vaticano cotidie concessum erat studio, sine utilitate perderemus, cum editionibus, quas bonas novimus quasque habere potuimus[2]*, contulimus, ut solos locos variantes in Regestis denuo exquireremus; sed multa etiam integra cum eisdem a nobis collata sunt, paucis, quae nullo loco suspicionem movebant, ita, ut ille ea dederat, acceptis. Epistolarum, quas Pertzii*

---

1) *N. A. t. X, p. 572.* 2) *Editiones collatae, ad quas nihil annotavimus, ex Reg. manaverunt.*

collectioni adiunximus, maior erat numerus, quam ut omnes nos ipsi describere potuissemus. Itaque aliarum, quae publicatae erant, editiones paratas, aliarum exempla per quendam scriptorem, qui archivo aggregatus in apographis Regestorum faciendis exercitatus erat, scripta cum Regestis contulimus. Sed ita quoque opus nostrum propter temporis brevitatem consummare non potuimus; quae apographa et collationes supererant facienda, cum domum rediremus, coacti sumus aliis committere exequenda, sed VV. Cl. Meynke et Monaci quod petivimus optime ut credimus perfecerunt; nam aliquot exempla eorum ad editiones interim vulgatas[1] *examinare potuimus. Nonnulla denique ad preces nostras V. Cl. Schellhass benevolenter nobis porrexit. Eis omnibus, qui adiumento nobis fuerunt, gratias habemus quam maximas, inprimis vero obligatos nos scimus V. Cl. P. Denifle O. P. subarchivistae S. Sedis, qui nulla in re nobis defuit et desideriis nostris, quantum potuit, summa comitate semper obsecutus est.*

In fine huius quoque voluminis quasdam epistolas ineditas addidimus, quae in Regestis non leguntur, sed lectori ut speramus acceptae erunt: quarum apographa in apparatu Societatis invenimus.

Denique sicut in tomo primo et secundo quasdam formulas perscribimus, quae in nonnullis epistolis infra propositis integrae datae non sunt:

1. Attenta sedis apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans quibusdam interdum concedit aliqua ex plenitudine potestatis, que alias ipsis minime indulgeret, et quedam aliquando denegat, que aliis forsan temporibus largiretur, dispensans oportune iuxta necessitatem temporis suarum munera gratiarum, nunc ea impendendo benigne, nunc autem inspecta utrobique ipsius qualitate temporis merito denegando, ut in hiis, quod utile et salubre fore perspexerit, semper agat.

2. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter auctore Deo continuum suscipiant incrementum.

3. quod per eundem [fratrem *etc.*] super hiis factum est *etc. etc.*, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus.

4. Quod inde feceris [*vel* Diem vero citationis *etc.*] per tuas nobis litteras continentes tenorem presentium studeas [*vel* procures] fideliter intimare.

5. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium studeas [*vel* procures] quantocius destinare.

---

1) *Urb. IV Reg. ed. Dorez et Guiraud; Clem. IV Reg. ed. Iordan; cf. p. VIII; Bernoulli, Acta pont. Helvetica t. I. Sed has editiones praeter primum fasciculum Regestorum Clem. IV non habuimus, antequam epistolae nostrae typis impressae sunt. Etiam ex litteris papalibus, quas in praeclaris illis Regestis Imperii Ficker et Winkelmann nuper proposuerunt, tum demum fructum capere potuimus, cum ad Regesta Urb. IV et Clem. IV iam pervenissemus.*

6. non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas [*vel* absque sedis eiusdem speciali mandato *etc.*], non facientes plenam et expressam seu de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

7. non obstante aliqua indulgentia [*vel* litteris apostolicis *etc.*], per quam effectus presentium [*vel* huiusmodi provisio *etc.*] impediri valeat vel differri.

8. presentibus post biennium [*vel* triennium *etc.*] minime valituris.

Dabam Kiliae mense Decembri 1893.

Carolus Rodenberg.

EX INNOCENTII IV REGISTRO.

1.

Innocentius IV papa Franconi de Herorne [Horne] canonico Monasteriensi ad preces [Reginaldi] archiepiscopi Armachani et de Thekenborc et de Marca comitum mandat, ut Henrico clerico Monasteriensi in civitate vel diocesi Traiectensi de praebendali vel alio beneficio provideat. 1250, Iul. 15.

Inn. IV Reg. Vol. II, 97; Lib. VIII, 613. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Berger 5347; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 238, n. 519.

Franconi de Herorne[a1] canonico Monasteriensi.

Sincere devotionis affectus. quem venerabilis frater noster . . Armachanus archiepiscopus et dilecti filii nobiles viri . . de Thekenborc[2] et de Marca[3] comites ad personam nostram et Romanam gerunt[b] ecclesiam. nos inducit. ut eorum petitionibus. quantum cum Deo possumus. annuamus. Hinc est. quod nos. eorundem supplicationibus inclinati. mandamus. quatinus dilecto filio Henrico clerico Monasteriensi in civitate vel diocesi Traiectensi de prebendali vel alio ecclesiastico beneficio competenti. etiam si curam habeat animarum. auctoritate nostra per te vel per alium provideas vel facias provideri et ipsum in ecclesia. in qua sibi provideri mandaveris. si prebendalis existat. recipi in canonicum et in fratrem — non obstantibus[c] si in eadem ecclesia certus sit canonicorum numerus institutus iuramento. confirmatione sedis apostolice seu quacumque alia firmitate vallatus. vel si pro aliis in ea direximus scripta nostra. quibus nolumus etc. usque: generari. aut si eius personis a sede sit indultum eadem. quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur. aut quod per litteras apostolicas interdici. suspendi aut excommunicari non possint. nisi in eis de indulto huiusmodi expressa mentio habeatur. sive qualibet alia [indulgentia][d]. per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris specialem oporteat fieri mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni. Idibus Iulii. anno VIII°.

2.

Innocentius IV papa Ottoni II comiti Gelrensi indulget, ut quarundam decimarum fructus percipiat, dummodo eos vel partem eorum W[ilhelmo] regi Romanorum assistendo expendat. 1250, Iul. 18.

Inn. IV Reg. Vol. II, 3; Lib. VIII, 10. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14015; Berger 4760.

---

a) Hòrne *R.* b) gerit *R.* c) obst' *R.* d) indulgentia *deest R.*

1) *Legas* Horne; *cf. Finke, l. c.* 2) *Otto; cf. t. II, p. 363, n. 517.* 3) *Engelbertus.*

Nobili viro Octoni comiti Gelrensi.

Ut super perceptione fructuum decimarum, quas te ac antecessores tuos a tempore cuius memoria non existit asseris percepisse, tue conscientie, quam remordentem habere diceris, satisfiat[1]: promerente tue devotionis affectu, quod ipsarum decimarum fructus libere possis percipere, dummodo receptos vel eorum partem et recipiendos expendas carissimo in Christo filio nostro W. illustri regi Romanorum in negotio ecclesie assistendo, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, XV Kalendas Augusti, anno VIII°.

3.

Innocentius IV papa episcopo Ferentinati mandat, ut Andreae, Cuscio et Petro laicis, quorum pater Berardus de Sanctulo in carcere F[riderici II] quondam imperatoris obierit, de aliquo feudo laicali vel possessionibus, consuetis a laicis obtineri, in regno Siciliae provideat. *1250, Aug. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 106; Lib. VIII, 675. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5409.

. . . episcopo Ferentinati.

Sedis apostolice circumspectio consueta, que frequenter nonnullos, quorum[a] ignorat[b] merita, benigno favore prosequitur, illis debet esse liberalius gratiosa, qui ab inimicis eius multa sustinent incomoda propter ipsam. Attendentes igitur quod quondam Berardi de Sanctulo[c], patris dilectorum filiorum Andree, Cuscii et Petri laicorum, dilecti filii magistri Sinitii[d] scriptoris nostri nepotum, mortis acerbitas, quam idem B. passus est in carcere F. quondam Romanorum imperatoris, pro eo ut asseritur quod contra ipsum dudum adhesit ecclesie, ipsos affligit graviter, considerantes etiam compatiendo ipsis quod[e] preter vincula et carceres ipsius F., quibus aliqui eorum fuerunt macerati diutius, bona ipsorum per suos emulos dissipantur, alienantur et nequiter distrahuntur, ac volentes propter hoc in consolationis, etsi non condigne, alicuius tamen remedium eis existere gratiosi[f], mandamus, quatinus de aliquo feudo laicali vel possessionibus consuetis a laicis obtineri in aliqua parte regni Sicilie, ubi magis duxerint acceptandum, eis absque devotorum ecclesie preiudicio providere per te vel alios auctoritate nostra procures — non obstante constitutione[g] —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Augusti, anno VIII°[2].

4.

Innocentius IV papa monasterio Fossae Novae Terracinensis diocesis concessionem a Fr[iderico II] imperatore a. 1221, Mai. 24 factam, tenore chartae inserto, confirmat. *1250, Aug. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 14; Lib. VIII, 74. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 4822.

---

a) ″ign. ″quorum *R.* b) ignorāt′ *R.* c) Sentulo *in ep. Lib. VIII, 676.* d) Suntii *B.* e) qui *R.* f) gratiosi *corr. ex* gratiose. g) *scil.* de duabus dietis; *cf. t. II, p. XVIII, n. 8.*

1) *De eadem re cf. Potthast 12597a.* 2) *Sub eodem die scripsit in favorem Lucae clerici, fratris praedictorum; Berger 5410.*

. . abbati et conventui monasterii Fosse Nove Cisterciensis ordinis Terracinensis[a] diocesis.

Iustis petentium desideriis etc. usque: inclinati, locum Molendini Veteris cum omnibus iuribus et pertinentiis suis in aqua Saone[1] apud Portum Algardi Calvensis diocesis, ubi postmodum molendinum propriis sumptibus construxistis, quem Fr. quondam imperator, antequam vinculo esset excommunicationis astrictus, prout tunc pertinebat ad eum, pia vobis et monasterio vestro liberalitate concessit, sicut in eius privilegio exinde confecto plenius continetur, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem ipsius privilegii de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

Fr.[2] Dei gratia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris, tam presentibus quam futuris, quod nos, attendentes religionem et honestatem fratris Petri venerabilis abbatis et fratrum monasterii Fosse Nove Cisterciensis ordinis, de solita maiestatis nostre gratia concedimus et donamus eidem monasterio in perpetuum in domanio nostro locum Molendini Veteris in aqua de Saona in loco qui dicitur Portus Algardi cum omnibus iustitiis et pertinentiis, quas idem molendinum, quando integrum fuit, noscitur habuisse, volentes ut de cetero liceat iamdictis abbati et fratribus Fosse Nove suisque successoribus molendinum in supradicto loco absque contradictione aliqua edificare et ipsum libere ac pacifice perpetuo possidere, et nulli penitus sit[b] licitum ibi edificare vel quicquam facere, quod in dampnum et incommodum ipsius molendini valeat redundare. Ad huiusmodi autem concessionis et donationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens scriptum fieri et sigillo nostre maiestatis iussimus communiri.

Dat. Messane, post curiam Capue celebratam, vicesimo quarto mensis Madii, nona indictione[3].

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Augusti, anno VIII°[4].

5.

Innocentius IV papa [Benedicto] archiepiscopo Colocensi mandat, ut archiepiscopos et alios praelatos Ungariae inducat, ut durante guerrarum tempore quolibet anno in duorum milium marcarum argenti summa [Bertholdo] patriarchae Aquilegiensi, inimicis ecclesiae constanter resistenti, subveniant. *1250, Aug. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 20; Lib. VIII, 115. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Potthast, Reg. 14062, falso sub Sept. 24; Berger 4863.

. . archiepiscopo Colocensi.

Sortitur genitrix discrimina sobolis, et materni dispendii filius non est expers; nativi quidem affectus federis prosperitatis sibi communicant et adversitatis eventus. Si

---

a) *ita in marg.;* Terraconensis *in rubro.* b) *add.* ibi *punctis suppositis et linea perducta deletum.*

1) *Savo fl. ex sept. Vulturni in mare influit.* 2) *Ap. Böhmer-Ficker non extat.* 3) *I. e. a. 1221.* 4) *Iul. 18 eisdem terras a quondam Roggero de Aquila comite Fundano eis donatas confirmaverat; Aug. 9 eis bona in regno Siciliae sita, quibus Fridericus II eos spoliaverat, restituerat; alia gratia sub eodem Aug. 9; Berger 4828, 4829, 4827.*

ergo amoris ingnati[a] copula reliquum passionis alterius reddit compassione participem, solvit nature vinculum, si unus alterius gravamina non partitur. In auxilium itaque indigentis filii debent matris[b] exuberare suffragia, et in matris egentis subsidium debet sue possibilitatis extrema filius experiri. Sane Romana ecclesia, que mater inter alias obtinet divina institutione primatum, pro tuitione fidei et ecclesiastice libertatis coacta est diversa et importabilia subire onera expensarum: quibus cum sufficere nequeat per se ipsam, quamplures prelatos et alios viros ecclesiasticos pro prestando sibi auxilio requisivit. Quorum nonnulli tamquam filii fide ac devotione ferventes sic pro ipsius honore personas et res exponere curaverunt, quod propter impendia, que ut matri oportuno[c] possent adesse suffragio subiere, oportuit eos gravem sentire sarcinam debitorum; a quibus nisi per ipsius matris providentiam releventur, verendum est, ne absorbeantur penitus voragine usurarum. Verum inter ceteros orbis prelatos venerabilis frater noster . . patriarcha Aquilegensis ipsi ecclesie velud devotus antistes specialiter astitit et constanter, eius hostibus resistendo, qui Aquilegensem ecclesiam, in matris quasi odium filiam persequentes, guerris continuis impetunt et illam castris et aliis suis munitionibus dampnabili sollicitudine satagunt ac totis elaborant viribus demunire. Ad horum siquidem malignos conatus resistentiis reciprocis reprimendos idem patriarcha viriliter se accingens maximos et inevitabiles sumptus incurrit, propter quod cum ecclesie sue sibi non suppetant facultates, magna et gravia debita de necessitate contraxit, a quorum onere sic deprimitur Aquilegensis ecclesia sicut fertur, quod eius proventus vix ad solutionem sufficiunt superexcrescentium usurarum. Quare nobis humiliter supplicavit, ut ne, quod absit, ex defectu sumptuum cedere cogatur ecclesie inimicis, providere sibi super hoc de benignitate apostolica curaremus. Licet igitur predicte Aquilegensis ecclesie afflictionem nos, qui ecclesiarum curam gerimus generalem, propriam reputemus, debent tamen et alie ecclesie ceterique viri ecclesiastici ex afflictione huiusmodi condigne compassionis sentire puncturam, cum non tam specialis reputanda sit hec persecutio quam communis, et ecclesia, cum sit una, dum in aliqua sui parte cuiuslibet incomodi flagello feritur, sentiat profecto in reliquis non modicum ex illati sic ictus allisione dolorem, quia sic eius membra, licet multa locisque distantia, in unum corpus compaginat una fides, quod uno eorum saucio non possunt pre sensili soliditate compacti cetera non languere. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus universos archiepiscopos, episcopos, abbates, priores ceterosque ecclesiarum prelatos, tam exemptos quam non exemptos, regni Ungarie ex parte nostra efficaciter moneas et inducas, quod durante huiusmodi guerrarum tempore quolibet anno in duorum milium marcarum argenti summa iamdicto patriarche studeant subvenire, ita quod eorum interveniente subsidio ab ecclesie sue suorumque iurium defensione desistere nullatenus compellatur, nosque ex hoc apertius cognoscamus eosdem prelatos libertatem ecclesiasticam ubique diligere ac illos, qui se pro ea murum defensionis opponunt, pleno velle suffragio confovere.

Dat. Lugduni, VIII Kalendas Septembris, anno VIII°.

6.

Innocentius IV papa priori Prumiensi nuntiat se provisionem, quam Rigaudo clerico, nato quondam Arnoldi domini de Lustenges, olim ad preces [Conradi] Coloniensis

a) ĩgnati *R.* b) debent *sequitur iterum in R.* c) oportuna *R.*

et [Arnoldi] Treverensis archiepiscoporum et comitis de Salmis in Treverensi provincia fieri iusserit, ad ecclesiam Metensem extendere; mandat, ut eam executioni mandet.

1250, Aug. 30.

Inn. IV Reg. Vol. II, 98; Lib. VIII, 620. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5354.

.. priori Prumiensi Treverensis diocesis.

Exposuit nobis dilectus filius Rigaudus clericus, natus quondam Arnoldi domini de Lustenges, quod licet nos olim, venerabilium fratrum nostrorum .. Coloniensis et .. Treverensis archiepiscoporum et dilecti filii nobilis viri .. comitis de Salmis[1] supplicationibus inclinati, nostris [tibi][a] dederimus litteris in mandatis, ut eundem clericum in aliqua ecclesiarum provincie Treverensis auctoritate nostra recipi faceres in canonicum et in fratrem sibique de prebenda, quam cito se offerret oportunitas, provideri, nullum tamen de facta sibi in hac parte gratia est commodum assecutus. Ad effectum igitur perduci ac eam ad ecclesiam Metensem obtentu precum eorundem archiepiscoporum extendi volentes, mandamus, quatinus eum in ipsa Metensi vel alia ecclesia per te vel per alium auctoritate nostra recipi facias in canonicum et in fratrem ac sibi de prebenda, quam cito se facultas obtulerit, provideri iuxta predictarum continentiam litterarum — non obstantibus[b] certo ipsius ecclesie canonicorum numero, iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacumque firmitate alia roborato, aut si nos vel ipsius sedis legati pro aliis in ea scripta direximus, quibus nolumus etc. usque: generari, sive si decano et capitulo ipsius ecclesie a sede sit indultum eadem, quod per litteras apostolicas interdici, suspendi vel excommunicari non possint, seu quod ad receptionem aut provisionem alicuius minime teneantur, et indulgentia, qua venerabili fratri nostro .. Metensi episcopo dicitur esse concessum,[2] ut in dicta ecclesia et aliis ecclesiis ac monasteriis sue civitatis et diocesis per quascumque litteras apostolicas vel legatorum sedis predicte de pensionibus, dignitatibus, personatibus, officiis, prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis, sive curam habentibus animarum sive non, etiam si contineatur in eisdem litteris apostolicis, quod earum impetratoribus quelibet apostolica indulgentia non obsistat, provideri nequeat, nisi in ipsis litteris apostolicis de indulgentia[c] huiusmodi et receptorum canonicorum in eadem ecclesia numero plena et expressa mentio habeatur, seu quacumque alia nostra vel legatorum ipsorum indulgentia, per quam huiusmodi gratia impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, III Kalendas Septembris, anno VIII°.

7.

Innocentius IV papa Henrico cantori Virdunensi, capellano suo, nuntiat se concessionem generalem Lodoico dicto Beruns scolastico S. Salvatoris Metensis olim ad preces [Conradi] archiepiscopi Coloniensis, [Henrici III] episcopi Argentinensis et Iuliacensis, de Alsatia et de Parva Petra comitum factam nunc ad preces [Eberhardi] episcopi Constantiensis et [Bertholdi] abbatis S. Galli in quandam specialem gratiam commutasse; mandat, ut eam executioni mandet. *1250, Aug. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 97; Lib. VIII, 617. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5351.

a) tibi *deest R.* b) obst' *R.* c) indulḡ *R.*

1) *Ut videtur, Henrici de comitatu Salmiensi inferiore, e mer. monasterii Stabulensis.* 2) *Cf. sub n. 7.*

Henrico[1] cantori Virdunensi, capellano nostro.

Sua nobis dilectus filius Lodoicus dictus Beruns[2] scolasticus ecclesie Sancti Salvatoris Metensis petitione monstravit, quod, licet olim ad preces venerabilium fratrum nostrorum . . archiepiscopi Coloniensis et . . episcopi Argentinensis et nobilium virorum . . de Iuliacen.,[a 3] . . de Alsaria[b 4] et . . de Parva Petra[5] comitum et quorundam aliorum de Alamania dilecto filio Theobaldo canonico Treverensi nostris dederimus litteris in mandatis[6], ut ipsum in aliqua ecclesiarum provincie Treverensis, cathedrali vel alia, auctoritate nostra recipi faceret in canonicum et in fratrem ac sibi de prebendali beneficio et personatu aut dignitate vel officio, etiam si curam habeat animarum, quamprimum adesset possibilitas, provideret, contradictores etc. — non obstantibus[c] quod idem L. alias beneficiatus existeret, aut si nos vel apostolice sedis legati[d] in dicta provincia vel in ecclesia, in qua sibi providendum duceret, direximus scripta nostra pro aliis, quibus nolebamus etc. usque: generari, seu eiusdem ecclesie certo canonicorum numero, consuetudine vel statuto, iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacunque firmitate alia roborato, vel si ipsi ecclesie a sede indultum esset eadem[e], quod ad receptionem aut provisionem alicuius minime tenerentur[f], sive quod eius canonici per litteras apostolicas suspendi seu interdici aut excommunicari non possent, nisi in eis de indulgentia huiusmodi expressa mentio haberetur, aut qualibet alia, per quam posset huiusmodi gratia impediri vel etiam retardari et de qua in nostris litteris specialem oporteret [fieri][g] mentionem, —: idem tamen scolasticus, ut asserit, nullum de ipsa gratia [est][h] comodum assecutus. Nos igitur obtentu venerabilis fratris nostri . . Constantiensis episcopi et . . abbatis Sancti Galli, nobis supplicantium pro eodem[7], ipsam generalem in specialem gratiam commutantes, ut quanto certior fuerit, tanto sibi proficiat citius per effectum, cum dictus scolasticus paratus sit in Metensi ecclesia predictae[i] provincie [facere][k] residentiam personalem, mandamus, quatinus ipsum in Metensi ecclesia per te vel per alium auctoritate nostra recipi ac sibi de prebendali beneficio cum dignitate vel personatu seu officio provideri, dignitatibus, personatibus seu officiis ad collationem venerabilis fratris nostri . . Metensis episcopi [spectantibus][l] dumtaxat exceptis, facias iuxta predictarum continentiam litterarum — non obstantibus[m] quod idem alias auctoritate nostra beneficiatus existit, seu si a sede predicta vel legatis ipsius eidem episcopo sit indultum, ut in ipsa ecclesia vel aliis sue civitatis vel diocesis de prebenda, dignitate, personatu seu officio ad aliorum quam suam collationem spectantibus per litteras apostolicas vel legatorum ipsius preter eius assensum[8], vel in quibus ipse datus non fuerit executor, nequeat provideri, sive quod idem episcopus vel canonici ipsius ecclesie a predicta sede indulgentiam habeant, quod in eadem ecclesia per litteras sedis eiusdem vel legatorum ipsius nulli provideri valeat, nisi in eis de ipsa ecclesia et numero et nominibus receptorum in eadem tam auctoritate sedis eiusdem quam legatorum ipsius plena mentio habeatur, sive si dictus episcopus dignitates, per-

---

a) Iuliacen̄ *R.* b) *ita R.* c) obst' *R.* d) le *R.* e) eandem *R.* f) *ita R.* g) fieri *deest R.* h) est *deest R.* i) *ita R.* k) facere *deest R.* l) spectantibus *deest R.* m) obsts *R.*

1) *de Vinstingen ex sept. civ. Saarburg. De Merbodone domino de Malberc patre et Ida matre eius cf. Berger 5221. Iul. 28 apud curiam papalem erat; Berger 4774 et 4775.* 2) *Etiam Baron, Barecon vocatus ap. Berger 1459, 1690, 4564.* 3) *Guillelmi IV; cf. t. II.* 4) *Comes de Werde [Wörth], qui etiam comes vel lantgravius Alsatiae vocabatur, erat tum Henricus Sigebertus, puer duodecim annorum; propter quod probabilius est hunc comitem Alsatiae fuisse patruum eius Theodericum comitem de Rukesingen, Rixingen, [cuius precibus papa Aug. 9 quoque annuerat; Berger 5352], praesertim cum t. II, p. 221, n. 297 T. comes de Assatio occurrat, quem hunc Theodericum fuisse credimus; cf. Schöpflin, Alsatia Illustr. t. II, p. 521—524.* 5) *Hugonis comitis de Lützelstein.* 6) *Cf. Berger 4564.* 7) *Cf. infra sub a. 1251, Mart. 31.* 8) *Cf. n. 6 et Berger 4922; similis indulgentia infra sub a. 1251, Febr. 1.*

sonatus seu officia auctoritate nostra vel legatorum nostrorum conferendi habeat potestatem, sive aliqua indulgentia dicte [sedis][a] vel legatorum ipsius sub quacunque forma verborum quibuscunque specialiter vel generaliter concessa seu etiam concedenda, de qua plenam vel expressam vel de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem —; contradictores etc. Nos enim decernimus irritum et inane, quicquid de prebenda, personatu vel dignitate aut officio, in quo sibi providendum duxeris, preter mandatum nostrum fuerit attemptatum.

Dat. Lugduni, II Kalendas Septembris, anno VIII°.

8.

Innocentius IV papa abbati et conventui Murbacensibus ad preces [Henrici III] episcopi Argentinensis indulget, ut cum propter negotium ecclesiae plurima onera expensarum sustinuerint, unam vel duas de ecclesiis suis, curam animarum habentibus, quarum redditus quinquaginta marcarum valentiam annuatim non excedant, cum vacaverint, in usus proprios convertant. *1250, Sept. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 14; Lib. VIII, 76. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 4824.

.. abbati et conventui monasterii Morbacensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Basiliensis diocesis.

Ad faciendam vobis gratiam specialem venerabilis fratris nostri . . episcopi Argentinensis devota precamina et sinceritatis vestre devotio, quam ad nos specialiter et Romanam ecclesiam habere noscimini [1], nos inducunt. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, monasterium vestrum propter negotium ecclesie quod nunc agitur labores plurimos et onera sustinuerit expensarum, nos, hoc non indigne pensantes ac volentes labores et onera huiusmodi de consueta sedis apostolice clementia relevare, ut unam de vestris ecclesiis, in quibus ius patronatus habetis, habentibus curam animarum annexam, cuius redditus secundum communem extimationem quinquaginta marcarum valentiam annis singulis non excedant, vel duas ex eisdem ecclesiis, que simul sint valoris eiusdem, cum eam vel eas vacare contigerit, in usus proprios convertere ac perpetuo retinere et ipsius vel ipsarum possessionem nullius requisito assensu apprehendere corporalem libere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus — non obstantibus aliquibus indulgentiis seu litteris a sede apostolica vel eius legatis pro quibuslibet impetratis, de quibus expressam vel plenam sub quacumque forma verborum oporteat in litteris nostris fieri mentionem, seu etiam impetrandis —; proviso quod in eadem ecclesia, si unam tantum, vel in utraque, si duas duxeritis retinendas, per idoneum vicarium presentandum a vobis, prout ad vos pertinet, serviatur, reservata eidem vicario de proventibus ipsius vel earundem ecclesiarum congrua portione ad debita procurationum diocesan[o] et archid[iacono][b] loci onera supportanda, et in aliis diocesani eiusdem in omnibus iure salvo. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, II Idus Septembris, anno VIII° [2].

Datus est eis super hoc conservator . . abbas Sancti Vincentii Bisuntini.

---

a) sedis *deest R.* b) diocesañ et archid' *R.*

1) *Cf. t. II, p. 408, n. 578.* 2) *De eisdem cf. Potthast 14054 et 14057 sub Sept. 1 et 11; non reg.*

9.

Innocentius IV papa Berengario rectori ecclesiae de Williby Norwicensis diocesis, nato Valentis Marsilii civis Florentini, ad preces capitaneorum et partis Guelforum de Florentia indulget, ut unicum aliud beneficium in Anglia recipere possit.

1250, Sept. 26.

Inn. IV Reg. Vol. II, 16; Lib. VIII, 90. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Berger 4838.

Berengario rectori ecclesie de Williby Norvicensis diocesis, nato Valentis Marsilii civis Florentini.

Tue probitatis merita et tuorum nec non obtentu[a] dilectorum filiorum capitaneorum et partis Guelforum de Florentia[1], nobis pro te per suas litteras supplicantium, nos inducunt, ut tibi specialem gratiam faciamus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis precibus inclinati, ut preter ecclesiam de Williby Norvicensis diocesis curam animarum habentem, quam nunc obtines, cuius proventus annis singulis quindecim marcarum tibi valentiam non excedunt, possis in regno Anglie unicum aliud beneficium similem curam habens licite recipere, si tibi canonice offeratur, et cum eadem ecclesia libere retinere — constitutione generalis concilii super hoc edita non obstante —, auctoritate tibi presentium indulgemus; proviso ut eadem ecclesia etc. usque: negligatur. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VI Kalendas Octobris, anno VIII°.[2]

10.

Innocentius IV papa Guillelmo iudici Arborensi terram, quam in Arborea ab ecclesia Romana obtineat, usque ad beneplacitum apostolicum retinendam confirmat.

1250, Sept. 29.

Inn. IV Reg. Vol. II, 17; Lib. VIII, 94. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Berger 4842.

Nobili viro Guillelmo iudici Arborensi.

Pro puritate tue devotionis et fidei apud nos dignus esse diceris gratia speciali. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus annuentes, terram, quam in Arborea ab ecclesia Romana obtinere dinosceris, retinendam usque ad nostrum beneplacitum, tibi auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, III Kalendas Octobris, anno VIII°.[3]

---

a) *ita R.*

1) *Qui extranei erant; a. 1251, Ian. 7 Florentini comperta morte Friderici II Guelfos revocarunt; Villani, Hist. Fior. ap. Muratori, SS. t. XIII, p. 185; cf. Hartwig, Quellen u. Forsch. z. Gesch. v. Florenz t. II, p. 275, not. 2.* 2) *A. 1250, Dec. 9 Tebaldo Malaspinae militi Florentino, ecclesiae devoto, gratiam fecit; Berger 5374. Pro Aringo Abadinghi et sociis eius civibus et mercatoribus Flor. ap. Berger 5361, 5364, 5416.* 3) *Cf. t. II, p. 544, n. 738. A. 1252, Sept. 4 Stephano archiepiscopo Turritano legato concedendi iudicatum Turritanum et Galluris personis idoneis usque ad beneplacitum papale facultatem dedit; Lib. X, 100. A. 1255, Aug. 12 Alexander IV [Leonardum] archiepiscopum Calaritanum legatum commendavit Guillelmo iudici Arborensi et comiti de Capreria et Chianni marchioni Massae et iudici Calaritano, A. reginae Turritanae et Gallurensi ac Iohanni iudici Gallurensi; Al. Lib. I, 585; cf. Potthast 15987.*

11.

Innocentius IV papa B[ertholdum] electum Pataviensem, a P[etro] episcopo Albanensi legato ecclesiae Pataviensi praefectum, confirmat. — Capitulo, ministerialibus et civibus Pataviensibus mandat, ut B[ertholdo] obediant eique contra fautores F[riderici II], duces, comites et barones aliosque, Pataviensis, Salisburgensis et Ratisponensis diocesum efficaciter assistant. *1250, Oct. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 18; Lib. VIII, 101 et 102. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Berger 4849 et 4850.

I.

B.[1] electo Pataviensi.

Iustis petentium etc. usque: complere. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, Pataviensi ecclesia pastoris regimine destituta venerabilis frater noster P. Albanensis episcopus[2], apostolice sedis legatus, volens eidem ecclesie de tali providere persona, que tanto congrueret oneri et honori, tue nobilitatis, devotionis et probitatis meritis diligenter pensatis te[a] ipsi ecclesie prefecerit in episcopum et pastorem[3]: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod de te in prefata ecclesia per eundem episcopum factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate [apostolica][b] confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Octobris, anno VIII°.[c]

Dati sunt ei super hoc conservatores . . episcopus Eistetensis[4] et . . abbas Sancti Emerammi Ratisponensis[5].

II.

Capitulo, ministerialibus et civibus Pataviensibus.

Cum, sicut ex parte dilecti filii B. Pataviensis electi fuit propositum coram nobis, ecclesia Pataviensi pastoris regimine destituta etc. ut supra verbis competenter mutatis usque: pastorem, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus eidem electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum debitam honorificentiam exhibentes et intendentes humiliter et devote ac dictam ecclesiam ut tenemini defensantes, dicto electo contra raptores, invasores et predones bonorum ipsius ecclesie nec non et fautores F. quondam imperatoris, duces, comites et barones ac alios, tam clericos quam laicos, Pataviensis, Salzeburgensis et Ratisponensis diocesum, cum ab eo fueritis requisiti, efficaciter assistatis[6], ita quod idem debitum in vobis subsidium se gaudeat reperisse atque ad caritatem vestram fortius astringatur vosque possitis ex hoc a Deo et hominibus merito commendari.

Dat. ut supra[7].

---

a) et *R.* b) apostolica *deest R.; cf. n. 12.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *Bertholdus de Sigmaringen quondam vicedominus Ratisponensis fuerat; cf. t. II.* 2) *Cf. t. II, p. 467, not. 3.* 3) *A. 1250, Iun. 15; Böhmer-Ficker 4996a; cf. 5015a et 5017 et Schirrmacher, Alb. v. Possemünster p. 159.* 4) *Henricus IV.* 5) *Potthast 14079.* 6) *Cf. Höfler, Alb. v. Beham p. 137.* 7) *Adhuc a. 1253, Sept. 23 papa iniustas alienationes Rudigeri episcopi Pataviensis revocavit; Potthast 15142.*

12.

Innocentius IV papa Anselmum episcopum Warmiensem, quem, fratrem ordinis Teutonicorum, [Petrus] episcopus Albanensis legatus ecclesiae Warmiensi praefecerit et a. 1250, Aug. 28 in civitate Valencenensi in episcopum consecraverit, confirmat.

1250, Oct. 6.

Inn. IV Reg. Vol. II, 19; Lib. VIII, 107. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Voigt, Cod. dipl. Pruss. t. I, p. 82, n. 87 ex authentico edidit [A.].

Potthast, Reg. 14083; Perlbach, Preuss. Reg. 348; Berger 4855.

Alselmo[a] episcopo Warmaciensi[b].

Porrecta nobis tua petitio continebat, quod venerabilis frater noster . . episcopus Albanensis, apostolice sedis legatus, te, fratrem hospitalis sancte Marie Theutonicorum, episcopatui Warmiensi tunc vacanti in episcopum auctoritate apostolica prefecit et accersitis venerabilibus fratribus nostris . . Cameracensi[1], . . Tornacensi[2] et . . Atrebatensi[3] episcopis ac etiam nonnullis abbatibus tibi munus consecrationis impendit, prout in patentibus litteris eius inde confectis plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, quod per eundem Albanensem episcopum super hoc provide et canonice factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

P. miseratione divina episcopus Albanensis, apostolice sedis legatus, universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod nos auctoritate apostolica venerabilem patrem[c] Anselmum, fratrem Domus sancte Marie Teuthonicorum in Pruscia, episcopatui Warmiensi prefecimus in episcopum et pastorem eique postmodum assistentibus nobis venerabilibus patribus . . Cameracensi, . . Tornacensi et . . Atrebatensi episcopis et nonnullis abbatibus et prelatis in ecclesia fratrum Predicatorum de Valencenis die Dominico[d], videlicet V Kalendas Septembris, munus consecrationis duximus impendendum. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri fecimus[e] munimine roborari.

Dat. apud Valencenas[f], V Kalendas Septembris, anno Domini MCC°L°.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Octobris, anno VIII°.

Datus est ei super hoc conservator . . episcopus Cuiaviensis[4].

13.

Innocentius IV papa [Guillelmo] electo Regino mandat, ut provisionem ecclesiae Veronensis, cum eam vacare contigerit, sedi apostolicae reservet. *[1250], Oct. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 20; Lib. VIII, 113. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Berger 4861.

. . electo Regino[5].

Volentes quod ecclesiis de talibus provideatur pastoribus, per quos possint in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, mandamus, quatinus provisionem

---

a) Anselmo *A.* b) Warmiensi *A.* c) pap *antea scribi coeptum erat in R.* d) *pro* Dominico *in ed. A.* — e) petimus *A.* f) Valenceñ *R.;* Valencen *A.*

1) *Nicolao.* 2) *Waltero II.* 3) *Iacobo.* 4) *Michael.* 5) *Guillelmi de Foliano, iam a. 1243 in ecclesia Regina electi [cf. t. II, p. 566, lin. 30], consecrationem adhuc a. 1254, Febr. 13 papa distulit; Lib. XI, 451.*

ecclesie Veronensis, si eam quovis modo vacare contigerit, apostolice sedi reservans, capitulo ipsius ecclesie ac omnibus aliis ad quos ipsius electio pertinet interdicas, ut pontifice ipsorum cedente vel decedente ad electionem, postulationem seu nominationem procedere non presumant, promulgans[a] nichilominus excommunicationis sententiam in inhibitionis huiusmodi transgressores[1], — non obstantibus aliquibus litteris generalibus vel specialibus super cuiusquam promotione ad episcopatum in provincia Lombardie vel in marchia Tervisina aut in aliqua civitate ibidem et specialiter in ecclesia Veronensi, sub quacumque forma verborum vel cuiuscumque tenoris existant, a sede apostolica impetratis, quas quoad ipsam ecclesiam Veronensem nullum vigorem volumus obtinere, sive quod alicui legatorum vel nuntiorum eiusdem sedis vel alii cuicumque sit ab ea iniunctum vel generaliter in civitatibus sue legationis vel in provincia aut in marchia predictis vel specialiter in aliqua civitate ipsarum sive prefata ecclesia Veronensi, ut ad huiusmodi vel simile interdictum aut reservationem procedant, vel per eos ad inhibitionem et reservationem huiusmodi in eadem ecclesia sit processum —; contradictores etc. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane, quicquid[b] contra inhibitionem et reservationem tuam a quoquam fuerit attemptatum[2].

Dat. Lugduni, V Idus Octobris, anno VII°[3].

14.

Innocentius IV papa S. Mariae et S. Crucis Hildeshemensium decanis mandat, ne [Meinhardum] episcopum et capitulum Halberstadenses super provisione, quam in ecclesia eorum [Albertus] praepositus de Stendal ad preces quorundam nobilium ipsam ecclesiam persequentium impetraverit, molestari permittant. *1250, Oct. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 21; Lib. VIII, 118. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Berger 4866.

. . Sancte Marie et . . Sancte Crucis Ildesemensium ecclesiarum decanis.

Ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Halberstatensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum . . prepositus de Steindal ad preces[c] quorundam nobilium, qui ecclesiam ipsam rapinis et incendiis devastarunt, super receptione ac provisione sua in illa nostras litteras[d] impetrarit[4] et eos per illas multipliciter ac[e] occasione molestet, providere super hiis eidem ecclesie de benignitate solita curaremus. Mandamus, quatinus, si est ita, predictos episcopum, decanum et capitulum super receptione ac provisione ipsius prepositi non permittatis pretextu litterarum huiusmodi molestari; molestatores huiusmodi etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Octobris, anno VIII°[5].

a) *corr. ex* promulgatis *R.* b) quiquid *R.* c) partes *R.* d) nostris litteris *R.* e) *leg.* hac.

1) *Veronensis civitas in potestate Ezelini fautoris imperatoris erat; cf. inhibitionem generalem contra civitates Friderico II adhaerentes emissam t. II, p. 361, n. 514.* 2) *Eadem inhibitio t. II, p. 180, n. 240 et infra a. 1264, Sept. 8; cf. etiam a. 1253, Nov. 8.* 3) *Cum epistola inter alias mensis Octobris a. 1250 in Regestis legatur, a. VII pro a. VIII falso adscriptum esse putamus.* 4) *A. 1247, Aug. 16 ad preces Ottonis III marchionis Brandeburgensis; t. II, p. 306, n. 421.* 5) *A. 1251, Febr. 15 papa [Simoni] electo Pagdeburgensi [i. e. Paderburnensi] obtentu [Henrici] episcopi Hildeshemensis et S[ophiae] ducissae Brabanziae [cf. t. II, p. 527, n. 712] commisit, ut cum Iohanne de Gotingen de pluralitate beneficiorum dispensare posset: Berger 5414; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 239, n. 522.*

15.

Innocentius IV papa archidiacono Cumano mandat, ut potestatem et commune Mediolanenses inducat, ne collectam, quam clero civitatis et diocesis Mediolanensis imponere praesumpserint, exigant. *1250, Oct. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 23; Lib. VIII, 144. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 4892.

. . archidiacono Cumano.

Querelam dilectorum filiorum primicerii et cleri exempti et non exempti civitatis et diocesis Mediolanensis recepimus, continentem quod . . potestas et commune Mediolanenses, non attendentes quantum ipsi in procurationibus legatorum et nuntiorum apostolice sedis illic pro communi utilitate accedentium sunt gravati, et quod laicis nulla super clericis sit attributa potestas, nuper eisdem primicerio et clero collectam duodecim milium librarum Mediolanensis monete imponere presumpserunt, ecclesias et clericos dictarum civitatis et diocesis propter hoc calicibus, crucibus argenteis, libris et aliis ornamentis ecclesiasticis faciendo per suos nuntios spoliari, in ecclesiastice libertatis preiudicium, suarum animarum periculum et dictorum primicerii et cleri evidens detrimentum. Mandamus, quatinus, si est ita, dictos potestatem et commune, quod eandem collectam ab illis nullatenus exigant, set eis ablata pretextu ipsius sine qualibet difficultate restituant, moneas attentius et inducas, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo[a].

Dat. Lugduni, XI Kalendas Novembris, anno VIII°[1].

16.

Innocentius IV papa Egenoni, de Brixinensi ecclesia ad Tridentinam translato, et Brunoni electo Brixinensi scribit, quomodo bona ecclesiae Brixinensis inter eos dividi debeant, donec bona ecclesiae Tridentinae ab inimicis ecclesiae recuperata sint. *1250, Nov. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 26; Lib. VIII, 171. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14102; Berger 4915.

Eghnoni episcopo Tridentino et dilecto filio Brunoni electo Brixinensi.

Cum te, frater episcope, de Brixinensi ad Tridentinam ecclesiam duxerimus transferendum ac te, fili electe, prefecerimus ecclesie Brixinensi: quia bona Tridentine ecclesie sunt per inimicos ecclesie occupata[2], nos de fratrum nostrorum consilio taliter ordinamus, ut tu, fili electe, duo de castris eiusdem ecclesie Brixinensis, tu vero, frater episcope, reliqua teneatis ac dividatis inter vos equaliter, deductis castrorum ipsorum expensis, utriusque episcopatus proventus, donec tu, frater episcope, castra, villas et bona ecclesie tue recuperare valeas et pacifice possidere. Mandamus, quatinus ordinationem huiusmodi observetis.

Dat. Lugduni, VI Idus Novembris, anno VIII°[3].

---

a) com. *R.*

1) *Iam Sept. 24 eidem simile mandatum dederat; Berger 4843; Potthast 14061; cf. etiam 13855, 14181, 14374, 14375, 14382, 14383, 14405, 14689, 15179.* 2) *Populus Tridentinus Ezelino de Romano obedivit; Ann. Veron. a. 1251; SS. t. XIX, p. 14.* 3) *Cf. n. 18.*

17.

Innocentius IV papa [Egenoni] episcopo Tridentino mandat, ut ad ecclesiam suam accedat et iura eius prudenter recuperare studeat. *1250, Nov. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 30; Lib. VIII, 202. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Berger 4946.

. . episcopo Tridentino.

Dudum ecclesia Tridentina pastoris solatio destituta et te tunc Brixinensi episcopo per dilectum filium nostrum O. Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, etc. ut supra in $C^{m}LXXXX^{o}$ capitulo verbis competenter mutatis usque: in utrisque[a]. Quocirca fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, mandantes quatinus ad dictam ecclesiam Tridentinam accedens, ita fideliter et prudenter recuperando iura sua studeas gerere curam eius, contradictores et rebelles etc., quod tibi per vite meritum et familie tibi credite proficias per exemplum, et nos personam tuam proinde dignis in Domino laudibus efferentes te prosequi favore nostre gratie non immerito debeamus.

Dat. Lugduni, V Idus Novembris, anno VIII°.

18.

Innocentius IV papa decano et capitulo Brixinensibus nuntiat se liti de ecclesia Tridentina exortae finem imposuisse, electionem Ulrici quondam decani Tridentini irritasse, [Egenonem] episcopum Brixinensem ad ecclesiam Tridentinam transtulisse et B[runonem] canonicum Magdeburgensem ecclesiae Brixinensi praefecisse; mandat, ut B[runoni] obediant. — B[runoni] mandat, ut ordinata observet. *1250, Nov. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 28; Lib. VIII, 188 et 189. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Berger 4932 et 4933.

I.

. . decano et capitulo Brixinensibus.

Tridentina ecclesia pastore vacante[1] ac dilecto filio B. Brixinensi electo tunc canonico Magdeburgensi per dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum, tunc in partibus Alamanie[2], ac venerabili fratre nostro . . Tridentino tunc Brixiensi[b] episcopo per O. Sancte Marie in Via Lata diaconos cardinales[3], apostolice sedis legatos, ad eandem ecclesiam se promotos, Ulrico vero quondam Tridentino decano se ad ipsam electum per capitulum eiusdem ecclesie et electionem suam per venerabilem fratrem nostrum . . patriarcham Aquilegensem auctoritate metropolitica confirmatam asserentibus, super hoc inter predictos episcopum et B. suborta extitit materia questionis. Cumque super ea, quam ad examen apostolicum duximus revocandam, tam coram dilecto filio nostro I. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali partibus a nobis auditore concesso quam coram nobis fuisset diutius litigatum, nos, auditis et

a) *Ep. Lib. VIII, 190, capitulo Tridentino sub Nov. 9 directa, concordat cum ep. n. 18, quoad legitur:* duximus transferendum, *ultimis verbis mutatis:* .... licentia transeundi .... plenaque sibi tam in spiritualibus quam temporalibus administratione concessis, firma spe fiduciaque retenta, quod per eius industriam augebitur auctore Domino in utrisque. b) *ita R.*

1) *Cf. t. II, p. 136, n. 179.* 2) *Cf. t. II, p. 314, n. 434.* 3) *Cf. t. II, p. 398, n. 562.*

intellectis plenius que partes in nostra proponere presentia voluerunt, electionem premissam, quia eam contra mandatum nostrum et inhibitionem attemptatam invenimus, nec non processum prefati P. cardinalis de predicto B. super provisione predicte ecclesie habitum iustitia irritavimus exigente, utrique[a] super episcopatu ipso perpetuum[b] silentium imponentes. Nolentes itaque quod Tridentina ecclesia propter vacationem diutinam incurrat ulterius detrimentum, de fratrum nostrorum consilio dictum episcopum ad eandem ecclesiam duximus transferendum et eundem B. prefecimus ecclesie Brixinensi, deliberatione provida ordinantes, ut idem episcopus in spiritualibus et temporalibus vicaria vice ecclesie Brixinensi ministret, donec idem electus consecrationis munus fuerit consecutus. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus ipsi B., postquam adeptus fuerit consecrationis munus, tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et[c] devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac firmiter observando. Alioquin sententiam, quam idem rite etc. usque: observari.

Dat. Lugduni, VI Kalendas Decembris, anno VIII°.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Brixinensis.

In eundem modum ministerialibus et vassallis ecclesie Brixinensis usque: consecutus. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus attentius et hortamur, mandantes quatinus eundem B., postquam adeptus fuerit consecrationis munus, tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum recipientes benigne ac honeste tractantes, exhibeatis[d] ei honorificentiam debitam et devotam, ipsius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac inviolabiliter observando, et prestantes sibi consuetum et debitum homagii iuramentum, sic potenter ac viriliter assistatis eidem, quod devotionem vestram exinde non immerito commendare possimus.

Dat. ut supra.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Brixinensis.

In eundem modum . . decano et capitulo, clero et populo civitatis et diocesis Brixinensis usque: consecutus, et adicientes ut idem electus duo de castris Brixinensis ecclesie, que maluerit, exceptis de Sabion.[e] [1] et de Phepherberc[2] ac de Chelreburc[f] [3] castris, dictus vero episcopus reliqua et eadem tria libere teneant ac dividant inter se equaliter, castrorum ipsorum deductis expensis, utriusque episcopatus proventus, donec idem episcopus castra, villas et bona ecclesie Tridentine, que per inimicos ecclesie detinentur, recuperare valeat et pacifice possidere. Ne igitur penes aliquem dubietatis materia oriatur, hec vobis tenore presentium duximus intimanda.

Dat. ut supra.

II.

B. Brixinensi electo.

Ecclesia Tridentina pastore vacante et te tunc canonico Magdeburgensi per dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum etc. ut supra in proxima verbis competenter mutatis usque: pacifice possidere[g]. Quocirca mandamus, quatinus provisionem et ordinationem prescriptas inviolabiliter observare procures.

Dat. ut supra[4].

a) utrisque *R.* b) perp. s. imp. *in loco raso.* c) debitam et *superscr.* d) *antecedit* exhibeatis *punctis deletum.* e) Sabioñ *R.* f) Cheleburg *in ep. Lib. VIII, 191.* g) *lin. 34.*

1) *Seben e mer. civ. Brixen.* 2) *Pfeffersberg ex occ. civ. Brixen.* 3) *Chelburg in valle Pusterthal ex sept. civ. Bruneck.* 4) *Sub Nov. 25 papa episcopo Tridentino et electo Brixinensi mandavit, ut ordinationes factas observarent; Berger 4935. — A. 1251, Ian. 10 Adelpreto procuratori episcopi Tridentini, canonico Tridentino, gratiam fecit; Berger 5066.*

19.

Innocentius IV papa [Gertrudae] abbatissae et conventui Quedelingburgensibus confirmat privilegium Lucii III papae, quo ordinavit, ut illae non nisi unam marcam puri argenti ad indicium perceptae libertatis sedi apostolicae annuatim solverent.

1250, Nov. 26.

Inn. IV Reg. Vol. II, 33; Lib. VIII, 229. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum authentico ap. Erath, Cod. dipl. Quedlinb. p. 185 [A.].

Potthast, Reg. 14112; Berger 4973.

. . abbatisse et conventui monasterii de Quindelingeburch ordinis sancti Augustini, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Halberstadensis diocesis.

Litteras bone memorie Lucii pape III predecessoris nostri perspeximus sub hac forma:

Lucius[a] episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus abbatisse[b] et monialibus de Quindelingeburc salutem et apostolicam benedictionem. Cum multam sedes apostolica vobis indulserit libertatem et quamplurimis predecessorum nostrorum privilegiis gaudeatis, mirari cogimur adversum vos et moveri, quod [censum ad][c] indicium percepte libertatis Romane ecclesie debitum diminuitis[d], et cum in eisdem privilegiis sit expressum, quod libram argenti Romano pontifici annuatim tribuere debeatis, vos nonnisi marcam vultis exsolvere, libram ibi marcam debere intelligi asserentes[1], sed nec istud etiam ab initio scismatis[2] persolvistis. Sumpsissemus forsitan de vobis pro tanta presumptione vindictam, nisi motum nostrum benignitas sedis apostolice et dilectus filius noster S. prepositus Maguntinus, qui pro vobis non modicum institit, temperasset, quia non debetis aliquatenus ignorare, quod ubi scrupulus aliquis aut dubitatio in privilegiis Romane sedis emergat[e], ambiguitas illa per nullum est nisi per Romanum pontificem exponenda. Ne igitur super verbo illo aliqua possit ulterius dubitatio exoriri, pro libra volumus intelligi de cetero marcam puri argenti, vobis et hiis, que post vos succedent, benignius indulgentes, ut nonnisi marcam defecati argenti ad pondus Coloniense ulterius annis singulis persolvatis, dummodo non presumatis unius marce censum ultra terminum prefixum de cetero detinere.

Dat. Velletri, XVIII Kalendas Maii[3].

Nos igitur vestris devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore in hac parte factum est ratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, VI Kalendas Decembris, anno VIII°[4].

20.

Innocentius IV papa priori Praedicatorum et ministro Minorum provincialibus Alamanniae mandat, ut omnes crucesignatos Frisiae et Norwagiae inducant, ut in proximo passagio ad beneplacitum B[lanchae] reginae Franciae transfretent. 1250, Nov. 29.

Inn. IV Reg. Vol. II, 27; Lib. VIII, 183. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14121; Berger 4927.

---

a) *Hanc ep., quam Erath p. 185 non repetivit, contulimus cum authentico, quod idem p. 103, n. 31 proposuit; Jaffé-Löwenfeld, Reg. Pont. 14757 (9513).* b) A. abbatisse *A., scil.* Adalbeidi. c) censum ad *add. ex A.* d) *ita A.;* diminutis *R.* e) emergit *A.*

1) *Cf. Waitz, Verf.-Gesch. t. VIII, p. 335, not. 5.* 2) *Ab electione antipapae Victoris IV, a. 1159, Sept. 7.* 3) *A. 1182 aut 1183.* 4) *Aliae gratiae eisdem tum factae ap. Berger 5023 et 5076; Potthast 14111 et 14197; aliae non registratae ap. Erath, l. c.*

.. priori Predicatorum et .. ministro Minorum fratrum provincialibus Alamannie.

Cum ad presens Terra Sancta subsidio indigeat bellatorum, nos, attendentes quod multi Frisones acceperunt accensi zelo devotionis et fidei signum crucis quodque solent Frisones in Transmarinis partibus prosperari, mandamus, quatinus omnes crucesignatos de partibus Frisie ac Norwagie, quod in proximo passagio a vobis ad beneplacitum carissime in Christo filie nostre B. illustris regine Francie[a] statuendo transfretent in subsidium Terre Sancte, per vos et alios, quos expedire videritis, moneatis attentius et efficaciter secundum datam vobis a Deo prudentiam inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo — non obstantibus aliquibus privilegiis apostolice sedis vel indulgentiis seu litteris[b] obtentis et obtinendis et quibuslibet aliis, per que id impediri vel differri valeat et de quibus oporteat in presentibus fieri mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni, III Kalendas Decembris, anno VIII°.

21.

Innocentius IV papa decano maioris ecclesiae et praeposito S. Nicolai Magdeburgensium mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias, quas [Conradus] episcopus Misnensis in [Henricum] marchionem Misnensem pro eo tulerit, quod collecto exercitu terras ecclesiae Misnensis devastaverit, observari faciant. *1250, Nov. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 38; Lib. VIII, 267. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5011.

.. decano maioris ecclesie et .. preposito Sancti Nicolai Magdeburgensium.

Venerabilis frater noster .. Misnensis episcopus sua nobis petitione monstravit, quod nobilis vir .. marchio Misnensis collecto exercitu et associatis sibi quibusdam iniquitatum filiis terras, possessiones ac alia bona ecclesie sue nequiter devastavit, et ad de Curiis[c] [1] et alias ecclesie predicte villas accedens hostiliter, rebus ibidem inventis secum exinde asportatis, ipsas incendio reverentia divina postposita concremare presumpsit; propter quod idem episcopus in prefatum marchionem et suos in hoc complices, pro eo quod moniti diligenter de dampnis et iniuriis huiusmodi satisfacere non curabant et[d] adeo publicus et notorius erat excessus, quod nulla poterat tergiversatione celari, excommunicationis et in terram ipsius marchionis interdicti sententias exigente iustitia auctoritate propria promulgavit. Quare petebat a nobis, ut eas robur faceremus firmi-

---

a) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: videritis. b) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque in finem. Quod si non ambo etc. *In ep. antecedente legitur:* litteris obtentis — generali. Quod si non omnes etc. Dat. — VIII°. *Ep. nostra formam minutae praebere videtur, in qua, cum reliqua cum antecedente ep. congruerent, sola verba mutanda, scil.* Quod si non ambo etc., *annotata sunt, quae suo loco, i. e. ante notam chronologicam, inserenda erant. Itaque notam chronol. ep. antecedentis recipere licet.* c) Cunis *B.* d) ut *R.*

1) *Fortasse Coryn, hodie Kühren, ex or. civ. Wurzen, quae villa episcopi Misnensis erat; Cod. dipl. Sax. II; U.-B. d. Hochst. Meissen t. I, p. 52, n. 50. Alius locus Chorin, hodie Choren, ex or. civ. Döbeln extat.*

tatis habere. Mandamus, quatinus sententias ipsas, sicut rationabiliter sunt prolate, etc.[a] usque: observari[1] non obstantibus[b] quod predicto marchioni ab apostolica sede indultum esse dinoscitur, quod in terram interdicti et excommunicationis in personam suas nequeat per litteras apostolicas sententia promulgari, seu quacumque sedis apostolice indulgentia, per quam huiusmodi mandati nostri executio valeat impediri. Quod si non ambo etc.

Dat. Lugduni, II Kalendas Decembris, anno VIII°[2].

22.

Innocentius IV papa potestati, consilio et communi castri S. Genesii libertates et alia a quondam R[aynerio] S. Mariae in Cosmidin diacono cardinali, tunc legato, concessa confirmat. **1250, Dec. 4.**

Inn. IV Reg. Vol. II, 31; Lib. VIII, 207. Exemplar nos inde descripsimus.

Berger 4951 falso epitomen ep. ap. Potthast 14133 praebet.

.. potestati, consilio[c] et communi castri Sancti Genisii Camerinensis diocesis.

Iustis petentium etc. usque: assensu, libertates et immunitates et alia quelibet, a bone memorie R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, provide vobis concessa[3], habentes rata et grata, ea vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, II Nonas Decembris, anno VIII°.[4]

23.

Innocentius IV papa [Henrico II] electo Spirensi mandat, ut contra omnes, qui in Alamannia cum F[riderico II] vel C[onrado] nato eius vel fautoribus eorum sub praetextu treugarum vel specie foederis socialis pactiones contrahant in dispendium negotii, quod per W[illelmum] regem promovetur, interdicti et excommunicationis sententias ferat. **1250, Dec. 5.**

Inn. IV Reg. Vol. II, 47; Lib. VIII, 349. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, Gesch. v. Gr. Willem v. Holland, t. V, p. 67 edidit.

Potthast, Reg. 14134; Berger 5083.

---

a) *scil.* faciatis auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam [appellatione remota] inviolabiliter observari: *cf. infra sub a. 1251, Iun. 13.* b) obst' *R.* c) consilio *in marg. praescriptum, deest in rubro.*

1) *Cf. n. 68.* 2) *Alia gratia episcopo Misnensi sub Dec. 3 facta ap. Berger 5012.* 3) *Se referre videtur ad ep. a. 1248, Ian. 8; Colucci, Antichità Picene t. XXIV, app. p. 9; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 754, not. 1.* 4) *Eisdem sub Oct. 29 papa scripserat se eis et reliquis fidelibus marchiae Anconitanae de persona prudenti providisse, quae circa statum provinciae vigilaret, mandans ut eidem personae, cum eam O[ctavianus] S. Mariae in Via Lata diac. card. ad ipsos misisset, parerent; sub Nov. 26 dilectis filiis Camerinensis diocesis [ut videtur, eisdem] supplicantibus, ut aliquem capitaneum cum certa militum et equitum quantitate aestate proxima destinaret, responderat se R[aynaldo] episcopo Ostiensi, S[tephano] tit. S. Mariae Transtiberim presbytero et P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinalibus mandasse, ut quae expeditioni capitanei necessaria essent, interim praepararent; Potthast 14099, 14110; cf. 14133, 14774, 14943. De Petro cardinali, qui usque eo legatus et rector in Marchia fuerat, cf. n. 33 et 39. — De hominibus de Macerata Friderico II adhaerentibus cf. Potth. 14146a et 14703a sub a. 1250, Dec. 21 et 1252, Aug. 31; quae epp. omnes in Reg. non extant.*

.. Spirensi episcopo[a].

Ne perturbatores negotii ecclesie ac imperii in partibus Alamannie de ignorantia huiusmodi negotii se valeant excusare, ut expedit, providere volentes, mandamus, quatinus loca omnia ipsarum partium, quocumque nomine censeantur, quorum domini ac incole F. quondam imperatori vel C. nato suo aut ipsorum fautoribus favere ac adherere presumunt vel cum eis sub treuguarum pretextu vel specie federis socialis pactiones vel conventiones contrahunt in dispendium negotii, quod ad presens per carissimum in Christo filium nostrum W. regem Romanorum illustrem aliosque sibi in communione fidelium adherentes contra prefatum F. persecutorem ecclesie promovetur, per te vel per alios auctoritate nostra supponas vel supponi facias publice ecclesiastico interdicto, talium personis nominatim excommunicationis vinculo innodatis, ita quod tam diu careant omnibus ecclesiasticis sacramentis, donec ad mandatum ecclesie revertantur; et ne aliquos predicto F. vel ipsius fautoribus aliqua impietatis colligatio teneat aliquatenus obligatos, eos auctoritate nostra decernas ad quodvis fedus treuguarum sive societatis vel conventionis seu pactionis cum illis initum in predicti regis et negotii detrimentum aliquo iuramenti vel fidei vinculo non teneri, quin potius illos denunties ab hiis penitus absolutos — non obstantibus aliquibus indulgentiis apostolicis quibuscumque personis aut locis concessis vel etiam concedendis sub quacumque forma et expressione verborum, cum nostre intentionis non fuerit nec existat per tales indulgentias ipsi negotio aliquatenus derogare.

Dat. Lugduni, Nonis Decembris, anno VIII°.

24.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut cum Waltero canonico Argentinensi nato W[alteri] domini de Geroldeseke, non obstante si decem et novem annorum existat, super praelaturis et beneficiis ecclesiasticis obtinendis dispenset.
1250, Dec. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 29; Lib. VIII, 198. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 4942.

.. episcopo Argentinensi.

Dilectus filius Walterus canonicus Argentinensis, natus nobilis viri W. domini de Geroleseke[1], nobis exposuit, quod olim tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut cum ipso super obtentis et obtinendis beneficiis seu dignitatibus vel aliis prelaturis, etiam si curam animarum habeant, usque ad summam, de qua expedire videres, dispensares auctoritate nostra — non obstante constitutione concilii generalis. Verum quia idem canonicus minor viginti quinque annis existit, cum eo dispensare super hoc hactenus distulisti. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Mandamus, quatinus, si est ita, cum eodem canonico — hoc non obstante, si prout asseritur decem et novem annorum existat — super obtentis et obtinendis prelaturis, dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis, etiam curam animarum

---

a) *ita R. falso; leg.* electo.

1) *Cf. t. II, p. 348, not. 1.*

habentibus, dispenses — constitutione non obstante predicta — iuxta priorum continentiam litterarum; proviso quod prelature, dignitates, personatus et beneficia huiusmodi debitis etc. usque: negligatur.

Dat. Lugduni, VII Idus Decembris, anno VIII°.[1]

25.

Innocentius IV papa Peponem et Nepoleonem vicecomites de Campilio, ecclesiae devotos, monet, ut in devotione persistant, eosque cum bonis sub protectione sua suscipit, promittens ecclesiam cum hostibus suis pacem facturam non esse, nisi ipsos in ea ponat.

1250, Dec. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 30; Lib. VIII, 204. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 4948.

Nobilibus viris Peponi et Nepoleoni vicecomitibus de Campilio[2], ecclesie Romane devotis, Clusine diocesis.

Nonnumquam ex celestis dispositione consilii providetur, quod in regno ecclesie scandala oriantur, ut qui probati sunt, fiant exprobratis reprobis manifesti, quia sicut penam debitam indevoti et reprobi, sic devoti et electi digna premia consequuntur, utrisque diversis meritorum stipendiis inferendis. Licet igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos tamquam ecclesie Romane devoti ad defensionem ipsius contra persecutores et inimicos eiusdem magnaminiter intendatis, super quo gaudemus in Domino et devotionis vestre fervorem non sine gratiarum actionibus dignis laudibus commendamus, ut tamen apostolicis excitati munitis[a] et ecclesie protectione muniti eo libentius et efficatius ipsi ecclesie in necessitate, qua veri cognoscuntur amici, studeatis assistere, quo certius vobis constare poterit, quod ex hoc mereamini gratiam in presenti et gloriam in futuro, nobilitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus spiritu fortitudinis roborati suscipientes constantis animi munimenta, in fide ac devotione ipsius ecclesie matris vestre immobiliter persistatis. Nos enim personas vestras in eiusdem ecclesie devotione manentes cum familia et omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, vos pro certo tenere volentes, quod ecclesia nullam cum hostibus suis pacem faciet seu treuguam, nisi vos expresse ponat in eis, dummodo sit ex parte vestra aliquis, qui hoc petat[3]. Ad maiorem autem securitatem vestram has litteras duximus vobis in testimonium concedendas. Nulli ergo etc. nostre protectionis etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Decembris, anno VIII°.

---

a) *litt.* n *in loco raso.*

1) *A. 1251, Ian. 31 eidem Waltero, cui de praepositura Argentinensi, cum vacatura esset, provideri mandasset, indulsit, ut ex eo, quod quamplures super provisione ipsis facienda in civitate vel diocesi Argentinensi de praepositura vel dignitate litteras impetrassent, ei quoad assecutionem praepositurae illius praeiudicium non generaretur; Berger 5009; cf. infra sub a. 1252, Iul. 24; cf. etiam Berger 5375. — Walterus canonicus Argentinensis, de quo ap. Berger 5058, alius huius nominis fuisse videtur; cf. t. II, p. 279, n. 379.* 2) *Ex occ. civ. Chiusi; cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 234.* 3) *De pace tum tractatum esse nescimus; sed cf. Matthaei Paris. Chron. a. 1250; SS. t. XXVIII, p. 318, et Böhmer-Ficker 3817a et p. XXVI.*

In eundem modum nobilibus viris Bulgarello, Peponi, Rembotto et Manenti fratribus, filiis quondam Tancredi, ac Raynaldo et Bernardino fratribus, filiis quondam Rembotti, comitum de Sarciano [1], ecclesie Romane devotis, Clusine diocesis.

In eundem modum nobilibus viris Cacciacomiti [2] et Radulfo Ildebrandin.[a] et Comiti, eius filiis, ecclesie Romane devotis, Senensis et Aretine diocesum [3].

26.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut statuta ecclesiae Argentinensis honesta confirmet, minus honesta exstirpet. *1250, Dec. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 32; Lib. VIII, 218. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 4962.

. . episcopo Argentinensi.

In Argentinensi ecclesia nonnulla dicuntur haberi statuta salubria et consuetudines approbate ac quedam alia statuta et consuetudines, que non sunt utilia nec honesta. Cum autem bonum statum et prosperum ipsius ecclesie affectemus, mandamus, quatinus statuta eiusdem ecclesie salubria et honesta et consuetudines rationabiles et antiquas de consensu capituli dicte ecclesie auctoritate nostra confirmans, reliqua statuta minus honesta et consuetudines non rationabiles ab eadem ecclesia extirpare procures, prout utilitati ipsius ecclesie noveris expedire; contradictores etc. — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi non fecerint mentionem.

Dat. Lugduni, V Idus Decembris, anno VIII°.

27.

Innocentius IV papa Ulrico canonico ecclesiae de Butelsbac Constantiensis diocesis ad preces [Hermanni] ducis Austriae et [Ulrici] comitis de Wirtemberg mandat, ut Berengerium, ab eodem duce praesentatum, ecclesiae de Ingereson possessione gaudere faciat, reiecto Bertholdo de Slutheim, qui a Radulfo fratre ducis praesentatus sit cuiusque parentes F[riderico II] quondam imperatori et C[onrado] nato eius adhaereant. *1250, Dec. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 105; Lib. VIII, 671. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5405.

Ulrico canonico ecclesie de Bubelsbac [4] Constantiensis diocesis.

Ex parte dilecti filii Berengorii [b] rectoris ecclesie de Ingereson [5] Spirensis diocesis fuit propositum coram nobis, quod cum ipse ad eandem ecclesiam tunc vacantem a

---

a) Ildebrandiñ *R.* b) *ita R.*

1) *Ex or. castri Campilii; cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 58, n. 61.* 2) *De eodem cf. Berger 5385 et 5386 sub a. 1250, Dec. 13 et Nov. 26. Cf. etiam t. II, p. 292, n. 400.* 3) *De Geminianensibus [ex sept. et or. civ. Volterra], ecclesiae devotis, cf. Potthast 14278; non reg.* 4) *Ut videtur Butelsbac, Beutelsbach ex or. civ. Waiblingen.* 5) *Ingersheim in Württemb. O. A. Besigheim.*

nobili viro . . duce Austrie[1], et Bertholdus de Slutheim[a][2] clericus Warmaciensis diocesis a Radulfo[3] fratre ipsius ducis, veris patronis ipsius ecclesie, dilecto filio . . preposito ecclesie sancti Guidonis Spirensis[4], archidiacono loci, ad quem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine institutio rectoris in ipsa ecclesia pertinet, presentati fuissent, idem prepositus, partibus propter hoc ad suam presentiam evocatis et de cause meritis prout spectabat ad ipsum legitime cognito, quia dictus B. patiebatur in etate defectum et parentes eius F. quondam imperatori et C. nato eius contra ecclesiam adherebant, prefatum B. repulit ut indignum, eum ad ipsam ecclesiam non admittens, memoratum vero Berengerium[b] canonice instituit in eadem. Nos igitur obtentu dicti ducis et nobilis viri . . comitis de Wintinberc, pro dicto Berengerio nobis supplicantium, quod ab eodem preposito provide factum est in hac parte ratum habentes et gratum idque auctoritate apostolica confirmantes, mandamus, quatinus, si est ita, prefatum Berengerium facias auctoritate nostra per te vel per alium pacifica ipsius [ecclesie][c] possessione gaudere — non obstantibus aliquibus litteris apostolicis super hoc ab eodem B. horum veritate tacita impetratis et processibus perperam habitis per easdem —; contradictores etc.

Dat. Lugduni. III Idus Decembris, anno VIII°.

28.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati S. Galli intuitu comitis de Tokkenburc, qui a fautoribus F[riderici II] quondam imperatoris in conflictu pluries vulneratus sit, mandat, ut Radulfo fratri eiusdem comitis de aliqua abbatia ordinis sancti Benedicti in civitate vel diocesi Basiliensi provideat. *1251, Ian. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 104; Lib. VIII, 664. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis.

Berger 5398.

. . abbati Sancti Galli Constantiensis diocesis.

Cum, sicut dilectus filius nobilis vir . . comes de Tokkenburck[5], devotus noster, nobis exposuit, idem pro defensione libertatis ecclesiastice ac promotione negotii ecclesie generalis contra F. quondam imperatorem recipiens signum crucis, multis periculis se non dubitarit exponere, utpote qui a fautoribus eiusdem F., resistendo eorum conatibus et elidendo ipsorum impetus, in conflictu pluries extitit vulneratus, nos, volentes eidem propter hoc in persona dilecti filii Radulfi fratris sui, electi monasterii sancti Iohannis in Turzal[d][6] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis, gratiam facere specialem, mandamus, quatinus eidem, parato ut asserit libere renuntiare electioni de se facte in monasterio supradicto, de aliqua abbatia eiusdem ordinis, quam acceptandam duxerit, si qua in civitate vel diocesi Basiliensi vacat ad presens vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, auctoritate nostra per te vel per alium providere procures — non

a) *litt.* S *fortasse* G. b) Berenger̄ *R.* c) ecclesie *deest R.* d) *ita R.*

1) *Hermanno VI marchione Badensi, qui a. 1250, Oct. 4 mortuus iam erat.* 2) *Fortasse Slatheim, Schlatthof ad Neckar fl. O. A. Sulz, sed etiam in familia de Slotheim [Schlotheim ex sept. et or. cir. Mühlhausen] nomen Bertholdi occurrit: Bertholdus de Slatheim dapifer circa lantgrarios Thuringiae saepius reperitur ap. Wyss, Hess. U.-B. t. I.* 3) *Marchione Badensi.* 4) *Conrado, de quo cf. t. II, p. 467, n. 653.* 5) *Kraft; cf. t. II, p. 317, not. 1.* 6) *S. Iohannis in Thurthal, Kant. S. Gallen.*

obstantibus[a] si pro aliis in eisdem civitate vel diocesi super consimili provisione scripserimus, quibus nolumus etc. usque: generari, sive si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius compelli, vel interdici, suspendi aut excommunicari non possint per litteras apostolicas, nisi expressam fecerint de indulto huiusmodi mentionem, seu quavis alia indulgentia speciali vel generali sedis eiusdem sub quacunque forma concessa, per quam huiusmodi provisio etc. usque: vel differri, etiam si tenor ipsius de verbo ad verbum sit presentibus inserendum, aut quod venerabili fratri nostro . . Basiliensi episcopo a nobis dicitur esse concessum, ut nullus in provisionibus nostris preter ipsum esse debeat executor —; contradictores etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Ianuarii, anno VIII°.

29.

Innocentius IV papa [Benaudito] episcopo Perusino propter malitiam temporis concedit facultatem absolvendi Perusinos ab excommunicatione, quam pro pecunia clericis et ecclesiis indebite imposita incurrerint. *1251, Ian. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 37; Lib. VIII, 262. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5006.

. . episcopo Perusino.

Cum . . potestas et consilium Perusini nuper ut accepimus clericis et ecclesiis tam civitatis quam diocesis Perusine contra libertatem ecclesiasticam non modicam imposuerint summam pecunie ipsamque ab eis extorquere nitantur et tu ob hoc suspendi mandaveris organa clericorum, nos, considerantes quod propter malitiam temporis severitati est aliquid detrahendum, absolvendi iuxta formam ecclesie potestatem, consilium officialesque communis et alios huiusmodi impositores pecunie ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrisse noscuntur, ac pro redimenda vexatione ipsorum subveniendi eis in aliqua quantitate pecunie pro necessitate communi de bonis ecclesiasticis, iuxta quod tua circumspectio expedire cognoverit, auctoritate presentium tibi concedimus facultatem[1].

Dat. Lugduni, XIIII Kalendas Februarii, anno VIII°.

30.

Innocentius IV papa Odoni de Sorello filio Hugonis Sorelli Theanensis diocesis castrum Miniani cum aliis castris, quibus F[idericus II] quondam imperator patrem ipsius et ipsum spoliarit, restituit et de novo concedit. *1251, Ian. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 50; Lib. VIII, 369. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5103.

---

a) obst[s] *R.*

1) *Cf. n. 57. A. 1252, Oct. 3 Perusinis concessit, ne extra civitatem suam in iudicium evocari possent; Lib. X, 143; Potthast 14731. — A. 1251, Iul. 31 eidem episcopo significavit se potestati et communi Callensibus, qui heremo Fontis Arellanae eiusque membris indebite collectas imponerent et homines eorum in cives admitterent, praecipere, ut ab hoc desisterent; mandavit, ut eos ad id compelleret; Potthast 14370; non reg. De civitate Callensi cf. etiam Lib. X, 749.*

. . Odoni de[a] Sorello, filio Hugonis Sorelli, Theanensis diocesis.

Circa subditorum et presertim nobilium relevanda gravamina diligentie studium adhibentes, quod in affectu gerimus circa ipsos, libenter ducimus ad effectum, ut oppressores stuporem confusionis sentiant et oppressi gaudii et obsequendi devote materiam ex hoc sumant. Hinc est, quod nos, attendentes devotionis ardorem, quo erga Romanam ecclesiam fervere dinosceris, ac propter hoc volentes ut sedem apostolicam sentias tibi favorabilem et benignam, tuis supplicationibus inclinati, castrum Miniani[1] cum omnibus aliis castris, possessionibus, iuribus, honoribus, servitiis et pertinentiis eorundem a patre tuo et tuis antecessoribus in regno Sicilie iuste detentis, quibus omnibus, ad te ut asseris de iure spectantibus, F. quondam imperator[2] predictum patrem tuum et te ipsum pro sue voluntatis arbitrio spoliavit, tibi tuisque successoribus in perpetuum, presertim cum regnum Sicilie rege[b] nunc careat, restituimus, confirmamus, et ut in ipsius ecclesie ferventius devotione persistas, in feudum predicta omnia et singula de novo concedimus de gratia speciali, volentes ut liceat tibi auctoritate propria ingredi et habere possessionem omnium predictorum, salvo iure cuiuslibet in devotione ipsius ecclesie persistentis, non obstantibus[c] concessione aliqua per dictum F. vel eius officiales de predictis seu parte ipsorum quocumque tempore alicui facta vel etiam facienda, quam irritam decernimus et inanem, seu temporis lapsu a spoliatione huiusmodi retroacti, quo tibi preiudicari nolumus in futurum, vel aliquibus litteris ab apostolica sede super collatione seu concessione ipsorum aut partis quocumque modo obtentis vel etiam obtinendis, quam concessionem seu confirmationem auctoritate presentium revocamus. Volumus tamen, ut postquam corporalem eorum omnium possessionem habueris[d], tam tu quam iidem successores tui homagium et iuramentum fidelitatis ac alia ecclesie prefate seu regi, qui per eam in regno ipso pro tempore fuerit, prestare tenearis, que alii vassalli eiusdem regni pro castris et feudis que obtinent sibi exhibere tenentur. Nulli ergo etc. nostre restitutionis, confirmationis, concessionis, constitutionis et revocationis etc.

Dat. Lugduni, XIIII Kalendas Februarii, anno VIII°.

31.

Innocentius IV papa Iohanni Lemovicensi poenitentiario suo fratri Minorum mandat, ut litem inter [Guillelmum] archiepiscopum et capitulum Bisuntinos et Iohannem comitem Burgundiae dominum Salinensem de moneta, quam comes apud Salinum cudi faciat, exortam terminet. 1251, Ian. 21.

Inn. IV Reg. Vol. II, 37; Lib. VIII, 255. Exemplar, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 566, n. 359 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14166, falso sub Ian. 31; Berger 4999.

Fratri Iohanni Lemovicensi, penitentiario nostro, ordinis fratrum Minorum.

Cupientes, ut finis litibus imponatur, mandamus, quatinus de iure venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi et dilectorum filiorum capituli Bisuntinorum ac nobilis viri

a) *ita in marg. et in rubro;* dicto *B.* b) rege n. car. *in loco raso.* c) obst^s *R.* d) hab. poss. *R.*

1) *E mer. et or. S. Germani; cf. Berger 3145–3148.* 2) *Ultimus hic locus est, quo papa Fridericum, a. 1250, Dec. 13 mortuum, viventem dicit. De morte celata cf. Böhmer-Ficker 3835a.*

Iohannis comitis Burgundie domini Salinensis super moneta, quam idem comes apud Salin.[a] cudi facit[1], utrum predicti archiepiscopus et capitulum, quod prefatus comes id non possit facere, valeant vel debeant impedire, vel quod ipse comes potestatem ipsam faciendi habeat, inquiras sollicite veritatem; et quod iustum fuerit, inquisitione facta facias auctoritate nostra appellatione remota inviolabiliter observari[2].

Dat. Lugduni, XII Kalendas Februarii, anno VIII°.

32.

Innocentius IV papa clero et populo regni Siciliae gratulatur de morte Friderici II, addens se in proximo nuntios idoneos ad eos missurum esse et interim disponere, ut ipse se accingens patriam eorum visitet et res eius de eorum consilio ordinet.

1251, Ian. 25.

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 1. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1251, § 3 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14163; Berger 5269.

Archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis ac universo clero, et nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus et populis civitatum, castrorum et aliorum locorum per regnum Sycilie[b] constitutis.

Letentur celi et exultet terra, quod fulminis horrendi tempestas, qua mirabilis et metuendus Dominus per prolixa temporum spatia universitatem vestram sustinuit vehementer affligi, vobis per ipsius ineffabilem misericordiam in ventum roris flantem iam esse conversa videtur, illo sublato de medio[3], qui vos specialiter de numero fidelium persecutionis malleo continuate[c] contrivit et ecclesiam Dei graviter in multis, sed in vestra gravissime vexatione turbavit, sicut in eo de facili a vestra potest circumspectione notari, quod nos, profundos gemitus et plurima fundendo suspiria, de apostolica sede ad loca remota transivimus, ut multorum afflictionibus, sed vestris precipue angustiis finem imponere valeremus[4]. Sane, quod in hoc apostolica sollicitudo non potuit, in complementum celebre perpetuis futuris temporibus recolendum superne deduxit gratia pietatis et expandit super vos ammictum sue glorie, quos olim orbi terre despectos et miserabiles fama publica revelavit. Propter hoc siquidem, dilectissimi nobis in Christo, a vobis letitie canticum est unanimiter assumendum et illis invigilandum studiis, per que ad votum de cetero perfundi omnimoda prosperitate possitis. Nullius itaque suggestionis obstacula vel dilationis aut difficultatis impedimenta retardent, quin effusam super vos affluentiam divine dulcedinis per effectum operis agnoscentes, ad vestre matris ecclesie gremium suavissimum recurratis, habituri perpetuam tranquillitatem et pacem ac illam tutissimam et delectabilem libertatem, qua ceteri speciales ecclesie filii feliciter et firmiter sunt muniti, nobis ad hoc omni sollicitudine vacaturis, ut qui spiritu exulta-

---

a) Saliñ *R.* b) y *in marg.;* i *in rubro.* c) continuare *R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 4999, 5037, 5038.* 2) *Gratiae comiti factae ap. Berger 4786, 4860, 4908, 4909, 5200, 5360 et saepius postea usque ad a. 1254, Iul. 27; Lib. XII, 78.* 3) *Cf. p. 23, not. 2.* 4) *Quibus de causis papa Lugdunum se contulerit, cf. etiam t. II, p. 126, 361, 561.*

mus vobis diem letitie post noctem tristitie provenisse, quicquid vobis ad comodum et honorem redundare senserimus, promptis affectibus divina cooperante[a] gratia faciamus. Ut autem mentem nostram in hiis plenius et clarius agnoscatis, vos ita presentibus litteris duximus visitandos, quod etiam ydoneos nuntios ad vos in proximo transmittemus[1]; disponentibus nobis interim, quod quam citius poterimus nos ad felicem reditum previo salutis angelo accingentes, vestram desiderabilem patriam nostris oculis videamus, illa cum fratribus nostris de vestro dispositiuri consilio, per que tollatur a vobis angustiose servitutis obprobrium et honor perpetue libertatis accedat cum stabili plenitudine gaudiorum.

Dat. Lugduni, VIII Kalendas Februarii, anno octavo.

33.

Innocentius IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut cum post mortem F[riderici II] quondam imperatoris ad Urbem redire desideret, de reversione Siculorum ad ecclesiam investiget veritatem.

1251, Ian. 25.

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 2. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1251, § 2 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14162; Berger 5270.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Intellecto per devotionis tue litteras, quod Fr. quondam imperator viam sit universe carnis ingressus, ad hoc tam cito nostrum convertimus cogitatum, ut, sicut nobis et fratribus nostris diu votivum extitit, ad Urbem Deo propitio rediremus. Postmodum autem meditandum nobis occurrit, quod vel omnibus de regno Sicilie divina pietas inspiravit, ut pro habenda plena pace ac libertate perpetua unanimiter ad sinum matris ecclesie revertantur, vel quod forte aliqui maligno spiritu instigante super hoc obstaculum opponere nequiter conceperunt. Quia vero clara et salubris providentia est in tanto negotio adhibenda, volumus et per apostolica scripta tibi mandamus, quatinus corde sollicitus habearis, ut de universali affectu hominum ipsius regni super reversione ipsorum ad ecclesiam plenam investigare studeas veritatem, et quid inveneris, nobis sine dilatione rescribas, quia si reversio desiderabilis hominum eorundem possit fieri libere virtutum domino faciente, poterimus grandis militie postponere comitivam, aut alias ita decebat nos cum potenti venire brachio, quod malitia rebellium cito conteri et devotorum pia voluntas de facili valeat adimpleri.

Dat. ut supra[2].

---

a) ″gratia ″coop. *R.*

1) *Ergo Petrus cardinalis [cf. n. 33] Ian. 25 legatus fuisse non videtur.* 2) *Fortasse haec ep. non Ian. 25, sed nonnullis diebus post scripta est. Nam Petrus cardinalis, qui legatione, sibi a. 1249 concessa, a. 1250 inter Oct. 6 [Berger 4859] et Oct. 29 [Potth. 14099 et 14110; cf. Savioli, Ann. Bologn. t. III, 2, p. 274] privatus erat, iam a. 1251, Ian. 25 legatione denuo functus esse non videtur, cum neque in ep. 32 Siculis commendatus, neque Ian. 31 [Berger 5387] legatus appellatus sit. Ita quidem vocatur in epp. 35 II et 40, Ian. 25 datis, quarum notae chronol. integrae in Reg. leguntur; sed cf. n. 37 et 38.*

34.

Innocentius IV papa eidem notum facit se usque ad beneplacitum suum suspendisse litteras apostolicas datas pro beneficiis ecclesiasticis et feudis in regno Siciliae conferendis. — Praelatis regni Siciliae idem nuntiat. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 3 et 4. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Berger edidit.

Berger 5271 et 5272.

I.

Eidem.

Pro beneficiis ecclesiasticis et etiam feudis in regno Sycilie conferendis ac super aliis provisionibus faciendis ibidem nec non super hiis, que per nos aut alios iam sunt auctoritate nostra collata, olim a sede apostolica diverse littere processerunt. Quia vero pretextu litterarum ipsarum multorum possent corda turbari et grave scandalum suboriri, litteras easdem usque ad beneplacitum nostrum duximus suspendendas, decernentes irritum et inane, si quid per illas contra suspensionem huiusmodi fuerit attemptatum.

Dat. ut supra.

II.

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Sicilie constitutis.

Pro beneficiis ecclesiasticis etc. ut supra in proxima usque: processerunt. Quia vero cordi nobis est super hiis et aliis ita procedere, quod ecclesie ad honorem et vobis ad condigne iocunditatis possit redundare materiam, predictas litteras usque ad beneplacitum nostrum duximus suspendendas, decernentes etc. ut supra in proxima.

35.

Innocentius IV papa eidem legato mandat, ut super archiepiscopatibus, episcopatibus et abbatiis vacantibus conferendis in regno Siciliae nullatenus absque speciali mandato apostolico procedat. — Revocat, si quae de huiusmodi dignitatibus collatae fuerint. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 5; — Vol. II, 84; Lib. VIII, cur. 22. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Berger edidit.

Berger 5273 et 5290.

I.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus super archiepiscopatibus, episcopatibus et abbatiis vacantibus seu vacaturis conferendis in regno Sicilie nullo modo absque nostro speciali mandato procedas[1], cum sit multum expediens et salubre super talibus illam maturitatem haberi et providentiam observari, quod ecclesie honor inde

1) *Potestas conferendi episcopatus in litteris a. 1249 Petro datis non commemoratur; cf. t. II, p. 487—505. Sed talis potestas ei a. 1247 in Alamannia concessa erat; t. II, p. 229, n. 303 XV; cf. XX.*

proveniat et corda hominum eiusdem regni ad desiderate devotionis studia Deo propitio facilius inducantur.

Dat. ut supra.

II.

Revocatio collationum vel provisionum in regno Sicilie factarum per legatum vel quoscumque alios.

Ad futuram rei memoriam. Quia Sicilie regnum sedis apostolice speciale iamdudum angustias sustinuit et pressuras, a quibus, deficiente illo qui assiduis ipsum pregravabat oneribus et insuetis servitiis ancillabat, iam incipit respirare, decet et expedit, ut nos, quibus imminet cura eius, obtate quietis refrigerium procuremus[a], ne aliquorum vexetur molestiis neve scandalo aliquo perturbetur. Hinc est, quod cum dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato, per nostras litteras duxerimus inhibendum, ne archiepiscopatus vel episcopatus aut abbatias in regno conferat memorato, nos, ut hec nostra inhibitio firmum robur obtineat et effectum, omnem collationem seu provisionem, si qua fiat per eundem legatum seu quoscumque alios absque nostro speciali mandato de huiusmodi dignitatibus vacantibus seu etiam vacaturis, decernimus ex nunc auctoritate presentium non valere. Nulli ergo etc. nostre constitutionis etc.

Dat. Lugduni, VIII Kalendas Februarii, anno VIII°.

36.

Innocentius IV papa eidem, si regnum Siciliae intraverit, quasdam collationes faciendi licentiam concedit. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II,81; Lib. VIII, cur. 6. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5274.

Eidem.

Si divine gratia pietatis suffragante proveniat, quod intres regnum Sicilie, devotioni tue auctoritate presentium licitum esse volumus, ut viginti quinque de personatibus vel dignitatibus ecclesiasticis ipsius regni vacantibus personis devotis et dignis huiusmodi gratia et promotioni negotii oportunis conferre valeas ac etiam de aliis beneficiis, que post ingressum tuum vacare contigerit, providere[b] [1], sicut permissum esse legatis dinoscitur, qui de nostro latere destinantur[2].

Dat. ut supra.

37.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut marchionem de Flaumberg [Hohemburg], comitem Casertanum et alios potentes regni Siciliae, si expedire viderit, promissis alliciat, ut munitiones regni ipsi assignent. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 7. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit [1], et cum altero sub cur. 45 registrato, Berger 5314 [2]. Berger 5275.

---

a) procuramus *R.* b) facias *B. minus recte add.*

1) *Moderatur papa epistolas n. 34 et 35; cf. t. II, p. 130, n. 173 et N. A. t. X, p. 564.* 2) *Cf. t. II, p. 154, not. 1.*

Eidem.

Quia[a] forte in ingressu regni Sicilie per nobiles viros . . marchionem de Flaumberg[b 1], . . comitem Casertanum[2] et alios potentes de ipso regno ingeri tibi poterit aliqua difficultas, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eosdem marchionem ac[c] comitem nec non alios, si utilitati ecclesie videris expedire, aliquibus promissis allicias et eis[d] vel eorum alicui aliquas de baroniis concedas, quod ad mandatum ecclesie redeant ac munitiones et roccas ipsius regni tibi restituant et assignent; in hiis autem dilecto filio magistro Matheo de Babuco[3] subdiacono et scriptori nostro, cui super huiusmodi negotio nostram voluntatem expressimus, firmam fidem adhibere procures.

Dat. ut supra[e].

38.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut magistro Matthaeo de Babuco subdiacono et scriptori suo super reducendis regni Siciliae civitatibus in commune firmam fidem adhibeat. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 81; Lib. VIII, cur. 8. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit [1], et cum altero sub cur. 44 registrato, Berger 5313 [2].

Berger 5276.

Eidem[f].

Cum dilectum filium magistrum Matheum de Babuco subdiaconum et scriptorem nostrum, de cuius fidelitate ac prudentia plenam in Domino fiduciam gerimus, ad te pro negotiis ecclesie et specialiter pro negotio regni Sicilie destinemus, mandamus, quatinus in hiis, que tibi tam super eligendis et ordinandis potestatibus vel potestariis per civitates ipsius regni ac reducendis illis in commune[4], quam super aliis ex parte nostra dixerit, firmam sibi fidem adhibere procures.

Dat. ut supra[g].

39.

Innocentius IV papa [Adiuto] episcopo Fanensi curam marchiae Anconitanae committit, mandans, ut in omnibus, in quibus expediat, P[etrum] S. Georgii ad Velum

a) Cum 2. b) *ita R. 1 et 2.* c) et 2. d) illis 2. e) *verba* Dat. ut supra *significant in 2* VI Kal. Feb.; *cf. not. g.* f) P. Sancti Georgii — — legato 2. g) Dat. Lugduni, VI Kalendas Februarii, anno VIII° 2. *Sicut conicimus, signa chronologica sub litteris notatis harum epistolarum posita non erant, sed alio loco annotata, et scriptor, cum eas primo registraret, ut certum diem eis adscriberet, necesse non arbitratus, iis sicut aliis epp. verba* Dat. ut supra *subsignavit; cum autem iterum eas registraret, verum diem apposuit; cf. N. A. t. X, p. 556 et sequ. Eas primo loco ex litteris notatis, altero ex authenticis registratas esse probabile nobis non est, quia talium epistolarum legato directarum authentica in registraturam missa esse persuasum nobis non habemus.*

1) *I. e. de Hohemburg, Bertholdum, de quo cf. Böhmer-Ficker 3835.* 2) *Ricardum, qui gener quondam Friderici II erat; cf. ibid.* 3) *E mer. et or. civ. Veroli. Hunc Petrus cardinalis a. 1252, Ian. 13 ecclesiae Troianae praefecit, id quod papa eodem die confirmavit; a. 1252, Ian. 19 papa eidem concessit, ut cum episcopatus Troianus per indevotos detineretur, beneficia, quae usque eo habuit, retineret; Reg. Lib. IX, 310 et 329.* 4) *Scil. super restituenda civitatibus potestate faciendi commune; cf. sub a. 1251, Iun. 22.*

Aureum diaconum cardinalem legatum requirat. — Fidelibus marchiae Anconitanae episcopum commendat. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 81—82: Lib. VIII, cur. 9 et 10. Exemplaria, quae Berger edidit, contulimus cum Regestis.

Berger 5277 et 5278.

I.

.. episcopo Fanensi.

Etsi ad statum regnorum et provinciarum omnium Christiane professionis apostolice sollicitudinis oculos dirigamus, iugem diligentiam adhibentes ut prospere ac salubriter gubernentur, ad Anconitanam tamen marchiam eo attentius nos prospicere convenit, quo pro eo, quod est sedis apostolice[a] specialis, tenemur de ipsa vigilantius cogitare. Et licet Romana ecclesia pro illius conservatione[b] laboraverit incessanter, sumptus subierit innumeros et amaras tolerarit angustias et gravia pertulerit detrimenta, nunquam tamen postponimus curam eius nec cessamus pro bono ipsius sollicite meditari, sed semper ad illam intuitum convertimus mentis nostre, quinimmo, sicut mater filiorum salutem tenera et intima dilectione zelatur, sic et eadem ecclesia precordiali affectione fidelium suorum ipsius marchie salutiferum statum cupit et pro illorum tranquillo regimine tamquam nutrix et tutrix pervigil non laborare desinit. Nolentes itaque ipsam sine custode ac provisore manere, fraternitati tue, de cuius prudentia et circumspectione confidimus, illius curam ad presens duximus tenore presentium committendam, ita quod balivos, iudices et notarios in comitatibus[c], communantiis et locis aliis statuas et ordines, quemadmodum ibi faciebamus nos ipsi, dum illius gerebamus regimen in minori officio constituti [1]. Omnes insuper de marchia ipsa, qui persecutori ecclesie adheserunt, si ad eiusdem ecclesie mandatum redire voluerint[d], recipias, eisque, dummodo sufficientem exhibeant cautionem, quod mandatis nostris precise parebunt, beneficium iuxta formam ecclesie absolutionis impendas; nullas tamen offensas ex hoc eidem illatas ecclesie vel penas propter hoc debitas remittas aliquibus, nec punias etiam ob hoc eos, quia ista nostro arbitrio reservamus. Ideoque providentie tue per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus commissam tibi sollicitudinem in hac parte diligenter exerceas quanto potes studio, et labores, ut dicta marchia in bono et tranquillo statu regatur, iustitia servetur ibidem et ad honorem ecclesie ac communem ipsius marchie utilitatem omnia dirigantur, donec illuc personam aliam, rectorem seu vicarium, quod facere in proximo intendimus, destinemus. Redditus autem et proventus, quos habet ibi et percipit Romana ecclesia, sollerter et fideliter colligi facias, ut tam de hiis quam de premissis omnibus plenam nobis possis reddere rationem. Contradictores vero, si qui fuerint, vel rebelles districtione qua convenit appellatione remota compescas. Volumus quoque, ut in omnibus, in quibus expediet, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii [ad Velum Aureum][e] diaconum cardinalem, apostolice sedis legatum, requiras, sibi per omnia intendendo [2].

Dat. ut supra.

---

a) se ap *R.*; sedi apostolice *B.* b) conversatione *R.* c) *nescimus an* communitatibus *legendum sit; cf. ep. II.* d) voluint *R.* e) *deest R. Signum quoddam supra lineam positum indicare videtur aliquid supplendum esse.*

1) *A. 1239 et 1240 rector Marchiae fuerat; cf. t. I, p. 655 et sequ.* 2) *Petrus legatus simul rector marchiae Anconitanae fuerat [cf. t. II, p. 488, n. 681 III]; quod officium ei subtractum videtur una cum legatione; cf. p. 25, not. 2. Ad eum, sicut ex n. 97 comperimus, haec ep. et sequens missae sunt, qui eas apud se retinuit neque episcopo Fanensi exhibuit; cf. N. A. t. X, p. 566.*

II.

Universis potestatibus, rectoribus, consiliis, populis, communitatibus[a] tam civitatum quam castrorum et ceteris ecclesie Romane fidelibus per Anconitanam marchiam constitutis.

Etsi ad statum regnorum etc. ut supra usque: manere, venerabili fratri nostro . . Fanensi episcopo, de cuius etc. usque: reservamus. Unde providentie sue nostris damus litteris in preceptis, ut commissam etc. usque: intendendo. Ideoque universitati vestre sub debito fidelitatis districte precipiendo mandamus, quatinus ad ea, que honorem ecclesie ac commune ipsius marchie commodum [contingunt][b], sollerter intenti, eidem episcopo efficaciter intendatis. Alioquin sententiam sive penam, quam spiritualiter vel temporaliter rite tulerit in rebelles, etc.

Dat. ut supra.

40.

Innocentius IV papa Guillelmo de Ripatransonis laico Firmanae diocesis ad preces eius quandam concessionem a quondam episcopo Firmano factam et a P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato auctam confirmat. *1251, Ian. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 61; Lib. VIII, 447. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Epistola non ante ultimos dies mensis Martii registrata est.

Berger 5184.

Guillelmo de Ripatransonis[1] laico Firmane diocesis.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Hinc est, quod cum, sicut nobis exhibita tua petitio continebat, bone memorie . . . Firmanus episcopus de mandato felicis recordationis Gr[egorii] pape predecessoris nostri tibi et heredibus tuis usque in tertiam generationem, dummodo mares existerent, quasdam vineas [et][c] possessiones in emphiteosim concesserit, et dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus[2], attendens provide devotionem, quam ad Romanam geris ecclesiam, concessionem huiusmodi tibi et heredibus tuis factam etiam ad feminas extendendam duxerit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc provide factum est ratum habentes, id auctoritate [apostolica] confirmamus[d] et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VIII Kalendas Februarii, anno VIII°.[3]

Datus est ei super hoc conservator . . prior Sancti Venantii Camerinensis.

---

a) cōitatibus *in marg.;* comitatibus *in rubro.* b) *deest R.: add. B.* c) et *deest R.* d) auctoritate | conf. *R.*

1) *Ripatransone e mer. civ. Firmanae. A. 1249, Sept. 16 in castris supra Asum Petrus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis legatus consilio et communitati de Ripatr., cum ad mandatum ecclesiae rediissent, gratias fecerat; Colucci, Antichità Picene, t. XVIII, app. p. 24, n. 13. A. 1252, Aug. 7 papa potestati, consilio et communi de R. libertates confirmarit; Lib. X, 62; Potthast 14683; cf. 14792; non reg.* 2) *De legatione eius cf. p. 25, not. 2.* 3) *Supersunt multae epp. papales ad civitatem Firmanam spectantes, quae registratae non sunt; Potthast 14367, 14389, 14419a, 14420, 14452, 14453 = 14642, 14564, 14678, 15150, 15151, 15153, 15177, 15540; cf. etiam Lib. X, cur. 1.*

41.

Innocentius IV papa [Gerhardo II] archiepiscopo Bremensi mandat, ut cum post mortem F[riderici II] quondam imperatoris, antequam ad Urbem redeat, negotium imperii laudabiliter concludere cupiat, usque ad dominicam palmarum omni difficultate remota ad se personaliter veniat. *1251. Ian. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 92; Lib. VIII, cur. 69. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Epistola non ante initium mensis Apr. registrata est, ergo non ex authentico.

Berger 5338.

. . archiepiscopo Bremensi.

Certificati per nuntios et litteras, quod F. quondam Romanorum imperator de medio sit sublatus, licet utile plurimum et expediens videretur nostrum versus Urbem accelerare regressum, disposuimus tamen non ante redire, quam de imperii Romani negotio, sicut convenit, ordinemus. Hoc est enim, quod precipue insidet cordi nostro, in hoc nostre cogitationis defigimus aciem, ad id semper apostolice diligentie studium retorquemus, quia hoc potissime in nostris versatur affectibus, ut negotium ipsum salubriter dirigatur et consummatione laudabili auctore Domino concludatur. Verum quia tua prudentia tuisque consiliis, studiis et auxiliis magnum potest ipsum negotium habere profectum et grandia suscipere incrementa, propter quod nobis est tua presentia penitus oportuna: ut tecum pariter de illius executione tractemus, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus ad nos usque ad dominicam in ramis palmarum [1] omni occasione ac difficultate remota personaliter venire procures [2].

Dat. Lugduni, VI Kalendas Februarii, anno VIII°.

42.

Innocentius IV papa Hartmanno nato L[udowici III] comitis de Froburc facultatem concedit, ut cum Anna filia [Rudolfi] comitis de Rapreswiler, quae H[artmanno] iuniori comiti de Kiburc desponsata quondam fuerit, matrimonium contrahat. *1251, Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 37; Lib. VIII, 260. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5004.

Nobili viro Hartmanno[a], nato nobilis viri L. comitis de Froburc[3].

Exhibita nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum nobilis vir H. iunior comes de Kaburch[b] tertia te linea consanguinitatis attingens Annam filiam nobilis viri .. comitis de Rapreswiler olim sibi matrimonialiter copulasset, nulla carnali copula subsecuta [4], postmodum pro eo, quod idem comes de Kiburch prius cum matertera[c] ipsius A. sponsolia per verba de futuro contraxerat, fuit auctoritate sedis apostolice inter ipsos divortium celebratum. Et nos postmodum, intellecto quod tu eandem Annam cupiebas matrimoniali federe tibi iungi, quia id impediebat publice honestatis iustitia, ex

a) *ita in marg.;* Artimanno *in rubro.* b) *ita R.* c) martertera *R.*

1) *Apr. 9.* 2) *Non venit. Soli quoad scimus Treverensis archiepiscopus et electus Spirensis cum Willelmo rege circa pascha Lugduni erant; Gesta Trevir. cont. V, SS. t. XXIV, p. 412 et Böhmer-Ficker 5036a.* 3) *Cf. t. II, p. 319, n. 442.* 4) *Cf. t. II, p. 348, n. 493.*

eo quod dicto comiti de Kiburch consanguineo tuo fuerat desponsata, venerabili fratri nostro . . episcopo Albanensi, tunc in partibus illis apostolice sedis legato[1], litteras nostras deriximus, inter cetera continentes, ut si videret ecclesie negotio expedire, contrahendi cum eadem Anna liberam tibi auctoritate nostra, si absque scandalo posset fieri, de assensu carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris concederet facultatem. Cum dilectus filius . . electus Spirensis super hiis auctoritate ipsius legati, prout ab eo receperat in mandatis, in negotio ipso procedens, ac per fide dignos intelligens, quod ex copula tua eiusdemque A. nullum oriretur scandalum et magna posset exinde utilitas ecclesie provenire, de consilio nichilominus et assensu dicti regis licentiam tibi concesserit, ut cum prefata Anna libere contraheres — impedimento huiusmodi non obstante —: petivisti suppliciter id per sedem apostolicam roborari. Tuis itaque ac dilecti filii nobilis viri L. comitis de Froburch, patris tui, cuius devotionem Romana ecclesia in pluribus est experta[2], supplicationibus inclinati, quod per dictos episcopum et electum super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus[3]. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, V Kalendas Februarii, anno octavo.

43.

Innocentius IV papa nominatis officialibus civitatis Maguntinae ob ipsorum et concivium devotionem concedit, ut officia sua usque ad sex annos libere retinere neve interim a futuris archiepiscopis aut cuiuspiam auctoritate eis privari possint sine speciali mandato apostolico. *1251, Ian. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 38; Lib. VIII, 263. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5007.

Arnoldo camerario, Helfrico sculteto, Arnoldo walpedoni, Waltero de Duspurc, Henrico de Cacabo, Welmaro et Godebuldo iudicibus, ac Herkemboldo minori camerario civitatis Maguntine[4].

Attendentes devotionem, quam cum aliis concivibus vestris ad Romanam semper habuistis ecclesiam, ac fidei vestre constantiam in nullo ipsius necessitatis tempore vacillantem[5], dignum duximus, ut vos tamquam speciales eiusdem ecclesie filios dono specialis gratie prosequamur. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ut officia, que ad Maguntine metropolitice sedis, ut dicitur, collationem spectantia[a], solita laicis assignari, nunc rationabiliter sicut proponitis obtinetis, usque ad sex annos libere retinere nec interim ab ipsius sedis futuris archiepiscopis aut ipsorum aut cuiuspiam auctoritate huiusmodi privari officiis vel ab eis quomodolibet amoveri possitis absque

---

a) ″spect. ″coll. *R.*

1) *Hic adhuc a. 1250, Nov. 27 apud Montes [in Hannonia] legatus erat; Dec. 10 eum papa 'tunc legatum' appellavit; Böhmer-Ficker 5025 et Potthast 14139.* 2) *Cf. t. II, p. 395, n. 558.* 3) *Sed a. 1251, Sept. 3 papa A[nnam] uxorem Hartmanni de Froburc non vocavit; cf. Potthast 14397; non reg.* 4) *Cf. Hegel, Verf.-Gesch. v. Mainz p. 52 et sequ. A. 1250, Febr. 22 Christianus archiepiscopus Maguntinus civibus magnum privilegium a Sigefrido III a. 1244, Nov. 13 concessum confirmaverat; Böhmer-Will, Reg. archiep. Mag. t. II, p. 310, n. 23.* 5) *Cf. Ann. Wormat. a. 1250, SS. t. XVII, p. 52, et chartam Willelmi regis a. 1250, Aug. 5; Böhmer-Ficker 5022.*

speciali mandato sedis apostolice, plenam faciente de hac indulgentia et tota eius continentia mentionem, auctoritate vobis presentium indulgemus[1]. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, V Kalendas Februarii, anno VIII° [2].

Datus est eis conservator .. cantor Sancti Stephani Maguntini super hoc cum huiusmodi clausula: non obstante quod aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint absque speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Lugduni ut supra.

44.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi indulget, ut cum quosdam nobiles et potentes suae et aliarum diocesium donis et promissis ad servitium ecclesiae obligaverit, ab eis, qui ecclesiae non astiterint, pecuniam datam et res obligatas repetere valeat. *1251, Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 41; Lib. VIII, 290. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5034.

... episcopo Argentinensi.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod cum tu tamquam zelator ecclesie quosdam nobiles et potentes ac alios Argentinensis et quarundam aliarum civitatum et diocesum cupiens ad ecclesie Romane servitium contra hostes ipsius saltem obligare muneribus, quandam eis summam pecunie dederis et quandam promiseris te daturum, multas de possessionibus Argentinensis ecclesie pro huiusmodi pecunia obligando, nonnulli eorum postmodum tibi non curarunt assistere, quidam vero se ab ipsius ecclesie servitio subtraxerunt. Ne igitur predicti comodum de sua fraude reportent, ut datam eis pecuniam et possessiones ob id concessas vel quovis titulo obligatas ab ipsis repetere valeas nec tenearis exhibere promissum[a], auctoritate tibi presentium duximus indulgendum — non obstantibus aliquibus instrumentis vel litteris, iuramentis interpositis seu penis adiectis vel quibuslibet aliis cautionibus super hoc exhibitis tam per te quam per capitulum Argentinensis ecclesie, quos ad hoc una tecum asseris obligatos. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Februarii, anno VIII°.

45.

Innocentius IV papa eidem indulget, ut in civitate et diocesi ipsius nullus executor ad aliquorum provisionem absque consensu ipsius procedere valeat. *1251, Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 42; Lib. VIII, 298. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5042.

---

a) *litt.* u *fortasse* a.

1) *A. 1252, Aug. 19 [Gerhardo] archiepiscopo Maguntino facultatem concessit providendi filio Christiani iudicis Maguntini; Lib. X, 72.* 2) *A. 1250, Apr. 27 consilio et universitati Erfordensibus, cum Sigefrido III et Christiano archiepiscopis in negotio ecclesiae diligentius astitissent, concesserat, ut praesenti guerra durante per litteras apostolicas extra Erfordiam in causam trahi non possent; Potthast 13962; cf. 13961.*

. . episcopo Argentinensi.

De persona tua, quam in negotio universalis ecclesie per exhibitionem operum fervere cognovimus, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ut nullus executor a sede apostolica vel ipsius legatis datus in tua civitate vel diocesi super prelaturis, dignitatibus aut beneficiis ecclesiasticis conferendis ad aliquorum provisionem absque tuo consensu[1] procedere valeat, tibi auctoritate presentium indulgemus, decernentes irritum et inane, si secus contra tenorem istius indulgentie a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Februarii, anno VIII°.

46.

Innocentius IV papa decano Herbipolensi mandat, ut cum monasterium de Reynersbrunnen licentia eligendi advocatum quem velit abutatur, in laesionem [Hermanni] comitis de Hennenberg indevotum ecclesiae sibi eligendo, hanc licentiam revocet.

1251, Febr. 3.

Inn. IV Reg. Vol. II, 41; Lib. VIII, 286. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5030.

. . decano Herbipolensi.

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod cum dilectus filius nobilis vir . . comes de Hennenberg[2], nobis et ecclesie Romane devotus, ab . . abbate et conventu monasterii de Reynersbrunen[a][3] ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis verbis veritate carentibus circumventus obtinuisset a nobis eisdem per nostras litteras indulgeri, ut quemcumque vellent sibi possent advocatum eligere ac sui monasterii defensorem, iidem abbas et conventus non sine illo ingratitudinis vitio, quo pro bono malum redditur, impetrata sibi gratia huiusmodi abutentes temere contra ipsum quendam ecclesie indevotum advocatum sive defensorem ipsius monasterii auctoritate litterarum huiusmodi elegerunt, per quem dictus comes gravem sustinet lesionem. Mandamus, quatinus, si est ita, cum predicti abbas et conventus gratia ipsa merito se indignos reddiderint per abusum, concessionem huiusmodi, et quicquid ex ea secutum est, per te vel per alium auctoritate nostra revoces et denunties penitus non valere.

Dat. Lugduni, III Nonas Februarii, anno VIII°.

47.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi mandat, ut cum [Hermannus] comes de Hennenberg petierit, ut monasterium de Urawe inopia pressum et in spiritualibus deformatum Cisterciensi ordini uniatur, super ea re inquirat.

1251, Febr. 5.

Inn. IV Reg. Vol. II, 41; Lib. VIII, 285. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5029.

---

a) Reynersbruñ *R.*

1) *'Vel in quibus ipse datus non fuerit executor' in eadem concessione episcopo Metensi facta additum erat; cf. n. 7. Eadem concessio electo Spirensi a. 1252, Dec. 18 facta Lib. X, 304.* 2) *Hic Margaretam sororem Willelmi regis a. 1249 in matrimonium duxerat; Böhmer-Ficker 4980; cf. Lib. X, 578 sub a. 1253, Mart. 18.* 3) *Reinhardsbrunn, e mer. et occ. civ. Gotha; cf. t. II, p. 161, n. 213. Hermannus nepos Henrici Raspe regis erat.*

. . episcopo Herbipolensi.

Ad aures nostras dilecto filio nobili viro . . comite de Hennenberg[1] significante pervenit, quod monasterium de Wrrawe[a] [2] tue diocesis, terre ipsius comitis, quod consuevit hactenus temporalibus affluere divitiis et quadraginta monachorum conventui vite necessaria ministrare, ad extreme quasi necessitatis inopiam iam pervenit propter abbatum et monachorum malitiam vitam ibidem olim ducentium[b] dissolutam, preter id quod est omnino in spiritualibus deformatum. Quare dictus comes, utpote Deum timens ac zelans ecclesiasticam honestatem, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse dictum monasterium in eodem posse reformari ordine non confidat et ad ipsius sublevationem in temporalibus centum marcas argenti et amplius, quas ab ipso percipit monasterio advocatie nomine annuatim, velit eidem remittere in suorum remedium peccatorum, si Cisterciensi ordini uniatur, ipsum monasterium eidem incorporare ordini de nostre potestatis plenitudine curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, licet relationi prefati comitis plena sit adhibenda credulitas et ipsius intentio de pure fidei fonte prodiens dignis apud Deum et homines laudibus commendanda: quia tamen non est sine diligenti deliberatione in talibus procedendum, mandamus, quatinus super premissa[c] diligenter inquiras et que inveneris fideliter nobis scribas.

Dat. Lugduni. Nonis Februarii, anno VIII[o] [3].

48.

Innocentius IV papa fratri Guillelmo de Eyka ordinis Praedicatorum, capellano [Willelmi] regis Romanorum, praedicationem crucis contra Conradum filium quondam Fr[iderici II] imperatoris et fautores eius per totum regnum Alamanniae committit.

1251, Febr. 5.

Inn. IV Reg. Vol. II, 41; Lib. VIII, 292. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1251, § 11, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14170; etiam 14116 falso sub a. 1250, Nov. 27; Berger 5036.

Fratri Guillelmo de Eyka ordinis Predicatorum, capellano carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Romanorum.

Ut talentum scientie tibi a Domino dispensative concessum in eius exercitatus obsequiis multiplicatum sibi restituas, cum de ipso a te repetet rationem, predicationem crucis contra Corradum natum quondam Fr. imperatoris suosque fautores, persecutores ecclesie, per totum regnum Alamannie tibi duximus auctoritate apostolica committendam[4], exequendi predicationem huiusmodi per te vel per alios, quos ad eam idoneos esse cognoveris, largiendi etiam crucesignatis ob causam huiusmodi et concedendi privilegia

---

a) *ita R.;* Wirawe *B. Omissa sunt verba* ordinis sancti Benedicti, *propter lin. 9* in eodem . . . . ordine. b) *sequitur iterum* ducentium *R.* c) *ita R.*

1) *Cf. n. 46.* 2) *Sine dubio Aura prope civ. Kissingen.* 3) *Eodem die Hermanno comiti indulsit, ut per quinquennium in eum excommunicationis et interdicti sententiae ferri non possent; Berger 5040.* 4) *Tum, quoad scimus, papa crucem praedicari primo iussit contra Conradum, antea semper contra Fridericum et fautores eius, Conrado non nominato, praeter a. 1248, Mai. 5 in Bavaria; t. II, p. 389, n. 551; cf. p. 418, n. 589 et p. 464, n. 649. Attendas infra etiam verba ep. n. 54. Neque Conradum ante coenam Domini a. 1251 [Matth. Paris. Chron. SS. XXVIII, p. 326] nominatim excommunicatum a papa vocatum invenimus praeter t. II, p. 372, n. 531.*

et indulgentias, que crucesignatis in Terre Sancte subsidium transfretantibus conceduntur, necnon remissionem quadraginta dierum hiis, qui ad tuam super hoc predicationem vel illorum, quibus eam commiseris, accesserint audiendam, illosque nichilominus censura ecclesiastica compescendi, qui super hiis vos forte presumpserint impedire, concessa vobis auctoritate presentium plenaria potestate.

Dat. Lugduni, Nonis Februarii, anno VIII°[a] [1].

49.

Innocentius IV papa de Eberach et de Bilhilthusen abbatibus mandat, ut monachis et conversis suis, qui W[illelmi] regis Romanorum et ei assistentium obsequiis deputati in obsidione de Oppenhem, Geilinhusen et Breghele castrorum urgente victualium inedia carnes ederint, nullam poenam infligant. *1251, Febr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 42; Lib. VIII, 295. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, Gesch. v. Gr. Willem v. Holland, t. V, p. 71 edidit.

Potthast, Reg. 14169; Berger 5039.

.. de Ebeta[b] [2] et .. de Bilhilthusen[3] abbatibus Cisterciensis ordinis Herbipolensis diocesis.

Ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quod cum paucis elapsis temporibus carissimus in Christo filius noster W. Romanorum rex illustris Oppenhen[4] et Geilinhusen[5] et Breghele[6] castra rebellium imperii obsideret[c], nonnulli ex vestrorum monasteriorum conventibus monachi et conversi, qui eiusdem regis et eidem assistentium obsequiis deputati obsidioni huiusmodi affuerunt, urgente victualium inedia carnes edere sunt coacti contra vestri ordinis instituta. Quia igitur, quod per inhibitionem huiusmodi ordinis illicitum fuerat, necessitas et etiam ut dicitur eius qui superior ibi erat auctoritas licitum reddiderunt, discretionem vestram hortandam duximus et monendam, districte precipiendo mandantes, quatinus nullam ipsis invitis occasione huiusmodi penam sive penitentiam infligatis.

Dat. Lugduni, Nonis Februarii, anno VIII°.

50.

Innocentius IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi et suffraganeis eius mandat, ut contra pacis hostes, si qui in occupationem regni Siciliae post mortem Fr[iderici II] quondam imperatoris iam liberati intendant, excommunicationis et interdicti sententias promulgent. *1251, Febr. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 82; Lib. VIII, cur. 11. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5279.

---

a) Dat. ut supra *R.* b) *ita R.* c) obsidere *R.*

1) *Eodem die eidem et fratri Leoni de Broma ordinis Praedicatorum, cum eos in praedicatione crucis et aliis negotiis ecclesiae et imperii ipsis commissis idoneos intellexisset, concessit, ut si eos ad alium ordinem se transferre contingeret, libere possent praedicta omnia exercere; Berger 5037; Potthast 14117, falso sub a. 1250, Nov. 27.* 2) *Sine dubio Eberach ex occ. civ. Bamberg.* 3) *Ex sept. et or. civ. Kissingen.* 4) *A. 1250 circa et post medium mensem Iul.; Böhmer-Ficker 5018a.* 5) *A. 1250, Oct. 2 rex ante civitatem erat; cf. infra sub a. 1254, Mai. 8.* 6) *Hintze, Wilh. v. Holl. p. 41 coniecit hunc esse locum Bergel apud fontem fl. Rezat ex sept. et or. civ. Rothenburg a. Tauber, sed potius credimus nomen corruptum esse ex 'Berchtoldesheim' e mer. et occ. civ. Oppenheim, ubi Willelmus rex a. 1250, Iul. 25 et 27 in castris erat; Böhmer-Ficker 5019a et 5020.*

. . archiepiscopo Coloniensi et suffraganeis suis.

Regnum Sicilie, sedis[a] apostolice speciale, plurimis diu afflictum miseriis propitia Dei miserentis benignitas pia consideratione respexit eique dolorum multitudine valde compresso clementi consolatione subvenit. Ipsum namque longeve tribulationis turbo tenebrosus involverat, sed ad obtate quietis refrigerium superne illud miserationis habundantia liberare providit. Status etenim ille suus instantis afflictionis iam desiit, et tempus ei placide recreationis advenit. Disparuit iam dense mestitudinis nubilum, quod illud undique obscurabat, et plene serenum letitie, quo per totum dilucidatur, apparet. Nox illa tetra, nox dira crudelis adversionis abscessit, et clara sibi dies, dies clemens grate[b] propitiationis illuxit. Evasit utique inclitum Sicilie regnum dure servitutis compedem, quo fuerat diutius alligatum. Exiit Pharaonice subiugationis dominium, per quod ad exinanitionem opprimebatur extremam. Transiit impietatis Neronice cruciamenta trucissima, que totam illius decoriabant substantiam et usque ad intrinseca profunda exulceratione rodebant, quoniam in eius occasu, qui causa casus extitit et occasio cedis regni, queque illius gravamina occidere. Rediit quoque ad regnum ingenuum[c] sua consueta libertas, quam diu extra illud violentum exilium peregrinari coegit. Respirat iam in amplitudine gaudii populus ille liber, qui sub angustis molestiis et molestis angustiis hactenus suspirabat. Resurgunt et ipsius regni ecclesie, quas tanto tempore tirampnice persecutionis malleus flagellavit. Levant iam ipse ad liberum statum capud, quas ad statum miserie manus impia deprimebat, quia oppressorum et afflictorum vox flebilis celorum alta transiliit et divine auribus insonuit maiestatis: unde audito tot gementium ululatu propitiatus est Dominus et exurgens propter eorum intolerabiles passiones ad regnum ipsum de summo celo benigne prospexit, ut sue captivitatis asperum iugum solvens attritum ipsius populum liberaret. Sane vehementes illius amaritudines condolens eius mater ecclesia secum pariter cum lacrimis degustavit. Sensit eius in se seva flagella et dura ipsius livuit tunsione; acriter namque cruciatus illius tamquam unici matris sua precordia contigerunt. Nunc autem in ipsius consolatione recipit et ipsa solamen et in liberatione gaudii plenitudine satiatur. Sed quoniam adhuc sunt lacrime in maxillis eius et in vultu suo diutine passionis sudor apparet, ardenti consurgit desiderio eadem mater ecclesia, ut benignitatis sue linteo lacrimas ipsas diluat et sudorem dextera propitiante detergat, ac regnum ipsum ad optate salutis, libertatis integre pacisque solide statum plene reducat et illud in eo firma Deo favente stabilitate preservet. Ad hoc enim nostra tendit intentio, ut tanto potioribus ipsum libertatibus erigamus et uberioribus firmemus favoribus, quanto gravioribus conculcatum oppressionibus extitit et durioribus vexationibus fatigatum.

Verum quia sublato de medio Fr. quondam Romanorum imperatore possent aliqui pacis hostes et discordie amatores in regnum ipsum aviditatis inicere oculos et manus laxare rapaces ad occupationem intendentes illius vel conspirationes inibi facere aut colligationes inire seu alia noxia in odium vel impedimentum eiusdem ecclesie machinatione pestifera procurare, sicut recolitur fuisse a nonnullis retroactis temporibus attemptatum: nos, volentes contra tales pro ipsius conservatione regni exerere gladium ecclesiastice potestatis, omnes illos, qui hec agere forte presumpserint, decernimus auctoritate apostolica excommunicationis fore vinculo innodatos, et loca etiam, ad que pervenerint, quamdiu ibi fuerint, ecclesiastico manere supposita interdicto. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus huiusmodi excommunicationis et interdicti sententiam in vestris civitatibus et diocesibus per vos vel per alios sollempniter publicantes, universos huiusmodi presumptores sublato cuiuslibet con-

a) se *R.*; sedi *B.* b) *ita R.*; gratia et *B.* c) ingenium *R.*

tradictionis et appellationis obstaculo excommunicatos publice nuntietis et loca prefata, dum in eis exstiterint, interdicta, preceptum super hiis apostolicum taliter impleturi, quod ecclesie Romane negotium videamini exequi cum effectu et nos diligentiam vestram exinde dignis in Domino commendare laudibus merito valeamus.

Dat. Lugduni, VII Idus Februarii, anno VIII°[1].

51.

Innocentius IV papa Lucanos monet, ut Carfagnanam, a quondam Fr[iderico II] ecclesiae Romanae subtractam et postmodum ipsis concessam, sedi apostolicae restituant; Mutinenses, ut terram Carpensem, Bononienses, ut Medicinam et Argellatam restituant, monet. — O[ctavianum] S. Mariae in Via Lata diaconum cardinalem legatum de epistolis eisdem certiorem facit. *1251, Febr. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 82—83; Lib. VIII, cur. 12 et 13. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis et cum illis exemplaribus, quae indidem sumpta a. 1759 Garampi, Antico Sigillo della Garfagnana p. 36 edidit.

Potthast, Reg. 14172, 14171, 14175, ubi ultima ep. falso sub Febr. 10 legitur; Berger 5280 et 5281.

I.

. . potestati et consilio Lucanis[2].

Efficatiori nequimus indicio erga vos ostendere caritatis affectum, quam si ad conservandam vobis apostolice sedis benivolentiam prudentiam vestram necessariis commonitionibus instruentes, materiam cuiuslibet iurgii curamus auferre de medio, per quam mutuus bone voluntatis nexus lentescere aliquatenus valeat vel remitti, sed a radice alterne concordie omni dissensionis peste succisa gravis utrimque proventus operum surgat, vicarie dilectionis exprimens veritatem. Scit sane certo certius vestra universitas et nota vos cogit veritas profiteri, quod terra Carfagnana iuris et proprietatis apostolice sedis existit[3] nec unquam nisi per occupationis iniuriam cessit aut cedere potuit extraneo possessori. Cum autem[a] hiis temporibus quondam Fr. imperator eam ecclesie Romane nequiter subtraxisset, vobis postmodum pl . . . .[b 4] substitui detentoris, qui eandem terram sub iniquo vel nullo traditionis titulo usurpantes, ipsam in contemptum Dei, predicte sedis iniuriam et animarum vestrarum periculum detinetis. Porro, ne tantum a vobis molestiam toleremus, ne tam manifestam feramus offensam, cogit nos officii nostri debitum, quo irremissibiliter a nobis exigitur, ne per dissimulationis silentium patiamur ecclesie memorate bona perire, quorum administratio nobis specialiter est commissa; urget nos quoque salutis vestre zelus, cuius certum vobis imminet de sacrilega eorundem bonorum detentione discrimen. Quocirca volentes conscientie nostre parere ac vestrarum precavere dispendiis animarum, universitatem

---

a) *minus perspicue;* autem *Ga.* b) *locus rasus; manus recentior addidit in margine:* Terra Carfagnan est iuris et proprietatis apostolice sedis. *Lacuna etiam ap. Ga. et ap. Savioli, Ann. Bologn. t. III,2, p. 275.*

1) *Haec epistola encyclica fuisse videtur, quae aliis quoque episcopis Alamanniae directa est. Legatus ibi tum non erat; cf. p. 32, not. 1.* 2) *Hi iam tum papae favisse videntur, praesertim cum secundum formam huius ep. civitatibus ecclesiae fidelibus scriptum sit; cf. etiam Ptolemaei Lucensis Ann. in Docum. di Stor. It. t. VI, p. 76, cuius chronologia quidem penitus confusa est. A. 1252, Dec. 9 papa narravit episcopum Lucanum olim pro defensione libertatis ecclesiasticae exulasse; Lib. X, 279.* 3) *Ex hereditate comitissae Mathildae; cf. Garampi, l. c.* 4) *A. 1248, Dec. Fridericus II communi Lucanorum Garfagnanam contulerat; Böhmer-Ficker 3745.*

vestram rogamus, monemus et hortamur attente et vobis sano consilio suademus, per apostolica scripta nichilominus districte precipiendo mandantes, quatinus attendentes utilis non esse commertii ecclesie Romane gratiam dicte detentionis comodo commutare, cum eadem gratia, si eam vobis saltem per innocentiam conservare studueritis, vobis et civitati vestre possit existere in maioribus fructuosa, eandem terram legatis apostolice sedis vel eorum aut nostris nuntiis expeditam et liberam dimittatis, ac revocatis rectoribus et officialibus vel aliis, quos posuistis ibidem, nullam exerceatis in eadem terra de cetero potestatem. Nec vos in detentione terre predicte[a] aliqua foveat de patientie nostre permissione fiducia, cum firmiter proposuerimus nullo modo sustinere, quod iura ecclesie Romane teneantur ab aliquibus occupata, et quanto vos specialius habemus in visceribus caritatis, tanto indignius ferendum erit et attentius corrigendum paterni auctoritate vigoris, si forsan duxeritis, quod absit, in eorundem iurium detentione illicita pertinaciter persistendum.

Dat. ut supra.

In eundem modum .. potestati et consilio Mutinensibus[1] usque: profiteri, quod terra Carpensis[2] iuris et proprietatis existit apostolice sedis nec umquam et cetera usque: possessori. Verum quia eandem terram in predicte sedis dispendium et animarum vestrarum periculum detinetis, ne hoc aliquatenus patiamur, cogit nos officii nostri debitum, quo irremissibiliter a nobis exigitur, etc. ut supra usque: persistendum.

Dat. ut supra.

II.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Noveris nos dilectis filiis .. potestatibus et consiliis Lucanis, Bononiensibus et Mutinensibus scribere in hec verba: .. potestati et consilio Lucanis. Efficaciori nequimus indicio[b] etc. usque: persistendum. In eundem modum .. potestati et consilio Mutinensibus pro terra Carpensi. In eundem modum .. potestati et consilio Bononiensibus[3], sicut scribitur Mutinensibus pro terra Carpensi, ita Bononiensibus pro Medicina[4] et Argellata[5].

52.

Innocentius IV papa Cremonenses obsecrat, ut attendentes, quot mala ex discordia patriae suae evenerint, Friderico II sublato de medio ad gremium ecclesiae redeant.

1251, Febr. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 83; Lib. VIII, cur. 14. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit, et cum altero, quod Papiensibus directum et ab authentico derivatum cum nonnullis levibus variantibus et aliquot mendis legitur apud Hahn, Coll. Monum. t. I, p. 180 [A].

Potthast, Reg. 15595; Berger 5282.

---

a) *sequitur iterum* terre. b) iudicio *R.*

1) *Qui ab a. 1249, Dec. 15 ecclesiae adhaerebant; cf. t. II, p. 481, not. 1.* 2) *Ex sept. Mutinae. Haec terra, Medicina et Argellata, ad hereditatem comitissae Mathildae pertinentes, ab Innocentio III a. 1215 et Honorio III a. 1217 Salinguerrae de Ferraria et a Friderico II a. 1245, Iun. filio eius concessae erant: Winkelmann, Phil. u. Otto IV t. II, p. 416; supra t. I, p. 23, n. 28; Winkelmann, Acta Imp. t. I, p. 787, n. 1011. Sed cf. etiam Potthast 5404 et 7905.* 3) *Ab initio discordiae papam secuti erant.* 4) *Ex or. Bononiae.* 5) *Ex sept. Bononiae.*

. . potestati, consilio et populo Cremonensibus spiritum consilii sanioris.

Tenera matris affectio de duris etiam filiis eam cogitare compellit, quia numquam sic genitrix natorum suorum potest excessibus provocari, quin ipsa nativi federis unione constricta de illis semper velut timens et pervigil meditetur. Sane liquet omnibus tam proximis quam remotis, quid reverentie, quid honoris exhibueritis hactenus ecclesie matri vestre; nullius namque oculos effugere potuit vestra circa ipsam obstinatio manifesta, contemptus vester notabilis et vestrorum cordium pertinatia tam prolixa. Diu siquidem extra suave ac salubre illius gremium tanquam exteri et degeneres evagantes, redire ad ipsum eiusque demulceri dulcedine ac mellifluis eiusdem ecclesie uberibus refici neglexistis, et licet ad vos sepe clamaverit, ut conversi ab invio ad suos lenes rediretis amplexus, sub benivolentie sue alis cum ceteris fidelibus confovendi, noluistis tamen vocem sue pie revocationis audire; non suffecit solum vobis reverende matrix[a] sinum despicere, immo ad gravioris exagerationem offense suis emulis suoque persecutori sevissimo adhesistis, qui vestris armatus telis fortius ad illius depressionem insiliit et contra devotos suos nocentiora patravit. Sed quamquam sic eidem iniuriosi fueritis et quasi filialis penitus devotionis obliti contra sue benignitatis clementiam usi fueritis duritia privignorum, ipsa tamen rancorem non retinet nec contra vos pro tot illatis induruit, ut renuat misereri. Sed tamquam propitiationis cellarium, miserationis camera et domicilium pietatis conservat in se misericordiam, parata semper libentius ignoscere quam punire. Unde nos, quos oportet ex apostolatus officio cunctorum saluti prospicere, quia per devia vos pergere cernimus, litteris clamamus et monitis, ut ad viam revertamini salutarem, regressuri ad caulam Dominicam et in communione ibi fidelium permansuri. Diutius etenim, quod mesti referimus, ab ecclesiastica fuistis unitate divisi et a convicinis vestris gravis interpositione discordie separati, minime advertentes dira discrimina, que huius occasione discidii contigerunt et possunt accidere in futurum. Nam ut clarius illius comprehendatis effectum, attendite, quesumus, ut viri sagaces et non prorsus ignorantie respersi caligine, quid ex huiusmodi dissensione consurgat. Patet namque, quod procedit exinde multa hominum cedes, crebra terrarum vastatio, antique subversio libertatis et totius contritio regionis. Cur igitur hec non inspicitis? Cur ad ista oculos non levatis? An in hostes debachari creditis, cum in vestros coindigenas desevitis? Certe non in extraneos sed in proximos vestros furitis, et quod est horribilius, in vestros consanguineos et affines, immo, ut exprimamus amplius, in vos ipsos, quia vix umquam aliis irrogatis dispendium, quin mox vobiscum illati feratis participium detrimenti. Ecce itaque, quales fructus vestra parit discordia! Ecce, cuiusmodi commodum vobis prestat et quale patrie affert lucrum! Solebat enim nobilis illa regio, bonorum quidem ubertate locuplex[b], inter ceteras prepollere, sed iam propter rerum carentiam nimia quasi extenuata macie tota pallet; propter quod olim per nostras vos litteras duximus exhortandos, quas universitati vestre mandavimus exhiberi, ut premissa circumspecte pensantes ad devotionem ecclesie redire ac firmam cum convicinis vestris reformare concordiam curaretis. Verum quia tum ille forsitan vos a pacis vinculo retrahebat, qui contra ecclesiam erecta cervice sibi ad illius offensam quos poterat sociabat, nos, pensantes quod eo iam sublato de medio impedimentum pacis potissimum est amotum, quare materiam excusationis, quod liberum non habeatis processum ad pacem, pretendere non potestis, providimus iterato vobis nostra super hoc monita destinare. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur,

---

a) *i. e.* matris. b) *ita R.*

attente, obsecrantes per sanguinem Iesu Christi, quatinus de vestra vestreque patrie salute sollicite cogitantes, considerantes insuper quot evenere mala et quot etiam sequi possunt, si remaneat patria ipsa scissa discordiis et pace sicut hactenus vacuata, providentes etiam quod Christianorum provincias tanta vestra dissentio scandalizat, et quod ad vestram communiter redundat infamiam, quod regionibus aliis in tranquillitate manentibus vestra solummodo bellorum fluctibus cernitur agitari, attendentes preterea quod etsi ecclesia multas interdum adversitates et varias patiatur, quia tamen recta semper intentione dirigitur, consequitur post tribulationes proventum et ipsius protector sua negotia felici consumatione concludit, ad ipsius ecclesie gremium sine tarditate qualibet puris animis redeatis et cum prefatis convicinis et compatriotis vestris pacem solidam reformantes vivatis ulterius molestiis devitatis concorditer cum eisdem, dantes iam vobis et aliis oportune quietis refrigerium, qui tanto tempore guerrarum estis et laboribus fatigati. Nos autem ad id studia nostra[a] dirigimus, ut tam vobis quam convicinis ipsis nec non et toti provincie salus, pax, honor et utilitas valeant provenire.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Papiensibus[1], Terdonensibus[b 2], Alexandrinis[3], Astensibus[4], Reginis, Taurinensibus, Vercellensibus, Pergamensibus, Paduanis[5].

53.

Innocentius IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut castrum Castellionis Ildebrandi, quod Eugubini contra conventionem inter ipsos et Perusinos habitam construxerint, demoliri faciat. *1251, Febr. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 43; Lib. VIII, 306. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5050.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Dilectorum filiorum . . potestatis, consilii et comunis Perusinorum, nobis et apostolice sedi devotorum, precibus benignius annuentes, mandamus, quatinus castrum Castellionis Ildebrandi[6], quod Eugubini contra conventionem habitam et firmatam inter ipsos et eosdem Eugubinos[c] asseruntur[d] construxisse, sicut noscitur irrationabiliter[e] esse constructum, facias, ut res poposcerit, demoliri.

Dat. Lugduni, V Idus Februarii, anno VIII°.

---

a) *ita A.; v̄r̄a R.* b) In e. m. pot. co. et pop. Terdoneñ *R.; ita infra quoque.* c) *ita R.:* Perusinos *B.* d) asserunt *R.* e) *litt.* ur ir *in loco raso alia tinctura.*

1) *De pace, quam iidem a. 1251 ineunte cum Mediolanensibus fecerunt, cf. Ann. Plac. Gib. a. 1251, SS. t. XVIII, p. 504.* 2) *Cf. Berger 4884 et 5092. Terdonenses a. 1251, Iun. 9 ecclesiae reconciliati erant; Potthast 14327; non reg.* 3) *De his cf. sub Aug. 21.* 4) *Cf. etiam sub Iun. 13.* 5) *Dubitamus, num nomina omnium civitatum, ad quas haec ep. missa est, registrata sint; Veronensis enim et Vicentina civitates in potestate Ezelini de Romano tum fuerunt; Ann. Veron. a. 1251; SS. t. XIX, p. 14; in Laudensi civitate pars ecclesiae tum demum, cum papa Mediolani esset [Iul. 1—Sept. 13], praevaluit; ibid. et Ann. Ian. SS. t. XVIII, p. 230; cf. Ann. Mediol. ap. Muratori, SS. t. XVI, p. 655.* 6) *Castiglione Aldorrandi e mer. civ. Gubbio.*

54.

Innocentius IV papa fratri Iohanni de Dist, capellano [Willelmi] regis Romanorum, significat litteras apostolicas de negotio crucis et aliis rebus contra Fr[idericum II] ipsi concessas etiam contra Conradum natum eius valere. — Eidem committit, ut in illis partibus Flandriae, in quibus idioma Teutonicum in usu generali esse dicatur, contra Conradum crucem praedicet. **1251, Febr. 10.**

Inn. IV Reg. Vol. II, 41; Lib. VIII, 287 et 288. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 567–568, n. 361 et 362 edidit.

Potthast, Reg. 14176 et 14177; Perlbach, Preuss. Reg. n. 352 et 353; Berger 5031 et 5032.

I.

Fratri Iohanni de Dist, capellano carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Romanorum.

Cum, sicut te accepimus intimante, nonnullas tibi litteras apostolice sedis et indulgentias contra quondam Fr., qui se pro imperatore Romanorum gerebat, suosque fautores tam super negotio crucis quam super aliis universalis ecclesie negotium contingentibus duxerimus concedendas[1], volumus et mandamus, ut id, quod tibi contra predictos per huiusmodi litteras et indulgentias mandabatur, contra Corradum natum eiusdem F. et suos fautores super premissis nichilominus exequaris[2].

Dat. Lugduni, IIII Idus Februarii, anno VIII°.

II.

Eidem.

Ut negotium generalis ecclesie, quod iam per Dei gratiam contra inimicos fidei convalescit, finem accipiat consumationis obtate, presentium tibi auctoritate committimus, ut in illis partibus Flandrie, in quibus esse dicitur in generali usu Theutonicum idioma, contra Corradum natum quondam F., qui se pro Romanorum imperatore gerebat, et suos fautores predices verbum crucis, prout alias tibi contra eundem F. dicimur concessisse[3].

Dat. ut supra[4].

55.

Innocentius IV papa cum Adelide nepte [Eberhardi] episcopi Constantiensis dispensat, ut cum Eberhardo de Wade fautore quondam Fr[iderici II], quarta affinitatis linea ipsam contingente, matrimonium consummare possit. **1251, Febr. 11.**

Inn. IV Reg. Vol. II, 46; Lib. VIII, 340. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5074.

Nobili mulieri Adelidi, nepti venerabilis fratris nostri .. episcopi Constantiensis.

Sepe Romanus pontifex, qui presidet omni iuri, supra ius omne dispensat, et tunc precipue, cum necessitas vel evidens utilitas id exposcit[a]. Cum igitur, sicut[b] venerabilis

---

a) exposuit *R.* b) sicut *superscr.*

1) *Cf. t. II, p. 479, n. 669 et p. 532, n. 719. Sed mandata Willelmo de Eyka ibid. sub n. 718 et 721 data ei quoque commissa esse verisimile est.* 2) *Cf. p. 35, not. 4.* 3) *Epistola, quae non superest, eodem fere tempore ac t. II, p. 532, n. 720 scripta videtur.* 4) *De eodem Iohanne cf. etiam Berger 4965; Potthast 14153.*

frater noster .. Constantiensis episcopus exposuit coram nobis, nobilis vir Heberardus de Wade[1] te, contingentem ipsum quarta affinitatis linea, desponsarit ac nequeat inter te ac ipsum nobilem absque dispensatione apostolica matrimonium consumari. nos, attendentes quod Gualterus et Gozavinius domini de Henels[a][2], episcopi predicti nepotes, quos idem nobilis in favorem quondam Fr. Romanorum imperatoris cepit et detinet carceri mancipatos, propter hoc possint restitui libertati et idem nobilis ad devotionem ecclesie revocari, eiusdem episcopi precibus inclinati, quod consumare possis matrimonium inchoatum cum nobili memorato — impedimento huiusmodi non obstante —, tecum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Lugduni, III Idus Februarii, anno VIII°[3].

56.

Innocentius IV papa capitulo Pergamensi nuntiat se cessionem Alberti de Tertio quondam Pergamensis electi cum instantia petitam ob ipsius salutem et ecclesiae utilitatem admisisse et A[lqisium] olim Ariminensem episcopum ad ecclesiam Pergamensem transtulisse: mandat, ut ei obediant. *1251, Febr. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 50; Lib. VIII, 370. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Berger 5104.

Capitulo Pergamensi.

Credita nobis in ecclesia Christi ministeriorum Dei dispensatio nunc precipue inter dispensatores, quisnam inveniri fidelis valeat, cui tutius committere debeamus bona Dominica, suadet accutius[b] disquirendum. Sed ad huiusmodi disquisitionis examen, quo super hoc intentionis nostre iudicium ordinatur, tempus, causam, personam et locum, secundum que pro rebus emergentibus sunt interdum nova capienda consilia, oportet in disceptationem prudentis considerationis adduci, et nunc per assumptionem, nunc per translationem providam a sede apostolica locorum sollicitudines sunt imponende personis et locis personarum ministeria providenda, ut ex personarum industria locorum crescat utilitas et ex oportunitate locorum personis succrescat facultas uberior se in hiis que Dei sunt utilius exercendi. Sane cum post petitam a nobis dilecti filii Alberti de Tertio[c] quondam Pergamensis electi[4] cum instantia cessionem ac denique impetratam, quam ipsius salus et ecclesie utilitas suggessit admitti, soluta esset a lege iuri[d] ecclesia Pergamensis, pectus nostrum de ipsius ecclesie ordinatione salubri urgens cura replevit, cum talis eidem esset preficienda persona, in cuius fide fida recumberet securitas subditorum ac per hoc promptius eidem intenderent in hiis, que ad animarum lucrum et augmentum catholice fidei pertinerent. Huius autem fructus proventum de venerabili fratre nostro A. olim Ariminensi, nunc vestro episcopo nobis spes non dubia repromisit, cum civitas Pergamensis eum de honesta genitorum stirpe protulerit ac nos per conversationem diutinam, qua familiariter nobis ipsius merita claruerunt, cum simus experti fide sincerum, vita preclarum, scientia preditum et tam in spiritualibus quam in temporalibus circum-

a) *fortasse* Henēls *R.* b) *ita R.* c) ītio *R., sed secunda litt.* t *minus perspicua.* d) *ita R.*

1) *Hunc fuisse credimus Eberardum de Walse [Waldsee, Würtemb. O. A. ex sept. civ. Ravensberg], qui in Wirtemb. U. B. t. IV saepe occurrit; cf. etiam Böhmer-Ficker 4521.* 2) *Hohenfels ex sept. et occ. civ. Überlingen. Walterus de Hohenvels testis reperitur sub chartis a. 1250, Febr. 16 Constantiae datis; Wirtemb. U. B. t. IV, p. 214–216, n. 1148 et 1149. Gozwinus de H. ibid. p. 7, n. 961 ad a. 1241. Cf. Hohenfelsische Regesten in Zeitschr. f. Gesch. d. Oberrheins t. II, p. 487.* 3) *A. 1250, Oct. 26 eidem commiserat, ut inter C[onradum] de Mazensiez [cf. Böhmer-Ficker 4533] et H. de Hiegunkirh Augustensis diocesis consanguineos suos per dispensationem matrimonialem pacem reformare posset; Berger 4891, cf. etiam 5057.* 4) *De hoc cf. t. II, p. 457, n. 641.*

spectum. Ideoque utilitate non solum privata sed etiam publica suggerente de fratrum nostrorum consilio eundem episcopum a vinculo quo Ariminensi tenebatur ecclesie absolutum ad Pergamensem ecclesiam transferentes, eidem ipsum concessimus in episcopum et pastorem, liberam sibi dantes licentiam ad ipsius Pergamensis ecclesie regimen transeundi: pro certo quippe tenemus, quod per ipsius sollicitudinem in populo civitatis Pergamensis libertas ecclesie, fides catholica et Christiana devotio salubria suscipient incrementa[1] et prefata ecclesia tam spiritualibus quam temporalibus proficiet institutis. Mandamus, quatinus eundem episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum recipientes in honore domini Iesu Christi, debitam eidem obedientiam et reverentiam impendatis, eius salubria mandata et monita suscipiendo devote ac humiliter observando. Alioquin sententiam, quam propter hoc rite etc. usque: observari.

Dat. Lugduni, III Idus Februarii, anno VIII°.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Pergamensis.

In eundem modum A. episcopo Pergamensi, verbis competenter mutatis, usque: observari. Mandamus, quatinus ad eandem ecclesiam divine gratie ac favoris apostolici presidio fretus accedas et super gregem tibi commissum iuxta pontificalis sollicitudinis debitum vigilanter intendas, ut cum apparuerit pastor pastorum, dignam ei dispensationis tue possis reddere rationem.

Dat. ut supra.

57.

Innocentius IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut cum Fuliginatibus sine consilio Perusinorum, devotorum ecclesïae, compositionem aliquam non admittat. *1251, Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 42; Lib. VIII, 297. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5041.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum, sicut tua discretio non ignorat, dilecti filii cives Perusini in nullo umquam a devotione sedis apostolice deviantes adeo gravia dampna et iniurias a degeneribus filiis civibus Fuliginatibus[2] sint perpessi, quod vix unquam absque dura penitentia debeant aboleri: nos, qui eisdem Perusinis adesse tenemur per congratulationem in prosperis et per conpassionis consortium in adversis, volentes ipsis super hiis consolationem quam possumus adhibere, discretionem tuam monendam duximus et hortandam, per apostolica tibi scripta districtius precipiendo mandantes, quatinus cum predictis Fuliginatibus sine ipsorum Perusinorum consilio et conscientia non admittas compositionem aliquam, nisi eis honorabilem et merito acceptandam, aut etiam super compositione tractatum, ut fideles pro fide ac devotione gratiam se invenisse letentur et infideles pro temeritatis sue audacia debita[a] stimulet penitudo.

Dat. Lugduni, Idibus Februarii, anno VIII°.

---

[a]) debitet *R.*

1) *Cf. sub n. 52.* 2) *Cf. sub a. 1251, Nov. 17. — Berardo archidiacono Fuliginati R[aynerius] S. Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis tunc legatus administrationem ecclesiae Fulig. in temporalibus et postea Petrus legatus ob devotionem eius et consanguineorum eius etiam in spiritualibus concesserat; papa id a. 1250, Nov. 9 confirmaverat; Berger 4904.*

58.

Innocentius IV papa universis archiepiscopis et episcopis et praelatis Lugdunenses commendat, apud quos, cum in Italia persecutionis procella excrevisset, magna veneratione susceptus sit et concilium celebraverit. *1251. Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 44; Lib. VIII, 316. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1251, § 16, contulimus cum Regestis et ex eis supplerimus.

Potthast, Reg. 14186; Berger 5060.

Universis archiepiscopis et episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ad quos etc.[a]

Lucida Lugdunensium devotio civium plena erga ecclesiam sinceritate corruscans sic tenaciter est ascribenda memorie, ut nulla exinde oblivione succedente tempore valeat aboleri. Sane urgente olim temporis qualitate, cum in Ytalie partibus contra ecclesiam ipsam procella persecutionis excresceret, providimus ad partes alias deliberato consilio declinare, ut defensioni catholice fidei et ecclesiastice libertatis dare possemus operam potiorem[1]; propter quod tempestatis Ytalice turbine devitato ad Cismontanam, ubi viget tranquilla requies et quieta tranquillitas, pervenimus regionem, eligentes pro mora nostra civitatem specialiter Lugdunensem, civitatem inquam titulo nobilitatis insignem, fidei puritate pollentem, pacis unione concordem, rerum affluentia locupletem et situ loci communem et habilem universis, in qua universali et celebri congregato concilio ac in eo ecclesie causa diligenter exposita contra tyrampnos et persecutores ipsius constanter processimus et super necessaria Terre Sancte ac imperii Romanie subventione nec non contra iminentes Tartarorum incursus et generaliter super statu ecclesie sollerti cum eodem concilio deliberatione prehabita duximus salubriter providendum.

Hec est utique civitas devotione conspicua, que generalis pastorem ecclesie et omnium fidelium spiritualem patrem cum magna veneratione suscepit ac ipsum cum fratribus ceterisque officialibus et familiaribus suis multipliciter honoravit. Huius quidem civitatis habitatores recte peculiares ecclesie filii vocari merentur, qui humilitate tractabiles, mansuetudine lenes, affectione benivoli et modestia compositi studuerunt eam ut matrem et dominam in omnibus revereri. Merito itaque apostolica sedes ipsos tamquam ex multimodo famulatu condignos ampliori amore complectitur, prosequitur uberiori favore ac erigit gratia potiori, ut ipsorum recognita et remunerata bonitas sit aliis ad ecclesie obsequia inductio efficax et effectivum[b] exemplar. Verum quia volumus, quod grata ipsorum merita non solum proximis sed remotis etiam innotescant, ut et apud illos clareant digna laude, providimus pro eis vobis nostras affectuosas litteras, devota ipsorum exponentes servitia, destinare, quia non solum per nos sed et per vos et alios profectum eorum procurare intendimus et honorem. Ideoque universitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatinus eosdem Lugdunenses cives, quos sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, quandocumque ad terras vel loca vestre iurisdictionis ipsos accedere vel exinde transire contigerit, habentes pro nostra et sedis apostolice reverentia tanquam filios ipsius sedis speciales precipue commendatos, et eos in personis et rebus favorabiliter protegentes ac de securo conductu, si necesse fuerit, in eundo et redeundo providentes eisdem, non permittatis ipsos a quoquam molestari aliquatenus vel offendi, et si super iniuriis vel quibuscunque negotiis iustitiam

a) *scil.* littere iste pervenerint. b) effectium *R.*

1) *De causa fugae eius cf. etiam n. 32.*

sibi fieri petiverint, illam eis a vestris subditis, cum super hoc vos requisiverint, faciatis plenarie sine mora et difficultate qualibet exhiberi, contradictores tam auctoritate nostra quam vestra sublato cuiuslibet appellationis obstaculo compescendo. Ceterum, quia eorum singulis esset difficile has litteras cum bulla nostra deferre, volumus atque precipimus, ut si tenorem vel transcriptum earum munitum sigillo . . archiepiscopi vel . . officialis aut . . decani seu . . archidiaconi Lugdunensium, qui pro tempore fuerint[a], vel alterius persone dignitatem habentis in ecclesia Lugdunensi vobis presentaverint, transcripto huiusmodi firmam adhibentes fidem, mandatum apostolicum, acsi litteras nostras reciperetis, exequi per omnia studeatis, preceptum nostrum super hiis omnibus sic efficaciter impleturi, quod de negligentia vel inobedientia, quam nullatenus impunitam preterire possemus, argui minime valeatis, sed de obedientia et diligentia, que laudem et premium consuevit acquirere, potius commendari.

Dat. Lugduni, Idibus Februarii, anno VIII°.[1]

59.

Innocentius IV papa dapiferum seniorem de Alzeia rogat, ut [Ottonem II] ducem Bawariae ad devotionem ecclesiae reducat, alioquin ab eo recedat. — Ludewicum natum ducis monet, ne pravis exemplis seducatur, sed consiliis fratris Henrici poenitentiarii sui acquiescat. — [Ottoni II] duci eundem fratrem Henricum, qui cum ipso de obsequio quod ecclesiae debeat tractaturus sit, commendat. *1251, Febr. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 84; Lib. VIII, cur. 23—24 bis. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Berger edidit.

Potthast, Reg. 14178—14180, falso sub Febr. 10; Berger 5291—5293; Koch-Wille, Reg. der Pfalzgr. 565 et 566.

I.

Nobili viro . . dapifero seniori de Alzeia[2].

Gaudemus in Domino super laudabilibus testimoniis, que de te gratanter accepimus, quod videlicet in sinceritate fidei erga Deum ad ipsius ecclesiam habes devotionis catholice puritatem. Ut autem bonorum tuorum facias alios ad tui meriti cumulum esse consortes, nobilitatem tuam rogamus attente, mandantes quatinus nobilem virum . . ducem Bawarie[3] inducas ad devotionem ecclesie sollicitis exhortationibus et reducas, eodem studio tuis simul et suis profectibus profecturus. Quod si salutaribus consiliis duritiam cordis obiecerit, divini iudicii aspernator, adime sibi tui favoris auxilium et recede ab homine se a Deo contumaciter avertente, sciens numquam prosperos habuisse progressus, qui Deum propter hominem reliquerunt.

Dat. Lugduni, Idibus Februarii, anno VIII°.

II.

Nobili viro Ludewico, nato ducis Bawarie.

Si felices cupis habere progressus et longevitate perfrui super terram, disce colere Deum in sinceritate fidei et eius ecclesiam sedule devotionis obsequio venerari, quia
Ps. 58, 5. si in his sine iniquitate cucurreris, dirigeris; nec te cuiusquam prave similitudinis

a) fuerint *R.*

1) *Aliae gratiae eisdem Febr. 14 concessae apud Berger 5061—5064; Potthast 14188—14191.* 2) *Wernero dapifero Ottonis comitis palatini Rheni et ducis Bawariae, de quo cf. t. II, p. 265, n. 357 et Berger 5013—5015 et 5046.* 3) *Socerum Conradi regis; de eodem Potthast 13944; cf. 13948.*

exempla seducant, quia recedentes a Deo nullis unquam successibus profecerunt. Audi ergo dilectum filium fratrem Henricum penitentiarium nostrum et sanis eius consiliis acquiesce.

Dat. ut supra.

III.

. . duci Bawarie[1].

Petitioni tue, qua nos sepe pulsasti, benigno condescendente affectu, quo saluti tue non desit oportuni consilii medicina, dilectum filium fratrem Henricum penitentiarium nostrum ad te duximus transmittendum, cui promptus assentias, tecum de anime tue remedio et devotionis obsequio quod Deo debes et eius ecclesie tractaturo, eique provideas de securo conducto, quo tutum accessum habeat et recessum.

Dat ut supra.

60.

Innocentius IV papa W[illelmum] regem Romanorum hortatur, ut praviloquiis aliquorum, qui caritatem, quam ad ecclesiam Romanam habeat, attenuare desiderent, auditum neget; nuntiat se in proximo ipsum ad coronam imperii sublimaturum esse.

1251, Febr. 15.

Inn. IV Reg. Vol. II, 83; Lib. VIII, cur. 15. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1251, § 9, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14195; Berger 5283.

W. regi Romanorum illustri.

Licet, postquam Dominus, servorum suorum humilium clamoribus excitatus, in christum suum ad liberandum devotos filios a iugo misere servitutis voluit te assumi, circa tuos profectus meditatione continua indefesse vigilaverit sedes apostolica mater tua, prout operum clara testimonia probaverunt: nunc tamen tanto amplius ad persone tue sublimationem [et][a] statum feliciter consumandum intendimus teque fovere proponimus auxiliis et favoribus oportunis, quanto prosperius negotium ecclesie ac imperii, circa quod multorum studia, que fervere debuerant, frigescebant, divina promovente dextera progressum attingit cum desiderio expectatum. Proinde, fili karissime, hortamur serenitatem tuam in Domino: labora sollicite per te ipsum et Excelsi dextere collabora, promove fideles in negotio, infideles ad fidem satage prudentia qua convenit revocare, gloriosius exinde proventurus ad Romani imperii diadema, quo te Deo propitio decorare tota intentione animi affectamus. Nec regalis excellentia credulitatis auditum accomodet praviloquiis aliquorum, in contrarium tibi forsan suggerentium et intendentium tortuosa veternosi calliditate serpentis venenum aliquod sinceris affectibus admiscere, ut eam, quam ad Romanam habes ecclesiam et qua ipsa te sincere complectitur, caritatem[b] attenuent vel remittant et tuam magnificentiam reddant in prosecutione imminentis negotii negligentem. Omni autem a talibus cautele studio serva[c] cor tuum, et aures tuas, ne blandis pareant susurronibus, spinis sepi, in ecclesie devotione crescere Eccli. 28, 28.
semper studens, que te pure dilexit et diligit ac materno affectu diligere non desistens ad coronam imperii Deo propitio ac vita comite in proximo sublimabit.

Dat. Lugduni, XV Kalendas Martii, anno VIII°.

a) et *deest R.* b) caritate *R.* c) seva *R.*

1) *Desiderantur verba* spiritum consilii sanioris; *cf. n. 69.*

61.

Innocentius IV papa Massiliensibus mandat, ut cum fratre Stephano capellano et poenitentiario suo, ad ipsos misso, de pacifico statu civitatis ipsorum et totius regionis studiose tractent, ei, quid super hoc intendant, plenius exponant et eius monitis obediant. Arelatensibus, olim prae aliis devotis, nunc in caritate refrigescentibus et forinseca et intrinseca vexatione turbatis, idem mandat. — Avinionensibus excommunicatis idem mandat.

1251, Febr. 16.

Inn. IV Reg. Vol. II, 85; Lib. VIII, cur. 25—27. Pertzii exemplaria, collata cum illis quae Berger edidit, contulimus cum Regestis.

Berger 5294—5296.

I.

. . potestati, consilio et populo Massiliensibus.

Devota satis erga Romanam ecclesiam vestra civitas extitit, et utinam semper in devotione concrescat! quia quos pleno affectu diligimus, multa cupimus sinceritate pollere; unde quod estis apostolice sedis devoti, letamur non modicum, et quanto amplius vestra nobis innotescat affectio, tanto gaudio replebimur potiori. Veruntamen etsi appendamus in lance providentie merita singulorum, ut eorum qualitatem attente deliberationis examine discernamus et in quoslibet secundum devotionis exhigentiam [a] premia dispensemus, considerantes tamen quod ex suscepto apostolatus officio cunctis existimus debitores, omnium indifferenter saluti prospicimus et pro salubri eorum statu sedulis cogitationibus occupamur, quamquam illorum comodis vigilantius nos intendere deceat, quos apud sedem eandem plus novimus meruisse. Quare de vestra utilitate solliciti ad vos tota cordis meditatione sepe convertimur, cum [b] et vestra servitia et cure pastoralis debitum, quod tenemur exolvere universis, ad id instanter nos moneant et inducant [1]. Cupientes igitur sub tranquillo et prospero statu vos vivere ac intus et extra civitatem eandem salutifera quiete proficere [2], dilectum filium fratrem Stephanum capellanum et penitentiarium nostrum, virum utique litteratum, honestum et in consiliis circumspectum, nobis et fratribus nostris carum quamplurimum sue merito probitatis, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, ut tractatum super hiis vobiscum habeat diligentem. Ideoque universitati vestre mandamus, quatinus super omnibus, que tranquillum et pacificum ac salubrem statum civitatis eiusdem et totius etiam regionis respiciunt, secum studiose tractantes sibique intentionem super hoc vestram plenius exponentes [c], ipsius consiliis et monitis humiliter intendatis, fidem ei super omnibus, que vobis ex parte nostra dixerit, adhibendo. Et ut per ipsum efficacius huiusmodi negotium executioni mandetur, noveritis nos sibi tractandi et ordinandi super eo vobiscum, prout expedire viderit, dedisse plenariam potestatem.

Dat. Lugduni, XIIII Kalendas Martii, anno VIII° [3].

II.

. . potestati, consilio et populo Arelatensibus.

Antiqua civitatis vestre devotio, qua erga Romanam ecclesiam claruistis, nostrum instanter sollicitat animum, ut de hiis, que vobis salutem et comodum afferunt, pro-

---

a) *ita R.* b) cum *ex correctura.* c) *Sequitur quarta pars versus vacua, non rasa, per quam linea directa eadem tinctura ducta est. Verbo* ipsius *incipit versus sequens.*

1) *A. 1250, Mart. 18 eisdem libertates, quas eis Henricus rex Cypri a. 1236, Mart. concesserat, confirmaverat; Potthast 13934.* 2) *Cf. Sternfeld, Karl v. Anjou p. 65 et 73.* 3) *A. 1251, Apr. 13 papa Massilienses excommunicavit; Matth. Paris. a. 1251; SS. t. XXVIII, p. 327.*

pensius cogitemus. Consuevit siquidem civitas ipsa circa sedem apostolicam multa sinceritate pollere, consuevit sedem ipsam velut dilecta ipsius filia in omnibus revereri, et inter civitates alias devotionis et fidei gestantes insignia Arelatensis quasi altius relucebat. Sed a salutifere[a] puritatis tramite aliquantulum hiis temporibus declinavit, et que antea grandi circa ecclesiam affectione fervebat, refrigescente in ea caritate cernitur nunc tepere. Verumtamen prisca filialis dilectio non sinit nos immemores esse vestri; unde acta vestra preterita non modicum placida[b] recolentes, postponere omnino non possumus, quantumcumque videamini a gestis prioribus divertisse, quin paterna de vestris utilitatibus attentione pensemus. Sane pro certo didicimus, quod molestias multiplices sustinetis et adeo forinseca vexatione turbamini, quod etiam intrinseca tollitur vobis quies[1]; propter quod statui vestro plurimum condolentes providimus salutare super hoc remedium adhibere. Quapropter dilectum filium fratrem Stephanum penitentiarium et capellanum nostrum etc. ut supra in proxima per totum[2].

III.

.. potestati, consilio et populo Avinionensibus spiritum consilii sanioris.

Licet quedam animi vestri duritia, per quam aversis interdum ab ecclesia oculis non rectis ipsam optutibus inspexistis, nos a procurandis utilitatibus vestris non modicum retrahat ac in vestre civitatis agendis merito reddat duros: quia tamen pater, quamvis graviter offensus a filiis, non potest versus ipsos tanto indurari rigore, ut quasi naturalem affectum in se prorsus extinguat et eis omnino precludat viscera pietatis, nos, qui fidelium omnium ex apostolatus officio curam gerimus, licet nonnumquam vestris forte culpis fuerimus provocati, nequaquam tamen sic possumus permoveri, quod quasi paterno amore deposito penitus immemores vestri simus; quin immo tamquam priora commissa minime recolentes, et vestri sepe memoriam facimus et de statu vestro sollicite cogitamus, parati semper apostolice vobis benignitatis ianuam aperire. Sane pro certo didicimus etc. ut supra in alia[3].

62.

Innocentius IV papa fratri Stephano ordinis Praedicatorum capellano et poenitentiario suo mandat, ut versus Provinciam accedens, de statu tranquillo eius cum praelatis et civitatibus illarum partium et senescalco et balivis et procuratoribus comitis Provinciae tractatum habeat; quicquid statuerit, se ratum habiturum esse. *1251, Febr. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 85; Lib. VIII, cur. 28. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Potthast, Reg. 14340, falso sub Iun. 21; Berger 5297.

Fratri Stephano de ordine Predicatorum, capellano et penitentiario nostro.

Incumbente nobis multitudine negotiorum innumera profundarum nimirum cogitationum varietate distrahimur, et quo magis nos omnibus impositum nobis apostolatus officium constituit debitores, eo attentius circa emergentia undique agenda nos convenit

a) salute *R.* b) *leg.* placita.

1) *Cf. Sternfeld, l. c. p. 55 et sequ.* 2) *Civitas a. 1251, Apr. 30 Carolo comiti Andegavensi et Provinciae se subiecit.* 3) *Civitas a. 1251, Mai. 10 Carolo se subiecit.*

vigilare. Unde, quia nostram simul in diversis locis nequimus presentiam exhibere, ad illa, in quibus non assumus personaliter, ne in eis vigilantia nostra desit, personas idoneas pensata discrete quantitate agendorum urgentium destinamus, per eas ibidem apostolice servitutis debitum exsolventes. Sane pro negotio pacis et fidei, ut specialiter in Provincia et circumadiacentibus partibus obtate proficeret, multipliciter hactenus apostolica sedes noscitur laborasse, maximum ad hoc impendendo studium et sumptus quamplurimos subeundo, et quia salubrem illarum partium statum et quietum totis affectibus cupimus, oportunam adhuc, ut provenire auctore Domino valeat, non cessamus sollertiam adhibere. Ideoque mandamus, quatinus versus Provinciam personaliter accedens super premisso negotio et aliis universis, que totius terre illius bonum et statum tranquillum respiciunt, diligentem iuxta datam tibi a Deo prudentiam cum prelatis et civitatibus illarum partium et . . senescalco et balivis ac procuratoribus dilecti filii nobilis viri . . comitis Provincie tractatum habere procures, ordinans et statuens auctoritate nostra super hiis omnibus cum prefatis prelatis, civitatibus, senescalco et aliis, que ad terre prefate salutem et pacem videris statuenda. Nos enim ratum et firmum habebimus, quicquid super hiis duxeris faciendum.

Dat. ut supra [1].

63.

Innocentius IV papa [Gertrudae] ducissae Austriae suadet, ut magistri Iacobi archidiaconi Laudunensis, capellani papae, exhibitoris praesentium, consilio acquiescens, Florentium de Hollandia, germanum W[illelmi] regis Romanorum, in maritum recipiat.

1251, Febr. 18.

Inn. IV Reg. Vol. II, 83—84; Lib. VIII, cur. 16. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 72 edidit.

Potthast, Reg. 14198; Berger 5284.

. . ducisse Austrie [2].

Progenitorum tuorum monumenta suadent, ut in sinceritate fidei erga Deum eius ecclesiam sacri cultus obsequio venereris, et nos gaudemus in Domino, quod, sicut accepimus, non degeneras in hoc a claritate parentum, set eos laudabili morum similitudine imitaris. Hausimus et nos quoque a predecessorum nostrorum exemplis sincere caritatis affectum, ad instar eorum te ac [a] domum tuam paterne dilectionis visceribus continentes ac tuorum zelantes profectuum [b] incrementa. Hinc itaque nos tui cura sollicitat, ut inter multos urgentium negotiorum turbines, quibus nostre occupationis instantia fatigatur, bonorum tuorum non immemores que tue sunt honorificentie cogitemus. Attendentes igitur quod tibi ac subditis tuis utiliter expedit inter difficultates, quas tibi citata presertim mundi malignitas ingerit, viri solatio non carere, quem fidum tui custodem habeas et contra adversantia protectorem, nobilitatem tuam rogamus attente ac sano consilio suademus, quatinus cum aliquo, qui tuo conubio congruat, matrimonium contrahas [et] [c] dilecti filii magistri Iacobi archidiaconi Laudunensis, capellani nostri, exhibitoris [d] presentium [3], in hac parte consilio acquiescens, in dilectum filium Florentium de Ollandia,

a) ad *R.* b) profectum *R.* c) et *deest R.* d) exhibitori *R.*

1) *Eodem die [Iohanni] archiepiscopo Arelatensi mandavit, ut Stephano super negotio pacis auxilium daret; in eundem modum episcopo Noviomensi [legas ut videtur Avinionensi], [Willelmo] archiepiscopo Narbonensi, [Benedicto] episcopo Massiliensi; Berger 5298. Eodem die simili modo senescalco et universis balivis et procuratoribus comitis Provinciae; Berger 5299.* 2) *Gertrudae viduae Hermanni VI marchionis de Baden; cf. p. 21, not. 1.* 3) *De quo cf. n. 66.*

carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris germanum, virum utique sicut accepimus tam forma quam moribus tuo conubio congruentem, dirigas vota tua, ipsum recipiens in maritum, ut tibi in Domino per commercium honestatis accrescens et coherens in spiritus unione, tuum fiat caput in Christo[a] et in gubernatione rei domestice adiutorium salutare.

Dat. Lugduni, XII Kalendas Martii, anno VIII°.

64.

Innocentius IV papa [Alberto] duci Saxoniae suadet, ut natam suam magnifice dotatam W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, in uxorem tradat. — Eidem suadet, ut natam quondam regis Daniae, neptem suam, W[illelmo] regi copulare studeat. 1251, Febr. 18.

Inn. IV Reg. Vol. II, 84: Lib. VIII, cur. 17 et 18. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Meerman, l. c. t. V, p. 74—75 edidit.

Potthast, Reg. 14199 et 14200; Berger 4285 et 4286.

I.

. . duci Saxonie[1].

Optantes toto desiderio te ad devotionem matris ecclesie advocare necnon et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, ad imperialis culminis fastigium Deo propitio in proximo sublimando, indissolubili vinculo counire, quo secum cor unum et anima eadem censearis: nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente ac sano tibi consilio suademus, quatinus nobilem mulierem . . natam tuam[2] dotatam magnifice, prout sponsam decet ad imperialis culminis fastigium assumendam, eidem regi velis tradere in uxorem, ut et tu glorieris te natam propriam imperialis celsitudinis fecisse consortem ac idem rex per eam utpote per individuam corporis sui partem[b] habere se gaudeat te parentem: quod utique, sicut indubitata fide speramus, tam tibi quam sibi proveniet dante Domino ad profectum.

Dat. ut supra.

II.

. . duci Saxonie.

Optantes etc. ut in proxima usque: suademus, quatinus nobilem mulierem natam clare memorie . . regis Datie[3], neptem tuam, eidem regi studeas nuptiali federe copulare, ut per hoc tibi vinculo amoris indissolubiliter alligatus, habeat te per indubitatam confidentiam in omnibus regni negotiis velut patrem, quod utique[c] tam tibi quam sibi ad utilitatis commodum et magnificentie gloriam proculdubio credimus profuturum.

Dat. ut supra[4].

---

a) Christum *R.*; *cf. 1. Cor. 11, 3.* b) patrem *R.* c) ubique *R.*

1) *Cf. n. 67.* 2) *Complures filias virgines dux habuit.* 3) *Erici IV, qui Iuttam filiam ducis a. 1239 in matrimonium duxerat.* 4) *Nimirum hae duae epp. non duci missae sed Iacobo archidiacono Laudunensi [cf. n. 67] commissae sunt, ut earum eam duci exhiberet, quam cognita eius voluntate convenire videret; cf. t. II, p. 336, not. 3.*

65.

Innocentius IV papa [Conradum] archiepiscopum Coloniensem laudat, quod in negotiis ecclesiae et W[illelmi] regis Romanorum praesertim hoc anno prosecutionis diligentiam habuerit; mandat, ut defuncto F[riderico II] oportunitatem non patiatur praeterire, sed regi indefesse assistat, eique iniungit, ut ad se veniat, de his rebus tractaturus. *1251, Febr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 84; Lib. VIII, cur. 19. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 76 edidit.

Potthast, Reg. 14201; Berger 5287.

. . archiepiscopo Coloniensi.

Non est preter spem, quam de tue fraternitatis sinceritate concepimus, etsi novam congratulationis materiam nobis attulerit, quod sicut carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris significare curavit et venerabilis frater noster . . episcopus Albanensis nobis retulit viva voce, in negotio ecclesie ac regis eiusdem eam hoc presertim anno prosecutionis diligentiam habuisti[1], que te probavit fidelem eiusdem negotii zelatorem, super quo sollicitudinem tuam dignis prosequimur laudibus et actionibus gratiarum. Sane, licet abundans sit sollicitare sollicitum et vigilem excitare, quia tamen de medio vite presentis F. quondam imperatore sublato rerum ex hoc suborta facilitas ad effectum promovet dictum negotium prosequentes, mandamus, quatinus oportunitatis Domino auxiliante provisam[a] non patiaris inutiliter preterire, sed sic cooperari studeas successuum casibus, qui ex superna dispositione concurrunt, dicto regi velut tue provectionis alumpno per indefessam sollertiam assistendo, quod idem rex te sui recognoscat precipuum promotorem ac sedes apostolica tuis ascribat titulis secuture prosperitatis augmentum et exinde interius te contineat in visceribus caritatis, tue super hoc devotionis obsequia libro illabilis memorie mandatura. Volumus insuper et mandamus, ut omni occasione postposita ad nos personaliter venire procures, super premissis et aliis nobiscum utiliter Deo propitio tractaturus[2].

Dat. ut supra[3].

66.

Innocentius IV papa magistro Iacobo archidiacono Laudunensi, capellano suo, mandat, ut assumpto fratre Theoderico magistro domus Teutonicorum Prusciae, qui linguam Teutonicam noverit, accedat ad duces, marchiones et comites imperii et eos ad devotionem ecclesiae revocare et ad homagium W[illelmo] regi Romanorum praestandum inducere studeat. — Archiepiscopis, episcopis et aliis praelatis Alamanniae Iacobum commendat. *1251, Febr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 84; Lib. VIII, cur. 20 et 21. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Meerman, l. c. t. V, p. 77—78 edidit.

Potthast, Reg. 14202 et 14203; Perlbach, Preuss. Reg. 355; Berger 5288 et 5289.

---

a) *ita R.*

1) *Usque ad Apr. a. 1250 legatus apostolicus in Teutonia fuerat, cui Petrus episcopus Albanensis in legationis officio successerat [cf. p. 32, not. 1]; aestate a. 1250 Willelmum regem in expeditione contra Conradum facta comitatus erat; Ann. Worm. SS. t. XVII, p. 52.* 2) *Non venit; cf. p. 31, not. 2.* 3) *De eodem cf. etiam Berger 5361.*

I.

Magistro Iacobo archidiacono Laudunensi, capellano nostro[1].

Cum venerabilis frater noster . . episcopus Albanensis multa bona et laudabilia testimonia de te retulerit coram nobis et fratribus nostris nosque diligentiam tuam didicerimus pluries per effectum, tuam ex hoc sollicitudinem commendamus, volentes te propter hoc, in quantum cum Deo poterimus, speciali gratia prosequi et favore, quam in commissis tibi negotiis et per tuam industriam prudenter promotis dinosceris incurrisse. Verum quia per te tanquam per probatum virum volumus eiusdem ecclesie negotia promoveri, discretionem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus, assumpto tecum fratre Theoderico[2] magistro domus Theutonicorum Pruscie, qui linguam novit Theutonicam, accedas ad duces, marchiones et comites imperii, revoces[a] eos ad devotionem ecclesie et ad prestandum homagium carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri efficaciter inducere satagas iuxta prudentiam a Domino tibi datam, nec expavescas onera ecclesie Romane subire, que te virum industrium comprobarunt ac filium in devotione sedis apostolice generosum.

Dat. ut supra.

II.

Archiepiscopis et episcopis et aliis ecclesiarum prelatis regni[b] Alamannie[c] presentes litteras inspecturis.

Cum dilectum filium magistrum Iacobum capellanum nostrum, archidiaconum Laudunensem, latorem presentium, de ipsius confisi prudentia pro negotiis ecclesie in regno promovendis Alammanie destinemus, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus ipsum tanquam specialem apostolice sedis nuntium prout convenit honorantes, eidem pro se, familia et evectionibus suis sufficienter necessaria ministretis, ita quod devotionem vestram inde merito commendemus.

Dat. ut supra.

67.

Innocentius IV papa [Albertum] ducem Saxoniae, cuius devotionem laudat, monet, ut W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, fidelitatis iuramentum praestet, cum Conradus vel aliquis filiorum Friderici nullum ius habeant in imperio, cuius non successione sed electione dignitas obtineatur; commendat ei magistrum Iacobum archidiaconum Laudunensem et fratrem Therricum praeceptorem ordinis Teutonicorum in Pruscia. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 85; Lib. VIII, cur. 31. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 79 edidit.

Potthast, Reg. 14204; Perlbach, l. c. 356; Berger 5300.

.. duci Saxonie[3].

Corde nostro in illa olim credulitate firmato, quod sicut genere nobilis, sic et virtute conspicuus habereris ac in mente sollicitus, quod ad Dei honorem esses ecclesie

---

a) *litt.* es *minus clarae in loco raso.* b) *ita in marg.;* regnum *in rubro.* c) *ita in marg.;* Alamanie *in rubro.*

1) *Natus Trecis [Potthast 18135], antea fuit archidiaconus Leodiensis [cf. t. II, p. 326, not. 3 et Potthast 13840], postea Urbanus IV papa.* 2) *De Gruningen, natione Suevo.* 3) *Quamquam hic et alii magni principes saeculares Teutoniae septentrionalis et orientalis Willelmum regem non agnoverant, excommunicati, ut ex verbis epistolarum elucet, non erant ideoque verba* spiritum consilii sanioris *apposita non sunt; cf. n. 64 et 69. Praecipue horum quoque principum gratia contra Conradum crucem hucusque praedicatam non esse credimus; cf. p. 35, not. 4 et t. II, p. 449, not. 1.*

in oportunitate devotus, delectabile nobis fuit te in Domino sincera caritate diligere ac illa promovere promptis affectibus, que tuis votis accedere videbamus. Huiusmodi autem specialis affectio durat in vobis et omnia suscipit incrementa sub illius occursu fiducie, quod tu, qui olim in nubilo studuisti per affectum esse lucis filius, haberi velis ad opus ecclesie in hoc sereno tempore magnifica et efficaci devotione preclarus, maxime (Ps. 117, 16.) cum dextera Domini faciente virtutem sublatus sit de medio ecclesie persecutor, cui quasi de quadam necessitate pro eo videbaris astringi, quod de filia tua sponsalia contraxeris cum eodem[1], licet sibi pro suis culpis ab ecclesie communione preciso nulla propter hoc affectio deberetur, sed esset penitus una cum predicta tua filia postponendus, eo quod secundum doctrinam in evangelica veritate traditam conditor et redemptor (Matth. 10, 37.) noster sit preferendus omnibus, patre ac matre, fratribus, sororibus et filiis pro sui nominis gloria derelictis. Quid ad ista, benedicte fili, aperte intelligis et manifeste cognoscis, quod multa hinc inde olim concurrerunt obstacula, ne Christiana religio debite pacis solatio foveretur et ne sancta Romana ecclesia fidelium mater per divinam providentiam instituta posset iuxta morem et votum illis intendere, que ad divinum honorem facerent et ad salutem gentium devotarum Altissimo redundarent. Quia vero per Dei gratiam cessantibus tenebris iam orbi terre plenitudo lucis advenit, ita ut catholicis principibus et tibi precipue sit facillimum, quod te habeat ecclesia pugilem et indevotorum ac rebellium magnificum depressorem: nobilitatem tuam affectuose rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus duce salutis angelo te ducem egregium et famosum ad illa dirigens, per que tua mater ecclesia exultationis plenitudine perfundatur, carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, sublimando in proximo ad fastigium imperialis honoris[2], te nulla interposita tarditate reddas omni devotione placitum et prestes eidem fidelitatis debite iuramentum, ita sibi patenter et potenter assistens, quod ipse tui favoris fultus auxilio in hiis, que sunt ad honorem ecclesie ac tranquillum statum imperii, possit triumphaliter Deo propitio prosperari, et exinde proveniat, quod ipse circa te ac tuos semper habere gaudeat benivolentiam specialem, et ecclesia, cui precipuus honor super hoc impenditur, tibi exinde ad condigna gratiarum premia teneatur. Nec aliquod super hiis pretextu Corradi vel alterius natorum ipsius Friderici consurgat obstaculum, cum ipsi nullum ius habeant in imperio, cuius non successione set electione dignitas obtinetur[3]. Ut autem super hiis plenius et clarius summam intentionis nostre percipias, dilectos filios magistrum Iacobum archidiaconum Laudunensem, capellanum nostrum, et fratrem Therricum preceptorem hospitalis Sancte Marie Teuthonicorum in Pruscia, viros utique discretos et providos ac nobis pro sue devotionis meritis gratos plurimum et acceptos, ad tuam presentiam destinamus, quibus super premissis fidem plenam adhibeas, et exprimas nobis per ipsorum prudentiam, quod in tua voluntate geritur et in desiderio continetur, habita certa fiducia quod in hiis, que secundum Deum tibi esse votiva senserimus, nos liberales et promptos cum paterna benignitate reddemus.

Dat. Lugduni, XI Kalendas Martii, anno VIII°[4].

68.

Innocentius IV papa [Henricum] marchionem Misnensem hortatur, ut licet Friderico II quadam necessitate astrictus fuerit, cum tamen matrimonium inter [Margaritam] filiam eius

1) *Cf. t. II, p. 322, n. 447.* 2) *Cf. n. 60.* 3) *Cf. t. II, p. 333, n. 467. Quamvis Conradus a. 1237 in regem legitime electus esset, ecclesia Romana eum 'regem' nunquam appellaverat.* 4) *A. 1252, Mart. 25 dux Willelmum regem elegit; Böhmer-Ficker 5066b.*

et [Albertum] natum marchionis consummari non possit, ad ecclesiam se convertat, eaque idem scribit quod duci Saxoniae in n. 67. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 86; Lib. VIII, cur. 32. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 82 edidit.

Potthast, Reg. 14205; Perlbach, l. c. 357; Berger 5301.

.. marchioni Misnensi[1].

Dudum habuit in votis ecclesia, quod inter sublimes personas Theutonie te potentia et nobilitate conspicuum in hiis, que ad ipsius honorem ac devotorum eius comodum redundarent, inveniret cum pia facilitate devotum; sed forsan id pro eo provenire non potuit, quia quondam persecutori ecclesie Frid. quasi de quadam necessitate tenebaris astrictus, cum ipse filiam suam in domo tua locaverit, ut filio tuo matrimoniali federe iungeretur[2]. Certe virum tanti nominis et virtutis, sicut tu esse diceris et videris, id impedire non debuit, quin conditori ac redemptori tuo te gratum et acceptum redderes, assistendo viriliter necessitatibus ecclesie, quam ipse creator omnium instituit et virtute sui preciosi sanguinis consecravit. Quid[a] ad ista, vir provide, vir intelligens et famose, cum dictus F., sicut divine voluntati placuit, iam de medio sit sublatus, adest tibi libera et plena facultas, ut quod olim circa reverentiam matris ecclesie omisisti, per tante devotionis effectum redimas, sicut decet tui nominis claritatem. Nec aliquod super hoc prestare debet obstaculum matrimonium memoratum: quod cum olim pro etatis defectu nequiverit nec possit hiis temporibus consumari, tu sicut vir[b] probate circumspectionis intelligis, quid de ipso tibi possit accrescere comodi vel honoris. Rogamus itaque nobilitatem tuam affectione qua possumus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus pro illius honore, qui te in multis extulit et multipliciter in prosperis ampliavit, animum tuum ad illa dirigens, per que dicta ecclesia gaudii plenitudine perfundatur, carissimo in Christo filio nostro etc. ut supra in proxima[3].

69.

Innocentius IV papa [Ottoni II] duci Bawariae excommunicato idem fere scribit, quod duci Saxoniae in n. 67; commendat ei fratrem Henricum ordinis Praedicatorum, poenitentiarium suum; nuntiat, nisi resipiscat, et ecclesiam et regem contra ipsum processuros esse. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 86; Lib. VIII, cur. 33. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 84 edidit.

Potthast, Reg. 14206; Berger 5302; Koch-Wille, Reg. der Pfalzgr. 567.

.. duci Bawarie spiritum consilii sanioris[4].

Dudum etc. ut supra usque: non potuit, quia quondam persecutor ecclesie F. tibi pre aliis ipsum timentibus erat illa de causa specialiter metuendus, quam tu prout creditur cum suspiriis sepe recogitas et multi etiam in mente sua non sine quadam horribilitate revolvunt. Cum autem merentium consolator Dominus multorum inductus lacrimis et lamentis tirampnum illum de medio substulerit et populo Christiano materiam

---

a) Qui *R.* b) vir sicut *R.*

1) *Cf. n. 21.* 2) *Cf. t. II, p. 258, n. 346 et 347.* 3) *A. 1252, Apr. regi se subiecit; Böhmer-Ficker 5076a.* 4) *Cf. n. 59.*

dederit multe tranquillitatis et pacis tibique plenam paraverit libertatem, quod robur tue potentie in virtutum exercitio magnifice valeas experiri: nobilitatem tuam omni qua possumus affectione rogamus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus in divinis beneplacitis exequendis tuam reverenter inclinando cervicem ad devotionem sancte Romane ecclesie matris tue promptis affectibus revertaris et carissimo in Christo filio nostro W. etc. ut supra usque: prosperari. Nec impedimentum aliquod super hiis pretextu Corradi aut alterius natorum supradicti Fr. proveniat, cum ipsi vel alter eorum nullum ius habeant etc. ut supra usque: obtinetur. Ut autem super hiis plenius et clarius summam intentionis nostre percipias, dilectum filium fratrem Henricum de ordine Predicatorum, penitentiarium nostrum [1], virum utique discretum et providum ac nobis pro sue devotionis meritis gratum plurimum et acceptum, ad tuam presentiam destinamus, cui super premissis fidem plenam adhibeas, et ita vigili mente perficias, quod pie tibi suggessimus in hac parte, ut dictus rex circa te ac tuos semper habere gaudeat benivolentiam specialem et ecclesia, cui precipuus super hoc honor impenditur [a], tibi exinde ad gratiosi favoris premia teneatur. Alioquin per eandem ecclesiam, quantum ipsa per se ac omnes devotos eius poterit, necnon per eundem regem contra te spiritualiter et temporaliter procedetur, ita quod tandem dextera divina triumphante cum multa spiritus anxietate percipies, quod inconsultum et periculosum extiterit exaltantis matris ecclesie amplexus felicissimos effugisse [b] et luce postposita te illis ingessisse [c] tenebris, in quibus et ruina temporalis haberi dinoscitur et perditionis eterne materia continetur.

Dat. ut supra.

70.

Innocentius IV papa [Agnetem] ducissam Bawariae rogat, ut [Ottonem II] ducem maritum suum ad devotionem ecclesiae reducat, ut W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, faveat et ei fidelitatis iuramentum praestet.

1251, Febr. 19.

Inn. IV Reg. Vol. II, 86; Lib. VIII, cur. 34. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 86 edidit.

Potthast, Reg. 14207; Berger 5303; Koch-Wille, l. c. 568, falso sub Apr. 21.

. . ducisse Bawarie.

Credimus, quod regis eterni benignitas illum tibi dederit intellectum, ut clare percipias et agnoscas, quod et temporalis prosperitas per ipsum acquiritur et eterna felicitas per eius gratiam obtinetur, vigilantibus in vanum et sua perdentibus consilia seu labores, qui sine ipso vivere gestiunt vel absque sue protectionis auxilio posse subsistere meditantur. Si autem, filia benedictionis et gratie, mentem tuam virtutum dominus luce talis intelligentie illustravit, nulla de causa in illum debes inclinare consensum, quod nobilis vir . . dux Bawarie, maritus tuus, diutius divine oculos maiestatis offendit, sancte matris ecclesie postponendo reverentiam et illis contra ipsam prestando auxilium vel favorem, qui si recte consideras, deberent ab eo non amabiles sed horribiles reputari. Rogamus itaque nobilitatem tuam in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus predictum virum tuum pro divini honore nominis sicut efficatius poteris exhorteris [d], ut piis monitis, que sibi per scripta nostra dreximus, sine alicuius dilationis

---

a) impeditur *R.* b) effugisset *R.* c) ingessise *R.* d) exhortans *R.*

1) *Etiam Iacobus archidiaconus Laudunensis ad eum destinatus est [cf. n. 78]; quem principes Teutoniae septentrionalis prius visitare papa voluisse videtur.*

ac difficultatis obstaculo acquiescat, redeundo ad devotionem ecclesie promptis affectibus ac carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, sublimando in proximo ad fastigium imperialis honoris, favorem exhibendo magnificum ac prestando fidelitatis debite iuramentum, ita quod ipsa ecclesia et idem rex sibi unanimiter ad fructuosi favoris premia teneantur et tu exinde coronam perhempnis glorie merearis, multis evitatis dispendiis, que specialiter ipsi duci et tibi etiam imminere poterunt, si, quod absit, idem dux ad Deum et ecclesiam converti negligat vel per devia erroris consueti discurrere non desistat.

Dat. ut supra.

71.

Innocentius IV papa [Ottoni] duci de Brunswic, qui dudum propter timorem Fr[iderici II] a devotione ecclesiae prohibitus sit, sed in W[illelmum] regem Romanorum, in proximo in imperatorem sublimandum, ab initio promotionis eius consenserit, idem mandat, quod duci Saxoniae in n. 67. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 86; Lib. VIII, cur. 35. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 88 edidit.

Potthast, Reg. 14208; Perlbach, l. c. 358; Berger 5304.

. . duci de Brunswic.

Fidelium mater ecclesia dudum in votis habuit, quod inter nobiles et sublimes personas etc. ut supra in littera marchionis Misnensis usque: non potuit, quia quondam persecutor ecclesie Fr. metuendus tibi sicut et multis aliis occurrebat. Quia vero divina providentia faciente ipso sublato de medio plena undique libertas occurrit, ut quod olim in mente latuit devotorum, nunc ad honorem Dei et ecclesie per effectum operum elucescat, nobilitatem tuam omni qua possumus affectione rogamus, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus duce salutis angelo te ducem egregium et famosum ad illa dirigens, per que sancta mater ecclesia exultationis plenitudine perfundatur, carissimo in Christo filio nostro W. illustri regi Romanorum, sublimando in proximo ad fastigium imperialis honoris, in quem liberaliter et laudabiliter sicut decuit a sue promotionis initio consensisti [1], nulla tarditate interposita studeas[a] sincera et efficaci devotione placere ac prestes eidem fidelitatis debite iuramentum et ita sibi patenter ac potenter assistas, quod ipse tui favoris fultus auxilio etc. ut in littera ducis Saxonie [2].

In eundem modum . . marchioni Brandeburgensi [3] usque: iniungentes, quatinus animum tuum ad illa dirigens, per que sancta mater ecclesia gaudii plenitudine perfundatur etc. ut supra in proxima [4].

72.

Innocentius IV papa [Mathildam] ducissam de Brunswic, cuius devotionem probatam laudat, monet, ut [Ottonem] maritum suum et duces, marchiones et nobiles alios

---

a) ''studeas ''interposita *R.*

1) *Num hoc verum sit, nescimus; electioni ipsi dux non interfuit. Neque credimus verbum 'consentire' a papa scriptum quicquam valere ad solvendam quaestionem, utrum in electione regis dux ius eligendi an consentiendi habuerit.* 2) *A. 1252, Ian. 25 Willelmus Elisabeth filiam ducis in matrimonium duxit; Böhmer-Ficker 5057a.* 3) *Iohanni; frater eius minor natu Otto III marchio suam epistolam recepisse videtur. Plerumque in rebus, quae utrumque contingebant, eis communiter scribebatur.* 4) *Ergo in hac quoque ep. verba* in quem — consensisti *extitisse videntur, sed cf. Böhmer-Ficker 5066b.*

sibi consanguinitate vel affinitate coniunctos inducat, ut sedi apostolicae devoti sint et W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, fidelitatis iuramentum praestent; commendat ei Iacobum et Theodericum ut in n. 67. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 87; Lib. VIII, cur. 40. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 89 edidit.

Potthast, Reg. 14209; Perlbach, l. c. 359; Berger 5309.

. . ducisse de Brunswic[a 1].

Multa corda fidelium, qui olim dies suos in amaritudine nimia deducebant, pietas Altissimi desiderabili iocunditate replevit, illum de medio tollens hominem, qui diversis mundi partibus gravem induxerat tempestatem, scilicet F. quondam imperatorem, cuius et suorum ingenio impediri non potuit, quin tu circa sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam pro divini honore nominis devota magnifice habearis, pia mente recogitans, quod tam clara et sollempnia merita tibi essent perhempnem gloriam paritura. Quia vero tibi augmentum divine benedictionis et humane laudis acquiritur, si puritas tue devotionis et fidei semper de bono in melius proficere videatur, nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus dilectum filium nobilem virum . . ducem de Brunswic, virum tuum, cui litteras speciales dirigimus, ut Deo et ecclesie per sincere devotionis studium se de cetero reddat acceptum, necnon duces, marchiones ac nobiles alios tibi consanguinitate vel affinitate coniunctos[2] inducas et induci facias diligenter, ut in eo cor nostrum sine mora letificent, quod et sedi apostolice per omnia sint devoti et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri etc.[b] ut supra usque: assistant, ita quod ipse propter hoc circa illos semper affectum habeat benivolentie specialis et ecclesia, cui precipuus in hac parte honor impenditur, eis exinde ad gratiosi favoris premia teneatur. Ceterum, filia benedictionis et gratie, ut super hiis plenius et clarius summam nostre intentionis agnoscas, dilectos filios[c] Iacobum archidiaconum Laudunensem, capellanum nostrum, et fratrem Theodoricum etc. ut supra in littera ducis Saxonie usque: acceptos, ad predicti ducis et tuam presentiam destinamus, quibus super premissis etc. ut supra in eadem usque in finem.

Dat. ut supra.

73.

Innocentius IV papa Gotifridum de Hoenloch, qui olim sine infamia et iactura devotus ecclesiae esse non potuerit, F[riderico II] sublato de medio ad devotionem ecclesiae revocat, eique idem mandat, quod duci Saxoniae in n. 67. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 86; Lib. VIII, cur. 36. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 96 edidit.

Potthast, Reg. 14213; Berger 5305.

Nobili viro Gotifrido de Hoenlach[d 3].

Frequenti relatu percepimus, quod grandem tibi Dominus dedit industriam, quod in amore et timore divini nominis delectaris, respuendo vitia et amplectendo virtutes ac etiam piis locis et personis ecclesiasticis oportuni presidium prestando favoris. Audi-

---

a) *ita in marg.;* Brunwic *in rubro.* b) *scil. ut in n. 75, quae epp. in Reg. antecedunt.* c) *verbum* magistrum *deest R.* d) *ita R.*

1) *Cf. t. II, p. 291, n. 399.* 2) *Omnium principum, quibus papa in n. 67—71 scripsit, consanguinea vel affinis erat.* 3) *Hohenlohe.*

vimus etiam, quod olim te libenter devotum reddidisses ecclesie, si hoc absque tua infamia potuisset et iactura multiplici provenisse. Cum autem plenus miseratione Dominus quondam F. imperatore sublato de medio tibi sicut et aliis fidelibus tempus indulxerit oportunum, in quo tue devotionis affectum omni abdicata formidine potes circa sanctam Romanam ecclesiam per effectum operis publicare: nobilitatem tuam affectuose rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus animum tuum ad illa dirigens, per que dicta ecclesia gaudii plenitudine perfundatur etc. ut in littera ducis Saxonie [1].

74.

Innocentius IV papa Warmacienses, F[riderico II] sublato de medio, ad devotionem ecclesiae revocat, eisque gratiam W[illelmi] regis Romanorum, in imperatorem in proximo sublimandi, promittit; cum Conradus vel alius filius F[riderici] nullum ius in imperio habeant, cuius non successione sed electione dignitas obtineatur, monet, ut W[illelmo] fidelitatis iuramentum praestent; alioquin ecclesiam cum rege contra eos processuram esse.

1251, Febr. 19.

Inn. IV Reg. Vol. II, 87; Lib. VIII, cur. 37. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 91 edidit.

Potthast, Reg. 14210; Berger 5306.

Consiliariis et populo Warmaciensibus [2].

Fidelium et infidelium intellexit universitas nationum, quod quondam F. imperator pro suis nephandis excessibus fuit ab unitate matris ecclesie segregatus et corona destitutus imperii, quam assecutus fuerat de ipsius gratia preminenti. Cum autem vobis inter alios de hiis non solum notitia competens sed plena provenerit certitudo, contigit erroris vitio vel necessitate timoris, quod vos contra Deum et ecclesiam adhesistis eidem et libertatem ecclesiasticam in multis graviter perturbastis. Quia vero misericors et miserator Dominus illum de medio substulit, finem imponendo suppliciis, quibus plurimos de numero fidelium affligebat, et iam nulla sunt vobis obstacula, quin[a] de malitie tenebris ad lucem innocentie transeatis, universitatem vestram affectuose rogandam duximus et monendam, mandantes ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus ad devotionem sancte matris ecclesie liberis et promptis affectibus redeatis, firmam habituri fiduciam, quod cum causa formidinis, que de ipsius F. tirampnide imminebat, vos reddat de preterita contumatia excusatos, pietas ecclesie, que semper gremium habet expositum pro receptione benivola penitentium filiorum, vos in amplexus suos affectu materno recipiat et gratiosi favoris affluentia confoveat, carissimo in Christo filio nostro W. illustri Romanorum rege, qui ad imperialis honoris fastigium est sublimandus in proximo, vos nichilominus in suam gratiam cum benignitate plenissima resumpturo. Super hac autem conversione felici vos non impediat inconsulte voluntatis arbitrium nec iniqua suggestio aliquorum, cum Corradus eiusdem F. filius nunquam rex extiterit nec potuerit vicem vel officium pro illo gerere, quem a regimine constat imperii auctoritate divina in Lugdunensi concilio cecidisse, ita quod dictus C. vel alter

a) quīa *R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 4530 et 4553.* 2) *Nescimus an verba* spiritum consilii sanioris *exciderint, cum civitas interdicto supposita esset; Ann. Worm. a. 1251, SS. t. XVII, p. 53; cf. etiam sub a. 1252, Apr. 3.*

natus eiusdem F. nullum ius habet in imperio, cuius non successione sed electione dignitas obtinetur. Ecce, dilecti nobis in Christo, clare vobis expressimus affectum apostolice pietatis. Unanimiter itaque ac letanter ad conplendum super conversione vestra nostram vel divinam potius voluntatem omni tarditate postposita festinetis, dicto regi prestantes fidelitatis debite iuramentum, quia si, quod absit, aliquam super hoc repugnantiam duxeritis opponendam, ecclesia confisa de divini virtute subsidii contra vos per se ac devotos suos sic procedere una cum rege predicto conabitur, quod per experientiam operis cognoscetis fuisse cautissimum, quod piis vocibus ipsius ecclesie humilis obedientie dedissetis auditum.

Dat. [ut supra][a].

In eundem modum consiliariis et populo Spirensibus.

In eundem modum consiliariis et populo de Oppenhem.

In eundem modum consiliariis et populo de Frankeforde.

In eundem modum consiliariis et populo de Gelnhusen[1].

In eundem modum universis consiliariis et populis civitatum, oppidorum et villarum Alammannie, ad quos etc[b].

75.

Innocentius IV papa consiliariis civitatum et villarum Alamanniae mandat, ut curam apponant, ut populus ad sinum ecclesiae redeat et W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, fidelitatis iuramentum praestet; alioquin ecclesiam et regem ipsos a gratia sua alienos facturos esse. — Idem consiliariis Spirensibus aliisque per litteras speciales scribit. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 87; Lib. VIII, cur. 38 et 39. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Meerman, l. c. t. V, p. 93 edidit.

Potthast, Reg. 14211; Berger 5307 et 5308.

I.

Consiliariis civitatum, oppidorum et villarum Alamanie, ad quos littere etc.

Nostri cordis affectum, quem vobis et populis per litteras speciales exprimimus, vestra de facili videre potest industria, si tamen faciente virtutum domino sit in vobis ratio luminosa. Rogamus vos itaque attentione qua possimus et obsecramus in Domino, mandantes ac in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus pro divini honore nominis omnem curam et diligentiam apponatis, quod predictus populus ad sinum sancte matris ecclesie omni tarditate postposita revertatur et carissimo in Christo filio nostro W. illustri regi Romanorum, sublimando in proximo ad imperialis honoris fastigium, prestet fidelitatis debite iuramentum ac eidem in omnibus patenter faveant[c] et potenter assistant[c], ita quod predicta ecclesia vobis et ipsis propter hoc ad gratiosi favoris premia teneatur et idem rex circa vos processu temporis habere possit affectum benivolentie specialis. Alias autem vobis graviter est timendum, quod et Deus, cuius in hac parte agi causa dinoscitur, in vos pro tanta culpa secundum sue potentie magnitudinem ulciscetur et ipsius ecclesia, que habet in votis devotos exaltare filios, vos pro vestra obstinata duritia una cum dicto rege reddet a sua gratia penitus alienos.

Dat. ut supra.

---

a) *verba* ut supra *desunt R.* b) *scil.* littere iste pervenerint. c) *ita R.*

1) *Hae civitates non ante mortem Conradi IV Willelmo regi se subiecerunt.*

II.

Consiliariis Spirensibus.

Nostri cordis affectum, quem vobis et populo Spirensi per litteras speciales etc. ut supra [usque][a] in finem.

In eundem modum consiliariis de Oppenhen.

In eundem modum consiliariis de Frankefordia.

In eundem modum consiliariis de Gelnhusen.

In eundem modum consiliariis de Vredemberg[b 1].

76.

Innocentius IV papa [Eberhardo] episcopo Constantiensi committit, ut omnes diocesis suae, qui ad ecclesiam redire voluerint, recipiat et absolvat, recepta cautione, quod W[illelmo] regi Romanorum, in imperatorem in proximo sublimando, fidelitatis iuramentum praestent. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 87; Lib. VIII, cur. 41. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 95 edidit.

Potthast, Reg. 14212; Berger 5310.

.. episcopo Constantiensi.

De puritate tue fidei ac de probata circumspectione confisi, presentium tibi auctoritate committimus, ut quicunque nobiles aut alii vel universitates castrorum et oppidorum seu villarum tue diocesis ad mandatum ecclesie redire voluerint, illos recipias et eis absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie largiaris, prius tamen ab ipsis sufficienti et idonea cautione recepta, quod in devotione sedis apostolice perseverent et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri, sublimando in proximo ad imperialis honoris fastigium, debite fidelitatis exhibeant iuramentum et eidem tanquam suo regi patenter faveant et potenter assistant.

Dat. ut supra[2].

77.

Innocentius IV papa [Rudolfo] episcopo Zuerinensi mandat, ut cessionem [Willelmi] episcopi Caminensis recipiat et capitulo Caminensi consilium tribuat, ut sibi de Hermanno nepote [Ottonis] ducis de Brunswic provideant; quod si non fecerint, ipse eum ecclesiae Caminensi praeficiat; neque vero ad promotionem Hermanni procedat, nisi prius W[illelmi] regis Romanorum assensum habuerit. *1251, Febr. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 47; Lib. VIII, 343. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 97 edidit.

Potthast, Reg. 14214; Berger 5077.

---

a) usque *deest R.* b) Vredemberḡ *R.*

1) *Friedberg; quae civitas circa a. 1252, Sept. Willelmo regi se subiecit; Böhmer-Ficker 5122a.*
2) *A. 1250, Aug. 25 papa Radulfo nuntio et procuratori episcopi Constantiensis ad preces ipsius episcopi, nobilis viri Walteri dicti Haco et universitatis civium Constantiensium ecclesiae devotorum gratiam fecerat; Berger 5350. A. 1249, Iul. 9 Willelmus rex eisdem civibus, cum primi inter alias civitates Sueviae suis et ecclesiae mandatis paruissent, concesserat, ut advocatia civitatis ab imperio aliquatenus non alienaretur; Böhmer-Ficker 4982; cf. 5197.*

. . episcopo Zuerinensi.

Cum venerabilis frater noster . . Caminensis episcopus nobis per suas litteras supplicarit, ut cessionem ipsius pro certis causis, quas in eisdem expressit litteris, recipere curaremus, et nos tibi demus nostris litteris in mandatis, ut cessionem ipsam recipiens vice nostra, capitulo Caminensis ecclesie auctoritate nostra precipias, ut infra competentem terminum, quem eis prefixeris, de pastore idoneo et apostolice sedi ac carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri devoto cum tuo consilio et assensu eidem ecclesie studeant canonice providere, alioquin tu extunc ipsi ecclesie personam idoneam et regi devotam eidem preficias eadem auctoritate in episcopum et pastorem: mandamus, quatinus eidem capitulo de dilecto filio Hermanno[1] nepote[2] nobilis viri . . ducis de Bruneswic, cuius sollicitudine, industria et potentia eadem ecclesia salubriter et prospere auctore Domino poterit gubernari, quod de ipso ecclesie provideant memorate, si prefatus rex eum acceptaverit, tuum consilium tribuas et assensum; quod si de illo sibi infra terminum, quem eis prefixeris, non providerint, tu extunc eundem H. auctoritate apostolica ipsi ecclesie in episcopum preficere non omittas, faciens sibi ab eodem capitulo et omnibus eiusdem ecclesie subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc. — privilegio quolibet seu indulgentia sedis apostolice non obstante. Quia enim imperii Romani negotium precipue insidet cordi nostro, propter quod ad illius promotionem vigilanter intendimus, modos et vias invenire studentes, quibus prospere dirigi valeat et optatum suscipere incrementum, ideo volumus et precipimus, ut nequaquam ad eiusdem H. promotionem procedas, nisi prius habeas eiusdem regis in hac parte consensum; illos namque in ecclesiarum prelatos prefici cupimus, qui dictum negotium velint et valeant efficaciter promovere.

Dat. Lugduni, XI Kalendas Martii, anno VIII°.

78.

Innocentius IV papa magistro Iacobo archidiacono Laudunensi, capellano suo, ad [Ottonem II] ducem Bavariae et quosdam nobiles et alios Alamanniae destinato, committit, ut contra universitates civitatum et villarum, quae monita ecclesiae respuerint et W[illelmo] regi Romanorum rebelles sint, spiritualiter et temporaliter procedat; de iis, qui ad ecclesiam redire voluerint, idem fere scribit quod in n. 76. 1251, Febr. 20.

Inn. IV Reg. Vol. II, 88—89; Lib. VIII, cur. 47. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 99 edidit.

Potthast, Reg. 14215; Berger 5316.

Magistro Iacobo archidiacono Laudunensi, capellano nostro.

Experientia docente percepimus, quod ex in[nato][a] divini timore nominis studiosius et animarum salutem omni virtute diligis ac libenter illa procuras et promoves[b], que redundant ad robur ecclesiastice libertatis. Cum itaque premissa experientia causam nobis dederit, quod te ad nobilis viri . . ducis Bavarie[3] et quorundam nobilium ac aliorum de Alamania presentiam destinemus, discretioni tue auctoritate presentium duximus committendum, quod si forte aliqua de universitatibus civitatum seu castrorum aut villarum partium earundem, que in devotione sedis apostolice non existunt, iuxta

---

a) in *R.* b) promoveas *R.*

1) *De Glichen, de quo cf. t. II, p. 247, n. 330 et p. 345, n. 489.* 2) *Infra in ep. a. 1254, Ian. 19 idem nepos [Elisabeth] reginae Romanorum appellatur, quae filia ducis fuit; neque vero Hermannus filius alicuius filiae ducis, qui uxorem suam circa a. 1228 in matrimonium duxerat, fuisse potest.* 3) *Cf. n. 69.*

et salubria nostra monita, quod absit, [respuendo][a] ad gremium sancte matris ecclesie non redierit reverenter et carissimo in Christo filio nostro W. illustri Romanorum regi, sublimando in proximo ad imperialis honoris fastigium, se oppositam reddiderit aut rebellem, tu contra ipsam et illos etiam, qui tam pium negotium impedire vel turbare presumpserint, per te ac etiam quoscunque religiosos et clericos seculares ad hoc idoneos, quos super hiis intendere tibi volumus et mandamus, spirituali et temporali districtione procedas, sicut videris expedire, — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint sine speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Illos autem ex nobilibus et aliis ac universitatibus supradictis, qui ad mandatum ecclesie redire voluerint, affectu benigno recipias et eis absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie largiaris et relaxes etiam interdictum in loca huiusmodi promulgatum, prius tamen ab ipsis sufficienti et idonea cautione recepta, quod in devotione sedis apostolice perseverent et predicto regi debite fidelitatis exhibeant iuramentum ac eidem patenter faveant et potenter assistant.

Dat. Lugduni, X Kalendas Martii, anno VIII°.

In eundem modum fratri Henrico de ordine Predicatorum, penitentiario nostro, usque: presumpserint, per te ac fratres tui ordinis et etiam clericos seculares etc. usque in finem.

79.

Innocentius IV papa Alberto canonico Basiliensi indulget, ut cum [Eberhardo] Constantiensi et [Bertholdo] Basiliensi episcopis in negotio ecclesiae fideliter astiterit, ei propter indevotionem R[udolfi] comitis de Habspurc, fratris ipsius, praeiudicium non generetur. *1251, Febr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 48; Lib. VIII, 353. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5087.

Alberto canonico Basiliensi, fratri nobilis viri .. comitis de Habspurc[1].

Cum tu, sicut[b] venerabiles fratres nostri .. Constantiensis et .. Basiliensis episcopi nobis significare curarunt, in negotio generalis ecclesie fideliter eis astiteris, personam et res tuas multis periculis exponendo, nos per hoc tibi auctoritate presentium indulgemus, ut propter indevotionem nobilis viri R. comitis de Habspurc[2], fratris tui, qui fautor hostium ecclesie dicitur, nullum tibi circa tua beneficia, quamdiu tu fueris ecclesie Romane devotus, preiudicium generetur — non obstantibus aliquibus litteris contra te obtentis super hoc a sede apostolica vel etiam obtinendis. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, X Kalendas Martii, anno VIII°[c].

80.

Innocentius IV papa [Sigeberto] episcopo Novariensi mandat, ut potestatem et commune Novariensium cum consensu consilii civitatis a quodam iuramento absolvat. *1251, Febr. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 48; Lib. VIII, 355. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5089.

---

a) respuendo *vel tale quid deest R.* b) sicut tu *R.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *Cf. t. II, p. 109, n. 144 et p. 279, n. 379.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 4547, 4557, 4558, 4589, 4591.*

. . episcopo Novariensi.

Cum, sicut accepimus, statutum sit in civitate Novarie ac iuramento firmatum, quod dilecto filio nobili viro G. potestati civitatis[a] ipsius ultra salarium taxatum pro se suisque officialibus recipere ac communi etiam exhibere non liceat, dictusque potestas ad reddendum rationem potestarie sue manere in civitate predicta per mensem continuum post terminum sui regiminis teneatur, mandamus, quatinus dictum potestatem atque commune cum consensu et voluntate consilii absolvas auctoritate nostra ab huiusmodi iuramento, alio super hiis adhibito moderamine, quod salva utilitate civitatis ipsius visum fuerit secundum honestatis convenientiam expedire.

Dat. Lugduni, X Kalendas Martii, anno VIII°[b].

81.

Innocentius IV papa Stephano nato quondam [Andreae II] regis Ungariae ad preces eius Laureti et de Combersano comitatus, Terlizae, S. Petri et Solitae villas et quandam terram Pennensis dioecesis, ad ipsum hereditario iure spectantia, quae quondam F[ridericus II] imperator alii contulerit, restituit. 1251, Febr. 25.

Inn. IV Reg. Vol. II, 49; Lib. VIII, 364. Exemplar, quod Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 207, n. 391 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14219; Berger 5098.

Nobili viro Stephano nato clare memorie . . regis Ungarie[1].

Ex clementia sedis apostolice consueta in gravaminibus subditorum et maxime nobilium relevandis tanto libentius diligentie studium adhibemus, quanto fidelitatem subditorum nostrorum per grata devotionis obsequia experimur. Hinc est, quod nos, attendentes sincere devotionis affectum, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, ac propter hoc volentes ut sedem eandem tibi sentias favorabilem et benignam, tuis supplicationibus inclinati, Laureti[2] et de Combersano[c 3] comitatus et Terlize[4], Sancti Petri[5] et Solite[6] villas cum eorum pertinentiis, nec non et terram quandam in Pennensi diocesi, ad te ut asseris hereditario iure spectantia, tibi tuisque successoribus, presertim cum regnum Sicilie rege nunc careat, — non obstante quod quondam F. Romanorum imperator predicta dicitur alii pro sue voluntatis libito contulisse — de gratia restituimus speciali, dummodo eadem ad alium vel alios non pertineant in devotione ipsius ecclesie persistentes. Nulli ergo etc. nostre restitutionis etc.

Dat. Lugduni, V Kalendas Martii, anno VIII°.

---

a) civitatis *superscr. alia tinctura.* b) Dat. ut supra *R.* c) Combersañ *R.*

1) *De hoc cf. t. II, p. 223, n. 299.* 2) *E mer. et or. civ. Penne. De Berardo comite Laureti cf. Böhmer-Ficker 924. Idem a. 1248 a Friderico II. mortis damnatus erat; Chron. Lauret. ined. in Collect. Mon. Germ. A. 1252 Conradus rex Friderico de Antiochia comitatus Albae, Celani et Laureti confirmavit et contulit, qui eodem anno comitatu et post obsessionem etiam castro Laureti potitus est; Böhmer-Ficker 4574 et Chron. Laur.* 3) *Conversano ex occ. civ. Monopoli.* 4) *Terlizzi e mer. et or. civ. Andriae.* 5) *Ut videtur S. Pietro in Galatina ex occ. civ. Otranto.* 6) *Soleto prope S. Petrum.*

82.

Innocentius IV papa scolastico S. Andreae Coloniensis terminandam committit quandam litem ortam de indulgentia papali, qua olim clericis, qui contra Aquenses crucem assumerent, concessum sit, ut per triennium beneficiorum suorum proventus in absentia perciperent. *1251, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 51; Lib. VIII, 375. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5109.

.. scolastico ecclesie sancti Andree Coloniensis.

Sua nobis Willelmus canonicus ecclesie Sancti Iohannis Traiectensis petitione monstravit, quod, cum clericis, qui contra Aquenses tunc quondam F. olim imperatori adherentes assumerent signum crucis, ut per triennium beneficiorum suorum proventus in absentia perciperent, duxerimus indulgendum, quondam Iohannes dictus Xancis ipsius ecclesie canonicus, licet contra dictos Aquenses crucem assumpserit, tamen contra eos non processit in expeditione Aquensi, sed votum suum redemit pro certa summa pecunie, que valorem trium librarum Turonensium non excedit. Huiusmodi autem concessionis pretextu heredes[a] ipsius Iohannis proventus prebende, quam in dicta ecclesia obtinuit et que dicto Willelmo est canonice assignata, contra iustitiam contendunt percipere in ipsius W. preiudicium et gravamen. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna providentia curaremus. Mandamus, quatinus, vocatis qui fuerint evocandi etc.[b] usque: observari. Testes autem etc.[1]

Dat. Lugduni, V Kalendas Martii, anno VIII°.

83.

Innocentius IV papa [Gunthero] magistro et fratribus ordinis Teutonicorum omnia bona in villis de Ratich et Zeltanc Treverensis diocesis sita, a Methildi relicta quondam Henrici comitis Seynensis a. 1250, Nov. 18 donata, confirmat. *1251, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 61—62; Lib. VIII, 449. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod, ut videtur ab authentico derivatum, Hennes, U. B. d. deutschen Ordens, t. II, p. 90, n. 88 edidit. Chartam insertam contulimus etiam cum transumpto a. 1262 ap. Beyer, Mittelrhein. U. B. t. III, p. 798, n. 1075.

Potthast, Reg. 14218; Berger 5186; Görz, Mittelrhein. Reg. t. III, n. 847.

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum Ierosolimitane.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod dilecta in Christo filia nobilis mulier M. comitissa quondam Seynensis[2] omnia bona cum quolibet iure proprietatis tunc ad ipsam in villis de Rarich[3] et de Zaeltanc[4] Treverensis diocesis pertinentia pro sue et clare memorie quondam .. comitis

---

a) heredis *R.* b) *Cum ep. ad eandem rem spectans in Reg. non antecedat, formula saepius omissa supplenda videtur, ut:* et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota statuas, faciens quod decreveris inviolabiliter observari; *cf. t. I, p. XVI, n. 13.*

1) *De re simili cf. t. II, p. 506, n. 683.* 2) *Cf. t. II, p. 518, n. 698.* 3) *Rachtig ad Moselam fl., Kr. Bernkastel.* 4) *Zeltingen ibid.*

Seynensis viri sui animarum salute vobis et per vos hospitali vestro pia liberalitate sub ea conditione donavit atque concessit in perpetuum, ut vos debita ipsius comitis de fructibus bonorum ipsorum plenarie persolvatis, prout in patentibus litteris inde confectis et sigillo eiusdem comitisse signatis plenius continetur. Nos[a], vestris supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi, sicut provide facta est et in alicuius preiudicium non redundat, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

Universis presentibus et futuris, ad quorum notitiam huiusmodi scriptum pervenerit, nobilis mulier Methildis relicta quondam nobilis viri Henrici comitis Seynensis salutem in Domino sempiternam. Quia inter alia opera pietatis illud apud Deum acceptius creditur, immo potissimum reputatur, quod pauperibus piis locis et creatori nostro per ipsos de pinguedine caritatis offertur, nos, attendentes quod religiosi viri dilecti nobis in Christo . . magister et fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane non solum sua pro hospitalitate servanda verum etiam exponunt iugiter pro eterni regis gloria semetipsos, negotium promovendo fidei et crucis inimicos totis viribus expugnando, eis dignum duximus aperire beneficientie nostre manus. Quare pro nostre et bone memorie domni Henrici comitis Seynensis viri nostri animarum salute omnia bona in Ratich et Zoltano Treverensis diocesis nunc ad nos pleno iure spectantia, que dictus comes una nobiscum ab . .[1] abbate et conventu de Gladembach[2] Coloniensis diocesis, reverendi patris domni . . archiepiscopi Coloniensis accedente consensu[3], emisse dinoscitur[4], cum decimis, parrochia et quolibet iure proprietatis donamus et irrevocabiliter in perpetuum concedimus magistro et fratribus supradictis, immo hospitali potius eorundem, tali conditione apposita, ut iidem magister et fratres plenarie debita comitis eiusdem persolvant de decimarum et aliorum predictorum bonorum fructibus, que ad parrochiam non pertinent memoratam, et hiis solutis extunc ipsi predicta bona possideant libere et ab omni onere absoluta. Testes autem sunt nobilis dominus Henricus de Arscheit, dominus Cunradus de Brisich, dapifer Lampertus de Novocastro, Henricus de Hysin et alii quamplures. Et ut presentibus litteris adhibeatur in posterum plena fides, eas sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Dat. apud Novum Castrum[5], anno Domini M°CC°L°, in octavis Sancti Martini.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, V Kalendas Martii, anno VIII°[6].

84.

Innocentius IV papa Philippo de Valkesten excommunicato idem fere mandat, quod duci Saxoniae in n. 67; commendat ei Henricum fratrem Praedicatorum, poenitentiarium suum, cui Philippus exprimat, quod in voluntate gerat. *1251, Mart. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89—90; Lib. VIII, cur. 58. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 101 edidit.

Potthast, Reg. 14224; Berger 5327.

Nobili viro Philippo de Walkesten[7] spiritum consilii sanioris.

Veridico relatu percepimus, quod tibi Dominus magnam dedit industriam et quod in amore ac timore divini nominis delectaris, contempnendo vitia et amplectendo virtutes

---

a) itaque *add. He.*

1) *Hermanno.* 2) *München-Gladbach.* 3) *Cf. Beyer t. III, p. 505.* 4) *Circa a. 1241; ibid. p. 549, n. 729; cf. p. 554, n. 735.* 5) *Neuerburg ad Wied fl., Kr. Neuwied.* 6) *Iam Ian. 20 papa hanc donationem confirmaverat; Potthast 14161a, non reg.* 7) *E mer. et occ. montis Donnersberg. Frater Philippi Wernerus de Bolandia Willelmo regi adhaerebat.*

ac etiam piis locis et personis ecclesiasticis oportuni presidium prestando favoris. Cum autem plenus miseratione Dominus, quondam F. imperatore sublato de medio, tibi sicut et aliis fidelibus tempus indulxerit oportunum, in quo pie devotionis affectum omni abdicata formidine potes circa sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam per effectum operis publicare, nobilitatem tuam affectuose rogandam duximus et monendam, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus animum tuum ad illa dirigens, per que dicta ecclesia gaudii plenitudine perfundatur, carissimo in Christo filio nostro W. illustri regi Romanorum, sublimando in proximo ad fastigium imperialis honoris, nulla interposita tarditate te reddas omni devotione placitum et prestes eidem fidelitatis debite iuramentum, ita sibi patenter et potenter assistens, quod ipse tui favoris auxilio in hiis, que sunt ad honorem ecclesie ac tranquillum statum imperii, possit triumphaliter Deo [propitio][a] prosperari, et[b] exinde proveniat, quod ipse circa te ac tuos semper habere gaudeat benivolentiam specialem, et ecclesia, cui precipuus super hoc honor impenditur[c], tibi exinde ad condigna gratiarum premia teneatur. Nec aliquod super hiis pretextu Corradi aut alterius natorum ipsius F. consurgat obstaculum, cum ipsi nullum ius habeant in imperio, cuius non successione set electione dignitas obtinetur. Ut autem super hiis plenius et clarius summam intentionis nostre percipias, dilectum filium fratrem Henricum de ordine Predicatorum, penitentiarium nostrum[1], virum utique discretum et providum ac nobis pro sue devotionis meritis gratum plurimum et acceptum, ad tuam presentiam destinamus, cui super premissis fidem plenam adhibeas, et exprimas nobis per eius prudentiam, quod in tua voluntate geritur et in desiderio continetur, habita certa fiducia, quod in hiis, que secundum Deum tibi esse votiva senserimus, nos liberales et promptos cum paterna benignitate reddemus.

Dat. Lugduni, II Nonas Martii, anno VIII°.

In eundem modum nobili viro Everardo de Erbestein[2].

In eundem modum[d] Henrico comiti Yrsuto[3].

In eundem modum nobili viro Philippo de Hohenvels[4].

85.

Innocentius IV papa fratri Rogero de Lentino ordinis Praedicatorum mandat, ut cum praelatis, baronibus et civitatibus insulae Siciliae pro bono statu eius tractatum habeat, ordinans quae ad pacem illius terrae statuendum viderit. *1251, Mart. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89; Lib. VIII, cur. 50. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Ripoll, Bullar. Praed. t. I, p. 189, n. 219 edidit.

Potthast, Reg. 14230; Berger 5319.

Fratri Rogerio de Lentinio[e][5] de ordine Predicatorum.

Incumbente nobis multitudine etc. ut supra in littera, que scribitur fratri Stephano penitentiario[f], usque: exolventes. Sane cum negotium regni Sicilie specialiter insideat

a) propitio *deest R.; cf. n. 67.* b) et *superscr.* c) impeditur *R.* d) *verba* nobili viro *non leguntur in R.* e) Roger̄ de Lentiñ *R., ita infra quoque;* de Lentinio *solvendum videtur propter n. 87:* de Leucinio. f) *n. 62.*

1) *Cf. n. 59, 69 et 78.* 2) *Sine dubio Eberhardo de Eberstein [ex or. cir. Baden-Baden], Conradi regis consiliario, qui etiam comes de Eberstein interdum vocabatur; cf. Böhmer-Ficker 4521, 4524, 4542.* 3) *A. 1251, Ian. 25 papa cum Conrado comite Hirsuto [consobrino Henrici], in praesentia sua constituto, et Benedicta nata comitis Silvestris de matrimonio contracto dispensaverat; Berger 5002; cf. t. II, p. 210, n. 280.* 4) *Ex occ. castri Falkenstein. Philippus imperialis aulae camerarius a. 1250. Iun.—Iul. Boppardiam contra Willelmum regem defenderat; Ann. Worm. SS. t. XVII, p. 52.* 5) *Lentini inter Cataneam et Syracusas. Hic unus ex nuntiis fuisse videtur, quos papa se missurum in n. 32 promiserat.*

cordi nostro, ad consolationem et relevationem eiusdem sollicitum apponimus studium et operam quantum possumus impendimus efficacem. Nam dum innumeras afflictiones illius recolimus et de variis eius angustiis cogitamus, in intimis quidem precordiis acuto dolore confodimur, acerbitatem suarum vehementium passionum participatione maxima sentientes. Verum quia quondam F. Romanorum imperatore sublato de medio, qui regnum ipsum innumeris gravaminibus opprimebat, tempus sue reformationis advenit, expedit, ut per nos et alios ad reparationem illius tota diligentia laboremus. Quia igitur negotii et circumstantiarum eius notitiam plenam habes, discretioni tue, de qua plene confidimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus cum prelatis, baronibus, militibus nec non et civitatum, castrorum et aliorum locorum communitatibus Sicilie tractatum pro bono et salubri ipsius Sicilie statu habeas diligentem, ordinans et statuens cum eis super hiis auctoritate nostra, que ad honorem sedis apostolice ac pacem et tranquillitatem illius terre videris statuenda. Nos enim gratum et ratum habebimus, quicquid in hac parte duxeris ordinandum.

Dat. Lugduni, Nonis Martii, anno VIII°.

86.

Innocentius IV papa baronibus et civitatibus insulae Siciliae excommunicatis mandat, ut cum fratre Rogero super reformatione Siciliae sollicite tractent. *1251, Mart. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89; Lib. VIII, cur. 51. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14231; Berger 5320.

Baronibus, militibus, civitatum, castrorum et aliorum locorum communitatibus[a] per Siciliam constitutis spiritum consilii sanioris.

Incumbente nobis etc. usque: laboremus. Ideoque dilecto filio fratri Rogerio de Lentinio de ordine Predicatorum, de cuius providentia et circumspectione plene confidimus, cum huiusmodi negotii et circumstantiarum eius notitiam habeat pleniorem, nostris dedimus litteris in mandatis, ut super reformatione ac restauratione Sicilie vobiscum tractatum habeat diligentem etc. usque: statuenda. Quocirca mandamus, quatinus eundem fratrem ob reverentiam sedis apostolice et nostram benigne recipientes, super premissis sollicite tractare curetis, sibi super hiis, que vobis ex parte nostra mandaverit, efficaciter intendendo. Nos enim gratum etc. usque: ordinandum.

Dat. ut supra[1].

87.

Innocentius IV papa eisdem mandat, ut nobili viro Rogero de Lentino, cui negotium Siciliae commissum sit, in omnibus efficaciter intendant. *1251, Mart. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89; Lib. VIII, cur. 52. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14232; Berger 5321.

---

a) *ita in marg.;* comitatibus *in rubro.*

1) *Mart. 10 universis praelatis Siciliae excommunicatis mandavit, ut fratrem Rogerum, cum per loca eorum transitum faceret, benigne reciperent et ei et sociis eius de necessariis providerent; Potthast 14238; Berger 5326. A. 1252, Febr. 7 papa provisionem Raynaldi episcopi Ostiensis confirmavit, qua Rogerum ecclesiae Melfiensi praefecerat; Lib. IX, 108; Potthast 14498; cf. 14483.*

Eisdem.

De prudentia, circumspectione ac fidelitate dilecti filii nobilis viri Rogerii de Leucinio[a][1] plenam in Domino fiduciam obtinentes, negotium Sicilie, quod specialiter insidet cordi nostro, sibi in devotione ecclesie persistenti duximus committendum, in remissionem ei peccaminum iniungentes, ut illud ad honorem et utilitatem apostolice sedis ac bonum et tranquillum et salubrem illius terre statum diligenter ac fideliter exequatur. Ideoque mandamus, quatinus sibi in omnibus, que vobis ex parte nostra iniunxerit, efficaciter intendatis.

Dat. ut supra.

88.

Innocentius IV papa fratri Rogero de Lentino mandat, ut Guerrerio de Squillacio, cum casale de Baropodio Militensis diocesis resignaverit, castrum S. Georgii eiusdem diocesis in feudum concedat. *1251, Mart. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89; Lib. VIII, cur. 53. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14228; Berger 5322.

Fratri Rogerio de Lentinio de ordine Predicatorum.

Volentes dilecto filio nobili viro Guerrerio de Squillacio[b] gratiam facere specialem, mandamus, quatinus, eo resignante casale de Baropodio[c] Militensis diocesis[2], castrum Sancti Georgii[3] eiusdem diocesis sibi in feudum auctoritate nostra concedas, dummodo ad alium non pertineat in devotione sedis apostolice persistentem.

Dat. ut supra[4].

89.

Innocentius IV papa ad preces Rodulfi nati comitis Gebennensis personaliter supplicantis quandam dispensationem matrimonialem pro pace inter quosdam milites diocesis Gratianopolitane reformanda concedit. *1251, Mart. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 54; Lib. VIII, 395. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Berger 5130.

Willelmo de Gado[5] militi Gratiopolitane[d] diocesis.

Cum, sicut accepimus, inter te ac Yscardum de Clais[6] militem Gratiopolitane diocesis gravis olim discordia orta esset: ut tandem huiusmodi discordia sedaretur, Margaritam filiam tuam Yscardeto nato ipsius Y. promisisti dare iuramento prestito in uxorem. Sed cum iidem quarta consanguinitatis linea se contingant, petivisti super hoc apostolice sedis gratiam adhiberi. Tuis igitur et dilecti filii nobilis viri Rodulfi nati

a) *ita R.* b) Squillac̄ *R.* c) *ita R.;* Saropodio *B.* d) *ita in marg.; in rubro* Granopolitane.

1) *Mart. 10 eidem exulanti officium comestabuliae, quod antecessores ipsius in insula Siciliae iure hereditario habuissent, in officium marescalciae commutatum commisit; eidem bona, quae ipse et antecessores tempore coronationis quondam Friderici II tenuissent, restituit; Berger 5317 et 5318; cf. n. 91.* 2) *Mart. 10 papa eidem casalia de Pammito et Baropodio Squillacencis et Militensis diocesum, quibus Fridericus II eum spoliarit, restituit; Berger 5133; de notis chronol. cf. N. A. t. X, p. 550.* 3) *E mer. et or. civ. Nicotera.* 4) *Mart. 11 papa Thomae de Fasanella exulanti casale Scordiae inferioris Syracusanae diocesis in feudum concessit; Berger 5145.* 5) *Gua, in valle fl. Draci e mer. civ. Grenoble.* 6) *Claix ibid.*

nobilis viri . . comitis Gebennensis[1], nobis super hoc personaliter supplicantis, cuius consanguineus diceris, precibus inclinati, quod predicti M. et Y. — impedimento huiusmodi non obstante — possint matrimonialiter copulari, cum ipsis auctoritate presentium de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo etc.

Dat. Lugduni, VIII Idus Martii, anno VIII°.

90.

Innocentius IV papa compositionem inter ordinem Teutonicorum ex parte una et Albertum archiepiscopum Livoniae et Prusciae ex altera mediantibus Petro Albanensi et Willelmo Sabinensi episcopis et Iohanne tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali a. 1251, Febr. 24 Lugduni factam confirmat, inserto tenore instrumenti.

1251, Mart. 9.

Inn. IV Reg. Vol. II, 68; Lib. VIII, 486. Exemplar, quod Theiner, Mon. Poloniae, t. I, p. 47, n. 99 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14233; Perlbach, Preuss. Reg. 365; Berger 5223.

.. magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Pruscia.

Ea, que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Sane cum inter vos ex parte una et venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Livonie et Pruscie super diversis articulis ex altera questio suborta fuisset, tandem mediantibus venerabilibus fratribus nostris P. Albanensi et W. Sabinensi episcopis et dilecto filio nostro I. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali amicabilis inter partes compositio intervenit, prout in litteris inde confectis et signatis episcoporum et cardinalis eorundem ac utriusque partis sigillis plenius continetur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, compositionem ipsam provide factam et ab utraque parte sponte receptam ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

Petrus[a] miseratione divina Albanensis et Guillelmus Sabinensis episcopi et Iohannes eadem gratia tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis universis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis salutem in nomine Iesu Christi. Noverit universitas vestra, quod inter venerabilem patrem Albertum archiepiscopum Livonie et Pruscie ac dilectos nobis in Christo Th[eodericum] magistrum[2] et fratres hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Pruscia et Curonia mediantibus nobis super diversis articulis questionum et iurium in hunc modum amicabilis compositio intervenit:

[1][b] Primo quidem, quod omnes iniurias et dampna illata archiepiscopo et sue familie a fratribus et e converso ipsi pro se et suis familiis sibi ex corde puro ad invicem penitus remiserunt.

[2] Et idem archiepiscopus permittet fratres ipsos redemptiones votorum libere accipere, sicut actenus[c] perceperunt et sicut eis per litteras apostolicas est indultum[3].

[3] Et ipse archiepiscopus, in quibuscumque potuerit, predicando et consulendo crucis et fidei negotium, quod per eosdem fratres in partibus illis agitur, diligenter et fideliter promovebit.

---

a) *Hoc instrumentum contulimus cum authentico ap. Watterich, Gründ. d. d. Ordensst. in Preussen p. 262, n. 32 [A.].* b) *Numeros nos apposuimus.* c) hactenus *A.*

1) *Guillelmi. Precibus Radulfi etiam Febr. 12 annuerat; Mart. 31 Willelmo clerico, nato [Willelmi] comitis, gratiam fecit; Berger 5056 et 5217.* 2) *De hoc cf. n. 66 et sequ.* 3) *Cf. Potthast 13898.*

[4] Nec impugnabit de cetero aut per aliquem impugnari faciet privilegia et libertates fratribus ab apostolica sede concessa, sed eos libere absque contradictione illis uti permittet, omnia ea rata habendo, quecumque per venerabilem patrem G.[a] Sabinensem, quondam Mutinensem, episcopum, tunc in supradictis partibus apostolice sedis legatum, per interpretationem vel alio quocumque modo ordinata existunt[1].

[5] Consentit etiam et expresse ratum habet ac semper habebit idem archiepiscopus, quod predicti fratres duas partes terrarum cum decimis habeant in partibus Prussie et Curonie[2].

[6] Similiter facient fratres de gratiis et indulgentiis ab apostolica sede concessis eidem archiepiscopo extra Curoniam et Prussiam, qui iurisdictionem archiepiscopalem per totam suam provinciam libere exercebit.

[7] Nec idem archiepiscopus procurabit aliquod malum fratrum ipsorum per se vel per alios litteris, opere vel sermone.

[8] Nec umquam cum aliquo vel aliquibus Christianis vel paganis societatem contrahet vel amicitiam contra eosdem fratres.

[9] Sepedicti autem fratres memoratum archiepiscopum, sicut convenit et iustum fuerit, honorabunt, nec contra iustitiam fovebunt excommunicatos et denuntiatos ab ipso, sed vitabunt eos, sicut de iure fuerit faciendum.

[10] Preterea, si pagani alicuius terre ad fidem converti voluerint, idem archiepiscopus cum episcopis et fratribus supradictis eos comiter et benigne suscipiet sub conditionibus tolerabilibus et honestis, in quorum receptione, si copia predicti archiepiscopi haberi non possit, fratres loco ipsius aliquem de suffraganeis eius assumant, qui cum ipsis fratribus negotium prosequatur[b], salvis tamen in omnibus supradictis privilegiis et indulgentiis ipsis fratribus ab apostolica sede concessis.

Pro hiis autem omnibus fideliter adimplendis et in perpetuum firmiter observandis partes hinc inde in presentia nostra se fide prestita corporaliter astrinxerunt. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presens scriptum sigillorum nostrorum munimine cum sigillis partium fecimus roborari.

Actum Lugduni, anno Domini M°CC°LI°, VI[c] Kalendas Martii, pontificatus domini Innocentii pape IIII anno VIII°.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lugduni, VII Idus Martii, anno VIII°[3].

91.

Innocentius IV papa Rogero de Lentino pro promovendo negotio in insula Siciliae ipsi commisso varias potestates concedit. *1251, Mart. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 89; Lib. VIII, cur. 54—56. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14235—14237; Berger 5323—5325.

---

a) Willelmum *A.* b) prosequantur *A.* c) VII *ap. Watt., perperam ut videtur: Strehlke, Tab. ord. Theut. p. 231, n. 245 legit in A.* VI.

1) *Cf. Perlbach n. 360 et 361.* 2) *Cf. ibid. et t. II, p. 5, n. 5.* 3) *Eodem die papa [Brunonem] episcopum Olomucensem conservatorem huius compositionis constituit; Berger 5224; Potthast 14234. — Iam a. 1250, Sept. 27 Albertum archiepiscopum legationis officio privaverat; aliam compositionem a cardinalibus illis inter archiepiscopum et ordinem a. 1251, Mart. 3 factam papa Mart. 14 confirmavit; Berger 4840 et 5229; Potthast 14066 et 14241; cf. 14242, non reg. Apparet papam Theoderico magistro et ordini tum magis favisse quam archiepiscopo.*

I.

Rogerio de Lentinio[1].

Ut negotium Sicilie, quod providentie tue duximus committendum, eo efficatius ad honorem et utilitatem apostolice sedis ac tranquillum et salubrem illius terre statum exequi valeas, quo per nos maiori fueris potestate munitus: nobilitati tue, quod omnes redditus civitatum, castrorum et aliorum locorum predicte Sicilie ad sedem pertinentes eandem libere ac integre percipere valeas, expendendos pro dicto negotio in illis partibus promovendo, auctoritate presentium duximus concedendum.

Dat. Lugduni, VI Idus Martii, anno VIII°.

II.

Eidem.

Ut negotium etc. usque: munitus: nobilitati tue, quod omnia bona rebellium Romane ecclesie in illis partibus, que durante guerra in bello vel alias ceperis, personis fidelibus et devotis ecclesie libere conferre valeas, auctoritate presentium duximus concedendum.

Dat. ut supra.

III.

Eidem.

Ut negotium etc. usque: munitus: nobilitati tue concedendi in partibus illis personis fidelibus et devotis eiusdem sedis feuda militaria, uni persone videlicet tantum unum, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra [2].

92.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati S. Galli concedit, ut clericos et laicos locorum de Alamannia, qui W[illelmo] regi Romanorum adhaerentes, ipsum abbatem in defensorem elegerint, ab excommunicatione absolvere possit, quam incurrerint quondam F[riderico II] adhaerendo. *1251, Mart. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 55; Lib. VIII, 402. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 104 edidit.

Potthast, Reg. 14239; Berger 5137.

.. abbati Sancti Galli.

Quia Romane ecclesie, que tanquam pia mater non claudit redeuntibus gremium, sed peccatoris querens reditum porrigit tabulam penitentie naufragis, licet immeriti presidentes, cupimus ad devotionem ipsius ecclesie oberrantes[a] ab ea qua decet sollicitudine revocare: discretioni tue, de qua gerimus in Domino plenam fiduciam, presentium auctoritate concedimus, ut quoslibet, tam clericos quam laicos, quorumcunque locorum de Alamania, qui carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri adherentes et prestantes tibi eiusdem regis nomine fidelitatis debite iuramentum, te in defensorem suum duxerint eligendum, possis ab excommunicationum sententiis, quas adherendo quondam F., qui se tunc pro imperatore gerebat, incurrisse noscuntur, ab-

---

a) oberantes *R.*

1) *Cf. n. 87.* 2) *A. 1251, Iun. 22 papa dominium castri Lentini Syracusanae diocesis, spectantis ad donationem ecclesiae Romanae, Guillelmo de Bulgaro civi Ianuensi concessit; Berger 5261 et 5262.*

solvere iuxta formam ecclesie vice nostra et relaxare interdicti sententias, si que in eorum terras fuerunt hac occasione prolate, ac dispensare cum eisdem clericis super irregularitate, si quam exinde forsitan contraxerunt, prout secundum Deum videris expedire, recepta prius a predictis de stando super hiis mandatis ecclesie sufficienti et idonea cautione. Liceat quoque tibi corpora mortuorum hominum eorundem locorum extra cimiteria ecclesie occasione huiusmodi tumulata ecclesiastice tradere sepulture[a], ac si sepulta fuerunt ibidem, in eis permittere remanere, dummodo manifesta signa penitentie precesserint in mortuis prenotatis. Quod si alique persone vel loca venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Constantiensem ac te pariter[1], ut premissum est, in defensores et capitaneos[2] duxerint eligendos, una cum ipso circa personas et loca eadem huiusmodi concessionis ministerium exequaris; contradictores etc.

Dat. Lugduni, IIII Idus Martii, anno VIII°.

93.

Innocentius IV papa Gerardo canonico Maguntino obtentu Gottifridi de Eppestein patris et bonae memoriae S[igefridi III] archiepiscopi Maguntini patrui ipsius indulget, ut ad praelaturas regni Alamanniae assumi possit. *1251. Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 61: Lib. VIII, 448. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis et ex eis supplerimus.

Berger 5185.

Gerardo canonico Maguntino.

Ad faciendam tibi gratiam specialem obtentu devotionis dilecti filii nobilis viri Gottifridi de Eppestein[3] patris et grata memoria bone memorie S. archiepiscopi Maguntini patrui tuorum inducti, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut ad aliquas dignitates, prelaturas et personatus, cum cura vel sine cura, per illos quorum interest in regno Alamanie possis eligi et assumi, quodque prelati ecclesiarum, religiosi sive seculares, et eorum capitula et conventus tibi de beneficiis ecclesiasticis, si sponte voluerint, valeant providere — non obstantibus aliquibus litteris specialibus vel generalibus super provisionibus aliquorum ab apostolica sede vel eius legatis sub quacunque forma vel expressione verborum obtentis aut etiam obtinendis [seu inhibitionibus][b] factis litterarum ipsarum auctoritate sive suspensionis sententiis in quoscumque prolatis, dummodo per obtentas litteras, inhibitiones aut suspensiones huiusmodi non sit ius alicui acquisitum. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lugduni, Idibus Martii, anno VIII°[4].

Datus est ei super hoc .. abbas monasterii Everbach[5] Maguntine diocesis conservator.

94.

Innocentius IV papa [Algisio] episcopo Pergamensi significat, quam sollicitus de pace Lombardiae sit; mandat, ut id Pergamensibus notum faciat eosque moneat, ut

a) *sequitur in R.:* ac si sepulture ac si sepulta *etc.* b) seu inhibitionibus *deest R.: cf. infra* litteras, inhibitiones seu suspensiones.

1) *Cf. infra sub n. 102.* 2) *Cf. civium Basiliensium 'defensorem seu capitaneum' in t. II.* 3) *Ex sept. et or. civ. Wiesbaden; cf. Berger 2744 et Böhmer-Ficker 4981 et 5117a.* 4) *A. 1253, Aug. 28 papa eidem Gerardo praeposito ecclesiae Frankenfordensis obtentu patris devoti ecclesiae gratiam fecit; Lib. XI, 141. Idem Gerardus a. 1289 archiepiscopus Maguntinus factus est.* 5) *Walterus.*

ad se, cum ad Urbem reversurus Ianuam pervenerit, ambassatores de pace reformanda instructos mittant, qui in festo ascensionis una cum episcopo compareant; nuntiat idem ceteris Lombardiae praelatis pro suis civitatibus scriptum esse. *1251, Mart. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 90; Lib. VIII, cur. 59. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5328.

. . episcopo Pergamensi.

Intendentes[1] versus Urbem pro ecclesie honore ac totius Italie utilitate Deo dante dirigere gressus nostros, et nolentes prorsus omittere, quin per Lombardiam transitum facientes de Lombardorum pace, quam multo ab eis tempore longa ipsorum[a] discordia profligavit, sollicite pertractemus, providimus nostras super hoc litteras ante nostrum adventum tamquam desiderii nostri in hac parte prenuntias[b] destinare, ut, intermedii temporis spatio salubri ab eisdem Lombardis deliberatione prehabita, nulla, postquam nos omnipotens dominus in Ytaliam sua benignitate reduxerit, in communis pacis negotio mora penitus ingeratur, set eo citius tunc consumationem illud optatam divina cooperante virtute suscipiat, quo interim iidem Lombardi tanquam eiusdem negotii prescii, utpote per ipsas premoniti litteras, pro illius complemento plenius se poterunt et melius preparare. Hoc siquidem noster precipue desiderat animus, ut regio illa diu bellorum attrita flagellis et assiduis concisa discordiis tranquillitatis restauretur dulcedine ac firme pacis federe solidetur[c]; non enim possumus absque multa cordis mestitia diuturna illius recogitare discrimina, que specialiter pro suis discidiis, quorum ipsamet nutrix et fautrix extitit, noscitur pertulisse. Propter quod tota mentis affectione cupimus, ut extincto inibi discordie fomite ac pacis seminario superfuso recreetur eadem regio in concordie plenitudine, mutuis hactenus molestiis fatigata, et sinceritate resarciatur amicitie, que divulsa conspicitur inimicitiis intestinis. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus nostrum in hoc ferventem affectum . . potestati, consilio et populo Pergamensibus diligenter exponens et ex parte nostra ipsis annuntians, quod ad omne bonum totius patrie ipsorum ardenter intendimus, quodque pre compassione nimia, qua Romana ecclesia erga illam pre tanta eius dissipatione movetur, ad reformandam inibi concordiam sic ex animo laboramus, cum adeo illic inoleverit odiosa dissensio, quod perpetuo ab eadem patria peregrinabitur amabilis caritas, nisi pacis illuc suffragio reducatur, ac eisdem insuper expresse protestans, quod cum concordem et tranquillum Lombardorum statum inter cetera desiderabilia diligamus et prompti et parati simus omnem opem et operam, ut provenire valeat, adhibere, ipsis utique imputabitur et eorum culpe merito ascribetur, si per ipsos tantum bonum remanserit imperfectum, et nos iuste apud Deum et homines erimus excusati: sollerter et instanter eos moneas et inducas ipsisque nichilominus auctoritate nostra precipias, ut nuntios et procuratores seu ambassatores sollempnes omni super hoc sufficientia premunitos, cum Ianuam pervenerimus, ad nos mittant, sic plenum habentes super pacis et concordie reformatione mandatum, quod propter aliquem ex eorum parte defectum tam necessarium tamque salubre negotium impediri nequeat aliquatenus vel differri. Volumus autem, ut tam tu quam iidem procuratores seu ambassatores in festo ascensionis Dominice proximo futuro[2] studeatis ibidem in nostra presentia comparere. Et ut comodius idem negotium tractari valeat et compleri, ordines studiose cum eis, ut cunctis de parte altera Lombardie plenariam securitatem exhibeant, ita quod omnes hinc inde tute undique ire valeant et redire, ac super securitate huiusmodi patentes et sufficientes eorum litteras confici facias, per tuum specialem nuntium dilecto

a) longo temporum *R.* b) *litt.* a *ex* o *corr.* c) solidatur *R.*

1) *Cf. n. 52.* 2) *Mai. 25.*

filio nostro O[ctaviano] Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali vel dilecto filio G[regorio] de Montelongo, apostolice sedis legatis[1], ut illas publicari faciant, dirigendas. Sub simili namque forma ceteris Lombardie prelatis pro singulis suis civitatibus nostras litteras destinamus[2].

Dat. Lugduni, Idibus Martii, anno VIII°.

95.

Innocentius IV papa [Blancham] reginam Francorum, quae per nuntium papae proposuerit, quod eum alloqui ante discessum eius de partibus Gallicanis desideret, rogat, ut hoc propositum deponat, cum ipsum accelerandae utilitatis necessitas et ardua ecclesiae negotia in Italiam revocent. *1251, Mart. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 90; Lib. VIII, cur. 60. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1251, § 19–22, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14247; Berger 5329.

.. regine Francorum illustri.

Nota nobis est patenter et cognita illius sinceritas caritatis, que erga Dei ecclesiam in animo tuo semper sic viguit et radicata sic viruit in sacro solio regni tui, ut nullis umquam malignitatibus ipsa arefacta deciderit, nec in extremis necessitatum articulis aliquem fervoris sui senserit tepefacta langorem. Notam quidem certo indicio et cognitam experimento probabili eandem non inmerito dicimus caritatem, quam tot inrefragabilia promptitudinis argumenta pronuntiant, tot afflictionum insignia signa probant, tot inrevincibilia operum testimonia manifestant. Hec quippe antiqua leguntur in libro illabilis memorie, quo apud sedem apostolicam meritoria cuiuslibet devotionis obsequia recoluntur, sed non per oblivionem ingratitudinis aliquatenus antiquata, que predicta sedes efficit sepe recensendo recentia, eaque apud se de cunctis temporum vicissitudinibus, ne cum his a moderne considerationis dilabantur aspectibus, congregata in conservationis sue thesauris precipuis consignavit. Verum inter cetera certitudinis documenta, quibus nobis se hactenus prodidit tua puritas, tuus ardor, nunc experimentum caritatis non ambigue obiecisti[a], mittens ad presentiam nostram nuntium fidelem, providum et prudentem, per quem[b] te ac regnum tuum, munificentia pietatis in Deum eiusque sponsam orthodoxam ecclesiam exuberans inter alia regna mundi, nostris et fratrum nostrorum beneplacitis[c] obtulisti. Et ut insuper Romana ecclesia mater tua de finibus tuis plenius a te salutata recederet teque divinis augeret benedictionibus et maternis dimitteret amplexibus letiorem, proposuisti per nuntium memoratum, quod nos flagranti desiderio videre affectes et alloqui ante discessum nostrum de partibus Gallicanis[3]. In tantum quidem ad hoc animum tuum bone voluntatis, ut accepimus, impellit

a) abiecisti *R.* b) que *R.* c) beneplacitum *R.*

1) *Hi non multo post legatione fungi desiisse videntur, fortasse eo quod papa ipse in Lombardiam venit; nam Octavianus [cf. n. 96] Iul. 3 legatus fuisse non videtur; Winkelmann, Acta t. I, p. 579, n. 733; et Nov. 10 in legatum Lombardiae denuo nominatus est; cf. sub a. 1253, Ian. 1. A. 1251, Nov. 29 papa electionem Gregorii in patriarcham Aquilegiensem ratam habuit; Lib. IX, 73; Potthast 14425.* 2) *Sed coram papa, qui Mai. 18—Iun. 25 vel 26 Ianuae erat, soli ambassatores nobilium et civitatum ecclesiae devotorum comparuerunt; Ann. Ianuen. a. 1251; SS. t. XVIII, p. 229.* 3) *Suspicamur reginam de cruciata Ludowici IX non prospere procedente cum papa loqui voluisse, qui Febr. 5 et 10 crucem contra Conradum IV regem predicari iusserat; n. 48 et 54; cf. Matthaei Paris. Chr. maiora a. 1251; SS. t. XXVIII p. 327.*

instinctus, quod te quamvis diuturnis corporalis egritudinis laboribus fatigatam necdum plene nature viribus redditam labor longioris itineris non deterret, quin per debilitatem membrorum, cordis adhortante vigore, nostris aspectibus pro Christi reverentia, quem[a] in eius vicario licet immerito sane fidei oculo consideras, quoquo advehendi conamine gestias presentari. Benedictus itaque Deus et pater domini Iesu Christi, omnisque laus iubilet nomini sancto eius, qui devotionem fidei catholice, qua regnum Francorum in suis dudum refulsit principibus, [in][b] te ac gloriosis fructibus ventris tui tanta integritate servavit, quod eius serenitas ex aliquo turbinis nubilo ulla mutationis in aliud detrimenta non sensit. Sed super hiis, que ex parte celsitudinis tue nobis sunt proposita et oblata, et que tanquam de prelo regie puritatis expressa munera pretiosa tota cordis alacritate suscepimus et omni acceptionis favore iudicavimus amplectenda, mansuetudini tue gratiarum exolvimus actiones, retributorem[c] omnium, quem per hec in nobis regalis pietas veneratur et colit, suppliciter implorantes, ut huiusmodi devote promptitudinis meritum signanter tibi reponat ad cumulum premiorum, quia certi sumus, nec est quo possimus fieri certiores, quod regie liberalitatis amplitudo magnifica sue affectionis pollicita libenter prosequeretur effectu. Nec mirum, si hec tibi suggerit fecunda innate devotionis benignitas, cuius fontem exuberantie multiplicitas non exaurit, in te quidem ab illustrissimis et Christianissimis traducta parentibus, deinde et in serenissimo reperta consorte ac demum per tue institutionis documenta salubria in divitem sobolem propagata, ut iam inviolabilis Christiane religionis sanctitas et fidei orthodoxe sinceritas tuis de cetero posteris de throno tuo videatur quasi hereditaria provenire.

Sane, karissima filia, hoc ex nobis nosse te volumus, quod ad mutuum conspectum atque colloquium votum nostrum adeo cum tuo voto concurrit, quod in loco tibi commodo ac vicino non piguisset nos desiderio tuo apostolice sedis afferre presentiam, ut ea iuxta posita sine aliquo laboriose profectionis incommodo fruereris, si id tempus admitteret et rerum incumbentium urgens necessitas pateretur. Quippe si nostre tibi ac tue nobis presentie commoditas proveniret captanda, sicut confidimus, ex sermone communi secundum Deum consilia orirentur. Sed importune nos in Italiam revocant accelerande utilitatis manifesta necessitas et ardua ecclesie Romane negotia, que de novis divine voluntatis dispositionibus emerserunt[1], ulteriorem non ferentia protractionem in hiis partibus more nostre sine certa iactura et discrimine manifesto. Impedit preter hec alterne visionis vota communia non iniusta formido de tua nos debilitate deterrens, ne tui convalescentiam corporis contingat ex aliquo motu inquietudinis retardari, ne dicamus incurrere, quod absit, periculum recidive. Cum tibi multorum salus de tua vita dependeat, servanda est et procuranda omni studio tanquam publica tua salus, et nobis, ne lesionis esse tibi possimus occasio, tanto diligentius est cavendum, quanto incolumitatem tuam ampliori zelamur affectu. Eam quidem fructuosam esse cognovimus tui regni profectibus, robori fidei ac munimini ecclesiastice libertatis, que gaudet sub tuo precipue se favore florere. Preferantur ergo tue cautela salutis et publica necessitas nos accelerans ad recessum, et his cedant equanimiter vota nostra, quibus ad mutue visionis alloquium utrinque laudabilis intentionis invitabantur affectus, et corporum absentiam spirituum in Domino presentia recompenset. Rogamus itaque celsitudinem tuam, ut itineris assumendi propositum omnino deponas, consistens et valens ac convalescens, filia in Domino benedicta. Augeatur indesinenter, quesumus, fervor tue devotionis in Deum et ecclesiam sanctam eius, que te semper in intimis sue dilectionis

---

a) quam *R.* b) in *deest R.* c) retributione *R.*

1) *Fortasse significat seditionem in regno Siciliae contra Manfredum circa mensem Mart. exortam; Böhmer-Ficker 4636a.*

visceribus continebit. Sit tibi, sit natis tuis nobis in veritate karissimis, sit quoque regno tuo gratia et pax a Deo patre nostro et domino Iesu Christo, quatinus per bona temporalia feliciter deducamini ad eterna et inconcussa stabilitate subsistat in secula thronus tuus.

Dat. Lugduni, XV Kalendas Aprilis, anno VIII°.

96.

Innocentius IV papa ducem et populum Venetorum rogat, ut Parmensibus ad requisitionem eorum vel O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis legati subsidium navale impendant. — Legato mandat, ut si id facere neglexerint, eos ad id compellat. *1251, Mart. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 91; Lib. VIII, cur. 61. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Berger 5330.

I.

.. duci et populo Venetorum.

Cum Parmensis civitas pro ecclesie devotione servanda et sua suorumque tuenda confidelium libertate contra incursiones se statuens quasi murum, percussiones innumeras pertulerit et flagella, et inconveniens quidem videretur et penitus inhumanum, si mater ecclesia tante sinceritatis filios tam oppressos abiecta quasi benignitate negligeret et de ipsius necessitatibus velut materne oblita diligentie non curaret: reprehensibile certe ac detestabile censeretur, si convicini, quos illi fedus colende societatis annexuit, ipsius dispendia sub dissimulatione notabili preterirent et suorum incendia vulnerum propriis subventionum postponerent lenire fomentis; propter quod et decet et expedit, ut ecclesia et illi, quos fidei titulus preclarus insignit, circa stabiliendum illorum statum stabili persecutione collapsum statim cogitent et instanter ac ei in oportunitate presenti de remediis provideant oportunis. Verum quoniam ad relevandum eorum casum reparandamque ruinam exigitur potissime manus vestra, vos precipue super hoc ex intimis precordiis duximus requirendos, licet sine omni hesitatione credamus vos absque nostra etiam requisitione de illorum relevatione cogitare sollicite ac ad eiusdem suffragium intendere diligenter, quia non est verisimile nec patitur solita probitas vestra credi, quod vos, quorum libertatem egregiam et ingenuam strenuitatem generalis preconii tuba clamat quorumque potentiam magnificam acta inclita continue attestantur, Parmenses cives, vestros proximos, immo fratres, in angusto positos relinquatis inconsultos tamquam incognitos et velut extraneos inadiutos. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ad restaurationem civitatis Parmensis, que specialiter de adiutorio vestro confidit, attentis vigilantes animis et sedulis studiis intendentes, ad requisitionem .. potestatis et communis civitatis eiusdem seu dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, vestrum navale subsidium eis pro totius salute patrie impendatis, ita quod vestro auxilio mediante eadem civitas, que sic oppressa extitit, restauretur [1]. Alioquin prefato cardinali litteris nostris iniungimus, ut vos ad id, si necesse fuerit, districtione qua convenit appellatione remota compellat — quocumque privilegio seu indulgentia sedis apostolice non obstante.

Dat. Lugduni, XII Kalendas Aprilis, anno VIII°.

1) *Parmenses inprimis inopia victualium pressi videntur; cf. Ann. Parm. et Ann. Placent. a. 1250; SS. t. XVIII, p. 676 et 499.*

II.

O. Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum Parmensis civitas pro ecclesie devotione servanda et sua suorumque tuenda confidelium libertate contra hostiles incursus etc. ut supra verbis competenter mutatis usque: restauretur. Ideoque mandamus, quatinus si dicti dux et populus[a] mandatum nostrum neglexerint adimplere etc. ut supra usque in finem.

97.

Innocentius IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato scribit sibi placere, quod litteras apostolicas [Adiuto] episcopo Fanensi de custodia marchiae Anconitanae missas retinuerit, eique licere, ut epistolas de custodia Ducatus et Patrimonii in Tuscia aliis episcopis missas revocet; mandat, ut negotium regni Siciliae efficaciter prosequatur. *1251, Mart. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 91; Lib. VIII, cur. 64. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5333.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Quia sublato de medio F. quondam Romanorum imperatore impedimentum potissimum, quod negotio regni Sicilie obviabat, sublatum extitit, propter quod habilior redditus fuit aditus ad idem negotium exequendum: nos, cum multa et gravia incumbant tibi, circa que[b] sollicite te convenit vigilare, ne posses[c] illorum pretextu in eiusdem prosecutione negotii, specialiter quoad ingressum regni prefati, aliquatenus impediri, custodiam marchie Anconitane, ducatus Spoleti et Patrimonii[d] beati Petri in Tuscia certis episcopis duximus per nostras litteras committendam, ut in premisso negotio eo expeditior habereris, quo magis esses alleviatus in aliis per idoneos adiutores. Nec tamen nostre intentionis extitit terras illas propter hoc a tua cura subducere, quin immo in eisdem litteris episcopis predictis iniunximus, ut in omnibus te requirerent tibique prorsus intendere procurarent. Unde, quod litteras, quas venerabili fratri nostro . . Fanensi episcopo super custodia eiusdem marchie mittebamus[1], retinuisti penes te, ut scripsisti nobis, non permittens illas eidem episcopo presentari, plurimum placet nobis, et alias nichilominus, que super eisdem ducatu et Patrimonio aliis episcopis sunt directe, poteris, si expedire videris, revocare[2]. Ideoque mandamus, quatinus memoratum negotium in fortitudine animi sic efficaciter prosequaris, quod illud valeas[e] gratia tibi cooperante divina fine concludere concupito, certus semper existens quod de tuo honore solliciti assidue illum toto intendimus studio conservare[3].

Dat. Lugduni, XII Kalendas Aprilis, anno VIII°.

a) populum *R.* b) cura qua *R.* c) posset *R.* d) Patrimonium *R.* e) valeat *R.*

1) *Cf. n. 39.* 2) *Hae epistolae non supersunt. In Ducatu ergo et Patrimonio b. Petri in Tuscia Petro officium rectoris [cf. t. II, n. 681 III et VI] subtractum est.* 3) *Petrus legatus a. 1251, Mart. 27 et Apr. 1 Asculi erat, Ughelli, It. sacra t. I, p. 465, 1140—1141; Apr. 24 Asculi, Reg. Firmana p. 389, n. 175; Apr. 30 in castris apud Piscariam, Ughelli t. VI, p. 726; Sept. 22 Hadriae, Palma, Storia della dioc. Aprut. II, p. 17; Oct. 6 S. Elpidii, Compagnoni, La Reggia Picena p. 117; Oct. 18 Aesii, Ciavarini, Collez. Marchig. t. II, p. 205, n. 167. Non multo post legatione fungi desiit; cf. n. 125.*

98.

Innocentius IV papa [Reginaldo] episcopo Parisiensi concedit, ut B[lancham] reginam Franciae super eo absolvat, quod quondam F[riderico II] post depositionem eius tamquam imperatori scripserit. *1251, Mart. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 91; Lib. VIII, cur. 63. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5332.

. . episcopo Parisiensi.

Presentium tibi auctoritate concedimus, quatinus audita confessione carissime in Christo filie nostre B. regine Francie illustris super eo, quod quondam F. imperatori post latam in eum depositionis sententiam scripsit tamquam imperatori et recepit litteras ab eodem, ac aliis peccatis suis, quotiens oportunum fuerit, ei vice nostra beneficium absolutionis impendas et iniungas sibi penitentiam salutarem.

Dat. Lugduni, VIIII Kalendas Aprilis, anno VIII°.

99.

Innocentius IV papa [Guillelmo] electo Aretino mandat, ut inhibeat, ne potestates et rectores, qui in Tuscia per quondam F[ridericum II] et F[ridericum] naturalem eius de facto instituti sint, officiis fungantur. *1251, Mart. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 91; Lib. VIII, cur. 65. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5334.

. . electo Aretino.

Cum, sicut accepimus, nonnulli in civitatibus, castris et locis aliis Tuscie per quondam F. se tunc pro imperatore gerentem et F.[1] naturalem ipsius in potestates et rectores instituti de facto dicantur, nos, volentes talibus provinciam ipsam purgari, ut per eos ibi pacis non valeat impediri profectus, [mandamus, quatinus][a] ipsis, ne de potestariarum aut rectoriarum officiis, que detinent in suarum aliorumque dispendium animarum, se aliquatenus intromittant, cum ea per auctores illegitimos illegitime sint adepti, et locorum ipsorum communibus et incolis, ne salarium illis impendere aut eis intendere presumant, firmiter inhibere procures, ipsos ad hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo[2].

Dat. Lugduni, VII Kalendas Aprilis, anno VIII°[3].

100.

Innocentius IV papa nobiles Sueviae, ecclesiae devotos, esse vult certos quondam F[riderici II] subolem nunquam ad Romanorum regnum vel imperium seu Sueviae principatum consurrecturam esse ex permissione sedis apostolicae. *1251, Mart. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 92; Lib. VIII, cur. 67. Pertzii exemplar contulimus cum altero, quod M. Marini eidem ex Regestis descriptum dedicavit.

Potthast, Reg. 14258; Berger 5336; Wirtemb. U. B. t. IV, p. 257, n. 1189.

a) mandamus, quatinus *deest R.*

1) *Fridericum de Antiochia, de quo cf. t. II, p. 292, not. 4. In instrumentis suis vicarius generalis Tusciae ultimo vocatur a. 1250, Oct. 9; Ficker, Forsch. z. Gesch. Ital. t. II, p. 516.* 2) *A. 1252, Sept. 25 eidem electo confirmavit excommunicationis et interdicti sententias contra potestatem, consilium et commune castri de Cortona latas, quia eidem super quibusdam iuribus episcopo Aretino exhibendis et de non assumendo aliquem in rectorem, nisi quem episcopus Aretinus nominasset, parere contemnerent; Lib. X, 258.* 3) *De electo cf. etiam Berger 5114–5116, 5119, 5415.*

Nobilibus Suavie, ecclesie Romane devotis[a].

Herode sublato, qui Christi animam in animabus fidelium impie perdere nitebatur, hereditario iure paterne tyrampnidis principatum alter sibi vindicat Archelaus, propter quod adhuc matrem oportet ecclesiam devotorum suorum precavere periculis ac dexteram protectionis extendere in filiorum presidium contra eos, qui adversus Dominum et adversus christum eius in sua superbia eriguntur. Hinc est, quod nos, volentes in prosecutione catholice libertatis et proprie animorum vestrorum constantiam roborare, universitatem vestram volumus esse certam, quatinus quondam F., qui olim pro imperatore se gessit, soboles, nobis ac vobis merito de paterne perfidie hereditaria imitatione suspecta et traducte ab avis et proavis seve tyrampnidis emulatrix, numquam ad Romanorum regnum vel imperium aut Suevie principatum[1] consurget ex permissione sedis apostolice aut favore. In cuius certitudinis argumentum vobis presentes litteras duximus concedendas.

Dat. Lugduni, IIII Kalendas Aprilis, anno VIII°.

101.

Innocentius IV papa nobilibus Sueviae, ecclesiae devotis, scribit: [Ulricum] comitem de Wurtemberch nuntium eorum se benigne recepisse; W[illelmo] regi Romanorum scripta se dirigere, ut celeriter ad partes Sueviae in auxilium ipsorum se conferat; se legatum destinaturum, interim vero ad partes ipsorum H[enricum] fratrem Praedicatorum disponere transmittendum, qui crucem contra C[onradum] natum quondam F[riderici II] praedicet; eiusdem subolem ad Romanorum regnum vel imperium seu principatum Sueviae nunquam ex permissione sedis apostolicae consurrecturam esse. *1251, Mart. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 91—92; Lib. VIII, cur. 66. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 105 edidit.

Potthast, Reg. 14265; Berger 5335; Wirtemb. U. B. t. IV, p. 258, n. 1191.

Nobilibus Suavie, ecclesie Romane devotis[2].

Venientem ad sedem apostolicam nobilem virum . . comitem de Gurtemberch[3], nuntium vestrum, solita benignitate recepimus, et que coram nobis ex parte vestra proposuit, pleno concepimus intellectu. Meruit[b] quidem fidei ac sinceritatis vestre constantia eum apud nos invenire favorem, ut audiamus libenter quemvis vestra nobis desideria exponentem et, prout res expostulat, exauditionis congrue studio prosequamur. Gaudemus autem in Domino et dignis duximus nobilitatem vestram laudum preconiis attollendam, quod, devotionis quam hactenus ad sanctam habuistis ecclesiam fervore crescente, in negotio catholice libertatis ac vestre contra utriusque adversarios viriliter statis et insistitis indefessa constantia, quemadmodum accepimus[c] memorato nobili fideliter referente. Hinc est, quod apostolica sedes, laudabili zelo virtutis invictè congratulans, profectibus vestris intendit attentius et sollertius vobis excogitat presidia oportuna. Ecce namque carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri scripta nostra dirigimus, eum, prout convenit, inducentes[d], ut in manu forti et brachio

---

a) Eisdem *R.* b) metuit *R.* c) accep' *R.* d) inducē | *R.*

1) *Cf. infra sub a. 1253, Febr. 8.* 2) *Cf. n. 100.* 3) *Eiusdem Ulrici precibus a. 1250, Oct. 23 et a. 1251, Apr. 4 annuit; Berger 4913, 4914, 5208; cf. Potthast 14248a, 14283, 14285 et Wirtemb. U. B. t. IV, p. 255, n. 1187 et sequ.; epp. non. reg.*

virtutis excelse deliberatione festina et celeri consilio se ad partes Suevie studeat in vestrum auxilium conferre[a 1], partes adversas in robore virtutis regie contriturus. Nos quoque in ipsius regis ac fidelium utile patrocinium idoneum et fidelem curabimus destinare legatum[2], qui spiritus nostri zelo repletus imminens negotium prosequetur ex animo, studiosus et efficax in commissis. Verum, ut interim nichil omittamus ex his, que manifesta deposcit utilitas, dilectum filium fratrem H. ordinis Predicatorum penitentiarium nostrum[3], virum utique providum et discretum, ad partes vestras disponimus transmittendum, predicationis crucis officium contra C. natum quondam F. tunc se pro imperatore gerentis ac fautores ipsius, hostes ecclesie atque vestros, necnon et potestatem procedendi circa fautores huiusmodi sub congrua forma sibi a nobis[b] exhibenda commissuri eidem, prout dicto negotio iudicabimus expedire[4]. Verum ne corda vestra ulla de successu adversariorum ambiguitate vacillent ac per hoc vestri vigoris instantia in aliquo remittatur, scire vos volumus proculdubio et tenere, quod memorati F. soboles, cum non solum sit de paterne perfidie hereditaria imitatione suspecta verum etiam iam |non|[c] dubia traducte ab avis et proavis seve tirampnidis emulatrix, ex aliqua permissione vel gratia sedis apostolice, quam in membris sibi adherentibus diutina persecutione vexavit stirps illa viperea, ad honorem Romani regni vel imperii seu principatum Suevie, a quo meruere illius generationis superstites tam ex delicto paterno quam proprio fieri alieni, aliquo tempore non consurget. Absit enim, quod hec mutabilitas possit in iustissimo prolate animadversionis iudicio reperiri, aut nos superbum vetuste pravitatis rehedificando parietem, quem severitas divina deiecit, iniustam prevaricationis Gal. 2, 18.
calumpniam secundum apostolum incidamus: propter quod constantes estote, filii dilecti nobis in Domino, ac in defensione mutua, donec hostilis coram vobis fatiscat adversitas, unanimiter coherete[d], oportuno semper apostolice sedis patrocinio confovendi.

Dat. Lugduni, II Kalendas Aprilis, anno VIII°.

102.

Innocentius IV papa [Eberhardo II] abbati de Salem mandat, ut ad [Eberhardum] episcopum Constantiensem et [Bertholdum] abbatem S. Galli accedat iisque sub poena excommunicationis et suspensionis inhibeat, ne guerram per se vel alios inter se moveant.

1251, Mart. 31.

Inn. IV Reg. Vol. II, 64; Lib. VIII, 462. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5199.

.. abbati de Salem[e 5] Cisterciensis ordinis Constantiensis diocesis.

Cum, sicut accepimus, inter venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Constantiensem et dilectum filium .. abbatem Sancti Galli de gravi guerra movenda occasione discordie inter ipsos exorte[6] quamplurimum in ipsis partibus timeatur, mandamus, quatinus

a) se conferre *R.* b) vobis *R.* c) non *deest R.* d) coherere *R.* e) *litt.* a *corr. ex* u *tinctura nigra.*

1) *Willelmus rex a papa vocatus in itinere tum erat Lugdunum proficiscendi; Böhmer-Ficker 5033b.* 2) *Cum Willelmo redeunte destinatus est Hugo tituli S. Sabinae presbyter cardinalis legatus; ibid. 5036a.* 3) *Cf. n. 69.* 4) *Conradus a. 1251, Febr.—Mart. Ratispona ad Rhenum rediens per Sueviam venerat; Böhmer-Ficker 4533 et sequ.* 5) *De hoc cf. etiam Potthast 13984.* 6) *Uterque a parte papali stabat, cf. n. 76 et 92 et Potthast 13983. Agebatur de monasterio Renaugiensi et de quibusdam iuribus; cf. t. II, p. 423, not. 5; Berger 4857 [cf. Potthast 13988 et 13989], 5081, 5095; Wartmann, U. B. v. S. Gallen t. III, p. 123, n. 914 [= Potthast 15279a] et sequ.; Meyer v. Knonau, Kuchimeister p. 347.*

accedens personaliter ad utrumque, ipsis ex parte nostra districte sub pena excommunicationis et suspensionis inhibeas, ne aliquam guerram per se vel alios moveant nec ullam presumant aliqua occasione discordiam suscitare, sed unanimiter laborent efficaciter, prout fecerant hactenus, in negotio ecclesie generalis. Si vero ipsorum alteruter contra inhibitionem huiusmodi veniens guerram aliquam movere presumpserit, ex tunc ipsum excommunicationis mucrone percellens, eum suspensum ad presentiam nostram mittas[a], pro meritis recepturum. Quod autem inde feceris, studeas nobis tuis litteris continentibus tenorem presentium intimare.

Dat. Lugduni, II Kalendas Aprilis, anno VIII°.

103.

Innocentius IV papa Gerardo canonico Maguntino et Bertoldo clerico eius, qui quondam F[riderico II] et Conrado nato eius olim astiterint contra quondam [Sigefridum III] archiepiscopum Maguntinum aliosque devotos et ob id excommunicati et degradati fuerint, postea vero ad gratiam archiepiscopi recepti, ad preces ipsorum et obtentu comitis Silvestris devoti ecclesiae dispensando concedit, ut praelaturas et beneficia recipere et in susceptis ordinibus ministrare possint. *1251, Apr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 66–67; Lib. VIII, 476. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit.

Berger 5213.

Gerardo canonico Maguntino, nato nobilis viri comitis Silvestri, devoti nostri, et Bertoldo clerico eius canonico ecclesie sancti Petri Maguntini[1].

Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos dudum quondam F. tunc imperatori et Corrado nato eius, postquam in eos et eorum fautores per felicis recordationis G. papam predecessorem nostrum fuit lata excommunicationis sententia, communicantes et prestantes favorem, vos per aliquod tempus in eorum munitionibus recepistis, et tu, fili G., quandoque in eiusdem Corradi fuisti exercitu et arma sumpsisti contra bone memorie . . archiepiscopum Maguntinum et alios, qui pro devotis ecclesie se gerebant et dicebant se prosequi negotium ecclesie generalis, ac occasione discordie olim inter te ac archiepiscopum eundem exorte quasdam ecclesias et personas ecclesiasticas sue diocesis spoliasti quibusdam redditibus et rebus ecclesiasticis et fecisti etiam spoliari; propter quod dictus archiepiscopus in te, tunc cantorem maioris, et te, fili B., tunc canonicum sancti Iohannis ecclesiarum Maguntinarum, auctoritate propria excommunicationis sententiam proferens et faciens vos excommunicatos publice nuntiari, beneficiis ecclesiasticis, que in sua obtinebatis diocesi, vos privavit, et quantum in eo extitit, sententialiter inhabiles reddidit ad ecclesiastica beneficia obtinenda, et postmodum in Fritslariensi concilio dicte diocesis a vestris ordinibus degradavit[2]. Insuper idem archiepiscopus obtinuit huiusmodi sententias per bone memorie . . episcopum Spirensem[3] auctoritate apostolica confirmari, et indulgeri sibi, quod littere, si quas pro vobis a sede apostolica impetrari contingeret, in quibus vos nominaretis clericos[b], non valerent, nisi de huiusmodi privatione ac degradatione mentio fieret in eisdem. Cum igitur, sicut asseritis, cum clero Maguntino super dampnis irrogatis eisdem duxeritis componendum, ipseque

---

a) mittens *R.* b) *litt.* o *fortasse* u.

1) *Cf. t. II, p. 529, n. 715.* 2) *Cf. t. II, p. 80, n. 113.* 3) *Conradum V.*

archiepiscopus, dum adhuc viveret, receperit vos ad gratiam et absolverit ab excommunicationis sententia prenotata, nos, vestris supplicationibus inclinati, attendentes sincere devotionis studium, quo dilectus filius nobilis vir comes Silvester[1], pater tuus, fili G., apostolice sedis meruisse dinoscitur gratiam et favorem, auctoritate vobis presentium concedimus dispensando, ut — predictis sententiis privationis et degradationis nec non et illa, qua vos inhabiles reddidit, ut superius est expressum, confirmatione illarum et indulgentia huiusmodi nequaquam obstantibus — prelaturas, dignitates, personatus et beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura recipere ac in susceptis ministrare ordinibus et ad superiores ascendere ac gratias vobis factas a nobis super provisione vestra prosequi valeatis, tuque, G., predicta una cum beneficiis, que tunc habebas et que postmodum per nostras litteras vel alias canonice es adeptus, cum cura vel sine cura, possis libere retinere[2]. Nulli ergo etc. nostre dispensationis et concessionis etc.

Dat. Lugduni, Kalendis Aprilis, anno VIII°.

104.

Innocentius IV papa [Henrico III] regi Angliae, qui papam visitare cupiat, regratiatus respondet se cum desiderio eius concordare, sed ad praesens haec vota adimpleri non posse, quia ipse trahatur arduis ecclesiae negotiis, quae propter mutationem temporis dilationem non expectent. *1251, Apr. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 92; Lib. VIII, cur. 68. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1251, § 23 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14280; Berger 5337.

. . regi Anglie illustri.

Mansuetudo, pietas et clementia, que solent potissime inter alia virtutum genera principes insignire, tuam quidem specialibus titulis excellentiam efferentes, in te videntur divina operante gratia convenire: qui cum pius in operibus, in aspectu clemens et in sermonibus dicaris ab hominibus mansuetus, integritate fidei, sinceritate affectus et devotionis ardore culmen regium in obsequiis divinis inclinans, te in eis non inutiliter lucidum speculum exhibes et cultorem; quem inquam nos, qui sumus disponente Domino quamvis immeriti[a] constituti supra mundi specula, diligentius intuentes, ac intendentes quod talia sunt dona divinitus inspirata, preter indissolubile vinculum specialis dilectionis, quam ad tuam personam inexplicabili quodam affectu gerimus, tanto te habemus inter alios cariorem, quanto hiis laudabiliter ceteros per continuum exercitium antecellis. Hac siquidem consideratione inducti, tuo, ut corporali visione ac collocutione mutua nos recrearemur ad invicem, desiderio concordamus, ita quod omnino tuam expectaremus, immo expeteremus presentiam, qui ad nos accedere, super quo tibi regratiamur quamplurimum, causa devotionis intendis, nisi quod nos thraunt[b] ardua ecclesie negotia, que propter mutationem temporis dilationem aliquam non expectant[3]. Licet autem ad

a) inmita *R.* b) *ita R.*

1) *Conradus III, qui a. 1247, Ian. 30 Conrado regi adhuc favisse videtur [t. II, p. 210, n. 280] et a. 1249, Febr. 19 primo sub charta Willelmi regis reperitur; Böhmer-Ficker 4964.* 2) *A. 1251, Iul. Christianus archiepiscopus Maguntinus cum assensu Willelmi regis per Hugonem legatum remotus et hic Gerardus per eundem ei substitutus est; Böhmer-Will, Reg. archiep. Mag. t. II, p. 313, n. 52 et p. 314, n. 1. A. 1251, Dec. 23 papa electo Maguntino facultatem concessit providendi Godescalco de Bunethe clerico, procuratori ipsius; Lib. IX, 356.* 3) *Cf. n. 95; Apr. 19 papa Lugduno exiit.*

presens adimpleri nequeant vota nostra, speramus tamen, quod fiet comodius alias, in tuo videlicet accessu vel recessu de Transmarinis partibus, aut forsan ex alia causa, quam Dominus procurabit. Quocirca celsitudinem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus in apostolice sedis devotione constantia solita perseverans, habeas nos super eo, quod tuum desideratum adventum in hiis partibus expectare non possumus, interpretatione laudabili excusatos.

Dat. Lugduni, IIII Nonas Aprilis, anno VIII°.

105.

Innocentius IV papa [Marino] archiepiscopo Barensi mandat, ut omnes de regno Siciliae inducat, ut a filiis quondam F[riderici] imperatoris penitus se avertant, eique praedicandi crucem contra eosdem filios eorumque complices facultatem concedit.

1251, [Apr.].

Inn. IV Reg. Vol. II, 92; Lib. VIII, cur. 70. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5339.

. . archiepiscopo Barensi[1].

Ad relevandum in statum pristine libertatis regnum Sicilie, quod quondam F. se tunc pro imperatore gerentis miserabiliter depressit iniquitas, pio sollicitudinis studio attendentes, quia inter ceteros te circa hoc eodem novimus nobiscum zelo fervere, fraternitatem tuam in cooperationem huiusmodi sollicitudinis tanto confidentius advocamus, quanto certius comperimus experientiam tuam in exequendo pietatis negotia efficacem. Cum itaque prefato F. sublato de medio, qui predicti regni robur exhauriens illud redegerat in miseriam conditionis extreme, illarum partium incole tempus acceperint, quo possint excuti de pulvere, de suis cervicibus grave iugum solvere, quo hactenus premebantur, ac consurgere in libertatem filiorum ecclesie matris sue: nos, de sincere caritatis affectu, quem habes ad illos, indubitatam fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus tu ad partes illas accedens, barones, nobiles, communitates civitatum, universitates locorum regni eiusdem per te ac alios probos viros, quos ad hec duxeris deputandos, ex parte nostra moneas attentius et inducas, in remissionem eis peccaminum iniungendo, ut a filiis F. prefati se penitus avertentes, ad fidelitatem sedis apostolice, cuius idem regnum iuris existit, tamquam speciales et liberi eius filii revertantur, ac contra prefatos F. filios, tirampnice impietatis heredes, ipsorumque fautores mutuum sibi auxilium et consilium largiantur, quo ab eodem regno stirps illa viperea et patris odio quod imitari videntur ecclesie fidelibus inimica radicitus evellatur. Ut autem super hoc mandatum apostolicum liberius et efficacius prosequaris, predicandi per te et alios contra predictos F. filios eorumque complices secundum datam tibi a Deo prudentiam verbum crucis, et eis, qui huiusmodi crucis signum acceperint, illam peccatorum veniam largiendi, que crucesignatis in Terre Sancte subsidium est concessa, convenientibus ad predicationem crucis predicte quadraginta dierum indulgentiam, quotiens pro loco et tempore tibi videbitur, faciendi, assumendi viros religiosos cuiuscumque ordinis potentes opere et sermone, quibus prout oportuerit predicta iniungas in locis ad que comode ire non poteris exequenda — non obstantibus contrariis ordinum suorum statutis seu cuiuscumque tenoris indulgentiis ipsis vel eorundem ordinibus ab apostolica sede concessis —, absolvendi excommunicatos illarum partium pro iniectione manuum

---

1) *Hic exulabat, sicut in ep. a. 1251, Mai. 1 p. 85, not. 1 citata legimus.*

in personas ecclesiasticas violenta, quorum gravis excessus non fuerit vel enormis, recipiendi ad mandata nostra et ecclesie, qui pro favore prefato F. prestito eiusque filiis in excommunicationis laqueum inciderunt, impendendi eis iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium et loca eorum eximendi ab ecclesiastico interdicto, dispensandi cum religiosis et clericis, qui presentibus excommunicatis ob iustum metum persecutorum ecclesie divina officia celebrarunt, hiis tamen exceptis qui sepefato F. familiariter adherentes eundem dampnabiliter sequebantur, communicandi contra penam canonis aut scrupulum conscientie excommunicatis eisdem in casibus a canone expresse prohibitis ac contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi[a], necnon celebrandi et audiendi divina in locis eiusdem regni suppositis interdicto, excommunicatis tamen et interdictis exclusis, clausis ianuis, non[b] pulsatis campanis voceque submissa, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem[1].

106.

Innocentius IV papa comitissam Casertanam hortatur, ut [Ricardum] comitem Casertanum natum suum ad fidelitatem sedis apostolicae revocet. 1251, [Apr.].

Inn. IV Reg. Vol. II, 93: Lib. VIII, cur. 71. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5340.

Nobili mulieri[c] .. comitisse Casertane[2].

Si nobilem virum .. comitem Casertanum[3] natum tuum ut credimus fideliter diligis, hoc precipue affectum tuum ad ipsum decet indicio comprobari, ut sedulis monitis eum ad Dei gratiam et fidelitatem sedis apostolice studeas revocare, ita quod per utramque valeat bona eterna mereri ac temporalibus prosperari. Advertere namque debetis attentius tu et ipse, quam periculosum sit favere homini contra Deum, adversus quem non est consilium neque prudentia nec potestas, quamque severa divini iudicii animadversione plectantur ad ultimum, qui presumptione dampnabili malignantur in ecclesiam sanctam Dei, in qua licet immeriti exequimur vicem[d] Christi. Quocirca nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus eundem nobilem in gremium spiritualis matris studio vere maternitatis inducas, ut non iram sibi accumulet iudicis per offensas, sed patris gratiam mereatur et augeat per obsequia puritatis[4].

In eundem modum quibus placet[5].

a) cō *R.* b) necnon *R.* c) .. no mu *R.* d) viam *R.*

1) *Tempus, quo haec ep. data est, eo circumscribitur, quod papa seditionem contra Manfredum non ante Mart. a. 1251 motam commemorat et quod a. 1251, Mai. 1 civibus de S. G[ermano?] excommunicatis archiepiscopum Barensem commendavit, quem cum P[etrus] cardinalis legatus arduis alibi [scil. in marchia Anconitana et provincia Aprutina, cf. p. 78, not. 3] detentus negociis ad partes ipsorum differret se conferre, ad eos praemisisset; Winkelmann, Acta Imp. t. II, p. 725, n. 1042; cf. Potthast, Reg. 14298; non reg.* 2) *Syfridinae; cf. Böhmer-Ficker 2000.* 3) *Cf. n. 37 et infra n. 114.* 4) *Ex loco, quem epistola in Regestis tenet, suspicari licet eam et duas sequentes archiepiscopo Barensi commissas esse, ideoque eas hic inserimus.* 5) *Haec formula, quam alibi nusquam invenimus, sub litteris notatis huius epistolae posita fuisse videtur. Nomina personarum, quibus praeterea secundum verba huius epistolae scribendum erat, fortasse ab alio officiali curiae composita in alio folio legebantur, quae et ipsa a papa comprobanda vel comprobata iam erant; et cum epistola registraretur, series nominum illorum registratori praesto non erat; cf. N. A. t. X, p. 537.*

107.

Innocentius IV papa [Caesareo] archiepiscopo Salernitano mandat, ut cum post obitum quondam F[riderici] imperatoris iusti timoris causa cessaverit, [Marino] archiepiscopo Barensi in regnum Siciliae misso studiosus assistat. 1251, [Apr.].

Inn. IV Reg. Vol. II, 93; Lib. VIII, cur. 72. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5341.

.. archiepiscopo Salernitano[1].

Etsi hactenus dissimulaveris forte multa pro tempore, ut quondam F. tunc se pro imperatore gerentis molestias, quas per resistentiam elidere non poteras, evitares, credimus tamen, quod radicem caritatis et fidei, quam ad nos et Romanam habere debes ecclesiam, illius malignitatis adversitas de tuo pectore non evulsit, et ideo expectamus, ut postquam iusti timoris in eiusdem F. obitu causa cessavit, fides tua per dilectionis promptitudinem operetur. Cum igitur venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum Barensem ad partes regni Sicilie pro ipsius regni et ecclesie promovendis negotiis transmittamus, mandamus, quatinus super hiis eidem studiosus assistens, tam tuos quam alios una cum ipso ac per te ipsum ad fidelitatem ecclesie studeas sollicite revocare, ita quod ex hoc appareat te in corde integram erga eandem sedem servasse fidei puritatem, nosque per laudabile actionis testimonium non solum excusatum te habere possimus, set etiam multipliciter commendatum.

Dat. [2]

108.

Innocentius IV papa [Berardum] archiepiscopum Panormitanum monet, ut poenitentiam agat, [Marino] archiepiscopo Barensi in regnum destinato fideliter assistat et quos possit ad ecclesiam revocet. 1251, [Apr.].

Inn. IV Reg. Vol. II, 93; Lib. VIII, cur. 73. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1251, § 5 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14165, falso sub Ian. 27; Berger 5342.

.. archiepiscopo Panormitano[3].

Etatis tue nos plurimum miseret[4] et ex corde compatimur canis tuis, si ad inferos obstinationis laqueo vel, quod absit, perverso desperationis consilio deducantur. Et ideo quia, sicut tua tibi dictare potest conscientia, nisi forte rationis extrema scintilla in te pre nimia peccatorum caligine penitus sit[a] extincta, enormiter coram Deo in totius ecclesie scandalum deliquisti, recogita, quesumus, annos tuos et in amaritudine multa dilue penitentie lacrimis culpam tuam, si forte tibi ex summe pietatis fonte proveniat, quod in caritate multata[b] multa tibi crimina dimittantur. Nos quidem adeo vincit circa te pietas, ut ab evidentibus penitentie tue signis cupiamus nobis aliquam violentiam

---

a) sit *superscr.* b) multatā *R.*

1) *Supplendum videtur:* spiritum consilii sanioris, *cum archiepiscopum excommunicatum fuisse appareat; cf. etiam t. II, p. 531, not. 1 et Böhmer-Ficker 4640. Eadem verba desunt ad n. 108.* 2) *De tempore cf. p. 85, not. 4.* 3) *Deficiunt ut in n. 107 verba:* spiritum consilii sānioris. *Archiepiscopus testamento Friderici II subscripserat; Böhmer-Ficker 3835.* 4) *A. 1207—1214 Barensis, ab a. 1214 Panormitanus archiepiscopus fuerat.*

irrogari, qua tui misereri cogamur et rigorem, quem adversus te iustitie disciplina tetendit, habundanti clementia temperare. Ceterum, ut aliqua tibi via ad veniam nobis suadentibus preparetur, prudentiam tuam, que malo cooperabatur in malum, in obsequium iustitie convertere studeas consilio saniori, venerabili fratri nostro . . Barensi archiepiscopo[a], quem ad partes regni transmittimus, in eiusdem regni ac ecclesie negotiis assistendo fideliter, quos poteris, ad ecclesie fidelitatem sollicite revocando, ita quod exinde non solum misericordiam, sed et gratiam consequaris.

Dat.[b] [1]

109.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Mantuano nuntiat se subventione ab episcopo Castellano exhibita contentum esse, eique mandat, ut sententiam, si quam in eum occasione eiusdem subventionis tulerit, revocet. 1251, Mai. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 69; Lib. VIII, 489. Exemplar, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis. Berger 5226.

. . episcopo Mantuano.

Urgente negotio ecclesie generalis in mille libris imperialium a venerabili fratre nostro . . episcopo Castellano [2] nobis pro ipsius ecclesie necessitatibus olim mandavimus subveniri, mandati nostri super hoc tibi executione commissa. Verum cum super hoc pro parte, qua contenti sumus, satisfecerit episcopus memoratus, mandamus, quatinus sententiam revocans, si quam in episcopum ipsum occasione subventionis huiusmodi protulisti, cum eo, si quid fortasse irregularitatis eadem ligatus sententia divina celebrando contraxit, auctoritate nostra dispenses.

Dat. Vigintimil., Nonis Maii, anno VIII°[c] [3].

110.

Innocentius IV papa Petro Veronensi et Viviano Pergamensi fratribus Praedicatorum mandat, ut cum per alias civitates Lombardiae alios deputaverit, ipsi Cremonam accedant et ad extirpandam ibi haereticam pravitatem laborent; si aliqua civitas vel nobiles huic negotio se opposuerint, ecclesiam reges et principes aliosque pro Terra Sancta vel alias cruce signatos contra eos invocaturam esse. 1251, Iun. 8.

Inn. IV Reg. Vol. II, 93; Lib. VIII, cur. 76. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1251, § 33—36, collatum cum illo, quod Berger edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14333, falso sub Iun. 13; Berger 5345.

---

a) ven f n . . Baren archiepiscopum *R.* b) Lugd. VI Kal. Febr. a. VIII *add. Rayn.; falso, cum eius exemplar et ipsum ex Reg. sumptum sit.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *De tempore cf. p. 85, not. 4.* 2) *Ut videtur Petro episcopo Castellano in insula Olivolensi prope Venetias sita; alii episcopi Castellani sedebant in Civitate Castelli [ex or. Arretii] et in Civitate Castellana [in Patrimonio].* 3) *Eodem die papa episcopum Castellanum, qui propter corporis infirmitatem episcopatum in manibus papae resignaverat sed convaluit, ecclesie eius restituit; Berger 5225; Potthast 14300.*

Petro Veronensi[1] et Viviano Pergamensi fratribus ordinis Predicatorum.

Misericors et miserator Dominus, cogitans cogitationes pacis et non afflictionis, ecclesiam suam diutina vexatione concussam, rabie distractam tirampnica, duris afflictam tribulationibus et incursionibus fatigatam hostilibus, de excelso solio suo mira benignitate respexit, et misertus super ipsius contritione nimia, quam callidus ille seminator discordie inferebat, salutare sibi remedium ministravit, extinguens funeste dissentionis fomitem et pestiferi odii incentorem. A quondam siquidem Fr. Romanorum imperatore hoc totum ecclesie malum et tanti causa periculi pandebatur. Ipse namque, accensus odiorum ignis, fomes discordiarum estuans, pacis invidus, Christiane unitatis salutifere dissipator et totius malleus Italice regionis, turbato ubique tranquillo ecclesiam ipsam validis persecutionum fluctibus conquassabat, quinimmo totam regionem eandem et alia etiam mundi regna immisso dissentionum turbine commovebat; propter quod ille, cuius imperio celestia obediunt et terrena, tot et tanta volens sua clementi virtute submovere pericula, dixit, et huius procelle spiritus statim stetit; mandavit, et quievit ventus maxime tempestatis, et facta est in ecclesia ipsa tranquillitas communi desiderio diutius expectata, quoniam tribulantem procellam in auram convertit prosperam et pacem, quam eidem ecclesie mundus dare non poterat, ipse dedit, tollens illum omnino de medio, qui discors concordiis, concors vero discordiis universalis ollam odii ignivomis nequitie sue flatibus succendebat. Unde cum ipsi ecclesie de tante propitiationis beneficio dignanter providerit et inde grandem cum ea sit misericordiam operatus, debitum est et dignum per omnia, ut pro hac inextimabili gratia, sic pie desuper erogata, gratiarum ei actiones cum devotione reddamus et offeramus sacrificium plene laudis, ne tam magnificum eius donum in vacuum recepisse sibique ingrati de illo existere videamur, maxime quia generalis persecutionis actore precipuo iam sublato et quiete nunc ecclesie restituta, restat nimirum, ut in divinas laudes cuncta nostra studia conferamus. Et quoniam verbis et operibus honorificandus est Dominus, recognoscenda est immensa benignitas in utrisque, ut in utroque modo, dicto scilicet atque facto, sui nominis laudem et gloriam personemus[a].

Matth. 8, 26.

Quia vero tunc potissime acceptabile sibi exhibetur obsequium, cum ei pro catholice conservatione fidei, cuius est ipse stabile ac perpetuum fundamentum, pura intentione servitur, providimus specialiter in hoc ipsi studiosum et placidum[b], eo cooperante, impendere famulatum et precipue in ipsis Italicis partibus propter ipsarum vicinitatem vigilare instantius et validius satagere contra eiusdem fidei diros hostes, ut cultura salubris, per nos agris Dominicis impensa vicinis, utilis sit longinquis, et verbi divini semen, fusum in proximis, fructificet etiam in remotis, licet apostolica sedes tales hostes ubique indefessa sollicitudine persequatur, nec unquam ab huiusmodi exercitio cessaverit cura eius. Convenit namque, ut quia inquisitiones contra pestem hereticam roborare ac renovare per diversas seculi volumus regiones, id agere in Italia maiori oportunitate nunc habita nullatenus omittamus, cum quanto propior[c] nostris adest aspectibus, tanto iustius, nisi attente saluti prospiceremus ipsius, possemus argui de neglectis. Olim enim, dum vivebat perfidus ille tirampnus, non potuit libere contra huiusmodi pestem precipue in ipsa Italia eo impediente procedi, cum non impugnaret set foveret potius pestem ipsam[2], de qua cum evidenter haberetur suspectus, exigentibus nichilominus aliis multis

a) personamus *R.* b) *leg.* placitum. c) proprior *R.*

1) *Hic a. 1252, Apr. 6 prope Mediolanum a quodam haeretico occisus est; Raynaldi Ann. a. 1252, § 11 et Giulini, Memorie di Milano ed. II, t. IV, p. 482; cf. etiam Potthast 14594; non reg.* 2) *Sed leges a Friderico II contra haereticos a. 1239, Febr. 22 editas [LL. t. II, p. 326] observari papa multoties iussit; Potthast 14575, 14587, 14603, 14762 et saepius.*

et enormibus suis excessibus fuit a nobis in Lugdunensi concilio condempnatus. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus huiusmodi fidei negotium, quod principaliter residet cordi nostro, totis assumentes affectibus et ferventibus animis prosequentes, Cremonam personaliter accedatis[1], cum et per alias civitates et alia loca Lombardie discretos alios ad exequendum idem negotium duxerimus deputandos, et ad extirpandam de civitate ipsa et eius districtu hereticam pravitatem sollicite ac efficaciter prehabito diocesani consilio laborantes, si quos ibidem pravitate ipsa culpabiles inveneritis vel infectos seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolute mandatis ecclesie obedire, contra ipsos et receptatores, defensores ac fautores eorum humano timore postposito iuxta sanctiones canonicas auctoritate apostolica procedatis, invocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores etc. Si vero aliqui heretica labe penitus abiurata redire voluerint ad ecclesiasticam unitatem, eis iuxta formam ecclesie diocesano ipso consulto absolutionis beneficium impendentes, iniungatis eisdem, quod iniungi talibus consuevit, proviso sollerter ne simulata conversione redeant fraudulenter et vos, immo potius se, fallentes sub agni specie gerant lupum. Verum quia tam salubre negotium super omnia promoveri cupimus, propter quod impedimenta quelibet ab ipso intendimus penitus cum Dei adiutorio removere, scire vos volumus et aliis aperte predicere, quod si forte, quod non credimus, aliqua civitas seu communitas sive aliqui magnates vel nobiles aut potentes huic negotio se opponere seu illud presumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per deputatos ad hoc a nobis procedi libere in eodem, immo nisi foverint illud et iuverint studiose, nos proculdubio ad comprimendam tam superbam et perniciosam audatiam et omnimodo confundendam in illos gladium ecclesiastice potestatis acriter extendemus et reges et principes aliosque Christi fideles, sive pro Terre Sancte succursu sive alias pro Christi servitio crucis caractere insignitos, necnon et ceteros catholicos invocabimus contra eos, ut et celum et terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur, cum non minus expediat, immo magis, fidem[a] in locis prope positis quam procul distantibus defensare. Quia enim futura volumus, in quantum possumus, precipue in Lombardia, quam speciali affectione diligimus, vitare discrimina, ideirco scribimus, quod ista palam exponere ac prenuntiare curetis, Cremonensem populum et alios de ipsorum districtu diligentius ammonentes, ut debitum habentes respectum ad negotium memoratum, nullum prorsus promotioni eius inferant nocumentum, sed potius vobis in exequendo illo favorem tribuant et auxilium oportunum, quia si forsan contrarium agere attemptaverint[b], nullatenus dimittemus, quin per reges ipsos et principes aliosque fideles dictum promoveamus negotium, sicut superius est expressum. Ut autem predicta possitis liberius et utilius exercere, vobis largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quotiens oportunum videritis, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad vestram predicationem propter hoc faciendam accesserint, plenam tenore presentium concedimus potestatem.

Dat. Ianue. VI Idus Iunii, anno VIII°[2].

111.

Innocentius IV papa [Iohanni] archiepiscopo Viennensi et [Falconi] episcopo Gratianopolitano mandat, ut [Amadeum III] comitem Sabaudiae moneant, ut usque ad duos

a) fidem magis *R.* b) atteptaverint *R.*

1) *Quae civitas papae adversa erat; cf. n. 52.* 2) *Sub Iun. 11 Vincentio Mediolanensi et Iohanni Vercellensi fratribus Praedicatorum eandem ep. direxit, mandans ut Venetias accederent; Potthast 14332; non reg.*

menses a monitione computandos satisfaciat super eo, quod exercitum ecclesiae transeuntem olim de Gallia in Italiam impedierit, accedentes ad sedem apostolicam detinuerit et castrum Ripolarum et alia loca ecclesiae Taurinensis occupaverit. **1251, Iun. 9.**

Inn. IV Reg. Vol. II, 93–94; Lib. VIII, cur. 74. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit.

Potthast, Reg. 14329; Berger 5343; Carutti, Reg. com. Sabaudiae p. 294, n. 859.

. . archiepiscopo Viennensi et . . episcopo Gratianopolitano.

Habemus in Christo, cuius in terris vicem licet inmeriti obtinemus, perspicuum clare imitationis exemplar, quo pro loco et tempore longanimiter patiamur iniurias, quo etiam illas, cum ratio vindicte poposcerit, in zelo iustitie magnanimiter prosequamur, cum et ipse noster magister et dominus tempus patiendi distinxerit a tempore vindicandi, primo equanimiter sustinens quod supra dorsum suum fabricarent diutius peccatores, et postmodum dure interrogans de iustitia et iudicio delinquentes. Hiis sane, qui diebus istis inter procellas persecutionis, quas perversorum malignitas excitavit[a], Christum in ecclesia oppresserunt, satis benigne patientia nostra consuluit, ferendo fortiter et non modicum differendo, ipsis penitentie locum indulgens, quo possent remissionis veniam et reconciliationis gratiam promereri. Set inter ceteros, qui apostolice mansuetudinis sufferentia in superbiam sunt abusi, de nobili viro . . comite Sabaudie tanto iustior tantoque vehementior materia nobis indignationis et admirationis ingeritur, quanto de munificentia, per quam domus eius Romanam ecclesiam sibi est in multis experta beneficam, certior nobis spes poterat provenisse, quod idem comes devotorum apostolice sedis emulatione laudabili provocatus contra omnes adversarios in quibusdam angustiis nobiscum catholice libertatis negotium zelaretur et cum ecclesia, communi fida matre, consurgeret et staret pro ea contra omnem adversitatis impetum velud murus. Ipse autem econtra eidem ecclesie de se talem gerenti fiduciam non solum defecit in emergentibus difficultatibus, sed offecit, dum viribus suis quondam F. tunc se pro Romanorum imperatore gerentem[1], reprobatum a Deo ne regnaret perfidus in populo christiano, cum fautoribus et adiutoribus suis iudicio ecclesie Sathane traditum et a communione fidelium separatum, in sua contra Deum rebellione suffulsit in multam sedis apostolice iniuriam et iacturam[2]. Licet enim in omnes, qui accedentes ad sedem apostolicam vel recedentes ab illa capere vel detinere seu spoliare vel impedire presumunt, singulis annis in tribus celebrioribus populorum conventibus ore Romani pontificis sollempnis ex more anathematis et excommunicationis sententia proferatur[3], ipse tamen in favorem dicti F., quo eius gravatur excessus, per varias spoliationis et detentionis iniurias, in terra eius nunc ab ipso, nunc a suis subditis, quos dissimulatione vel auctoritate huiusmodi fovebat, iniquitatibus attemptatis, in adeuntibus Christi vicarium immunitatem publicam presumptione sacrilega violavit, maledictionis[b] qua supplicium mortis animabus infligitur pertinax aspernator. Sane cum olim exercitus in subsidium catholicorum ecclesie filiorum, quos prefatus F., christiane religionis eversor et predicationis turbator evangelice, dampnabiliori perfidia quam infidelis et gentilitatis adversitas atterebat, sub ecclesiastice provisionis stipendiis de Gallicanis partibus in Italiam mitteretur: idem comes in grave periculum fidei et ruinam ecclesiastice libertatis eidem exercitui ac legato sedis apostolice, sub quo eadem pie collectionis militia, ut

---

a) excitaut *R.* b) maledictionibus *R.*

1) *Amadeus socer Manfredi erat.* 2) *A. 1251, Ian. 17 papa Tarantasiensem ecclesiam vocaverat attritam circumstantium tyrannide superborum; Berger 4971; cf. Lib. XI, 111.* 3) *Cf. t. I, p. 233, n. 306.*

bellaret bellum Domini, procedebat, non solum in terra sua verum etiam circa eam in finibus alienis innocuum vie regie transitum impedivit, propter quod eadem ecclesia multa rerum dispendia pertulit inutiliter et dampnose[1]. Immemor quoque fidelitatis, qua ecclesie Taurinensi pro non modicis beneficiis, que[a] ut dicitur ab ea recognoscere debet, tenebatur astrictus, ac ex hoc subditorum suorum fide se constituens minus dignum, castrum Ripolarum[2] et quedam alia loca necnon et iura, que ad eandem ecclesiam non est dubium pertinere, sive per concessionem frustratoriam F. prefati, ex qua titulus ei nequitie manifestioris accrevit, sive per ambitionis proprie violentiam fraudisque commentum, quo illicitam rei aliene detentionem attingere studuit, Dei abiecta reverentia occupavit; que per auctoritatem seu favorem ipsius adhuc occupata in enormem lesionem ipsius ecclesie necnon et anime ipsius comitis periculum detinentur.

Expectavimus autem hucusque, quod super hiis omnibus aliquo divini timoris aculeo pungeretur et de tot commissis in Deum et eius ecclesiam faceret penitentie fructus dignos, per quos fidelium consortio redditus in viam vite sanis revocaretur consiliis, a qua pravis suggestionibus est aversus. Verum quia idem comes non satis prudenter videtur attendere ex huiusmodi plaga culpe quam patitur sibi eterne mortis imminere periculum, nisi congrue satisfactionis medela curetur: nos, Deo et Romane ecclesie illatas preterire iniurias et debitori Dominico impune dimittere non valentes, nec volentes peccatum eius aliqua in periculum nostrum et suum dissimulatione fovere, fraternitati vestre auctoritate presentium in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus ad ipsum visis litteris personaliter accedentes, eum attente ac peremptorie monere curetis, ut usque ad duos menses, a vestre monitionis tempore computandos, de dampnis, expensis et iniuriis, que tam in impedimento memorati exercitus quam in expoliatione, captione seu detentione accedentium ad nostram presentiam ac redeuntium ab eadem per ipsum et subditos eius in terra ipsius Romana ecclesia est perpessa, nobis et aliis, per huiusmodi molestias non sine iniuria nostra lesis, plenariam ad mandatum et beneplacitum nostrum satisfactionem impendat et dilecto filio . . electo[3] et ecclesie Taurinensibus[b] predictum castrum et alias eorum possessiones et iura, que ipsius facto, precepto, consilio aut defensione subtracta noscuntur, cum omnibus fructibus sive proventibus medio tempore perceptis ex ipsis, vel qui ab eisdem ecclesia et electo, si possedissent, libere percipi potuissent, integre ac plene restituere sine difficultate aliqua non omittat, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, nec super hiis predictos electum et ecclesiam vel eorum nuntios presumat de cetero per se vel substitutos aut submissos aliquos molestare. Alioquin ex parte nostra in ipsa monitione pro certo denuntietis eidem, quod personam eius ex tunc excommunicationis sententie ac terram universam sue iurisdictioni suppositam subiciemus ecclesiastico interdicto, ad graviores contra eum nichilominus penas, si duritia ipsius exegerit, processuri. Quod si forsan presentiam eius, quod nisi manifestis argumentis suadentibus non credemus, habere nequibitis, monitionem et denuntiationem huiusmodi in locis proximis, de quibus ad eius notitiam facile pervenire valeant, frequenter convocatis populis proponatis. Et si non ambo etc., alter vestrum etc.; contradictores[c]. Quicquid autem super hoc factum fuerit, nobis omni dilatione postposita fideliter rescribatis.

Dat. Ianue, V Idus Iunii, anno VIII°[4].

a) quo *R.* b) Taur. ët eccl. *R.* c) *Verba* contradictores — rescribatis *fortasse ante verba* Et si non *poni debebant; cf. t. II, p. 504, not. l. et p. 508, not. a.*

1) *Cf. t. II, p. 337, n. 473 et p. 351, not. 3.* 2) *Rivoli ex occ. cir. Taurinensis; cf. Böhmer-Ficker 3626 et Winkelmann, Acta t. I, p. 579, n. 733.* 3) *Iohanni.* 4) *Amadeus absolutus est ab excommunicatione, quam incurrerat sequendo partes Friderici II, a. 1252, Apr. 20 ap. Carutti, Reg. com. Sabaudiae p. 304, n. 885; Mai. vero 21 ap. Wurstemberger, Peter v. Sav. t. IV, p. 153, n. 294; Potthast 14598; non reg. De Thoma fratre eius cf. sub Nov. 29.*

112.

Innocentius IV papa magistro Nicolao de Sala canonico Vercellensi ad preces [Bonifatii] electi Astensis mandat, ut excommunicationis et interdicti sententias in Brexanum de Vico et officiales Montis Regalis, fautores quondam F[riderici II] imperatoris, latas, quas iidem decennio et amplius contempserint, observari faciat et quasdam alias sententias contra eosdem publicet. *1251, Iun. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 73; Lib. VIII, 518. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14334; Berger 5251.

Magistro Nicolao de Sala canonico Vercellensi.

Dilectus filius . . electus Astensis nobis exposuit, quod licet bone memorie . . Astensis episcopus predecessor suus, quia Brexanus de Vico et homines Montis Regalis[1] Astensis diocesis, ad ecclesiam Astensem spiritualiter et temporaliter pleno iure spectantis, pacta et conventiones inter ipsos homines et ecclesiam amicabiliter initia et sponte ab eis recepta diligenter ab ipso episcopo moniti observare contra iustitiam denegabant, redditus et debita et consueta servitia eidem ecclesie solvere indebite non curando et inferendo ei graves iniurias et iacturas, in dictum B. ac officiales et consiliarios dicti loci excommunicationis et in ipsum locum interdicti sententias promulgasset, ipsi tamen, dictas sententias decennio et amplius dampnabiliter contempnentes et impendentes pro posse suo quondam F. tunc se pro imperatore gerenti, dum vixit, contra ecclesiam auxilium, consilium et favorem, occuparunt per violentiam castrum Moritii[2] ad Astensem ecclesiam pertinens et expulsis inde habitatoribus ipsum penitus diruerunt, et adhuc dictam Astensem ecclesiam matrem eorum offendere non desistunt: propter quod idem electus in ipsos B., officiales et consiliarios, quia diligenter ab eo moniti super hiis satisfacere ac ab huiusmodi offensis resipiscere contumaciter non curabant, excommunicationis sententiam suadente iustitia promulgavit, supponendo locum ipsum ecclesiastico interdicto. Sed iidem postmodum hiis non contenti prefatum electum detinentem[a] castrum Carruc[3] ad Astensem ecclesiam pertinens congregato exercitu nequiter obsidentes, ipso eiecto exinde suis machinis illud detinent occupatum in ipsorum electi et ecclesie preiudicium et gravamen. Quare dictus electus nobis humiliter supplicavit, ut contra predictos procedi gravius mandaremus. Mandamus, quatinus sententias ipsas, sicut rationabiliter sunt prolate, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Quod si forte a te moniti diligenter super premissis omnibus prenominatis electo et ecclesie satisfacere ac ab eorum offensis desistere penitus non curaverint, infra competentem terminum, quem eis duxeris prefigendum, ex tunc prenominatos B., officiales et consiliarios auctoritate nostra excommunices et dictum locum subicias districtissimo interdicto, ita quod preter baptismata parvulorum et penitentias morientium nullum ibi divinum officium celebretur aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, sententias ipsas per Mediolanensem provinciam et partes vicinas candelis accensis et pulsatis campanis publicans ac publicari faciens sollempniter singulis diebus dominicis et festivis, et sub interminatione anathematis districtius inhibens, ne, iamdictis B. ac hominibus in huiusmodi contumacia persistentibus, aliqua civitas vel castrum audeat aliquem de ipsis hominibus assumere in rectorem vel aliquem civem eorum permittat suscipere regimen dicti loci, ita quod si qui secus facere forte presumpserint, hoc ipso laqueum excommunicationis incurrant, nec ullus interim cum pre-

---

a) detinentem ca. Cãruci *in loco raso alia tinctura.*

1) *Mondovi; cf. Berger 3359; Potthast 12724.* 2) *Morrozzo ex sept. et occ. civ. Mondovi.* 3) *Carru in sinistra ripa Tanari, ex sept. et or. civ. Mondovi.*

nominatis B. et hominibus exercere presumat societatem, coniurationem, commercium, colloquium vel contractum aut eis de aliquo debito respondere. Insuper ipsos B. ac homines castris, villis et possessionibus ac aliis immobilibus ad mensam ipsius electi spectantibus, nec non feudis, mansuris, consuetudinibus, usibus, beneficiis et libertatibus omnibus, que ab Astensi ecclesia obtinent, tamquam ingratos privans omnino, ad ius et proprietatem ipsarum mense ac ecclesie legitime revocandis, denunties sententias latas per ipsos et testamenta condita nec non et venditiones, emptiones seu alienationes per ipsos factas de rebus ad dictam Astensem ecclesiam tam ratione feudi quam proprietatis spectantibus carere robore firmitatis, quodque de sumptibus [et][a] expensis, si quos fecerunt in castris taliter acquisitis, absque consensu Astensis ecclesie supradicte nulla restitutio fiat eis. Et si nec sic a suis perversitatibus resipuerint, merito poterunt formidare, ne ipsorum bona mobilia impune capi ab aliis faciamus. Ad hoc sub interminatione anathematis expresse inhibeas, ut ullus [clericus][b] exemptus vel non exemptus Astensis diocesis corpora ipsorum in sua pertinatia existentium, cum decedunt, ecclesiastice tradere sepulture vel, si traduntur, interesse aliquatenus non presumat: — non obstante constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Ianue, Idibus Iunii, anno VIII°[1].

113.

Innocentius IV papa [Gualterio] episcopo Tervisino et priori fratrum Praedicatorum Mantuanorum scribit, quoties ecclesia Ezelinum de Romano ad devotionem revocare studuerit; mandat, ut ei certum terminum, quo apud sedem apostolicam compareat, praecepta eius recepturus, praefigant praestita personae et viae securitate; nisi obediverit, omnibus marchiae Tervisinae et patriarchatus Aquilegiensis iniungant, ut eum tamquam haereticum devitent et capere studeant. *1251, Iun. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 94; Lib. VIII, cur. 75. Pertzii exemplar suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1251, § 37 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14335 et 14302 falso sub Mai. 19; Berger 5344.

.. episcopo Tervisino et .. priori fratrum Predicatorum Mantuanorum[c].

Pia mater ecclesia de animarum salute sollicita nonnumquam vindictam, quam rite inferre requirentibus delinquentium culpis posset, sua benignitate protrahit consueta et exertum digne in peccatores sue gladium potestatis clementi consideratione suspendit, patienter expectans quod illi ad cor provide redeuntes suamque malitiam agnoscentes ad matrem ipsam propitiam, a qua se superbis elongarunt excessibus, in humilitate spiritus revertantur, veniam suppliciter postulando, ut quibus penam debitam disposuerat infligere pro commissis, iam penitentibus uberem misericordiam largiatur. Sane[2] quia Ezelinus de Romano, cuius mentem pater mendacii excecavit, multis ex causis

a) et *deest R.* b) clericus *deest R.* c) Mantuañ *R.*

1) *De eisdem cf. Berger 5252, sub Iun. 17. Eodem die priori Praedicatorum et guardiano Minorum Astensium mandavit, ut cives Astenses monerent, ut infra duos menses ad ecclesiam reverterentur, alioquin ex tunc ipsi cum toto clero civitatem exirent; eodem die Astenses hortatus est, ut pacta cum Brexano et hominibus Montis Regalis inita revocarent; Berger 5253 et 5254; Potthast 14159 [falso sub a. 1251, Ian. 18] et 14336. — A. 1250, Dec. 13 papa precibus [Bonifatii] marchionis Montisferrati [cf. t. II, p. 421, n. 593 et Böhmer-Ficker 4596] annuerat; Berger 5059.* 2) *Cf. ep. a. 1248, Apr. 18, t. II, p. 381, n. 542.*

et probabilibus argumentis merito habitus fuit iamdudum de heretica pravitate suspectus, nos ad inquisitionem contra ipsum per viros religiosos duximus procedendum: quibus super hoc inquirentibus diligenter et comperto, quod digne de hac pravitate suspectus reputari debebat, ipse tandem nuntios ad sedem apostolicam paratos eum in hac parte purgare inibi destinavit. Sed cum de tanto crimine non per nuntios, sed per propriam personam prestanda esset purgatio coram nobis, certum sibi prefiximus terminum, quo apostolico se conspectui presentaret, facturus super hiis quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate persone in veniendo et redeundo plenaria cautione. Cumque in ipso termino et post ipsum nec venire nec mittere curavisset, eum, qui alias plurium erat excommunicationum laqueis irretitus et quod de fide catholica male sentiret certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum, alio ei termino assignato, quo in nostra compareret presentia, super premissis mandatis ecclesie pariturus, et denuntiato publice, quod nisi hoc faceret, ex tunc procederemus gravius contra eum iuxta canonicas et legitimas sanctiones. Sed[1] quia venire seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, dampnabili obstinatione despexit et non solum per annum sed per biennium vilipensis ecclesie clavibus prefatum sustinuerat anathema: cum non deberemus amplius canonicum de ipso differre iudicium, quem tam longum diffugium et tam dura pertinatia tanti reum criminis demonstrabant, eum tamquam hereticum reputantes decrevimus ipsum promulgatis adversus hereticos sanctionibus subiacere, nisi usque ad Kalendas Augusti proximo preteritas coram nobis comparere curaret, nostris et ecclesie pariturus beneplacitis et mandatis. Licet igitur adversus eum, qui tanta ecclesie benignitate ac patientia irreverenter abusus, elapsis tot terminis sibi clementer indultis, coram nobis comparere contempsit, iuste procedere, immo iustissime absque alia expectatione possemus: volentes tamen ex affluenti eiusdem ecclesie pietate benignis uti monitionibus circa ipsum, si forte sic possit ipsius emoliri[a] duritia, quem salvari cupimus potius quam perire, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus ad prefatum Ezelinum personaliter accedentes, ipsum ex parte nostra diligenter et attente monere curetis ac iuxta datam[b] vobis a Domino gratiam salubribus exortationibus inducatis, ut prudenter de propria salute recogitans ad apostolicam sedem repulsa tarditate ac occasione qualibet personaliter accedere non postponat, recepturus super premissis nostra et ecclesie beneplacita et precepta, et ne de vie suspitione posset excusationem pretendere aliquam, ecce pro securitate persone sue ac de prestando sibi oportuno conductu a devotis ecclesie speciales litteras destinamus. Si vero ad ipsum accedere nequiveritis vel idem ad vos requisitus et citatus a vobis venire despexerit, huiusmodi monitiones et exortationes ad ipsum, ut videlicet ad sedem eandem in propria persona venire procuret, certo ad hoc sibi prefixo termino, in locis publicis, e quibus ad eum possint citius pervenire, sollempniter proponatis. Quod si forte vestris non acquieverit monitis, sed inductione salutifera vilipensa elegerit arreptum prosequi mortis iter, volumus et sub obedientie debito cum quanta possumus districtione precipimus, ut potestatibus, consiliis et communitatibus tam civitatum quam castrorum totius marchie Tervisine ac patriarchatus Aquilegensis auctoritate nostra firmiter in publico iniungatis, ut eundem Ezelinum, cuius pater[2] et nonnulli alii de genere suo notorii fuerunt heretici et in errore huiusmodi dies suos miserabiliter et dampnabiliter finierunt, in cuius etiam terra seu districtu heretici aperte morantur, pro manifesto habentes heretico, ipsum omnino devitent et a sua prorsus communione repellant; quinimmo personam eius velud labe heretica respersam, si possunt, capere studeant et alias contra eum suaque bona secundum statuta contra hereticos edita[3], quibus eum

a) *ita R.* b) datam *superscr. alia tinctura.*

1) *Cf. ep. a. 1250, Iul. 3 in Additamento huius voluminis.* 2) *Ezelinus II.* 3) *Cf. p. 88, not. 2.*

iamdudum subiacere decrevimus, animose consurgant, denuntiando ipsis expresse ac publice contestando, quod si hoc plene non fecerint vel in hiis forsan extiterint negligentes, nos non solum contra dictum Ezelinum sed et pariter contra eos tanquam defensores seu adiutores et fautores pravitatis heretice faciemus crucem generaliter predicare, et tam Italie quam aliarum provinciarum catholicos necnon reges et principes aliosque fideles crucis caractere pro quocumque Christi servitio insignitos, concessa eis illa indulgentia eoque indulto privilegio, que in Terram Sanctam proficiscentibus in generali concilio conceduntur, invocabimus contra ipsos, cum firmo intendamus proposito mortificare virus tam mortiferum animarum et eradicare de vinea Domini tantam pestem[1].

Dat. Ianue, XVI Kalendas Iulii, anno VIII°.

114.

Innocentius IV papa R[icardo] comiti Casertano, qui persecutores ecclesiae reliquerit, bona nominata, quae nunc pacifice possideat, confirmat. *1251, Iun. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 74; Lib. VIII, 526. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5259.

R. comiti Casertano.

Devotionis tue merita[a] etc. ut supra in proxima usque: opponendo[2]. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus inclinati, comitatum Caserte, civitatem Caleni[3], ad te ut asseris iure hereditario pertinentes, ac castrum Skifati[4] et Castrum ad Mare[5], necnon et Caiaciam[6], Montorum[7], Roccam Montis Dragonis[8], Capuane, Neapolitane, Salernitane et Calinensis diocesum, que ad presens te pacifice possidere proponis, cum omnibus iuribus, honoribus et pertinentiis predictorum comitatus, civitatum et castrorum tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, cuiuslibet in eis alterius iure salvo. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Ianue, XV Kalendas Iulii, anno VIII°.

115.

Innocentius IV papa Thomasio de Aquino comiti Loreti et Acerrarum, qui persecutores ecclesiae reliquerit, omnia bona, tam ea, quae nunc possideat, quam ea, quibus Manfredus filius Fr[iderici II] ipsum spoliaverit, confirmat. *1251, Iun. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 74; Lib. VIII, 525. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Berger edidit. Berger 5258.

Thomasio[b] de Aquino comiti Loreti[c][9] et Acerrarum[10].

Devotionis tue mera sinceritas, quam ad nos et apostolicam sedem habere te novimus[11], nostrum instanter sollicitat animum, ut de te tanquam de fideli filio et

a) *ita R.; cf. n. 115.* b) *ita in marg.;* Thom̄ *rubr.* c) *ita in marg.;* Loriti *rubr.*

1) *Cf. n. 110.* 2) *Cf. n. 106.* 3) *E mer. et or. civ. Suessae.* 4) *Scafati, ex or. Pompejorum; cf. Berger 2904.* 5) *Castellamare.* 6) *Ex sept. et or. Capuae.* 7) *E mer. civ. Avellini.* 8) *E mer. civ. Alife.* 9) *Alium comitatum Loreti vel Laureti atque illum, de quo cf. n. 81, in regno ignoramus. Extat terra hodie dicta Laurito in dioc. Capudaquensi, sed, quoad scimus, comitatus non fuit; cf. etiam Lauritum in Catal. Baron. ap. Del Re, Cronisti Napol. t. I, p. 595.* 10) *Gener quondam Friderici II erat; cf. etiam Böhmer-Ficker 3796.* 11) *Post a. 1251, Mart. 8 ad ecclesiam defecerat, ibid. 4636a.*

devoto propensius cogitemus; et quidem congruentem instantiam dignumque quod per eam suggeritur advertentes, libenter ad ipsius pulsationem cordis ianuam aperimus, circa tuum honorem et comodum affectuosa meditatione pensantes. Id autem aperire tibi apostolice sinum gratie persuadet, quod in ecclesie matris tue devotione[a] succensus, relictis ipsius persecutoribus manifestis, apud quos inter alios multe probitatis obtentu honorabilis habebaris, ei fide ac mente stabili adhesisti, te pro ipsa murum defensionis eisdem persecutoribus opponendo. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus inclinati, comitatum Acerrarum et civitatem Hoienti[1] necnon et castra Pedemontis[2], Alani[3] et Longani Alifane diocesis, ut asseris ad te tamquam ad primogenitum quondam Adinulfi, primigeniti comitis Acerrarum avi tui, successionis iure spectantia, Sarnum[4], quod nunc possides ut proponis, castra Cuculi[5], Iohe nove Capudaquensis diocesis et Montemmaranum[6] et etiam omnia bona, si qua tibi per quondam Fr. Romanorum imperatorem seu filios suos concessa fuerunt, tam ea, que nunc tenes, quam ea, quibus te Manfridus dicti F. filius spoliavit, cum omnibus iuribus, honoribus et pertinentiis eorundem — non obstantibus aliquibus litteris per dictum avum tuum seu alios a prefato F. vel filiis suis super aliquibus predictorum in tuum et iuris tui preiudicium impetratis — auctoritate tibi apostolica, presertim cum regnum Sycilie rege nunc careat, confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, restituentes tibi de speciali gratia omnia bona, quibus dictus Manfredus seu alii persecutores ecclesie te aliquo tempore spoliarunt, cuiuslibet[b] in premissis alterius iure salvo. Nulli ergo etc. nostre restitutionis et confirmationis etc.

Dat. Ianue, XI Kalendas Iulii, anno VIII°.

116.

Innocentius IV papa potestatis, consilii et communis Neapolitanorum devotionem, quam ipsorum et Casertae et Acerrarum comitum nuntii sibi proposuerint, laudibus effert, eisque eandem libertatem in potestatibus assumendis et statutis edendis concedit, quam fideles Patrimonii habeant; nuntiat se in proximo ad partes ipsorum venturum esse.

1251, Iun. 22.

Inn. IV Reg. Vol. II, 95; Lib. VIII, cur. 77. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 14342; Berger 5346.

.. potestati, consilio et communi Neapolitanis.

Sinistri temporis abscedente nubilo et prosperi adveniente sereno non potuit vestra pura devotio, tamquam super fidei erecta candelabrum, vicine regionis incolis non lucere, sed mox illis sue radios proferens claritatis eorum animos diutine indevotionis obscuratos caligine infuso salutis lumine illustravit, revocans ipsos ab inobedientie dampnabilis invio et in semitam dirigens salubrium ecclesie mandatorum[7]. Super hoc igitur sinceritatem vestram immensis merito extollentes laudibus vestreque diligentie studium omni favore omnique gratia prosequentes, commendabilem universitatem vestram rogamus et hortamur attente ac in Domino confortamus, mandantes quatinus vestre anchoram fidei

a) devotionis *R.* b) cuilibet *R.; cf. n. 114.*

1) *Verbum ut videtur corruptum; fortasse 'Boiani', ut Berger censet.* 2) *Ex sept. et or. civ. Alife.* 3) *Fortasse Ailani ex sept. et occ. civ. Alife.* 4) *Ex or. Vesuvii; cf. Berger 2898.* 5) *Fortasse idem quod Cucalum ap. Winkelmann, Acta t. I, p. 775, lin. 22, cf. etiam Berger 2901 et infra sub a. 1254, [Sept. 27].* 6) *Ex or. civ. Avellini; cf. Berger 4036.* 7) *Cf. infra sub a. 1251, Dec. 13.*

figentes in illo, qui sperantes in se non deserit sed tamquam pugnator fortis propitius adest eis, et de nostro ac ecclesie matris auxilio firmiter confidentes, in ipsius devotione ac dilectione tamquam ingenui eius filii et benedictionis alumpni constanti animo persistatis, ita quod nullus prorsus vos timor immutet nec omnino impetus infringat hostilis. Et quia dilecti filii . . cantor Brundusinus et frater Iohannes de ordine Predicatorum, tam vestri quam dilectorum filiorum . . Caserte et . . Acerrarum comitum[1] nuntii, de sollicitudine ac industria multipliciter commendandi, quedam nobis ex parte vestra duxerunt fideliter proponenda, nos, devotione vestra, qua paribus votis ad exaltationem ecclesie Romane ferventer intenditis, per eos sollicite intellecta, vos et civitatem vestram multis magnificare gratiis et singularibus insignire privilegiis intendentes, vobisque illam omnino libertatem in assumendis potestatibus et statutis edendis ac aliis, quam fideles nostri de Patrimonio beati Petri habere noscuntur, auctoritate apostolica concedentes[2], presentium tenore scire vos volumus et pro certo tenere, quod in hiis, que vestro expedire cognoscemus honori, benigni semper et benivoli vobis tamquam peculiaribus eiusdem ecclesie filiis existemus, et in nostro ad partes illas adventu, qui erit in proximo Deo duce, probitatem vestram in omnibus respicientibus civitatis vestre profectum curabimus favorabiliter exaudire.

Dat. Ianue[3], X Kalendas Iulii, anno VIII°.

In eundem modum . . potestati, consilio et populo Capuanis.

117.

Innocentius IV papa electo Bobiensi et [Opizoni] abbati de Mezano mandat, ut clericos et laicos, qui inderotis Placentinis faveant, beneficiis privent, Obertum de Iniquitate potestatem Placentinum et adhaerentes ei excommunicent, civitatem Placentinam districtissimo interdicto subiciant et contra cives in pertinacia persistentes quasdam alias sententias promulgent. *1251, Iul. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 114; Lib. IX, 14. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

. . electo Bobiensi et . . abbati de Mezano[4] Placentine diocesis.

Superba insolentia et insolens superbia populi Placentini adeo ascenderunt[5], ut eis[a] aliut iam non restat, nisi ruere in precipitium confusionis ignominiam adducentis, quia qui videbantur persecutoris gladium evasisse ac pacis tranquillitate uti poterant cum triumpho, persecutorum suorum gladiis sua colla spontanea[b] submiserunt. Cum igitur idem populus spiritu vertiginis concitatus et abalienatus retrorsum a matris devotione discedens adheserit impudenter eius hostibus et persecutoribus contra eam, ipsam inaniter persequendo: quia dignum est, ut indevoti iacturam de sua indevotione reportent, mandamus, quatinus clericos tam religiosos quam seculares civitatis et diocesis Placentine, qui dictum populum in indevotione huiusmodi imitantur et in iniquitatibus

---

a) eos *R.* b) *ita R.*

1) *Cf. n. 114 et 115.* 2) *Cf. n. 38.* 3) *Inn. 8—11, 22 et 23 papa Ianuensibus multa privilegia in regno Siciliae et alibi concessit; Potthast 14317—14328, 14330, 14331, 14343—14345; epp. non reg.* 4) *Ex sept. et or. monasterii Bobiensis. De Opizone abbate cf. t. II, p. 108, n. 142 et infra sub a. 1253, Mai. 17.* 5) *Post seditionem a. 1250, Iul. 28—30 populares, qui Gibellini erant, in civitate praevalebant; Octavianus cardinalis legatus ex ea a. 1251, Mart. 24 recessit; Ann. Placent. Gib. a. 1250, SS. t. XVIII, p. 499—502; cf. 504 et 505.*

suis favent ei, dignitatibus, personatibus, administrationibus[a], pensionibus et quibuslibet beneficiis, nec non et laicos feudis, que ab ecclesiis obtinent, per vos vel per alios auctoritate nostra privantes, litteras, si quas iidem clerici super obtinendis beneficiis et gratiis obtinuerunt a nobis vel apostolice sedis legatis, penitus revocetis et denuntietis nullum esse processum, si quis est habitus per easdem. Insuper Obertum de Iniquitate, qui sicut nomine, ita et re iniquitati concordat, potestatem dicti populi, ac adherentes eidem, nisi infra competentem terminum sibi publice prefigendum a vobis ad devotionem ecclesie revertantur, eadem auctoritate excommunicare curetis et excommunicatos publice nuntietis et nuntiari faciatis per loca, in quibus videritis expedire, subicientes civitatem predictam districtissimo interdicto, ita quod preter baptismata parvulorum et penitentias morientium nullum ibi divinum officium celebretur aut exhibeatur ecclesiasticum sacramentum, et sub interminatione anathematis districtius inhibentes, ne, ipsis potestate ac populo in huiusmodi pertinatia persistentibus, aliqua civitas audeat aliquem assumere de ipsis in rectorem vel aliquem civem suum permittat ipsius suscipere regimen civitatis, ita [quod][b] si qui secus facere forte presumpserint, hii, qui Placentine susceperint regimen civitatis, et hii, qui eiusdem civitatis civium in suarum regimen civitatum fuerint electores, hoc ipso laqueum excommunicationis incurrant; nec ullus interim cum potestate ac populo sepedictis aliquod exercere presumat commercium, colloquium vel contractum aut eis de aliquo debito respondere, faciendo ipsos nichilominus tamquam excommunicatos expelli de locis, in quibus inventi fuerint, et res eorum impune capi ab aliis et etiam detineri; contradictores etc. — non obstantibus[c] aliqua indulgentia, quibuscumque personis vel locis ab apostolica sede concessa, quod interdici, suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam de ipsa indulgentia mentionem, aut qualibet alia, vel privilegio, per que processus vester super hoc impediri valeat vel differri et de quibus in nostris[d] litteris mentio fieri debeat specialis, et constitutione de duabus dietis etc. Quod si non ambo etc.

Dat. Mediolani, Idibus Iulii, anno VIIII°.

118.

Innocentius IV papa Novariensibus bona, quae de rebellibus ecclesiae acquisiverint a tempore, quo a dominio quondam F[riderici II] ad mandatum ecclesiae redierint, et concordias cum communi Blandari aliisque initas confirmat. — W[illelmum] regem Romanorum rogat, ut eis idem et ipse confirmet. *1251, Iul. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 121; Lib. IX, 65 et 66. Damus Pertzii exemplaria.

I.

.. potestati et communi Novariensibus.

Tantam devotionis et fidei puritatem erga sedem apostolicam geritis ac tot etiam per hostes ecclesie iniurias et discrimina pertulistis, ut dignum sit vos per sedem eandem in prosperis erigi et gratiosi favoris affluentia confoveri. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus annuentes, omnia, que de bonis inimicorum et rebellium ecclesie vos vel aliqui vestrum acquisivistis a tempore, quo relicto dominio quondam F. Romanorum imperatoris ad mandatum ecclesie rediistis[1], necnon concordias inter vos vel aliquem vestrum ex parte una et commune ac homines Blandari[2] seu quascumque alias

a) adminitrationibus *R.* b) quod *deest R.; cf. n. 112.* c) obst' *R.* d) vestris *R.*

1) *A. 1243, Dec.; Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 487.* 2) *Biandrate ex occ. Novariae; cf. Böhmer-Ficker 3752.*

communitates et homines vel eorum aliquos ex altera rationabiliter initas, sicut in publicis instrumentis confectis exinde dicitur contineri, vobis ac singulis vestrum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Mediolani, Idibus Iulii, anno VIIII°.

II.

W. regi Romanorum illustri.

Tantam fidei et devotionis puritatem dilecti filii . . potestas et commune Novarienses circa sedem apostolicam gerere dinoscuntur ac tot etiam etc. ut supra in proxima usque: confoveri. Cum itaque ipsi vel eorum aliqui multa de bonis inimicorum et rebellium ecclesie a tempore, quo relicto dominio quondam F. Romanorum imperatoris ad mandatum ecclesie redierunt, acquisivisse ac etiam certas concordias cum communi et hominibus Blandari nec non cum quibusdam aliis communitatibus et hominibus ac eorum aliquibus rationabiliter inhiisse noscantur[a]: serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatinus cum dicti potestas et commune tue diligant exaltationis augmentum et in votis habeant, ut tibi placeant gratis obsequiis temporibus oportunis, sibi dictas acquisitiones et concordias pro apostolice sedis et nostra reverentia, sicut regiam decet celsitudinem, sine aliqua difficultate confirmes, ita quod nos, qui preces huiusmodi tibi cum fiducia speciali dirigimus, excellentie tue speciales gratias exinde referamus.

Dat. ut supra.

119.

Innocentius IV papa Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut Manfredo filio quondam F[riderici II] principatum Tarenti et [Bertholdo] marchioni de Frimborc [Hohemburc] comitatum Andrensem in feudum concedat, si iidem ad mandatum ecclesiae redierint. — Eidem mandat, ut his concessionibus faciendis de consensu devotorum ecclesiae condiciones apponat. — Nonnullis devotis ecclesiae de eadem re scribit. *1251, Iul. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 171; Lib. IX, cur. 1—4. Damus Pertzii exemplaria.
Potthast, Reg. 14360 = I.

I.

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum dilectum filium Petrum ostiarium et consanguineum nostrum ad te, pro eo quod nobiles viri Manfridus[1], natus quondam F. olim Romanorum imperatoris, et marchio de Frimborc[2] volunt, |sicut|[b] per tuas et ipsorum[3] litteras accepimus, ad mandatum nostrum et ecclesie devotionem redire, ut tibi super hoc nostre voluntatis exponat beneplacitum, destinemus, sicque nobis fiducia et spes detur, quod iidem ad ipsius ecclesie beneplacita et obsequia eius preventi gratiis et beneficiis eo insistent ferventius et studiosius se convertent, quo eam impetiverunt maioribus nocumentis: mandamus, quatinus si de consilio nobilium virorum . . Casertani et . . Acerrarum comitum necnon Neapo-

a) noscuntur *R.* b) sicut *deest R.*

1) *Per testamentum patris balirus Italiae et regni Siciliae in absentia Conradi regis erat; Böhmer-Ficker 3835.* 2) *Marchio de Hohemburg [cf. n. 37] a. 1251, Mai. capitaneus in Salerno et Principatu vocatur; ibid. 4638a.* 3) *Id notandum est, cum prospere eodem tempore contra rebelles regni pugnarent; ibid.*

litane et Capuane civitatum et comunium[1], quibus super hoc dirigimus scripta nostra, iidem nobiles ad mandatum ecclesie redierint et recepti fuerint ab eadem, tu eidem Manfredo principatum Tarentinum[2] et marchioni prefato Andrensem comitatum[3] in feudum auctoritate nostra concedas, receptis prius ab eis nostro et ecclesie Romane nomine fidelitatis et homagii ligii iuramentis, ac dilectis filiis nobili viro[a] . . nato[4] dilecti filii nobilis viri . . marchionis Estensis[5] ac Arcione germano tuo necnon hiis qui adheserunt ecclesie ac adherent et eiusdem fidelibus et devotis datis omnimode libertati, ac etiam primitus civitatibus, castris, villis, terris et munitionibus omnibus, quocumque nomine censeantur, que detinentur ab eis[6], predictis principatu et comitatu exceptis, in eiusdem fratris P. vel aliorum, quibus idem frater [id][b] commiserit, manibus restitutis, ut de ipsorum castrorum et munitionum custodia ordinent et disponant, prout eis videbitur expedire.

Dat. Mediolani, VIIII Kalendas Augusti, anno VIIII°.

II.

Eidem.

Licet tibi nostris litteris dederimus in mandatis, ut nobilibus viris Manfredo, nato quondam Fr. Romanorum imperatoris, principatum Tarentinum et . . marchioni de Frimborc comitatum Andrensem in feodum nomine ecclesie Romane concedas, discretioni tamen tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in concessione ipsorum principatus et comitatus, quam fieri volumus sine iuris sedis apostolice devotorum, quos utiliores ecclesie tu noveris, [detrimento][c], de ipsorum consensu conditiones apponas, prout videris expedire[7].

Dat. ut supra.

III.

Nobili viro iuveni comiti Acerrarum[8].

Licet ad nos sint quedam super quorundam indevotorum ecclesie ad ipsius devotionem revocatione perlata, quia tamen super hoc nolimus tractatum aliquem acceptare, nisi prius tue voluntatis et circumspectionis providentia ac maturitatis consilio requisitis, nobilitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dilecto filio fratri Petro hostiario et consanguineo nostro, latori presentium, quem propter hoc ad te specialiter destinamus, super hiis, que tibi ex parte nostra dixerit, adhibeas plenam fidem.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Neapolitanis.
In eundem modum . . potestati, consilio et communi Capuanis.
In eundem modum . . comiti Casertano.

IV.

Nobilibus viris Henrico et Thomasio[d] et aliis de domo de Ebulo[9].

Presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus dilecto filio fratri Petro hostiario et consanguineo nostro, quem ad vos pro quibusdam Romane ecclesie negotiis destinamus, adhibeatis super hiis, que vobis ex parte nostra dixerit, plenam fidem.

---

a) no vi *R.* b) id *deest R.* c) detrimento *vel tale quid deest R.* d) Thom̃ *in marg.*; Th. *rubr.*

1) *Cf. n. 116.* 2) *Ergo papa Manfredo ne tantum quidem obtulit, quantum pater ei in testamento suo reliquerat, et ea de causa eos non convenisse credimus. De principatu Tarentino cf. etiam t. II, p. 542, n. 735 et infra sub a. 1252, Ian. 21.* 3) *E mer. civ. Barletta.* 4) *Raynaldo, qui a. 1239, Apr. obses in regnum missus [Böhmer-Ficker 2436a], a. 1251 ibi in carcere obiit; Ann. Veron. a. 1251, SS. t. XIX, p. 14.* 5) *Azzonis VII, de quo cf. etiam Berger 4825.* 6) *Cf. n. 37.* 7) *Hoc mandatum secretum erat ideoque ep. I non insertum.* 8) *Thomasio. Alter comes Acerrarum erat avus eius, et ipse Thomasius vocatus; cf. n. 115 et t. II, p. 399, n. 564.* 9) *E mer. et or. civ. Salerni.*

In eundem modum nobilibus viris[a] Riccardo[1] et aliis fratribus venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Barensis[2].

In eundem modum . . archiepiscopo Barensi.

In eundem modum nobili mulieri . . matri . . comitis Casertani[3].

In[4] eundem modum . . potestati, consilio et communi Neapolitanis.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Capuanis.

120.

Innocentius IV papa Alexandrinis ad preces eorum totam terram, quam ab hostibus ecclesiae acquisierint vel acquisituri sint, confirmat. *1251, Aug. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 116; Lib. IX, 29. Damus Pertzii exemplar.

Consilio et communi Alexandrinis[5].

Pro tuitione libertatis ecclesiastice ac vestrorum defensione iurium a vestris et apostolice sedis hostibus multa sustinuistis dispendia et eis intulistis etiam nocumenta. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, totam terram, quam vos vel aliquis vestrum ad hostes pertinentem eosdem acquisivistis hactenus et acquirere poteritis in futurum, in devotione iam sedis apostolice persistendo, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc.

Dat. Mediolani, XII Kalendas Septembris, anno VIIII°.

121.

Innocentius IV papa potestatem et commune Castri Trebarum absolvit ab exhibitione iuramenti et pallii, quae hactenus Fuliginatibus ecclesiae rebellibus praestiterint. *1251, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 117; Lib. IX, 42. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. s. sedis, t. I, p. 129, n. 237 edidit.

Potthast, Reg. 14416.

. . potestati et communi Castri Trebarum[6] Spoletane diocesis.

Significastis nobis, quod vos unum pallium[7] annuatim Fuliginatibus[8] exhibere ac potestas in Castro Trebarum pro tempore institutus in principio sui regiminis . . potestati Fuliginati sicut quivis de civitate Fuliginati prestare consuevit hactenus iuramentum. Unde ne vobis, ecclesie Romane devotis, indevotorum iugum incumbat, absolvi ab hiis

---

a) no vi *R.*

1) *Cognomine Filangerio.* 2) *Marini; cf. n. 105.* 3) *Cf. n. 106.* 4) *Quae sequuntur, falso apposita sunt; nam Neapolitanis et Capuanis forma ep. III missa est, cum eorum 'consilium' requirendum esset; cf. ep. I. Non epistolas integras iis destinandas registrator prae oculis habuit, sed ex solis verbis alicubi annotatis, quibus papa mandaverat, ut Neapolitanis et Capuanis secundum formam approbatam scriberetur, primo appendicem epistolae III recte adiecit et postea eandem etiam ep. IV, cui eam deesse credebat, ex errore annexuit; cf. N. A. t. X, p. 538. Minor diligentia registratoris apparet etiam in notis chronologicis deficientibus.* 5) *Cf. sub n. 52. Sed iam Iun. 9 papa eosdem allocutus est verbis 'salutem et apostolicam benedictionem'; Potthast 14326; non reg.* 6) *E mer. civ. Foligno.* 7) *Mantellum vel fortasse pannum sericum.* 8) *Cf. n. 57.*

a nobis humiliter supplicastis. Cum igitur dicti Fuliginates ob sue rebellionis et infidelitatis offensam honore ac prerogativa huiusmodi reddiderint se indignos, vos ab exhibitione iuramenti et pallii predictorum auctoritate presentium duximus absolvendos — non obstantibus aliquibus privilegiis seu instrumentis vel litteris super hiis obtentis ab eis, que vires volumus non habere. Nulli ergo etc. nostre absolutionis etc.

Dat. Perusii, XV Kalendas Decembris, anno VIIII°[1].

122.

Innocentius IV papa mandata dat, ut pecunia, quae a quibusdam excommunicatis provinciarum Burgundiae et nonnullarum civitatum et diocesium Italiae superioris pro absolutione solvenda sit, colligatur et Th[omae] comiti de Sabaudia assignetur.

1251, Nov. 29.

Inn. IV Reg. Vol. II, 120—121; Lib. IX, 58—62. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14423 et 14424 = I et IV.

I.

Fratri Alfero Albensi de ordine fratrum Minorum[a].

Cum, sicut intelleximus, nonnulli in Albensi et Astensi civitatibus et diocesibus pro incendiis et ecclesiarum fractionibus vinculo sint excommunicationis astricti, nos, de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate committimus, ut eosdem excommunicatos, dummodo dampna passis satisfaciant competenter, hac vice ab huiusmodi excommunicationum sententiis iuxta ecclesie formam absolvas, iniungens[b] eis quod de iure fuerit iniungendum, proviso ut quod essent expensuri propter hoc personaliter ad sedem apostolicam accedendo, morando ibi et recedendo ab ipsa, consideratis propriis qualitatibus et bonorum quantitatibus eorundem, tibi ab eis facias assignari et in tuto loco deponi, quantitatem eorum, que propter hoc receperis, et locum, quo ea deponenda duxeris, nobis fideliter rescripturus. Ut autem huiusmodi negotium facilius et efficacius exequi valeas, committendi illud personis, quas ad id elegeris, si expedire videris, ac compellendi eas[c] per censuram ecclesiasticam liberam tibi concedimus facultatem.

Dat. Perusii, III Kalendas Decembris, anno VIIII°.

In eundem modum fratri Guillelmo de Bagnolio de ordine Minorum in Taurinensi et Iporiensi civitatibus et diocesibus[2].

II.

.. episcopo Bellicensi.

Cum de hiis, que nonnulli in Lugdunensi, Tarantasiensi, Viennensi, Bisuntina, Aquensi[3] et Arelatensi provinciis per pravitatem usurariam ac alias illicite acquisivisse

---

b) *ita in marg.;* Predicatorum *in rubro.* b) iniungas *R.* c) eos *R.*

1) *Nov. 13 pro eisdem statuerat, ut Fuliginates ad debitam restaurationem damnorum eis obligati essent; Lib. IX, 43. Iohannem Leonardi, Philippum Symi et Aegidium Matthaei de Trebis, quos Fuliginates olim ceperant, et ut se redimerent, coegerant, Petrus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc legatus, ab omni obligatione absolverat; papa id a. 1252, Sept. 4 confirmavit; Lib. X, 110, cf. 112.* 2) *Cf. sub n. V.* 3) *Nescimus an id falsum sit, cum pro Aquensi et Arelatensi provinciis mandatum, quod huic respondet, in n. IV episcopo Sistaricensi commissum sit; cf. n. III.*

noscuntur, certum tibi per alias litteras nostras[1] mandatum meminerimus[a] direxisse, volumus et sinceritati[b] tue presentium tenore precipiendo mandamus, quatinus pecuniam, quam iuxta ipsius mandati tenorem de acquisitis taliter collegeris, dilecto filio nobili viro Th. comiti de Sabaudia[2] vel eius certo nuntio sine difficultate qualibet assignare procures, quantitatem ipsius pecunie nobis tuis litteris rescripturus.

Dat. ut supra.

III.

. . episcopo Sistaricensi.

Cum de hiis, quibus nonnulli[c] in Arelatensi et Aquensi provinciis pro incendiis et ecclesiarum fractionibus vinculo sunt excommunicationis astricti, certum tibi per alias litteras nostras[3] meminerimus[d] direxisse etc. ut supra usque: quatinus pecuniam, quam etc. ut supra in proxima.

In eundem modum . . episcopo Bellicensi in Lugdunensi, Tarantasiensi, Viennensi, Bisuntina, Aquensi[4] et Arelatensi provinciis.

IV.

Fratri Alfero Albensi de ordine Minorum[e].

Volumus et discretioni tue precipiendo mandamus, quatinus pecuniam, quam de acquisitis per usurariam pravitatem et alias illicite a nonnullis in Astensi et Albensi civitatibus et diocesibus iuxta mandati nostri tenorem collectam constiterit vel collegeris, dilecto filio nobili viro Th. de Sabaudia comiti etc. ut supra.

In eundem modum . . episcopo Sistaricensi in Arelatensi et Aquensi provinciis.

In eundem modum fratri Guillelmo de Bagnolio de ordine Minorum in Taurinensi et Iporiensi civitatibus et diocesibus.

V.

Eidem[5].

Cum pro illis, qui in Taurinensi et Iporiensi civitatibus et diocesibus pro incendiis et ecclesiarum fractionibus vinculo sunt excommunicationis astricti, certum[f] tibi etc. ut supra in quarta superiori.

123.

Innocentius IV papa magistro et fratribus hospitalis de Altopassu restituit ecclesiam et domum sitas prope Capuam, quas quondam magister Petrus de Vinea, cui tum resisti non potuerit, ab iis receperit, dans iis nomine permutationis quoddam hospitale

---

a) meminimus *R.* b) fraternitati *corrigendum videtur, cum episcopo scriptum sit.* c) *Legendum videtur ut in V:* Cum pro illis, qui. d) meminimus *R.; cf. not. a.* e) *ita in marg. et in rubro.* f) et certum *R.*

1) *Ut videtur sub simili forma ac n. I.* 2) *Hic eodem anno Beatricem de Flisco neptem papae in matrimonium duxerat; Matth. Par. Chron. a. 1251, SS. t. XXVIII, p. 326; Iun. 22 papa episcopo Novariensi mandaverat, ut eum ab excommunicatione absolveret: Potthast 14341, non reg.; Iul. 3 mediantibus duobus cardinalibus cum Iohanne electo Taurinensi pacem reformaverat; Winkelmann, Acta t. I, p. 579, n. 733. De iuribus, quae idem Taurini, Eporediae et alibi habuit, cf. Potthast 14413; cf. etiam 14531, epp. non reg., et infra sub a. 1252, Oct. 23 et a. 1254, Mart. 6.* 3) *Ut videtur sub forma ep. I.* 4) *Id cum ep. superiore non convenit; cf. p. 102, not. 3.* 5) *Sub hoc verbo antecedens frater Guillelmus de Bagnolio latere et fratri Alfero idem de pecunia in Astensi et Albensi civitatibus et diocesibus collecta commissum esse videtur; cf. n. I.*

Lucanae diocesis, quod spectans ad episcopum Lucanum, ab eodem postea ad ius suum revocatum sit. *1251, Nov. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 122; Lib. IX, 72. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Huillard-Bréholles, Pierre de la Vigne, p. 317, n. 17 edidit.

Potthast, Reg. 14422.

.. magistro et fratribus hospitalis de Altopassu[1] Lucane diocesis.

Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod quondam magister Petrus de Vinea, cui tunc temporis tamquam prepotenti[a] officiali quondam F. imperatoris non poterat sine gravi iactura resisti[2], aspirans ad ecclesiam et domum vestras sitas prope civitatem Capue ac pauperum et infirmorum usibus deputatas, illas sibi a vobis concedi frequenter cum instantia postulavit, et tandem illas cum aliquibus pertinentiis earundem accipiens, quoddam hospitale predicte diocesis cum pertinentiis suis spectans ad .. Lucanum episcopum pro supradictis ecclesia et domo nomine permutationis vobis et hospitali vestro concessit, prefato episcopo hospitale ipsum ad ius suum, sicut ante fuerat, processu temporis revocante. Cum autem vos super hoc ad providentiam sedis apostolice duxeritis recurrendum, nos, indempnitati vestre de solita benignitate caventes, memoratas ecclesiam ac domum cum pertinentiis earundem vobis et per vos dicto hospitali vestro plene restituimus ac etiam concedimus de gratia speciali, a vobis et ab eodem hospitali perpetuo retinendas, — non obstantibus permutatione predicta seu conditionibus aliquibus, pactis aut contractibus super hiis a vobis cum predicto Petro initis, qui scire ac intelligere poterat et debebat illa robur aliquod non habere, eo tunc in illis precipue presidente[b] partibus, qui non solum erat terror humilium sed sublimium personarum, nec etiam obstante si bona eiusdem P. aut ecclesia et domus supradicte per nominatum F. aut officiales seu fautores eius occupata extiterint, vel si per ipsum F. aut eundem P. vel quoscumque alios seu per nos etiam alii sint collata. Nulli ergo etc. nostre restitutionis et collationis etc.

Dat. Perusii, III Kalendas Decembris, anno VIIII°[3].

124.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Aquinati mandat, ut feudum, quod Bruccardus Teutonicus castellanus Roccae Sorellae per donationem quondam F[riderici II] teneat in Traiecto Gaietanae diocesis, Bartholomaeo de S. Germano senescalco episcopi Ostiensis conferat. *1251, Dec. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 167; Lib. IX, 335. Damus Pertzii exemplar.

. . episcopo Aquinati[4].

Obsequiose devotionis instantia, qua dilectus filius Bartholomeus de Sancto Germano senescalcus venerabilis fratris nostri .. Ostiensis episcopi[5] gratus nobis efficitur,

a) propotenti *B.* b) residente *H. B.*

1) *Altopascio, ex or. civ. Luccae.* 2) *A. 1244, Apr. imperator bona hospitalis sub protectione sua receperat; Böhmer-Ficker 3426.* 3) *A. 1255, Mart. 15 Alexander IV eidem hospitali gratiam fecit; Lib. I, 213.* 4) *Magistrum Petrum de S. Helya Petrus cardinalis legatus ecclesiae Aquinati de mandato apostolico praefecerat, id quod papa a. 1251, Febr. 26 confirmaverat, mandans episcopo Ostiensi, ut ei munus consecrationis impenderet; Berger 5110.* 5) *Raynaldi.*

eiusdem servitiis laudabiliter insistendo, pro eo apud nos laudabiliter interpellat, ut ipsius obtentu episcopi ac sue probate fidei exigentibus meritis dono ipsum B. prosequamur libenter apostolice beneficientie ac favoris. Ipsius igitur senescalci devotis precibus inclinati, mandamus, quatinus feudum, quod Bruccardus Theutonicus castellanus Rocce Sorelle [1] per donationem quondam F. Romanorum imperatoris post latam sententiam excommunicationis in ipsum in Traiecto [2] Gaietane diocesis tenere dinoscitur, cum tenimentis, iuribus aliisque pertinentiis suis auctoritate nostra dicto senescalco, cui super hoc gratiam facere intendimus specialem, amoto exinde dicto Bruccardo concedere ipsumque de ipso feudo investire procures: contradictores etc. — constitutione de duabus dietis etc.

Dat. Perusii, Kalendis Decembris, anno VIIII° [3].

125.

Innocentius IV papa commune [Neapolitanum, cum post mortem F[riderici II], prout etiam ante proposuerit, regni Siciliae et sedis apostolicae negotium constanter assumpserit et conatus assiduos filiorum F[riderici II] virtuose propulset, specialibus privilegiis decorat. *1251, Dec. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 134; Lib. IX, 118. Damus Pertzii exemplar.
Potthast, Reg. 14438.

Dilectis filiis communi Neapolitano in perpetuum.

Pure fidei claritate conspicua Neapolitana civitas et lucidis in se ac magnificis proficit actibus et cunctis aliis regni [a] Sicilie spectabili sectandeque probitatis exemplo libertatis amplectende profectum manifeste propinat: propter quod civitas ipsa, que a menium fundatione suorum generoso populo nobilis nobilior gestorum ingenuitate conspicitur, sic apud proximos et remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis et penes nos apostolice sedis precipuis attollenda favoribus et gratiis potioribus honoranda, quod non solum per singulas vicine Italie regiones clare resonat sue preconium bonitatis, sed et longius tuba intonat laudis eius suaque remotius acta volantis fame diffusione notescunt [b], et nos dictaque sedes totis affectibus ducimur, ut condignis eam honoribus sublimemus. Sublato namque Fr. quondam Romanorum imperatore ac Sicilie rege de medio, qui, austeritate Pharao, Herodes impietate sevitiaque Nero, predictum regnum continue afflictionis iugo depresserat et furoris immanis gladio laniarat, eadem civitas, ut regnum ipsum ad statum reduceretur liberum et tranquillum et a pristine oppressionis erueretur oneribus, que adhuc illius pestilentis reliquie, ipsius videlicet filii, paterne malitie successores, eidem inferre regno more patrio utpote genimina viperarum [c] venenosa egressa de colubro moliuntur, nec non et ad devotionem premisse sedis, ad quam illud specialiter pertinere dinoscitur, cordis stabilitate rediret, ferventis vigore spiritus animata virium collecto robore statim ipsius regni, quinimmo et dicte sedis negotium, prout etiam ante prefati F. decessum proposito firmo conceperat, de divino et matris ecclesie confisa suffragio constanter assumpsit [4], resistens

a) regno *R.* b) notescant *R.* c) vipera *R.; cf. Matth. 23, 33 et Iob 26, 13.*

1) *Arcis civitatis Sorae.* 2) *Traetto, ex or. cir. Gaeta.* 3) *Episcopus id executus est a. 1251, Dec. 5 in palatio S. Petri de Perusio, cuius chartam Alexander IV inseruit epistolae, qua eidem Bartholomaeo Nicolai Iudicis Berardi de S. Germano senescalco suo feudum Bruchardi Theotonici tunc castellani Rochae Sorellae a. 1255, Febr. 6 confirmavit; Al. Lib. I, 194. De nepote Bartholomaei cf. Inn. Lib. IX, 377.* 4) *Cf. n. 116.*

patenter prefatis nequitie filiis eorumque conatus assiduos virtuose propulsans[1]; sicque in reliquos dicti regni ex huiusmodi repugnantie audacia commendanda resistendi transfusa fiducia, predictorum iniquorum temerarius refrenatus est ausus et superbus eorundem processus non modicum impeditus.

Non in hoc utique civitas ipsa proprium dumtaxat attendit commodum, non suis tantum utilitatibus iniavit, sed ad profectus profecto communes pure intentionis direxit affectum, publice quoque tranquillitati et commoditati prospexit, in libertatis quidem antique recuperatione preambula, in exhibitione plene devotionis anterior, prior ac potior contra hostes et in magnifica tanti negotii prosecutione conspectior. Unde valde promeruit specialium privilegiorum insigniis a sede apostolica decorari. Nos igitur, premissis omnibus diligenti consideratione pensatis, volentes propterea eiusdem Neapolitane civitatis honorem predicte sedis donis sublimibus et perpetuis ampliare, vestris in hoc desideriis assensu benivolo[a] concurrendo, personas vestras et civitatem ipsam in devotione[b] sedis persistentes eiusdem cum omnibus bonis etc.[c] usque: communimus, de fratrum nostrorum consilio statuentes, ut eadem civitas perpetuo prefate sedis remaneat, ita quod Romana ecclesia semper absque ullo medio retinens illam sicut terram Campanie vel Maritime, nunquam eam a suo excludat gremio neque aliquando ipsam vel ius quodcunque in ea seu pertinentiis aut in territorio eius cuiquam sive imperatori sive regi seu duci aut principi vel comiti seu cuicunque alii persone concedat[2]. Sane ut ex affluentia beneficiorum sedis eiusdem exultet ipsa civitas gaudio pleniori, vobis illam omnino libertatem in assumendis potestatibus, dummodo fideles vel devotos ecclesie assumatis, et in statutis edendis[3], ita tamen quod nichil in eis contra prefatam Romanam ecclesiam et libertatem ecclesiasticam presumatur, ac aliis apostolica auctoritate concedimus, quam[d] fideles de Patrimonio beati Petri habere noscuntur. Porro rationabiles consuetudines approbatas dudum in civitate ipsa et pacifice observatas usque ad tempus, quo iamdictus F. suas constitutiones in regno edidit memorato[4], necnon et ordinationes post ipsius F. obitum inter milites et populares civitatis eiusdem et pro bono et pacifico ipsius civitatis statu ad honorem ecclesie factas[e], super quibus instrumenta dicuntur esse confecta, vobis de speciali gratia confirmamus. Ad hec ea omnia, que civitas ipsa vel eius cives aliquandiu tenuerunt, quorum quidem iusta per superiorem privatio non apparet, exceptis hiis que per singulares personas prefate civitatis teneri noscuntur, universitati vestre confirmamus de predicte sedis munificentia liberali. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis, constitutionis, concessionis, confirmationis et collationis infringere vel in aliquo ei ausu temerario contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona, paginam ipsam sciens, contra eam venire temptaverit etc.[f] usque: ultioni. Cunctis autem paginam ipsam observantibus sit pax domini nostri Iesu Christi etc. usque: Amen.

Ego[g] Innocentius catholice ecclesie episcopus subscripsi. Ego Raynaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus subscripsi. Ego Petrus Albanensis episcopus subscripsi. Ego Stephanus Sancte Marie Transtiberim tituli Calixti presbyter cardinalis subscripsi. Ego Petrus tituli Sancti Marcelli presbyter cardinalis [subscripsi][h]. Ego frater Iohannes

a) benvolo *R.* b) devotionem *R.* c) *cf. t. II, p. XVIII, n. 6.* d) quem *R.* e) factis *R.* f) *cf. t. I, p. XVII, n. 37 et 38.* g) *Ex his subscriptionibus elucet privilegium ex authentico registratum esse.* h) subscripsi *deest R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 4640a.* 2) *Hic quoad scimus primus locus est, quo papa aliquam partem regni Siciliae a dominio futuri regis exemit et ecclesiae Romanae immediate subesse decrevit; sed cf. chartam Petri legati Adriensibus a. 1251, Apr. 1 concessam ap. Ughelli, t. I, p. 1140, Potthast 14384 et infra sub n. 135. Conradus rex iter in Siciliam proficiscendi arripuerat, qui a. 1252, Ian. 8 apud Sipontum applicavit. Papa bellum Siculum, utpote non prosperum, prosequi desierat et Petrum legatum revocaverat; v. infra inter testes.* 3) *Cf. n. 116.* 4) *A. 1231, Aug.; Böhmer-Ficker 1888a.*

tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis subscripsi. Ego Riccardus Sancti Angeli diaconus cardinalis subscripsi. Ego Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis subscripsi. Ego Willelmus Sancti Eustachii diaconus cardinalis subscripsi.

Dat. Perusii per manum magistri Marini sancte Romane ecclesie vicecancellarii. Idibus Decembris, indictione X^a^, incarnationis Dominice anno M°C°C°LI°, pontificatus vero domni Innocentii pape IIII anno nono [1].

126.

Innocentius IV papa Fanenses ad instar Innocentii III sub protectione sedis apostolicae suscipit eisque consulatum cum iurisdictione in criminalibus et civilibus et bonas consuetudines confirmat. *1251, Dec. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 121—122; Lib. IX, 68. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. t. I, p. 129, n. 238 edidit. Epistola mutatis mutandis concordat cum illa, quae in Innocentii III Reg. Lib. III, 29 [Potthast 1164] legitur [1].

Potthast. Reg. 14443.

Consulibus et populo Fanensibus.

Omnipotenti Deo grates referimus copiosas, quod a diebus felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri iustitiam ecclesie Romane respiciens civitatem vestram cum tota diocesi, quam ad ius et proprietatem apostolice sedis non est dubium pertinere, sibi restituit violentia propulsata, per quam iniuste fuerat aliquandiu sub aliena potestate detenta. Cum enim quondam Iohannes Rustici nuntius vester et procurator cum litteris vestris de rato [2] ad dicti predecessoris presentiam accessisset, ex parte vestra promisit, quod tam vos quam omnes, qui sunt de vestro districtu, ipsi predecessori et successoribus ipsius et ecclesie Romane fidelitatem curetis[a] universaliter exhibere, expeditionem et parlamentum, pacem et guerram ad mandatum ipsius predecessoris et legatorum ac nuntiorum apostolice sedis per totam Marchiam bona fide iuxta facultates vestras propriis[b] expensis facere sine fraude, appellationibus ad dictum predecessorem vel legatos aut ipsius nuntios legitime factis debita veneratione deferre, procurationes idoneas eidem necnon legatis ipsius et nuntiis impendere, pro annuo quoque censu quinquaginta libras usualis monete persolvere annuatim, medietatem videlicet pro ipsa civitate et medietatem pro eius districtu, vel, si mallet[c], novem denarios pro unoquoque fumante, ut more vestro loquamur, exceptis clericis, militibus, iudicibus, advocatis, tabellionibus et hiis, qui nullas possessiones habere noscuntur, qui non consueverunt affictum prestare, quem videlicet censum vestris expensis camere dicti predecessoris et successorum ipsius inferretis, postulans humiliter et implorans, ut vobis consulatum cum sua iurisdictione confirmare auctoritate apostolica dignaretur, salvis universis demaniis, que libere semper in eiusdem predecessoris et successorum ipsius dispositione consisterent.

a) *ita R.;* curabitis *1.* b) proprias *R.;* iuxta proprias fac. vestris expensis *1.* c) mallemus *1.*

1) *Ex epp. a. 1252, Aug. 27 et 1254, Nov. 3 fortasse conicere licet civitati Capuanae simile privilegium concessum esse. — A. 1252, Ian. 10 papa ecclesiae Neapolitanae magistrum Bernardum de Neapoli, subdiaconum et capellanum suum, decanum Patracensem, de plenitudine potestatis praefecit; a. 1252, Ian. 18 eidem electo, cum iura sua nunc ad plenum percipere non posset, beneficia, quae tempore promotionis suae habuit, reservavit. Lib. IX, 84 et 89; Potthast 14471, —.* 2) *I. e. litteris procuratoriis; cf. Ducange sub verbo 'litterae de rato'.*

Licet autem longe maiora consuevistis[a] aliis exhibere, ut tamen sentiretis et gauderetis vos ad illius dominium rediisse, que de se vere dicere potest: 'iugum meum suave est et onus meum leve': promissionem et oblationem ipsius procuratoris ex parte vestra ipsi predecessori factam idem de ipsorum[b] duxit fratrum consilio acceptandam. Nos itaque ad instar ipsius predecessoris vos tanquam filios speciales sub apostolice sedis protectione suscipimus, quos sub eius dominio volumus perpetuo retineri, confirmantes vobis consulatum cum iurisdictione, que spectat ad ipsum tam in criminalibus quam civilibus, ita ut omnes consules et potestates, qui pro tempore fuerint, Romano pontifici et ecclesie Romane iuramento fidelitatis teneantur astricti, bonas quoque consuetudines vestras ratas habemus et volumus eas inviolabiliter observari. Vos autem et successores vestri perpetuo nobis ac successoribus nostris universa, que scripta sunt et promissa, curabitis fideliter et efficaciter adimplere, singulis quoque decenniis iuramenta fidelitatis et observantie premissorum universaliter innovare, salva in omnibus apostolice sedis auctoritate. Nulli ergo etc. nostre concessionis et confirmationis etc.

(Matth. 11, 30)

Dat.[c] Perusii, XV Kalendas Ianuarii, anno VIIII°.

127.

Innocentius IV papa Florentio de Hollandia indulget, ut in eum excommunicationis et in comitatum Hollandiae, a W[illelmo] rege Romanorum fratre eius ipsi commissum, interdicti sententiae absque speciali mandato apostolico ferri non possint.

1251, Dec. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 133; Lib. IX, 144. Damus Pertzii exemplar.

Nobili viro Florentio de Hollandia, carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris germano.

Ut eo fortius sedis apostolice obsequiis astringaris, quo maiorem[d] ab ea gratiam fueris assecutus, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut nullus apostolice sedis delegatus vel subdelegatus ab eo, conservator aut etiam executor a sede deputatus eadem possit excommunicationis in personam tuam et in comitatum Hollandie, tue prudentie a fratre tuo commissum[1], interdicti sententiam promulgare absque speciali mandato nostro, faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, X Kalendas Ianuarii, anno VIIII°.

Datus est ei super hoc conservator . . abbas de Migdelburg[e][2] Premonstratensis ordinis Traiectensis diocesis[3].

---

a) consueveritis *1.* b) nostrorum *1.* c) *Notae chronologicae desunt in Inn. III Lib. III, 28 et 29; in ep. 27 legitur:* Dat. Lateran. IX Kl. Dec. a. III, *et sine dubio epp. 28 et 29 quoque exeunte a. 1200 exaratae sunt.* d) maiora *R.* e) Migdelburḡ *R.*

1) *Iam a. 1248, Iul. 7 Florentius vicem Willelmi regis in comitatu Hollandiae gerebat; Kluit, Hist. crit. comit. Hollandiae, t. II, 2, p. 524, n. 147.* 2) *Middelburg in ins. Walcheren; abbas Nicolaus.* 3) *Potthast 14447; ex auth. — Dec. 18 eidem scripsit Florentium conquestum esse, quod nonnulli delegati vel subdelegati sedis apostolicae auctoritate et interdum archiepiscopus Coloniensis, diocesanus, archidiaconus loci et alii sibi sub poena excommunicationis iniungerent, ut aliquos presbyteros et clericos terrae comitatus Hollandiae propter excessus eorum caperet; quapropter Florentio indulgeret, ne per captiones huiusmodi excommunicationem a canone promulgatam incurreret; Lib. IX, 145.*

128.

Innocentius IV papa capitulo et clero Laudensibus notum facit, cum civitas ipsorum, quae quondam F[riderico II] adhaerens, a Gregorio IX papa dignitate episcopali privata sit, ad sinum ecclesiae redierit, se ei eandem dignitatem restituisse et ecclesiae Laudensi Bonum Iohannem concessisse in pastorem; mandat, ut ei obediant.

1252. Ian. 9.

Inn. IV Reg. Vol. II, 124: Lib. IX, 83. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Ughelli, It. sacr. t. IV, p. 676 edidit.

Potthast, Reg. 14470: Vignati, Cod. dipl. Laud. t. II, p. 345, n. 342.

Capitulo et universo clero civitatis et diocesis Laudensis.

Licet continuata supervenientium negotiorum instantia nostrum animum, qui disponente Domino universali regimini quamvis immeriti presidemus, insultibus impetat[a] successivis, sollicitudo tamen omnium ecclesiarum nostris incumbens humeris tanto artius nos cotidiana meditatione perurget, quanto ad id sumus ex iniuncto nobis apostolatus officio specialius, immo principalius deputati. Cum igitur dudum felicis recordationis G. papa predecessor noster civitatem Laudensem, pro eo quod ipsius commune quondam F. olim Romanorum imperatori excommunicationis vinculo innodato pertinaciter adherentes[1] committebant circa clericos et personas religiosas, ut taceamus de combustione cuiusdam fratris ordinis Minorum, excessus detestabiles et penitus inauditos, deliberatione provida episcopali privaverit dignitate[2], nosque, attendentes quod ipsi ad matris ecclesie sinum ex animo, cum illos, qui sui circa predicta fuerant causa casus, tamquam facinorosos ab eadem civitate edicto perpetuo eiecerint[b 3], rediisse noscuntur, quodque civitas ipsa beati Bassiani corpore quiescente ibidem innumeris et preclaris miraculis iugiter illustratur, ac volentes ob ipsius honorem et eiusdem communis devotionem, quam caram et acceptam habemus, eandem civitatem quasi de novo pontificali titulo insignire, ipsam de fratrum nostrorum consilio ad episcopalem auctoritate apostolica restituerimus[c] dignitatem dilectum filium Bonum Iohannem Laudensem electum de dictorum fratrum nostrorum consilio concessimus Laudensi ecclesie in pastorem, plena sibi in spiritualibus et temporalibus ipsius amministratione ac cura bonorum omnium, que olim episcopatus et eiusdem Laudensis ecclesie fuere, concessis, confisi de ipsius circumspectionis providentia et industrie studio et cautele, quod circa curam et profectum ipsius sic studebit se vigilem, studiosum et sollicitum exhibere, quod sibi ad gloriam et honorem, vobis autem ad gaudium et eidem ecclesie ad optatum cedat comodum et profectum. Rogamus itaque universitatem vestram et hortamur attente, mandantes quatinus prefatum electum ad supradictam ecclesiam cum nostre benedictionis gratia procedentem devote ac ilariter admittentes et tractantes honeste, ei obedientiam et reverentiam debitam impendatis, studentes ei tanquam patri et pastori animarum vestrarum obsequi diligentia vigilanti, ut mutue caritatis studio vobis et ei que sunt prosperitatis adveniant et salutis. Alioquin sententiam, quam idem rite etc.

Dat. Perusii, V Idus Ianuarii, anno VIIII°[4].

a) impetit *R.* b) eieceruut *R.* c) restituimus *R.*

1) *A. 1237, Dec. imperatori se subiecerant; Böhmer-Ficker 2297c.* 2) *Historici Laudenses recentiores narrant id a. 1239 factum esse; cf. etiam Potthast 11120; Berger 90. Sed exstat instrumentum Ottobelli episcopi Laudensis actum Laudae in palatio episcopi a. 1243, Iun. 11; Vignati, t. II, p. 335, n. 334.* 3) *Cf. p. 41, not. 5.* 4) *In eundem fere modum verbis competenter mutatis Bono Iohanni electo Laudensi eodem die scripsit.*

129.

Innocentius IV papa Guillelmo comiti palatino Tusciae, vassallo sedis apostolicae, ad preces ipsius, quicquid ipsi vel progenitoribus eius a Romanis pontificibus concessum sit, confirmat. *1252, Ian. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 124—125; Lib. IX, 85. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Guillelmo comiti Tuscie palatino, vassallo apostolice sedis, devoto nostro[1].

In petra christiane fidei tuorum firmiter proienitorum fundata devotio in eis semper superstitibus suis conspicui et alti edificii firmitate prefulsit[a], sic servans integre fidelitatem erga sacrosanctam ecclesiam et inconcusse in ea perseverantie robur, quod nullius adversi turbinis impulsu deici potuit, set salutaris constantie grata suscipit continue incrementa. Tante igitur bonitatis claris meritis exigentibus progenitorum ipsorum apostolica sedes eximiis eos digne beneficiis honoravit, ut per hoc ipsi et eorum generosa posteritas magis ac magis apud sedem eandem vigerent fidei et devotionis studiis virtuosis; quorum te piis conformans affectibus pro devotione matris ecclesie ac fidei et fidelitatis ipsius debita integritate servanda solidus in eius persecutione perstitisse dinosceris, nullius procellarum obrutus fluctibus, et quamquam exilii dira incommoda et tribulationis gravamina dura passus. Tuis igitur devotis supplicationibus inclinati, concessa et donata quelibet ab eadem sede in feudis et iuribus aliisque honoribus liberaliter antecessoribus tuis, prout in eiusdem sedis privilegiis et indulgentiis plenius dicitur contineri, et quicquid tibi vel eisdem progenitoribus a Romanis pontificibus antecessoribus nostris concessum esse dinoscitur et a te aliquandiu pacifice postmodum est obtentum, de novo tibi quadam prerogativa apostolice gratie concedentes, et gratum habentes et firmum quicquid super premissis a predictis nostris antecessoribus factum extitit, tibi in devotione sincera Romane persistenti ecclesie ac debitam ei fidelitatem servanti ea omnia auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre concessionis et confirmationis etc.

Dat. Perusii, V Idus Ianuarii, anno VIIII°[2].

Datus est ei super hoc[b] conservator . . episcopus Clusinus.

130.

Innocentius IV papa [Iacobo] episcopo Metensi mandat, ut patrem et fratres Anselmi de Flekestein canonici Spirensis, C[onrado] nato Fr[iderici II] adhaerentes, moneat, ut castra et munitiones imperii, quae occupaverint, W[illelmo] regi Romanorum restituant. *1252, Ian. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 155; Lib. IX, 269. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 113 edidit.

Potthast, Reg. 14481.

---

a) prefecit *R.* b) super hoc ei *R. Registrator ergo haec verba, sicut leguntur, iam alio loco invenisse, neque vero ex epistola integra contraxisse videtur.*

1) *Cf. t. II, p. 34, n. 43 et p. 37, n. 48 et Berger 1573. Comitatus eius in Tuscia meridionali mari adiacebat.* 2) *Circa Aug. 13 a. 1252 inter Guillelmum, sicut ipse papae asseruit, et civitatem Senensem graves discordiae, immo capitales inimicitiae habebantur; Lib. X, 51; cf. infra sub Aug. 26. A. 1253, Ian. 22 papa precibus Guillelmi annuit; Lib. X, 864.*

. . episcopo Metensi.

Ut dilectum filium Symonem canonicum Argentinensem, natum quondam Ludowici domini de Lictihembere advocati Argentinensis[1], gratiosa benivolentia prosequamur, fides et devotio, quam dilectus filius nobilis vir Henricus dominus de Licithembere, advocatus Argentinensis, frater ipsius, ad nos et Romanam ecclesiam habet, necnon carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris et dilecti filii . . electi Maguntini precamina nos hortantur. Cum igitur, sicut[a] iidem rex et electus nobis exponere curaverunt, venerabili fratri nostro . . episcopo Argentinensi nostris dedissemus litteris in mandatis, ut eidem Symoni de aliqua prelatura vel dignitate in Argentinensi civitate vel diocesi provideret, Anselmus de Flekesteim[2] canonicus Spirensis prepositutam ecclesie Sutbugensis[3] Argentinensis diocesis predicto Symoni de iure debitam sibi conferri auctoritate quarundam litterarum postmodum obtentarum a sede apostolica procuravit. Verum cum pater et fratres ipsius A. se potenter et patenter opponant ecclesie negotio generalis[b], C. nato quondam Fr. olim Romanorum imperatoris[c] et eius fautoribus adherendo, et castra et munitiones imperii occuparint et detineant occupata, sitque satis indignum persecutorum ecclesie et ecclesiastice libertatis filios ad honores et ecclesiastica beneficia promoveri, quibus merentur potius spoliari: nos, dictorum regis et electi precibus inclinati, mandamus, quatinus patrem et fratres dicti A. moneas attentius et inducas, ut infra duorum mensium spatium post monitionem tuam ad devotionem ecclesie redeuntes castra et munitiones predicta eidem regi restituere non postponant. Alioquin prefatum A. de consilio dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, a prepositura ammovens memorata, illam dicto Symoni auctoritate nostra conferas et assignes: contradictores etc. — non obstantibus[d] quod causam motam inter predictos A. et S. super predicta prepositura, in qua nondum est ad litis contestationem processum, duximus ad examen apostolicum revocandam, sive quod venerabili fratri nostro . . episcopo Argentinensi dicitur ab apostolica sede concessum, quod nulli possit in sua civitate vel diocesi preter ipsius assensum per litteras apostolicas provideri[4].

Dat. Perusii, XIIII Kalendas Februarii, anno nono[5].

131.

Innocentius IV papa Henrico Fraiapane concedit, ut de principatu Tarentino et terra Hydruntina, quae quondam Constantia imperatrix et Fridericus II O[ttoni], avunculo ipsius, concesserit et papa ipsi Henrico confirmaverit, solis Romanis pontificibus respondeat. *1252, Ian. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 125—126; Lib. IX, 93. Pertzii exemplar ex eo, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1252, § 2 edidit, suppletum contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14482.

a) sicut igitur *R.* b) generali *R.; cf. sub a. 1253, Apr. 7.* c) imperatori *R.* d) obst' *R.*

1) *Cf. t. II, p. 347, n. 492.* 2) *Ex occ. civ. Weissenburg.* 3) *Surburg e mer. et or. civ. Wörth. Praeposituram a. 1251, Febr. 1 avunculus episcopi Argentinensis habebat; Berger 5043.* 4) *Cf. n. 45.* 5) *Cf. infra sub a. 1253, Apr. 7.*

Nobili viro Henrico Fraiapane[a] sacri palatii nostri Lateranensis comiti, principi Tarentino et totius terre Ydrontine domino[1].

Clara devotio, qua inter nobiles alios erga nos et apostolicam sedem specialiter fulgere dinosceris, illa quoque proienitorum tuorum gesta magnifica, per que ipsi sibi suisque posteris sedis eiusdem gratiam meruerunt, instanter exposcunt a nobis, ut personam tuam et continuis prosequamur favoribus et honorificentia multiplici attollamus, predecessorum nostrorum imitantes exempla, qui dictos proienitores tuos, eorundem magnis et multis exigentibus meritis, honoraverunt quamplurimis gratiis et grandium munerum largitione ditarunt. Cum itaque concessionem clare memorie Constantie Romanorum imperatricis et regine Sicilie ac etiam quondam F. Romanorum imperatoris tunc regis Sicilie, factam olim O. Fraiapane[a] avunculo tuo eiusque successoribus de principatu Tarentino et tota terra Idrontina, tibi, qui eiusdem O. heres existis, liberaliter duxerimus confirmandam, facientes te de principatu et terra predictis postmodum investiri, prout in aliis litteris nostris plenius continetur, nos, circa te gratiam merito gratie cumulantes, te quoque volentes super premissis principatu et terra favore gaudere apostolico speciali, tuis benigne supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut nulli alii, sed nobis et Romanis pontificibus successoribus nostris tantum de principatu et terra eisdem, pro quibus immediate prefate sedi subesse te volumus[2], respondere de cetero tenearis, districtius inhibentes, ne cuiquam alii deinceps liceat te super memoratis principatu et terra et omnibus pertinentiis ac iuribus suis temere perturbare vel quomodolibet vexare aut aliquam inferre tibi molestiam, sive principatum et terram iamdictos seu te pro eisdem aliquibus datiis, collectis aut taliis seu quibuscumque aliis exactionum impetitionibus fatigare, nichilominus decernendo, ut ea omnia ad ius et proprietatem Romane ecclesie pertinentia integra tibi perpetuo et quieta permaneant, tuis comodis et usibus libere profutura[3]. Nulli ergo etc. nostre concessionis, inhibitionis et constitutionis etc.

Dat. Perusii, XII Kalendas Februarii, anno VIIII°[4].

132.

Innocentius IV papa clericis W[illelmi] regis Romanorum indulget, ut in iudicium vocari, excommunicari, suspendi vel interdici non possint absque speciali mandato apostolico.
1252, Febr. 4.

Inn. IV Reg. Vol. II, 126; Lib. IX, 100. Damus Pertzii exemplar.

---

a) Fraiapañ *R.*

1) *Cf. t. II, p. 542, n. 735 et supra n. 119 I.* 2) *Cf. p. 106, not. 2.* 3) *De principatu Tarentino cf. etiam infra sub a. 1254, Sept. 27.* 4) *Sub a. 1252, Apr. 8 papa Henricum dictum Cerasolum electum Tarentinum confirmavit; Lib. IX, 186; cui epistolae insertae sunt epistola papae, qua electo Capuano mandavit, ut Henricum canonicum Ydrontinum consanguineum dilecti filii comitis Acerrarum ecclesiae Tarentinae vacanti ad praesens praeficeret, data Mart. 1, et epistola electi Capuani, qua id executus est, data Romae a. 1252, ind. X, Mai. 25 [sic]. Sub Lib. IX, 240 epistola electo Capuano directa iterum legitur, ita mutata, ut Henricum etc. consanguineum dilecti filii comitis Acerrarum alicui ecclesiae cathedrali de Apulia vacanti praeficeret, 'Dat. ut supra', i. e. Apr. 29. Difficultates nisi per coniecturas incertas solvere non possumus. — Corrigas ex his Ughelli Italiam sacr. t. IX, p. 137 [Potthast, Reg. 13276], quam nos t. II, p. 493, not. 3 secuti sumus. De quondam N[icolao] archiep. Tarentino cf. etiam Lib. X, 19.*

Universis clericis carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris.

Cum ex eo, quod estis carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris obsequiis mancipati, maiori debeatis prerogativa gaudere, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per litteras sedis apostolice vel legatorum ipsius vocari ad iudicium seu excommunicari, suspendi vel interdici non possitis absque speciali mandato nostro, faciente plenam et expressam de personis vestris et hac indulgentia mentionem, etiam si contineatur in huiusmodi litteris, quod eorum impetratoribus quelibet ipsius sedis indulgentia non obsistat. Nulli ergo etc. nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, II Nonas Februarii, anno VIIII°[1].

133.

Innocentius IV papa Marco Ziani nato quondam P[etri] Ziani ducis Venetorum ob devotionem ipsius comitatum Liciensem, qui ad Tancredum avum ipsius spectans postmodum ab aliis occupatus sit, restituit et de novo concedit, non obstante si comes Tigritius de Mudignano ratione Alberiae uxoris suae, filiae potioris Tancredi, materterae Marci, ius in eodem comitatu se habere asserat. *1252, Febr. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 130; Lib. IX, 121. Exemplar Bullarii Rom. ed. Taur. t. III, p. 546, n. 23 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14512.

Nobili viro Marco Ziani nato bone memorie P. Ziani ducis Venetorum.

Sedes apostolica debite providentie oculo ducitur circa cunctorum suorum merita devotorum, nec unquam lancem iustitie deserit, secundum quam actibus fidelium singulorum provida maturitate libratis, et digne ipsos amplexetur dilectionis favorabiliter brachiis et dono specialis benivolentie prosequatur, presertim quos clara decorat nobilitas et origo nobilitat generosa. Hinc est, quod cum, sicut te intimante accepimus, comitatus Liciensis[2] ad bone memorie Tancredum avum tuum spectaverit, idemque comitatus postmodum ab aliis occupatus fuerit ac detentus, nos, attendentes quod apud sedem eandem pro te non solum nobilitas generis, sed clare devotionis sinceritas et merita integre, quibus te nobis et eidem sedi acceptum laudabiliter exhibes, favorabiliter interpellant, tuis precibus benigno[a] concurrentes assensu, comitatum iamdictum in regno nostro Sicilie existentem cum iuribus omnibus et pertinentiis suis tibi plenarie restituimus et, ut ferventius in ecclesie devotione persistas, de novo insuper in feudum concedimus de gratia speciali, nisi ad alium pertineat in devotione ecclesie persistentem, — non obstante si nobilis vir comes Tigritius de Mudignano[3] vel eius filii ius in comi-

[a]) *corr. ex* benignus.

1) *Obtentu Willelmi regis papa a. 1251, Iul. 27 cum Matildi comitissa et comite de Willmowe [ut videtur Wilenowe, Weilnau in prov. Nassau, comite Henrico; cf. Böhmer-Ficker 4967, 5019a, 5046, 5047, 5054], Iul. 28 cum Everardo dicto Radolfo domino de Nivella, a. 1252, Iun. 20 cum Aegidio nato Werrici de Hodege civis Leodiensis de matrimonio irregulariter contracto dispensavit; a. 1251, Iul. 24 magistro Simoni de Transitu Leodiensi clerico gratiam fecit; Lib. IX, 17, 12, 334, 363; Potthast 14365, 14368, 14641, 14361. A. 1252, Mai. 6 ad preces M[argaritae] comitissae Viennensis [quae affinis Conradi archiepiscopi Coloniensis erat] magistro Gerardo de Transitu Leodiensi clerico gratiam fecit; Lib. IX, 402.* 2) *Lecce, ex sept. et occ. civ. Otranto.* 3) *Modigliano, e mer. et occ. civ. Faenza. Idem comes palatinus Tusciae erat; cf. infra sub a. 1252, Iul. 13.*

tatu ipso habere se asserant ratione nobilis mulieris Alberie, matertere tue, uxoris ipsius et eiusdem avi tui filie potioris[a], cum iidem comes et filii quondam F. Romanorum imperatori contra ecclesiam adheserint et adhuc ipsam offendere non desistant, propter quod gratia et beneficio ipsius ecclesie reddiderunt penitus se indignos. Volumus autem, ut postquam eiusdem comitatus possessionem habueris, pro ipso homagium et iuramentum fidelitatis et alia ecclesie Romane seu regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno prefato, tenearis prestare, que alii vassalli eiusdem regni pro comitatibus, quos ibi obtinent, prestare tenentur. Nulli ergo — nostre restitutionis et concessionis etc.

Dat. Perusii, XII Kalendas Martii, anno VIIII° [1].

134.

Innocentius IV papa communi civitatis Aesculanae, cui P[etrus] S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc legatus, quasdam poenas pro inobedientia inflictas remiserit, id confirmat. *1252, Febr. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 140; Lib. IX, 185. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 130, n. 239 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14519.

Communi civitatis Esculane.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, quasdam penas, in quas contra mandata sedis predicte ac legatorum ipsius veniendo temere incidistis, vobis duxerit remittendas [2], prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri: nos, vestris devotis supplicationibus favorabiliter annuentes, quod super hoc ab eodem cardinali provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc.

Dat. Perusii, III Kalendas Martii, anno VIIII° [3].

135.

Innocentius IV papa capitulo et clero et potestati, consilio et communi civitatis Adriensis confirmat chartam Petri episcopi Albanensis a. 1252, Mart. 2 datam, qua

a) *i. e.* maioris, *quod in ep. a. 1255, Apr. 13 legitur.*

1) *Eodem die episcopo Caprulensi mandavit, ut Petrum in possessionem comitatus induceret; Lib. IX, 122; Potthast, Reg. 14506 sub Febr. 13. De eadem re cf. infra sub a. 1255, Apr. 13.* 2) *Cf. t. II, p. 502, n. 681 XXIV et supra p. 78, not. 3. A. 1251, Iul. 7 et Sept. 22 Aesculani ecclesiae denuo adversabantur; Ughelli, It. sacr. t. I, p. 362, et Palma, Stor. di Teramo t. II, p. 17. A. 1251, Dec. 13 Petrus, non legatus, apud curiam papalem erat; cf. n. 125. Cf. etiam infra sub Aug. 8.* 3) *A. 1252, Nov. 28. Raynaldo de Brunforte [cf. Böhmer-Ficker 3812 et Cronache di Fermo p. 389, n. 175] potestati et hominibus Civitatis Novae omnes culpas et offensas remisit; Potthast 14787; cf. 14789 et 14930; epp. non reg. De eodem Raynaldo ecclesiae fideli cf. Lib. XII, 112 sub a. 1254, Aug. 4.*

idem de speciali mandato apostolico locum Adriae civitatem vocaverit et ecclesiam S. Mariae Adriensis in cathedralem erigens cum Pennensi ecclesia univerit.

1252, Mart. 15.

Inn. IV Reg Vol. II, 136; Lib. IX, 160. Exemplar Bullarii Rom. ed. Taur. t. III. p. 547, n. 24 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14532.

Capitulo et universo clero necnon et[a] . . potestati, consilio et communi civitatis Adriensis[1].

Licet ea, que de mandato nostro fiunt, in se robur obtineant firmitatis, ut tamen intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita, ea libenter apostolico munimine roboramus. Cum itaque venerabilis frater noster . . Albanensis episcopus, attendens devotionem, quam ad apostolicam sedem habetis, locum Adrie de speciali mandato nostro vocari decreverit civitatem, et ecclesiam sancte Marie Adriensis in cathedralem erigens, tam ipsam quam Pennensem ecclesiam ad invicem duxerit uniendas, prout in ipsius litteris super hoc confectis plenius continetur: nos, quod per eundem episcopum in hac parte factum est ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est:

Petrus miseratione divina episcopus Albanensis[2] dilectis in Christo capitulo ac universo clero necnon . . potestati, consilio et communi civitatis Adriensis salutem in Domino sempiternam. Devotionis et fidei vestre meretur affectus, ut sedes apostolica mater vestra vos habeat tamquam filios speciales et in hiis, que honorem vestrum respiciunt, sic se favorabilem exhibeat et benignam, ut per hoc vestra probata sinceritas erga sedem eandem continuo vigeat et laudabilibus proficiat incrementis. Ut igitur ex fervore devotionis, quem ad Romanam ecclesiam per exhibitionem operis habuistis hactenus et habebitis dante Domino in futurum, sentiatis vobis favorem apostolicum accrevisse, nos, de speciali mandato domini pape personas vestras honorare volentes et locum Adrie, in quo populus tante fidei et devotionis cohabitat, specialis decoris preminentia insignire, ipsum vocari decrevimus civitatem, et eum episcopali dignitate perpetuo volumus decorari[3]. Ad hec ecclesiam sancte Marie Adriensis, que olim de Pennensi diocesi esse solebat, in qua secularis prelatus prefuerat, in cathedralem erigimus, tam ipsam quam Pennensem ecclesiam ad invicem unientes, ut utraque cathedralis existat et tam Adriensis quam Pennensis episcopus nominetur, ita videlicet ut cum eundem episcopum Adrie vel in Adriensi ecclesia adesse contigerit, ut addatur gratia gratie ac per hoc locus ipse habeatur insignis, Adriensis[b] preferatur Pennensi ecclesie in scriptura, sed[c] cum idem episcopus in civitate vel ecclesia Pennensi fuerit,

---

a) *ita in marg.;* et *deest in rubr.* b) Adrieñ | Adrieñ *R.* c) *minus perspicue.*

1) *Atri ex sept. civ. Penne.* 2) *Hic non multo post legatus [in regno Siciliae] vocatur; cf. sub Mai. 14. Petrus S. Georgii diac. cardinalis a. 1252, Ian. 18 Iohannem Fortembrach. subdiaconum papalem ecclesiae Cassanensi praefecerat, quem papa Ian. 21 confirmavit et Febr. 15 capitulo et clero Cassanensibus commendavit; Lib. IX, 114 et 115. Sub Febr. 26 papa electo Capuano [cf. sub a. 1252, Aug. 27] mandaverat, ne Praedicatores regni Siciliae molestari permitteret; Lib. IX, 149. Nunc, Mart. 2, Petro episcopo Albanensi primum negotium ad regnum spectans commissum est. Idem a. 1243 pro pace cum Friderico II reformanda laboraverat et a. 1252 circa ver inter papam et Conradum IV de pace tractabatur; Böhmer-Ficker 4577a.* 3) *Iam a. 1251, Apr. 1 Petrus diaconus cardinalis legatus eisdem privilegium dederat, quo terrae eorum sedem episcopalem concesserat et statuerat, ut perpetuo in communi vivere et aliquem de fidelibus ecclesiae in suam potestatem eligere possent et semper essent in demanio ecclesiae Romanae nulloque tempore subicerentur alicui regi vel alii domino temporali; Ughelli, It. sacr. t. I, p. 1140; id quod papa a. 1251, Aug. 21 summatim confirmaverat; Potthast 14384; cf. p. 106, not. 2.*

Pennensis ecclesia preferatur. Ecclesie vero . . archidiacono et canonicis Pennensibus[a] iura sua volumus illibata servari, quia per hanc unionem nolumus eos in suis iuribus pati aliquod preiudicium vel iacturam. Sane quia non decet presulem loci tam nobilis in temporalibus pati defectum, cum eum oporteat in loco utpote populoso morari frequenter et honorifice procedere pro utriusque ecclesie negotiis peragendis, prefatam cathedralem ecclesiam sancte Marie Adriensis cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ipsi episcopo duximus concedendam, vobis, potestati et consilio ac communi, nichilominus iniungentes, ut de bonis vestris propriis ematis eidem episcopo possessiones sufficientes, ut tam ex hiis quam ex aliis proventibus ipsius ecclesie possit decenter vivere et ecclesie Romane legatis ceterisque hospitibus ad eum confluentibus necessaria ministrare. Domum etiam episcopalem faciatis eidem decentem[b], et donec ipsa fiat, provideatis ei de domo communi, in qua possit honorifice commorari. Verum quia Sancti Iohannis in Cassanello, Sancti Nicolai de Adria, Sancte Marie in Vallibus, Sancti Nicolai in Galvan.[c], Sancte Marie in Morino, Sancti Claudii, Sancti Guillelmi, Sancti Angeli, Sancti Iohannis in Goman.[d], Sancti Clementis de Guardia, Sancti Salvatoris de Silvo, Sancti Iohannis et Sancti Martini de Casulis, Sancti Concordii et Sancti Georgii de Muralto, Sancti Sylvestri et Sancti Blasii, Sancti Salvatoris de Casa Combusta, Sancti Petri et Sancte Marie de Meteniano, Sancti Pauli et Sancti Leonardi, Sancti Iohannis de Aquaviva et nonnulle alie ecclesie de Adria et eius districtu ad Sancti Iohannis in Venere [1] et Sancti Clementis de Piscaria [2] et quasdam alias abbatias pertinere noscantur, quas dicitis pro ecclesia Adriensi tenere: vobis mandamus, ut si dictus episcopus ecclesias ipsas legitime retinere nequiverit et evincantur ab eo, faciatis recompensationem competentem abbatiis predictis, si de memoratis ecclesiis retinendis ad opus eiusdem episcopi cum eis potueritis concordare; si vero concordare nequiveritis, emetis eidem episcopo possessiones sufficientes, prout superius est expressum. In prefata vero cathedrali ecclesia viginti canonicorum secularium numerum esse iubemus, quibus assignabitis sufficientes redditus, computatis hiis, quos habent in eadem ecclesia, unde possint decenter tamquam canonici nobilis cathedralis ecclesie sustentari. In electione autem futuri pontificis ecclesie utriusque capitula convenient in altera ecclesiarum ipsarum vel in loco communi, in quo unanimiter concordabunt; sed si concordare non possent de loco, prima electio, que emerserit post predictum episcopum, fiet Adrie a canonicis utriusque ecclesie et alia in ecclesia Pennensi, et sic deinceps vicissim, si de loco alio communi non poterit inter capitula concordia provenire. Canonici autem illius ecclesie, in qua celebrari debebit electio, ubicumque episcopus moriatur vel cedat, ea vice citabunt canonicos alterius ecclesie et suos etiam concanonicos ad electionem futuri episcopi celebrandam. Ex hac siquidem unione vicinis episcopis, abbatibus ceterisque prelatis et clericis seu quibuscumque personis locorum adiacentium vel vobis ipsis et civitati vestre et cathedrali ecclesie Adriensi in iuribus et rationibus vestris necnon et civitati et ecclesie Pennensibus in iuribus et rationibus suis nullum preiudicium generetur. Latere autem vos nolumus, quod si a devotione sedis apostolice recedere vos contingat, huiusmodi vos privabimus dignitate [3]. Statuimus insuper, ut cum canonici utriusque ecclesie ad electionem convenerint futuri episcopi celebrandam, tot[e] canonici sint ex una ecclesia, quot ex alia; nam etsi plures canonici sint in una quam in alia, in electione tamen electores utriusque ecclesie in numero volumus[f] esse pares. Acta sunt hec et publicata presentibus ecclesie utriusque procuratoribus et syndicis civitatis

a) Penneñ *R.* b) de . . dentem *R.* c) Galvañ *R.* d) Gomañ *R.* e) ut tot *R.* f) volumus *superscr.*

1) *Ex or. Lacus Fucini.* 2) *Ex sept. et occ. civ. Chieti.* 3) *Pennensi civitati ad fidelitatem suam reversae Conradus IV a. 1253, Iun. gratiam fecit; Böhmer-Ficker 4598.*

Adriensis. In cuius rei testimonium presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Dat. Perusii, VI Nonas Martii, anno Domini MCCLII.

Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, Idibus Martii, anno VIIII° [1].

136.

Innocentius IV papa cum Gebehardo de Friburc capellano suo, canonico Argentinensi, dispensat super eo, quod olim in guerra fratris sui [Bertholdum] episcopum Basiliensem non animo bellandi comitatus, interfuerit captioni munitionis cuiusdam.

1252, Mart. 21.

Inn. IV Reg. Vol. II, 134: Lib. IX, 151. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Gebehardo de Friburc capellano nostro, canonico Argentinensi.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod tu olim in guerra nobilis viri . . comitis de Friburc fratris tui venerabilem fratrem nostrum . . Basiliensem episcopum non animo bellandi associans [2], interfuisti captioni munitionis cuiusdam, in qua plures homines dicuntur occisi [3]. Unde cum tua presentia nulli fuerit mortis occasio, petivisti a nobis super hiis tibi salubriter provideri. Quia igitur bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est, tecum super irregularitate, si quam forsitan ex huiusmodi presentia contraxisti, auctoritate presentium misericorditer dispensamus.

Dat. Perusii, XII Kalendas Aprelis [a], anno VIIII° [4].

137.

Innocentius IV papa decano et capitulo Warmaciensibus nuntiat [Petrum] episcopum Albanensem auditorem partibus deputatum provisionem a P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc legato, de Riccardo in ecclesia eorum factam canonicam decrevisse et Everardum a capitulo electum ad restitutionem bonorum ecclesiae condempnasse, quam sententiam ipse papa confirmaverit; mandat, ut Riccardo obediant.

1252, Apr. 3.

Inn. IV Reg. Vol. II, 139; Lib. IX, 175. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

---

a) *ita R.*

1) *Mandata et monita de eadem re papa a. 1252, Apr. 2 [Beraldo] episcopo Adriensi et Pennensi et civitati Adriae et populo diocesis Adriensis direxit Lib. IX, 166 et 167; Potthast, Reg. 14547 et 14548.* 2) *I. e. comitans; cf. Ducange sub verbo 'associare 1'.* 3) *Dicere videtur ea, quae Ann. S. Georgii in Nigra Silva a. 1250, SS. t. XVII, p. 297, referunt: 'Dominus de Gerolsegge Waltherus in castro suo Lare a comite Conrado de Friburg et aliis captivatus fuit cum filio'. Gebehardus enim eo tempore cum Waltero de Gerolseke de praepositura Argentinensi litigabat, et antecedit in Reg. epistola ad hanc causam spectans eodem die scripta; cf. infra sub a. 1252, Iul. 24. — Etiam Conradus comes devotus ecclesie erat; Böhmer-Ficker 5039 et Lib. XI, 135; cf. etiam 409 = Potthast 15217.* 4) *De Gebehardo cf. etiam Lib. X, 124. Idem a. 1254, ante Sept. 28 apud sedem apostolicam mortuus est, secundum ep., quae post Lib. X, fol. 313' sine numero registrata est, = Potthast 15530; quam ep. Alexander IV a. 1255, Iul. 15 confirmavit; Al. Lib. I, 529.*

. . decano et capitulo Warmaciensibus[a].

Cum[1], ecclesia Warmaciensi olim pastore vacante, vos post inhibitionem dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legati, Everardum eiusdem ecclesie prepositum procurassetis in vestrum episcopum eligi, ac electionem eius bone memorie . . Maguntinus archiepiscopus loci metropolitanus sicut dicitur confirmasset: idem legatus huiusmodi electione cassata dilectum filium Riccardum, tunc prepositum ecclesie sancti Symeonis Treverensis, prefecit eidem ecclesie Warmaciensi, prout ex speciali concessione sedis apostolice poterat, in episcopum et pastorem. Sane, postquam inter eundem[b] electum et predictum Everardum super hoc coram venerabili fratre nostro . . Albanensi episcopo[2], quem in causa electionis et provisionis huiusmodi deputavimus auditorem, fuit diutius litigatum, idem episcopus, cognitis cause meritis nobisque fideliter recitatis, de speciali mandato nostro provisionem ab eodem cardinali de ipso electo factam in Warmaciensi ecclesia decernens canonicam, ipsam sententialiter confirmavit, condempnans dictum Everardum ad restitutionem munitionum, possessionum et aliorum bonorum Warmaciensis ecclesie nec non et fructuum perceptorum ex eis ipsi electo plenarie faciendam, prout in litteris eiusdem episcopi confectis exinde plenius continetur. Cum igitur nos, quod super hiis per eundem episcopum factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica duxerimus confirmandum, mandamus, quatinus memoratum electum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, ipsi obedientiam et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam, quam idem rite etc. usque: observari.

Dat. Perusii, III Nonas Aprilis, anno VIIII°.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Warmaciensis, verbis competenter mutatis.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Warmaciensis spiritum consilii sanioris[3], usque: animarum vestrarum suscipiatis humiliter et devote, monitis et mandatis eius salubribus intendendo.

Dat. ut supra.

In eundem modum . . electo Maguntino[4], verbis competenter mutatis, usque: quatinus memoratum electum pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipiens eique tamquam suffraganeo tuo, cum loci metropolitanus esse dicaris, per te, si consecratus fueris, alioquin per aliquos Maguntine ecclesie suffraganeorum, ordinem sacerdotii statutis temporibus et tandem munus consecrationis impendens, facias ipsi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc. — non obstante si aliqui ex indulto apostolico excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi.

Dat. ut supra[5].

---

a) *ita in marg.;* Warmatieñ *in rubr.* b) eundem *sequitur iterum in R.*

1) *Cf. t. II, p. 412, n. 583 et p. 482, n. 674.* 2) *Petro.* 3) *Cf. n. 74 et Zorn, Wormser Chron. p. 92 et sequ.* 4) *Gerhardo.* 5) *Eodem die Hugoni cardinali legato mandavit, ut si electum Maguntinum in hac re neglegentem inveniret, ipse Ricardum ad sacerdotium promoveri et consecrari faceret; eodem die ministerialibus ecclesiae Warmatiensis mandavit, ut Ricardo fidelitatis iuramentum praestarent; Apr. 27 Ricardo indulsit, ut cum ecclesia sua redditibus non abundaret et eos propter temporis malitiam integre obtinere non posset, beneficia, quae hucusque habuit, per tres annos retineret; Oct. 5 eidem indulsit, ut quamquam provisiones revocatae essent [cf. n. 141], ipsi ex eo, quod ei de episcopatu Warmatiensi provisum esset, praeiudicium non generaretur; Lib. IX, 176, 205, 278; Lib. X, 164. Cf. infra sub a. 1256, Iul. 1.*

138.

Innocentius IV papa Viterbiensibus, qui quondam F[riderico II] olim adhaerentes ad devotionem ecclesiae redierint, de submissione ipsorum gratulatur, omnes poenas remittit et iura et libertates confirmat. *1252, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. II. 144—145; Lib. IX, 209. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 130, n. 240 edidit, et cum Regestis.

Potthast, Reg. 14557.

.. potestati, consilio et communi Viterbiensibus.

Non est in iusto malorum vindice languentis censure notanda mollities sed prudenter subveniens maiorum sanandis morborum pestibus caritas commendanda, quotiens, digno penitentie fructu redimente commissum, circa eos, qui ab impietate conversi desinunt esse quod fuerant, misericordia superexaltans iudicium zelum cohibet discipline. Sane, licet adversus eos, qui rupto fidei federe, quo sedi apostolice tenebantur, persecutoribus ecclesie in instanti turbatione nequiter adheserunt, sic esse proponamus in castigando severi, quod ad illos de misericordi nostrorum viscerum lenitate aliqua dispendiose dispensationis gratia non procedat, que posteris in similibus impunitatis fiduciam prebeat vel incentivum pariat delinquendi: utile tamen et necessarium civitatis vestre reformationi pacifice ac communibus eiusdem profectibus visum fuerit, ut ad roborandum pacis bonum, quod inter vos et concives vestros hactenus exules, quos a communione civitatis eiusdem inimici hominis malignitas sequestrarat[1], iuxta cordis nostri votum et paternum nostre intentionis affectum Domino perficiente provenit, rigor, quem in pertinacem resistentiam apostolica iustitia tetenderat, pietatis consilio molliretur. In hoc quidem formam illius, cuius vicem in terris licet immeriti gerimus, non solum inreprehensibiliter sed etiam commendabiliter imitamur, qui super malo pene, quod iuste cogitat peccantibus infligendum, severitatem animadversionis in clementiam miserationis immutat, si humiliter illi ad penitentiam recogitent malum culpe. Nos itaque, pro certo sperantes quod membra vestra, que aliquando exhibuistis[a] iniquitatis arma peccato, exhibebitis de cetero arma iustitie per fidei et fidelitatis constantiam Romane ecclesie matri vestre, ac potius eligentes de misericordia, per quam reintegrationi vestre consulitur, causationes perpeti plurimorum quam severitatis exhibere constantiam, que terrorem incuteret[b] ausibus [nec][c] pernitiosum inferret impunitatis exemplum, latam interdum excessibus viam parans: ecce vos expansis recepimus letanter amplexibus ad communionem ecclesie filialiter revertentes et in recollectionem vestram amplum paterne gratie sinum pandimus, claudi humiliter redeuntibus nescientem.

Ut autem, ubi delictum habundasse dinoscitur, superhabundasse circa se gratiam venie rediviva filiorum devotio gratuletur, et ad perpetuum eximie caritatis indicium humilis ad patrem conversio multorum apud eum remissionem inveniat peccatorum, vestris supplicationibus inclinati, illa fere per omnia verborum simplicitate ac integritate servata, quibus petitiones vestre concepte et in scriptis authenticis pro motu vestro redacte fuerunt, in nostra et fratrum nostrorum audientia recitate, ea, que in Romanam ecclesiam temporibus preteritis commisistis, nolentes ad culpam vel indignationem aliquam retineri, indulgemus, remittimus et relaxamus vobis communiter universis et singulariter singulis omnes et singulas offensas, culpas, penas et iniurias et quecumque alia delicta seu commissa, dicto vel facto presumpta usque in hodiernum diem a tem-

---

a) inhibuistis *R.; cf. Rom. 6, 13.* b) incurreret *R.* c) et *R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 3603.*

poribus retroactis contra nos vel Romanam ecclesiam sive cardinales ipsius vel quemlibet de curia vel familia nostra seu etiam aliquam universitatem vel speciales personas tunc ecclesie adherentes per commune Viterbii sive per aliquem vel aliquos cives Viterbienses quocumque modo vel ex causa quacumque seu occasione discordie habite dudum inter ecclesiam et quondam F. olim imperatorem, pro eo quod contra ecclesiam eidem F. vel eius nuntiis adhesistis, et omnia dampna et penas, que vel quas propter premissa vel aliquid premissorum communiter vel specialiter incurristis.

Ad hec omnes et singulas sententias et precepta, processus et omnes contractus, habitos vel celebratos in Viterbio vel ubicumque per Viterbienses[a] hactenus, plenum robur ita volumus obtinere, quod excommunicationis occasione, qua tunc tenebamini, irritari nequeant vel cassari.

Possessio autem vel tenuta, quam Petrus Bonus et eius filii possident nunc in tenimento de Fracta et omnibus pertinentiis eius, tenuta quoque sive possessio, quam habent filii quondam Rolandi Petri Alexandri de domo, palatio vel turri, que sunt posita in contrata sancti Peregrini iuxta viam publicam et rivum aque, conserventur eis integra et inlesa, salvo tamen iure proprietatis cuilibet volenti super hiis contra possessores suam intendere actionem.

Omnes etiam consuetudines, usus et libertates communi Viterbii et cuilibet civi Viterbiensi volumus integre conservari.

Volumus insuper atque precipimus de potestate, balivis communis, iudicibus et omnibus et singulis officialibus eorundem, ut in suis officiis singuli usque ad complementum sui temporis perseverent, et de predictis officialibus, potestaria seu officiis commune Viterbii possit libere in futurum per electionem disponere, sicut hactenus consuevit.

Preterea castra, villas et arces eorumque ac aliarum rerum possessiones, que commune Viterbii vel quilibet civis Viterbiensis intus vel extra possident, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et tam hec[b] quam alia bona communis Viterbii vel cuiuslibet private persone de Viterbio sine destructione atque diminutione turrium vel domorum, ubicumque eas habeant, illesa conserventur eisdem.

Nullus etiam Viterbiensium[a] occasione obsidis vel balive aut officii alicuius seu stipendii vel alio quocumque modo invitus de Viterbio extrahatur.

Nec teneamini recipere masnadam[1] vel aliquam militum comitivam seu societatem aliquorum hominum armatorum in Viterbio, nisi forte nobilis vir Th[omasius] de Foliano nostre curie marescalcus vel alius nuntius noster vellet intrare Viterbium cum decem sociis vel viginti.

Cassamus insuper et revocamus omnia et singula privilegia, litteras et scripta quelibet a nobis vel ab alio quocumque auctoritate nostra vel sedis apostolice concessa vel facta contra commune Viterbii vel alios quoscumque communiter vel specialiter de Viterbio vel cives civitatis eiusdem.

Et ut inter vos et predictos concives vestros firma et perpetua pax servetur, volumus et mandamus, ut ipsi concives universi et singuli remittant, refutent, renuntient et relaxent communi Viterbii et cuilibet speciali et private persone de Viterbio universa et singula dampna, omnes et singulas culpas, iniurias et offensas, ablata omnia et alia, que contra eos et quemlibet eorum, ipsis vel cuilibet ipsorum facta vel commissa sunt vel fuerunt dicto vel facto a communi Viterbii vel a quacumque speciali persona de Viterbio tam in personis quam in rebus eorum, generaliter et singulariter, cuilibet quocumque modo vel ex causa quacumque, et quod renuntient similiter omnibus et singulis privilegiis et concessionibus seu litteris, datis, factis vel concessis aut etiam

a) Viterbieñ *R.* b) hoc *R.*

1) *I. e. exercitum; cf. t. I, p. 361, n. 448.*

concedendis sibi et cuilibet eorum a nobis vel ab alia quacumque persona[a], quocumque nomine censeantur, contra commune Viterbii vel quemlibet civem Viterbiensem.

Ipsi quoque concives vel eorum aliquis non petent vel exigent per se vel per alium a communi Viterbii vel alia speciali persona de Viterbio aliquid nomine vel occasione aliquorum dampnorum, reddituum, fructuum vel pensionum vel aliquarum rerum suarum, tempore discordie illatorum et detentorum vel etiam subtractorum, set nec tegulas repetent vel lapides, trabes vel lignamina, vegetes seu areas et alia mobilia bona quecumque ipsis a vobis vel aliquibus vestrum ablata.

Hoc idem de fructibus et rebus ecclesiarum seu hospitalium de Viterbio vel de partibus Viterbii et de dampnis et iniuriis illatis eis a communi Viterbii vel qualibet privata persona de Viterbio necnon et de dampnis et iniuriis illatis bone memorie R. Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali ac suis et de proventibus et domibus quondam eius precipimus firmiter observari. Nos enim vos communiter et specialiter de premissis omnibus dampnis et iniuriis, fructibus et aliis sic illatis et ablatis tenore presentium duximus absolvendos — non obstantibus aliquibus privilegiis aut litteris seu constitutionibus, que premissis vel eorum aliquibus obviarent.

Placet etiam nobis, quod dicti concives vestri iurent sequimentum potestatis vestre ac observare statuta civitatis Viterbii et obedire in omnibus sicut alii cives vestri, et quod faciant pacem et reddant omnibus vobis et singulis et vos eis; ac secundum voluntatem communis Viterbii ad honorem ecclesie et tranquillum statum civitatis vestre huiusmodi pax firmetur in perpetuum observanda.

Nulli ergo etc. nostre remissionis, confirmationis, revocationis et absolutionis etc.

Dat. Perusii, XV Kalendas Maii, anno VIIII°[1].

139.

Innocentius IV papa populum Massanum reprehendit, quod a dominio ecclesiae Massanae, ad quam spiritualiter et temporaliter pertineat, se subducere praesumpserit, eique mandat, ut saltem eandem ecclesiam ab onere debitorum relevet, ita offensas redimendo. *1252, Mai. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 149; Lib. IX, 237. Exemplar, quod Ughelli, It. sacr. t. III, p. 716 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14577.

Universo populo Massano[2].

Cum sit maledictus a Deo, qui matrem exasperat, satis potestis maledictionis eterne formidare periculum, qui matrem vestram Massanam ecclesiam, que vos per baptismum[b] in Christo regenerans lac parvulis et provectis cibum solidum amministrat et, quod est maius, sanctissimo corpore Christi vos reficit, atrocibus iniuriis affecistis, et ei dampna gravissima irrogastis. Cum enim civitas vestra tam spiritualiter quam temporaliter ad ecclesiam ipsam pertineat pleno iure, vos, qui tanquam filii et fideles iura ipsius debueratis non solum intemerata servare, sed etiam a temeratoribus defendere toto posse, contempto timore divino et humano pudore calcato vos ab eius dominio

a) p̃ers. q̃uac. *R.* b) baptm *vel* bapm̃a *R.*

1) *Sub a. 1252, Oct. 11 eisdem iniunxit, ut castrum Respampani a detentoribus liberatum et ab ipsis sub custodia detentum Petro Nicolai concivi suo restituerent; Lib. X, 153.* 2) *Massa maritima in Tuscia; cf. t. II, p. 353, n. 500.*

dampnabiliter subducentes, ipsam possessionibus et rebus aliis spoliare ac aliis tradere presumpsistis, et quod horribilius est, aliquando episcopos ausu sacrilego captivastis. Quare predictam ecclesiam ad tantam deduxistis inopiam, quod episcopali dignitate prorsus videtur indigna, dum oppressa intollerabili onere debitorum de omnibus proventibus suis vix sufficit satisfacere voragini usurarum, sicut venerabilis frater noster . . Massanus episcopus nuper miserabiliter exposuit coram nobis. Quia vero non solum impium sed etiam abusivum[a] est merito reputandum, ut tam honorabilis sedes, que gaudet privilegio singulari, tanto contemptui exposita videatur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, firmiter precipiendo mandantes quatinus saluti et honori vestro provide consulentes et saltem in hoc matri vestre satisfacientes ad presens prefatam ecclesiam relevetis ab onere debitorum, ita quod preteritas redimatis offensas et apud Deum et homines vobis exinde meritum comparetis. Alioquin, ut (Matth. 21,43.) tollatur a vobis regnum Dei et detur genti facienti fructum eius, eidem episcopo nostris litteris dedimus in mandatis, ut episcopalem sedem a vestra transferens civitate, statuat eam in loco decenti, ubi magis viderit expedire.

Dat. Perusii, Nonis Maii, anno VIIII°.

140.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Albanensi legato mandat, ut cum civitas Anglonensis Iohanni de Montefusculo temporaliter subiecta sit, ecclesiae Anglonensi personam ei acceptam in episcopum praeficiat. *1252, Mai. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 153; Lib. IX, 258. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14590a, ex Reg. Lib. XI, 363 [Potthast 15199], cui ep. haec inserta est; cf. infra sub a. 1253, Nov. 27.

. . episcopo Albanensi, apostolice sedis legato[1].

Cum civitas Anglonensis[2] dilecto filio nobili viro Iohanni de Montefusculo[3] temporaliter subiecta esse dicatur, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus Anglonensi ecclesie vacanti ad presens personam idoneam, acceptam eidem nobili, preficias in episcopum et pastorem, faciens illi a capitulo et subditis ipsius ecclesie tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc. — non obstante[b] si personis aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod per litteras sedis eiusdem interdici seu excommunicari nequeant vel suspendi, nisi in eisdem litteris de indulto huiusmodi et toto tenore ipsius de verbo ad verbum expressa mentio habeatur.

Dat. Perusii, II Idus Maii, anno VIIII°[4].

---

a) abusum *R.* b) obst' *R.;* contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo — non obstantibus *Lib. XI, 363 ap. Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 692.*

1) *Cf. p. 115, not. 2; eum legatum primo vocatum invenimus Apr. 25; Lib. IX, 343; cf. p. 134, not. 3.* 2) *E mer. et occ. Metaponti.* 3) *Cf. t. II, p. 190, n. 254.* 4) *A. 1251, Dec. 3 Adinulfo dicto Pardo domino Castri de Rotundomaris Anglonensis diocesis de Noa et de Rotundomaris castra et totam terram, quam in Calabria et Sicilia obtinuerat, quibus Fridericus II et Manfredus ipsum captivatum spoliaverunt, restituit; Lib. IX, 71; cf. 70 pro eodem sub Dec. 1. — Annotamus, quos episcopos papa a. 1252 in regno Siciliae instituerit, quaedam alia adicientes: Ian. 11 magistrum Landulfum de Neapoli ecclesiae Theatinae vacanti de plenitudine potestatis praeficit; Ian. 13 eidem beneficia antea possessa reservat, cum iura episcopatus sui plene percipere nequeat; Lib. IX, 106 et 94; cf. etiam Potthast, Reg. 14561. — Ian. 12 electo*

141.

Innocentius IV papa universis praelatis, capitulis et conventibus nuntiat se ubique potestatem eligendi vel ordinandi episcopos, abbates et priores iis restituere, ad quos pertineat, contrariis litteris sedis apostolicae revocatis. 1252, Mai. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 172; Lib. IX, cur. 9. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Gercken, Diplom. veteris marchiae Brandenb. t. I, p. 431, n. 175, ex authentico sumptum edidit [A.].

Potthast, Reg. 14601.

Universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et aliis prelatis necnon capitulis et conventibus et collegiis ecclesiarum.

Et qualitas temporis, quod diebus istis potissimum fuit ob eorum malitiam modis variis redimendum, et nonnullorum instantia importuna extorsit, quod de archiepiscopatibus vel episcopatibus seu abbatiis et prioratibus mandavimus per nostras litteras in diversis partibus provideri. Sed sanius reputantes provideri ecclesiis, presertim cum de ipsarum regimine agitur, quam personis, providendi et ordinandi canonice de premissis omnibus liberam illis, ad quos predictorum electio, ordinatio seu collatio sive provisio pertinet, concedimus auctoritate presentium potestatem — non obstantibus quibuslibet litteris generalibus[1] vel specialibus sub quacumque forma verborum super quorumcumque promotionibus vel provisionibus impetratis a sede apostolica vel legatis ipsius aut etiam impetrandis, seu reservationibus vel prohibitionibus aut nominationibus

Capuano mandat, ut Raynaldum ecclesiae Venafranae praeficiat: idem hoc executus est Perusii Ian. 24: papa id confirmat Febr. 15; Lib. IX, 140; cf. 141. — Mart. 26 P[etrum] episcopum Calinensem Surrentum transfert; Lib. IX, 159. — Mart. 31 ecclesiae Gaietanae diu vacanti fratrem Petrum de Terracina ord. Praedicat. praeficit; Lib. IX, 266. — Apr. 10 ecclesiae Valvensi Iacobum monachum Casae Novae praeficit; Lib. IX, 188; Potth. 14554. — Apr. 20 O[ttobonus] S. Adriani diaconus cardinalis ecclesiae Calinensi magistrum Stephanum magistri Riccardi de Gayra praeficit, quod papa Apr. 21 confirmat; Apr. 25 consecratio electi differtur; Lib. IX, 199 et 212; cf. 203. — Apr. 22 Vernacio electo Regino, quem ipse papa ecclesiae Reginae praefecit, donec pacificam possessionem ecclesiae suae possit obtinere, beneficia antea possessa reservat; Lib. IX, 210. — Apr. 22 episcopum Botontinum ad Militensem ecclesiam transfert; Lib. IX, 226; Potth. 14566. — Apr. 27 magistrum Alferum, quem O[ttobonus] cardinalis ecclesiae Alifanae praefecit, confirmat; Lib. IX, 307. — Mai. 23 ecclesiae Furconensi diu vacanti magistrum Ber[ardum] de Padula, consanguineum episcopi Ostiensis, de fratrum consilio et plenitudine potestatis praeficit; Lib. IX, 342. — Mai. 28 Petrum electum Soranum ad ecclesiam Tudertinam post cessionem episcopi Tudertini transfert; Lib. IX, 292. — Iul. 25 episcopum Calvensem Boianum transfert; Lib. X, 26; eidem, electo Theanensi et abbati S. Laurentii de Aversa mandatum Lib. IX, 290 sub Iun. 3; cf. Lib. IX, 364. — Iul. 25 episcopo Rapollensi et abbati Bantin. Acheruntinae diocesis mandat, ut de electione Iohannis de Gaudian. in monasterio S. Trinitatis Venusinae inquirant; Lib. X, 27. — Oct. 4 Raymundum Zottonis de Benevento electum Vicanum, ab electo Beneventano a. 1252, Sept. 25 institutum, confirmat; Oct. 7 episcopo Troiano mandat, ut eum consecrari faciat; Lib. X, 161 et 162; Potth. 14735, —. — Oct. 7 capitulo Capudaquensi mandat, ut B. episcopo Capudaquensi, quem P[etrus] diaconus cardinalis, olim legatus, ecclesiae eorum praefecit et papa per Terracinensem, Alatrinum et Signinum episcopos consecrari fecit, Salernitanae ecclesiae iure servato, intendant; Lib. X, 147. — Nov. 17 fratrem Samuelem ord. Minorum, quem B[ernardus] electus Neapolitanus ecclesiae Neocastrensi praefecit, confirmat; Lib. X, 231; Potth. 14775. — Dec. 20 archiepiscopo Surrentino mandat, ut abbatem S. Ianuarii Neapolitani, ab ipso archiepiscopo personaliter et a civibus Neapolitanis per litteras commendatum, ecclesiae Castri Maris praeficiat: Lib. X, 311. — Dec. 31 capitulo Aprutino mandat, ut Matthaeo de Bellanto ecclesiae eorum praefecto obediant; Matthaeus electus Aprutinus testis Perusii Dec. 23 est; Lib. X, 307 et 364. Cf. supra sub n. 37, 86, 125, 131, 135 et infra a. 1252, Aug. 27 et 1253, Mart. 7.

1) *Inhibitio generalis in Germania t. II, p. 180, n. 241; cf. n. 303 XV et XX; de Lombardia et Romaniola cf. ibid. n. 317 [Berger 3016 et 3020], sed cf. etiam t. II, p. 361, n. 514. In Italia media inhibitio generalis promulgata non videtur; cf. t. II, p. 275, n. 373; p. 292, n. 400; p. 353, n. 500; Berger 4022.*

earundem litterarum auctoritate factis vel faciendis, aut processibus per eas habitis vel habendis inposterum, que omnia volumus viribus[a] omnino carere. Nos enim quicquid contra huiusmodi nostre concessionis tenorem et libertatem iuris seu potestatis vestre in hac parte a quoquam huiusmodi litterarum occasione factum est vel fuerit aut presumptum, decernimus[b] irritum et inane, interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si que litterarum ipsarum pretextu late sunt hactenus, relaxantes, et quas deinceps promulgari contigerit, censentes penitus nullas esse, inhibitionibus per nos et legatos nostros super non eligendis prelatis in ecclesiis civitatum et diocesum ecclesie Romane rebellium, cum eas vacare contingeret, generaliter factis[1] nichilominus in suo robore duraturis.

Dat. Perusii, X Kalendas Iunii, anno VIIII°[c][2].

142.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Mutinensi mandat, ut civibus Mutinensibus, olim exulantibus pro ecclesiae libertate, in recompensationem damnorum, quae sustinuerint, de vicesima Lombardiae, marchiae Tervisinae et Romaniolae certam pecuniam exhibeat; addit mandata de colligenda vicesima in patriarchatu Gradensi et in Romaniola.

1252, Mai. 30.

Inn. IV Reg. Vol. II, 172; Lib. IX, cur. 10. Perizii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 612, n. 413 edidit.

Potthast, Reg. 14608.

.. episcopo Mutinensi.

Dilectus filius frater Rufinus minister fratrum Minorum administrationis Bononiensis[3], penitentiarius noster, ex parte nostra tibi dicitur iniuncxisse, ut dilectis filiis civibus Mutinensibus olim exulantibus pro ecclesiastica libertate[4] in recompensatione dampnorum, que substinuerant, de vigesima proventuum ecclesiasticorum[5] provinciarum Lombardie, marchie Tervisine et Romaniole, quam per litteras nostras olim per te colligi mandavimus, exhiberes certam pecunie quantitatem, set, sicut iidem cives nobis exponere curaverunt, eis nonnisi quandam partem ipsius pecunie persolvisti. Unde tibi damus nostris litteris in mandatis, ut eandem vicesimam diligenter sicut expedit et sollicite colligens, eisdem civibus de predicta vicesima collecta et colligenda solvas residuum pecunie supradicte. Si autem ad hoc non sufficiet vicesima memorata, tu huiusmodi vicesimam in patriarchatu Gradensi a Tervisina civitate citra per triennium et in Romaniola pro anno futuro colligens diligenter et integre per te vel per alios, de ipsa vicesima satisfacias eisdem civibus usque ad quantitatem pecunie nominate. Quia vero quedam, que vix credere possumus, ad aures nostras de collecta huiusmodi pervenerunt, volumus, quod antequam ad colligendam dictam vicesimam in predicto patriarchatu et in Romaniola pro anno futuro procedas, quid et quantum et a quibus in singulis ecclesiis et monasteriis ac locis aliis et diocesibus provinciarum ipsarum occasione dicte

a) *ita A.;* iuribus *R.* b) declaravimus *A.* c) *Legitur sub A.:* Nos H[ermannus] prepositus, W[iggerus] decanus totumque maioris ecclesie in Halberstad capitulum huiusmodi pagine continentiam bulla divi pape roboratam recognoscimus nos habere et hoc per appensionem sigilli nostri protestamur.

1) *Cf. t. II, p. 361, n. 514.* 2) *Hanc revocationem eo tempore pronuntiavit, quo cum Conrado rege de pace tractabat. — Matthaeus Paris., Addit. ed Luard t. VI, p. 211, ad hanc ep. annotavit: 'Hae litterae publicatae fuerunt eodem anno infra octavas decollationis S. Iohannis', i. e. Sept. 5.* 3) *De hoc cf. Salimbene, Chron. p. 149 et 159.* 4) *Usque ad a. 1249, Dec. 15; Böhmer-Ficker 3793a.* 5) *Quae pro subsidio Terrae Sanctae exigebatur.*

vicesime hactenus per te vel per alios collegisti, et quantum et quibus personis eadem assignasti, nobis tuis litteris studeas fideliter intimare, mittens nichilominus ad nos certum nuntium, qui dilecto filio . . camerario nostro de omnibus et singulis supradictis plenam et claram faciat rationem. Aliter quidem nolumus, quod in colligenda dicta vicesima pro futuro tempore aliquam habeas potestatem. Nos enim, si quid contra feceris, decernimus irritum et inane.

Dat. Perusii, III Kalendas Iunii, anno VIIII° [1].

143.

Innocentius IV papa universis Christi fidelibus notum facit se citationem, qua Ezelinus de Romano ad sedem apostolicam personaliter venire debeat, ita moderari, ut idem usque ad proximum festum assumptionis locum idoneum in Lombardia, marchia Tervisina, Foroiulii, Alamannia vel alibi eligat, quo coram personis a papa destinatis id impleat, quod ipsi incumbat. 1252, Iun. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 172; Lib. IX, cur. 11. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1252, § 9, contulimus cum Regestis.

Potthast. Reg. 14646.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Licet pridem nobili viro Ezelino de Romano certum duxerimus terminum prefigendum, quo personaliter ad sedem apostolicam accederet, super impressa sibi nota heresis recepturus quod dictaret iustitia et facturus, alioquin extunc contra ipsum gravius super hoc procedere curaremus [2]: volumus tamen providentie suggerente consilio eidem nocivam cuiuslibet excusationis auferre materiam, ne adversus manum salutis eius remedia perscrutantem de impossibilitate parendi vel periculo nostris conspectibus comparendi aliqua sibi possit verisimilitudinis assuere tegumenta, et nobis negotium catholice fidei prosequentibus modestia qua possumus circa ipsum, cunctis liquido liqueat, quod pia fidelium omnium mater cum iniusto animositatis inimice calore non impetit, sed sincere caritatis desiderio repetit ad salutem. Hinc est, quod dicto nobili premisse citationis formam ad sedem predictam personaliter veniendi hoc equitatis moderamine temperamus, ut, si quidem usque ad festum assumptionis [3] proximo venture certum et idoneum locum in Lombardia vel marchia Tervisina aut Foroiulii seu etiam Alammania sive regione alia commode adiacenti viderit sibi tutum, dummodo idem locus sit in plena constitutus ecclesie ipsiusve fidelium potestate, eius sibi permittamus[a] optionem; et in eo parati sumus sibi securitatem plenariam providere, ut ibi, quod eidem in predictis faciendum incumbit, personaliter implere procuret. Ad quem locum parati sumus destinare personas, que ipsum nobilem, efficientem in hac parte humiliter quod debebit, ibidem recipiant vice nostra. Hoc autem in communem volumus venisse notitiam, ut nota factum ratione probetur, et quod de publico agitur fidei negotio cunctos tangente fideles, publicis auribus innotescat.

Dat. Perusii, VIIII Kalendas Iulii, anno VIIII° [4].

a) permittimus *R.*

1) *A. 1252, Oct. 3 eidem episcopo mandavit, ut cum Imelde nepte Bonacursi de Saviola potestatis Perusini et Guillelmo de Fregnano Mutinensis diocesis de matrimonio contra canones contracto dispensaret; Lib. X, 159. De eodem episcopo cf. Lib. IX, 214; Potthast 14570; cf. etiam Lib. IX, 323; Potth. 14597 [sub Iun. 20, non Mai. 21] et 14457, quae ep., non registrata, ante mortem imperatoris scripta est.* 2) *Cf. n. 113.* 3) *Ut videtur assumptionis Mariae, Aug. 15; terminus assumptionis sive ascensionis Domini fuisset a. 1253, Mai. 29.* 4) *Cf. Schirrmacher, Die letzten Hohenstaufen p. 28.*

144.

Innocentius IV papa Fuliginatibus sub poena mille marcarum argenti mandat, ut Spellanis de damnis et iniuriis irrogatis plenarie satisfaciant; donec id fecerint, ad gratiam eos admittendos non esse. *1252, Iul. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 196; Lib. X, 7. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 131, n. 241 edidit.

Potthast, Reg. 14652.

.. potestati, consilio et comuni Fuliginatibus[1].

Ex parte dilectorum filiorum comunis castri de Spello[2] nobis est oblata querela, quod vos communiter et singulariter preter stragem hominum, que comparari non potest, eis dampna gravia in personis et rebus et iniurias plurimas in apostolice sedis iniuriam irrogastis. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta sub pena mille marcarum argenti firmiter precipiendo mandamus, quatinus eis de predictis dampnis et iniuriis satisfactionem plenariam impendatis, scituri pro certo vos ad gratiam sedis apostolice, donec id feceritis, nullatenus admittendos.

Dat. Perusii, II Nonas Iulii, anno decimo.

145.

Innocentius IV papa [Azzoni VII] marchioni Estensi indulget, ut ipse et sui ea, quae de bonis quondam F[riderici II] et inimicorum ecclesiae, postquam iidem excommunicati sint, habuerint, licite retinere possint. *1252, Iul. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 197; Lib. X, 16. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobili viro .. marchioni Estensi.

Hiis, que tibi accomoda et salubria intuemur, libenter favoris benivolentiam impertimur. Cum igitur, sicut nobis exponere curavisti[a], tu et tibi adherentes de bonis inimicorum tuorum habueritis et habere, si instans guerra duraverit, plurima bona speretis, nos, tuis precibus inclinati, quod ea, que de bonis condam Fr. olim Romanorum imperatoris aut eius familie seu inimicorum ecclesie, postquam fuerunt excommunicationis innodati vinculo, habuistis, possitis licite retinere, ita quod ad restitutionem non teneamini aliquatenus predictorum, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, VII Idus Iulii, anno decimo[3].

---

a) cura^{sti} *R.*

1) *Ex fine ep. apparet verba* spiritum consilii sanioris *omissa esse; cf. etiam n. 121.* 2) *Ex sept. civ. Fuligni. A. 1253, Apr. 5 et Mai. 28 papa cum duobus nobilibus Spellanis de matrimoniis contra canones contractis dispensavit; Lib. X, 614 et 714.* 3) *Eodem die papa Obizonem natum quondam Rainaldi [cf. n. 119 I], nati marchionis Estensis, quem pater, qui infra annos pubertatis existens cum Adelita nata Alberici de Romano per verba contraxerat de futuro, genuerat ex soluta, ad preces marchionis legitimavit, dummodo hic heredem legitimum non relinqueret; Lib. X, 23; Potthast 14659a. Sub a. 1252, Iul. 18 papa Willelmum regem Romanorum rogavit, ut Obizonem legitimaret; Potthast 14668a, non reg.*

146.

Innocentius IV papa [Eberhardo] episcopo et capitulo Constantiensibus nuntiat, licet dignum sit, ut contra Walterum de Clingen, qui ipsum episcopum vi ceperit et diutius in carcere detinuerit, gladius sedis apostolicae exeratur, se tamen, cum vitam peccatoris quaerat, abbati Campidonensi mandare, ut nobilem ad satisfactionem inducat.
1252, Iul. 11.

Inn. IV Reg. Vol. II, 196; Lib. X, 9. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. episcopo et capitulo Constantiensibus.

Grande nephas et orribile facinus ira et odio Dei dignum, quod nobilis vir Walterus de Clingen[a 1] Constantiensis diocesis committere non expavit, te, frater episcope, patrem suum et aliorum civitatis et diocesis Constantiensis animarum pastorem et dominum, non absque iniectione manuum capiendo[2] et detinendo diutius in gravem Dei et apostolice sedis offensam ac totius cleri obprobrium carcerali custodie mancipatum, quotiens ad nostram occurrit memoriam, cor nostrum amaricat et animum dure sauciat et conturbat. Licet igitur dignum providerimus, ut ad vindicandas huiusmodi iniurias, tibi, frater episcope, immo nobis in te ac sedi apostolice irrogatas, et castigandam tante temeritatis et presumptionis audatiam nostre potestatis gladium exeramus: quia tamen peccatorum vitam querimus et non mortem ac desideramus penitentiam potius quam vindictam, in nostre mansuetudinis pacientia volumus[b] experiri, si prefatus nobilis ad cor rediens tactusque penitentia pro commissis digne satisfactionis emendam in humilitate spiritus et cordis contritione voluerit pro huiusmodi iniuriis exhibere; dilecto filio .. abbati Campidonensi[3] Constantiensis diocesis nostris damus litteris in mandatis, ut nobilem ipsum ex parte nostra moneat studiosius et inducat, quod tibi infra duorum mensium spatium post monitionem suam super dampnis, iniuriis, gravaminibus et offensis omnibus in te Constantiensi ecclesie irrogatis plenarie satisfacere non postponat. Si vero predictus nobilis infra predictum[c] tempus eiusdem abbatis parere monitionibus non curaverit in hac parte, nos huiusmodi temeritatis audaciam et presumptionem temerariam volentes non solum in ipsius nobilis verum etiam in suorum personas ultione debita vindicare, presentium auctoritate duximus statuendum, ut nullus de ipsius progenie usque ad quartam generationem in Constantiensi vel alia cuiuscumque civitatis collegiata ecclesia in canonicum vel in clericum admittatur[4]. Quod si secus presumptum fuerit, decernimus irritum et inane. Nulli ergo — nostre constitutionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, V Idus Iulii, anno decimo[5].

---

a) Cliug̃ *R.* b) volentes *corrigendum videtur.* c) p̄ *R.*

1) *Klingen Kant. Thurgau, e mer. civ. Constantiensis.* 2) *Ann. Zwifalt. narrant a. 1251 episcopum captum esse, a. 1252 eum contra abbatem S. Galli bellum movisse; SS. t. X, p. 60. Quendam Walterum de Clingen a. 1271 et 1275 rationes cum monasterio S. Galli habuisse legimus ap. Wartmann, U. B. v. S. Gallen, t. III, p. 190 et 199.* 3) *Hugoni, de quo cf. sub a. 1253, Mai. 23 et Mon. Boica t. VIII, p. 30, n. 21 ad a. 1251.* 4) *Cf. Potthast 12951 et infra sub a. 1253, Iun. 4.* 5) *A. 1252, Mart. 11 papa Radulfo canonico S. Stephani Constantiensis, procuratori episcopi, in praesentia sua constituto, gratiam fecerat; Lib. IX, 373; quem pro causa huius epistolae missum fuisse probabile est; cf. p. 81, not. 6. Fortasse etiam ep. a. 1253, Ian. 28, episcopo non grata [Lib. X, 394; Potthast 14852], ad bellum commemoratum spectat; cf. Meyer v. Knonau, Kuchimeisters Nüwe Casus S. Galli, Exc. I, p. 350.*

147.

Innocentius IV papa priori Fontisboni et fratri Iacobo monacho heremi de Camalduli committit, ut Tegrinum et Guidonem de Mutilliano filium eius comites palatinos in Tuscia, excommunicatos pro eo, quod [Rufinum] episcopum Saxenatem olim de mandato quondam Fr[iderici II] capi et in potestatem eius tradi fecerint, ad preces ipsorum absolvant. 1252, Iul. 13.

Inn. IV Reg. Vol. II, 197; Lib. X, 17. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 14661.

Priori Fontisboni et fratri Iacobo monacho heremi de Camalduli ordinis Camaldulensis Aretine diocesis.

Significarunt nobis nobiles viri Tegrinus et Guido de Mutilliano[a] [1], filius eius, comites palatini in Tuscia, quod ipsi olim de mandato condam Fr. Romanorum imperatoris, cuius tunc temporis ditioni suberant, licet inviti, venerabilem fratrem nostrum .. Saxenatem[b] episcopum capi et in potestatem ipsius Fr. tradi fecerunt. Quare humiliter petebant a nobis, ut cum ipsi pretextu dicti episcopi, quamvis restitutus sit pristine libertati, se timeant excommunicationis vinculum incurrisse nec propter viarum pericula sedem apostolicam comode adire possint, absolutionis beneficium obtenturi, providere super hoc eis misericorditer curaremus. Nos itaque de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium vobis auctoritate committimus[c], quatinus eisdem nobilibus, cum propter hoc ab eis fueritis humiliter requisiti, de assensu tamen et voluntate predicti episcopi iuxta formam ecclesie vice nostra absolutionis beneficium impendatis et iniungatis nichilominus penitentiam salutarem. Quod si non ambo etc.

Dat. Perusii, III[d] Idus Iulii, anno decimo.

148.

Innocentius IV papa potestatem, consilium et commune Interampnenses in plenam gratiam suam admittit, cum pro remissione offensarum P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc legato, duo milia librarum Senensium solverint et fratri Iacobo ostiario papali tria milia obtulerint. 1252, Iul. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 199; Lib. X, 28. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. potestati, consilio et communi Interampnensibus[e].

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod dilectus filius frater Iacobus hostiarius noster, dudum ad partes ipsas pro quibusdam negotiis ecclesie Romane accedens, omnes culpas, iniurias et offensas, quas in nos et eandem ecclesiam hactenus commisistis [2], vobis nomine communis vestri et hominum communis eiusdem de speciali mandato nostro remisit, proventus quoque ac iura, quos et que ipsa ecclesia in civitate

a) Mutillian̄ *R.* b) Saxenat̄ *R.* c) *litt.* mmittimus *in loco raso.* d) *in exemplo ap. Mittarelli, Ann. Camald. t. V. app. p. 44. n. 30, quod et ipsum ex Reg. sumptum est, falso* V. e) Interapnen̄ *R.*

1) *Hi a. 1252, Febr. 18 inimicis ecclesiae favebant; cf. n. 133.* 2) *Cf. t. II, p. 45, n. 61 et p. 502, n. 681 XXIV.*

vestra habere et percipere consuevit, cum hec ad eandem pervenisse debuerint a tempore, quo inimicis ipsius ecclesie adhesistis, usque ad tempus, quo rediistis ad gremium eiusdem ecclesie matris vestre, vobis nichilominus relaxavit. Et quamquam a vobis[a] pro remissione huiusmodi offensarum decem milia librarum Senensium nostro nomine peterentur, quia tamen dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, tunc apostolice sedis legato, duo milia librarum Senensium ut dicitur solveratis et nobis tria milia liberaliter obtulistis, idem frater I. eisdem tribus milibus librarum nomine nostro contentus a premissis omnibus et quibuslibet aliis condempnationibus vos[b] per nos absolvi promisit, sicut in instrumento publico inde confecto dicitur plenius contineri. Nos itaque, vos propter vestre devotionis obsequia in plenam sedis apostolice gratiam admittentes et tam vos quam civitatem vestram in consuetis iuribus et libertatibus conservare volentes, remissionem, relaxationem et promissionem huiusmodi ratas habemus et gratas ipsasque, et quod per eundem fratrem super hiis factum est, auctoritate apostolica confirmamus [etc.][c] usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, X Kalendas Augusti, anno decimo[1].

149.

Innocentius IV papa Conrado scolastico Argentinensi indulget, ut per processum de praepositura Argentinensi inter Gebehardum de Friburc capellanum papae et Walterum de Gerolseke canonicum Argentinensem habitum et sententiam promulgatam et confirmationem apostolicam subsecutam iuri, si quod ipse in eadem praepositura obtineat, praeiudicium non generetur. *1252, Iul. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 206; Lib. X, 109. Exemplar nos inde descripsimus.

Conrado scolastico Argentinensi.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod cum olim pro te ac quibusdam aliis clericis super conferenda cuilibet vestrum prepositura sive personatu vel alia ecclesiastica dignitate in partibus Alamanie sub diversis formis ad diversos executores direxerimus scripta nostra, tandem ecclesie[d] Argentinensis prepositura vacante, singuli vestrum per deputatos sibi executores prepositurام eandem sibi fecere conferri. Verum Gebehardus frater nobilium virorum comitum de Friburch, capellanus noster[2], preposituram ipsam taliter sibi collatam credens se fuisse canonice assecutum, ac asserens Waltherum de Goroliseke[e] canonicum Argentinensem, cui prepositura ipsa collata extitit[3], se non permittere ipsius preposture pacifica possessione gaudere, ipsum ad nostram obtinuit presentiam evocari[4]. Set quia idem W. ab impetitione ipsius G. fuit auctoritate nostra per dilectum filium Andream nepotem et capellanum nostrum exigente iustitia sententialiter absolutus[5], et ob hoc ipse pro preposito Argentinensi

---

a) nobis *R.* b) et vos *R.* c) etc. *deest R.* d) ecclesia *R.* e) *ita R.*

1) *A. 1252, Nov. 8 potestati, consiliariis et communi Civitatis Castellanae universa statuta legitime condita confirmavit; Lib. X, 210; Potthast 14766.* 2) *Cf. n. 136.* 3) *Cf. p. 19, not. 1 et Strassb. U. B. t. 1, p. 283, not. 1.* 4) *A. 1252, Mart. 21 papa episcopo Argentinensi mandaverat, ut praeposituram Argentinensem, si super ea litigantibus silentium contingeret imponi nullique ipsorum eam adiudicari, donationi papali reservaret; Lib. IX, 150.* 5) *A. 1252, Mai. 11; Lib. IX, 297. Sed a. 1252, Aug. 21 papa Hugoni cardinali legato mandavit, ut litem de praepositura illa exortam concordia vel iudicio terminaret, et si nullum de ea ius habere inveniret, ei de persona idonea cum consilio episcopi Argentinensis provideret; Lib. X, 69; Potthast 14692.*

se gerens[1] asserit eandem preposituram canonice se adeptum. tu occasione huiusmodi metuens iuri, quod in eadem prepositura te credis habere, cum de ipso discussum non fuerit, preiudicium generari, petiisti tibi super hoc a nobis paterno remedio precaveri. Licet igitur res inter alios acta alii regulariter non preiudicet, tuis tamen precibus inclinati, quod per processum inter predictos G. et W. habitum et sententiam promulgatam seu confirmationem apostolicam ut dicitur subsecutam, sive[a] quod ius tuum super hoc hactenus prosequi distulisti, nullum tibi in iure, si quod in eadem prepositura obtines, preiudicium generetur, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis —.

Dat. Perusii, IX Kalendas Augusti, anno X°.

150.

Innocentius IV papa [Bertholdo] episcopo Basiliensi indulget, ut castrum de Rinvelden, quod quondam Fr[idericus II] non pro imperio sed pro se et heredibus suis legitime comparaverit et ipse episcopus occupaverit, ecclesiae Basiliensis nomine retinere possit. *1252, Iul. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 200; Lib. X, 33. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . episcopo Basiliensi.

Probata circa nos et apostolicam sedem turbationis sue tempore ac etiam approbata claris laudabilium operum indiciis fides tua ex condigno gratitudinis promeretur, ut etiam Basiliensis ecclesia, cui prees, in te sedis[b] eiusdem gratiam[c] sibi sentiat efficacem. Tua siquidem nobis exhibita petitio continebat, quod castrum Rinvelden[2] in medio Reni situm Basiliensis diocesis, quod condam Fr., dum adhuc vivens se pro imperatore gerebat, non pro imperio set pro se ac heredibus suis legitime comparavit[3], quia nobilis vir Conradus ipsius F. filius et loci incole cum ipso castro Deum, ecclesiam et homines graviter offendebant[4], tuis non levibus ac tuorum consanguineorum[5] laboribus tueque ecclesie gravibus sumptibus occupasti[d] ac facis ipsum pro Basiliensi ecclesia custodiri. Nos itaque, tuam super hoc circumspectam sollicitudinem in Domino commendantes, devotionis tue precibus inclinati, quod dictum[e] castrum cum omnibus suis pertinentiis, villis et viculis tu et successores tui Basilienses episcopi Basiliensis ecclesie nomine in perpetuum licite retinere possitis, tibi ac per te ipsi ecclesie auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc. Siquis autem etc.

Dat. Perusii, V Kalendas Augusti, anno decimo[6].

Datus est ei super hoc conservator . . prepositus ecclesie de Olemberc[7] ordinis sancti Augustini Basiliensis diocesis — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici nequeant vel suspendi.

Dat. ut supra.

---

a) sū *R.* b) sedes *R.* c) gr͞a *R.* d) occupati *R.* e) dictum | dictum *R.*

1) *Papa quoque Walterum in gratiis, quas ei a. 1253, Febr. 13 et 17, Apr. 10, Iun. 5 et Dec. 11 fecit, praepositum Argentinensem vocavit; Lib. X, 473, 468, 672 [= Potthast 14938], 730 et Lib. XI, 713 [= P. 15176].* 2) *Rheinfelden supra Basileam.* 3) *Ut videtur a. 1218 ex hereditate Zaringensi; Bertholdus II enim dux Zaringiae gener et heres Rudolfi de Rinfelden regis fuerat. Iam a. 1225, Iul. civitas imperii erat; Böhmer-Ficker 1575.* 4) *A. 1250 circa ver Conradus in Alsatia superiore erat; Böhmer-Ficker 4527b; cf. etiam Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 800, not. 2.* 5) *Episcopus frater Ulrici comitis de Phirreto [Pfirt] erat.* 6) *Etiam Iul. 29 precibus episcopi annuit; Lib. X, 31.* 7) *Olsberg e mer. civ. Rheinfelden.*

151.

Innocentius IV papa nominatis nobilibus marchiae Anconitanae omnes offensas remittit. *1252, Iul. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 200; Lib. X, 36. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobilibus viris[1] Fidesmido de Monte Viridi[2], Gentili de Petriolo[3] et Gentili de Revelon.[a][4], Conrado de Sterleto[5], Albicello de Pensauro, Maze Arnulfi de Fano dominis[b] de Fallerone[c][6], Petro et Rubeo de Orbesallia[7], fidelibus nostris.

Cum ecclesie Romane secundum posse vestrum obsequiose adesse proponatis de cetero in omnibus suis negociis et prodesse, nos, hanc de fide vestra fiduciam obtinentes, omnes offensas et culpas, quas per vos vel per alios communiter vel divisim in nos et eandem ecclesiam hactenus commisistis, vobis paterna benignitate remittimus, vos in nostram et sedis apostolice gratiam plenarie reducentes. Nulli ergo — nostre remissionis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, III Kalendas Augusti, anno decimo[8].

152.

Innocentius IV papa potestati et communi Aesculanis citadiantias ipsis a nobilibus et universitatibus extra marchiam Anconitanam positis promissas confirmat. *1252, Aug. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 202; Lib. X, 50. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 132, n. 242 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 14684.

.. potestati et communi Esculanis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris supplicationibus benignum impertientes assensum[9], citadiantias[10] communi vestro a quibusdam nobilibus et universitatibus extra marchiam Anchonitanam positis[11] debitas et promissas, sicut in publicis instrumentis eorum spontanea voluntate inter vos et dictos nobiles ac universitates confectis dicitur plenius contineri, ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica confirmamus |etc|[d] usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis —.

Dat. Perusii, VI Idus Augusti, anno X°[12].

a) Revelon̄ R. b) *ita R.* c) Falleron̄ *R.* d) etc *deest R.*

1) *Cf. t. II, n. 363 et 405.* 2) *Ex occ. Firmi.* 3) *Ex sept. et occ. Firmi.* 4) *Cf. Berger 4836.* 5) *E mer. Urbini.* 6) *E mer. Tolentini.* 7) *Ex or. Tolentini.* 8) *A. 1253, Ian. 7 intuitu nobilis viri Hugutionis nati quondam Corradi de Muroalto Camerinensis gratiam fecit; Lib. X, 320.* 9) *Cf. n. 134.* 10) *Quibus iurium et onerum communis extranei participes facti sunt.* 11) *Cf. infra sub a. 1254, Nov. 17.* 12) *A. 1252, Aug. 5 eisdem indulserat, ut pro mercimoniis in terris ecclesiae et maxime in regno Siciliae pedagia vel exactiones alias solvere non tenerentur; Lib. X, 42.*

153.

Innocentius IV papa [Theodino] episcopo et capitulo Aesculanis bona nominata a Lothario III et Fr[iderico] I imperatoribus aliisque collata confirmat. 1252, Aug. 12.

Inn. IV Reg. Vol. II, 202; Lib. X, 49. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Episcopo et capitulo Esculanis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, clare memorie Loterius tercius et Fr. primus Romanorum imperatores[1] aliique fideles Colonellam[2], Coratam, Ancaranum, Salinum, Cantalupum, Ripam Corvariam, Yselam, Faraonem, Colpaganum, Roccam de Camillano, Carrufam et quedam alia loca Esculane et Aprutine diocesum ecclesie vestre, prout spectabat ad eos, pietatis intuitu duxerint conferenda, prout in eorum litteris inde confectis dicitur plenius contineri: nos, vestris devotis supplicationibus inclinati, collationem huiusmodi, sicut pie ac provide facta est, ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc. Si quis autem etc.

Dat. Perusii, II Idus Augusti, anno decimo[3].

154.

Innocentius IV papa [Gerhardo] archiepiscopo Maguntino concedit, ut ad solutionem debitorum ecclesiae suae non teneatur, nisi probetur ea in utilitatem eius conversa esse. 1252, Aug. 18.

Inn. IV Reg. Vol. II, 203; Lib. X, 66. Exemplar nos inde descripsimus.

.. archiepiscopo Maguntino.

Ecclesie Maguntine, que, sicut te intimante accepimus, gravata est eris onere alieni, paterno compatientes affectu, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut ad solutionem debitorum eiusdem ecclesie minime tenearis, nisi probetur conversa esse in utilitatem ecclesie memorate, — non obstantibus aliquibus litteris conventionalibus, renuntiationibus seu confessionibus vel etiam iuramentis. Nulli ergo — nostre concessionis —.

Dat. Perusii, XV Kalendas Septembris, anno X°[4].

155.

Innocentius IV papa decano et capitulo Maguntinis indulget, ut ad receptionem puerorum, idiotarum, inutilium et eorum, qui de genere persecutorum ecclesiae orti sint, per litteras apostolicas impetratas compelli non possint. 1252, Aug. 19.

Inn. IV Reg. Vol. II, 203; Lib. X, 67. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

1) *Stumpf, Reichskanzler n. 3352 et 4433, in quibus privilegiis multae aliae concessiones praeterea leguntur.* 2) *De situ locorum nonnulla attulit Palma, Stor. di Teramo t. II, p. 21.* 3) *Confirmatio renovata est ab Alexandro IV a. 1255, Ian. 30; Potthast 15659.* 4) *Aliae gratiae pecuniariae ei factae sunt Sept. 3 et 4; Lib. X, 94 et 98; cf. etiam n. 155 et 164. Archiepiscopus a. 1252, Iul.—Aug. apud exercitum Willelmi regis in partibus Rheni medii erat; Böhmer-Ficker 5105a et sequ.; sed cf. etiam Böhmer-Will, Reg. archiep. Mog. t. II. p. 317, n. 26 et p. 320, n. 51 et 52.*

.. decano et capitulo Maguntinis.

Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod quidam pueri et penitus idiote, aliqui vero prorsus inutiles et ignari ac alii de persecutorum ecclesie genere super receptione ac provisione ipsorum in vestra ecclesia nostras ad diversos executores litteras impetrarunt, quarum auctoritate quidam ex eis fecerunt in quosdam vestrum per executores suos excommunicationis sententiam promulgari. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc[a] paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ad talium receptionem compelli per huiusmodi litteras aliquatenus non possitis. Nulli ergo nostre concessionis etc.[1]

Dat. Perusii, XIIII Kalendas Septembris, anno X°[2].

156.

Innocentius IV papa omnes leges et ordinationes in regno Siciliae a quondam Fr[iderico II] ante et post eius depositionem et ab eius praedecessoribus regibus Siciliae in praeiudicium libertatis et iurium ecclesiasticorum editas irritat, singulis ecclesiis regni civitates, homines et bona ablata restituit et civitatem Beneventi speciali gratia effert.

1252, Aug. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 306; Lib. X, cur. 9. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1252, § 1, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14693.

Qui[b] pro regnorum clarissimo regno Sicilie dudum sub dira seu durissima posito servitute profundos gemitus et amara fudimus sepe suspiria, id semper in mente gerimus, quod libertatem ecclesiasticam ibi quasi ad nichilum iam redactum in statum pristinum auctore Domino reformemus, maxime cum regnum ipsum, iuris et proprietatis apostolice sedis existens, nunc rege careat et aliqua sibi, nisi per Deum et ecclesiam, resurgendi possibilitas non existat. Hinc est[3], quod nos, cum fratribus nostris diligenti consideratione prehabita, de consilio ipsorum omnes leges seu constitutiones aut statuta, ordinationes, dispositiones, iussiones et universa similia in derogationem vel preiudicium libertatis aut immunitatis, auctoritatis seu iurisdictionis ecclesiastice vel quorumcumque iurium ecclesiasticorum a persecutore libertatis eiusdem quondam Fr. imperatore ante vel post depositionem ipsius edita, necnon quaslibet consuetudines contra hec in eodem regno ab ipso vel suis predecessoribus regibus Sicilie aut quibuscumque aliis introductas, irritas omnino decernimus et inanes; singulis ecclesiis ipsius regni, tam secularibus quam regularibus, cathedralibus et aliis, ac domibus religiosis civitates, castra, villas, terras, predia, possessiones, homines, vassallos et cetera bona et iura, quibus eas idem F. et aliquis filiorum seu ministrorum eius per inquisitiones seu concessiones aut venditiones vel concambia sive quocumque alio modo iniuste destituit, restituentes plenarie, ab ipsis de cetero cum omnibus iuribus et pertinentiis suis integre possidenda. Eisdem

---

a) sr̃ h' *contra usum Regestorum; in loco raso.* b) *inscriptio deest R.; suppleas* Innocentius *etc.* ad observantiam et memoriam perpetuam *vel tale quid; cf. Lib. VI, cur. 22; t. II, p. 434.*

1) *Cf. n. 154 et a. 1253, Iun. 4.* 2) *Eodem die [Waltero] abbati Eberbacensi mandavit, ut praedictas sententias relaxaret: Lib. X, 68.* 3) *Quae sequuntur usque ad verba* liberam facultatem *paucis mutatis cum ep. a. 1248, Dec. 7, t. II, p. 436, lin. 20—34, congruunt.*

etiam ecclesiis et domibus ac prelatis ipsarum reparandi et reedificandi de novo civitates, terras, villas et castra de mandato eiusdem F. aut filiorum seu fautorum ipsius in parte vel toto diruta seu destructa et faciendi inhabitata rehabitari concedimus liberam facultatem.

Preterea, ut electa et predilecta civitas Beneventi, camera utique sedis apostolice specialis, quam eiusdem F. perversitas, eversa tandem prepotenti virtutis divine brachio, impia feritate destruxit[1], se per eiusdem sedis auxilium condigna gaudeat consolatione perfundi, eam in premissis omnibus et aliis libertatibus universis predicto regno parem reddimus et equalem, omnes sibi fidantias, quas olim alicui sine auctoritate sedis apostolice in preiudicium sue libertatis antique fecisse dinoscitur, nichilominus remittentes ac districte iniungentes illis, qui fidantias huiusmodi receperunt, quod eas sine omni dilatione ac difficultate remittant et ipsas de cetero exigere non presumant[2].

Nulli ergo omnino hominum liceat hec nostra statuta infringere vel eis ausu quolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, animadversione dura se noverit puniendum.

Dat. Perusii, X Kalendas Septembris, anno X°[3].

157.

Innocentius IV papa Ianuenses rogat, ut quattuor milia librarum imperialium, quas olim apud ipsos ad mandatum G[regorii IX] papae commune Placentinum deposuerit, militibus Placentinis restituant. *1252, Aug. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 204; Lib. X, 79. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. potestati et communi Ianuensibus.

Cum, sicut intelleximus, commune Placentinum ad mandatum felicis memorie G. pape predecessoris nostri penes vos pro Romana ecclesia quatuor milia librarum imperialium duxerint deponenda: quia hoc presertim tempore dilectis filiis militibus Placentinis[4] huiusmodi pecunia est plurimum oportuna, devotionem vestram rogamus attente, quatinus dictam pecuniam ob reverentiam apostolice sedis et nostram in tante necessitatis articulo restituatis militibus supradictis, ita quod vobis eos exinde fortius obligetis.

Dat. Perusii, VIII Kalendas Septembris, anno X°[5].

1) *A. 1250, Ian. 1; Böhmer-Ficker 3807 a.* 2) *Cf. etiam condiciones, sub quibus Innocentius a. 1253, Iun. 10 Carolo comiti Provinciae regnum conferre voluit, § 9. — A. 1252, Oct. 25 C. electo Beneventano, ut ei locum, in quo congrue morari valeret, deputaret, domos ecclesiae S. Mariae in Cosmidin et proventus earum, sicut cardinales eas habuissent, usque ad beneplacitum papale concessit; Lib. X, 191.* 3) *Aug. 3 regem Angliae rogavit, ut R[icardum] comitem Cornubiae induceret, ut regnum Siciliae sibi ab apostolica sede oblatum reciperet, eique magistrum Albertum notarium suum de ea causa missum commendavit; Aug. 5 eisdem verbis regi Francorum et [Alfonso] comiti Pictaviensi magistrum Albertum commendavit, eos rogans, ut Carolum comitem Provinciae ad recipiendum regnum Siciliae inducerent; Potthast 14680—14682, cf. 14679a, epp. non reg. Qua intentione papa has epp. scripserit, cf. Ficker, Mitth. d. Inst. f. öst. Gesch. t. IV, p. 355; cf. etiam N. A. t. X, p. 566; eis, quae Sternfeld, Karl v. Anjou p. 83 disseruit, non assentimur. Pacis tractatum cum Conrado rege habitum papa iam Iun. 19 dimisisse videtur; ab eo enim die episcopum Albanensem [cf. n. 140] legatum non amplius vocavit; Lib. IX, 339; cf. etiam Matth. Par. a. 1252; SS. t. XXVIII, p. 329 et 330.* 4) *Cf. n. 117.* 5) *Fortasse eodem fere tempore scripta est epistola papae, qua Brixiensibus gratias retulit pro servitiis, quae militibus Placentinis impendissent; Potthast 14949, non reg. Cf. infra sub a. 1253, Febr. 7.*

158.

Innocentius IV papa potestati, consilio et communi Florentinis mandat, ut [Petrum] episcopum Albanensem et Guillelmum S. Eustachii diaconum cardinalem, quos pro pace in partibus Tusciae reformanda destinaverit, devote suscipiant et iussionibus eorum obediant. *1252, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 305; Lib. X, cur. 8. Exemplar, quod Lamig. Cod. It. diplom. t. I, p. 249 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 14698.

.. potestati[1], consilio et communi Florentinis.

Inter omnia nostre sollicitudinis studia hoc novimus esse precipuum, ut inter discordes, quos idem Christiani nominis titulus et eiusdem fidei professio consortes efficit, pacis consilia cogitemus. Scimus enim, quod nisi in pace veneratione congrua non colitur pacis auctor, per dissensiones et scismata populorum fidei religio deficit, morum pervertitur disciplina et salus non proficit animarum. Ideoque nos, qui tam remotos quam proximos desideramus invicem esse pacificos, inter illos precipue reconciliationis spiritum suscitare debemus, in quorum commotionibus Romane ecclesie turbatur ex vicinitate tranquillitas et ex compassione caritatis eius viscera, quo maternius, eo amarius commoventur. Sane, postquam ad partes istas redivimus de partibus Gallicanis[2], circumspicientes provinciam Tuscie laceris in se ipsa partibus fluctuare ac in ipsa effrenem ferri debachari licentiam et mutuo populos eius furore collidi, infremuimus[a] quidem spiritu vehementer super his, dolore pulsante cor nostrum, et ad excogitanda remedia, quibus mala ingruentia[b] sopirentur, nos et fratres nostri apposuimus intentius mentes nostras. Et ut nobis communiter mediantibus exclusa tristium peste bellorum desiderabilis pacis iocunditas proveniret, ad presentiam nostram partes curavimus evocare discordes, ut per idoneas personas, sufficiens ad consumationem negotii mandatum procuratorium afferentes, coram nobis salubribus communis concordie tractatibus interessent, ecclesie pariture consiliis et mandatis, in unum fedus amoris eiusdem provincie populos, quos inimicus homo per scismata seditionesque disiunxerat, maternis affectibus coniungere gestientis. Verum secreto divine commotionis ut credimus permittente iudicio, quia forsitan nondum condigna vexatio auditui dederat intellectum nec ad purum feces exinaniverat peccatorum, clausis auribus vocem nostram audire vocati et verbum pacis contumaci spiritu respuentes, aliquos, qui salutaria oris nostri verba reciperent, ad sedem apostolicam mittere contempserunt. Cumque partes ipse dudum adversus se in partibus Montaie[3] conflarent hostiliter vires suas[4] et castris altrinsecus in conspicuo positis ad discrimen certaminis iram cominus colligerent animorum, audivit et horruit mater ecclesia, et satagens occurrere tot stragibus corporum tot animarum exitiis, que poterant evenire, et confidens quod ad pacis propositum incussa forte utrisque malorum utrinque imminentium formidine ipsius studia iuvarentur, institit, et illuc protinus dilectis filiis nostris R. Sancti Angeli et I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconis cardinalibus[5] cele-

a) infrenuimus *R.* b) incongruentia *R.*

1) *Philippo de Ugonibus civi Brixiensi. A. 1252, Mai. 15 precibus eius annuerat; Lib. IX, 256. A. 1254, Oct. 31 obtentu Guiscardi de Petra Sancta potestatis Florentinae gratiam fecit; Lib. XII, 449. Cf. n. 9.* 2) *A. 1251, Nov. 5 papa Perusium pervenit.* 3) *In valle Arni superioris, ex occ. civ. Montevarchi.* 4) *A. 1252, Ian. Adversarii Florentinorum erant Senenses et Pisani; Gesta Flor. ap. Hartwig, Qu. u. Forsch. z. Gesch. v. Florenz t. II, p. 276.* 5) *Hi a. 1252, Apr. 20 et Mai. 27 apud curiam papalem fuisse non videntur, cum privilegia ap. Potthast 14560 et 14606 non subscripserint.*

bribus quidem ecclesie Dei membris de latere nostro missis, pacem discordibus nunciavit. Set lege peccati obtemperare nescia rationi utramque partem, ne sanis consiliis, salubribus monitis et paternis intenderent iussionibus, obfirmante, spreti sunt hinc et inde Luc. 10. 6 tanti pacis angeli, qui non invenientes, super quos requiesceret pax ipsorum, nullum sui fructum laboris preter pie intentionis meritum retulerunt.

Quot autem mala, [postquam][a] passa fuit has instantia nostra repulsas, fuerint subsecuta, que quidem nostre diligentie remedia exclusissent, si contempta non essent, effusus sanguis, quem de terra clamare in celum credimus contra eos, qui suis consiliis nostra et fratrum nostrorum circa pacem studia dissiparunt, compeditorum gemitus eterni tribunal iudicis in eos utique commovens, qui malignis bellorum suggestionibus dissolvi captivitatis sue vincula non permittunt, et ad ultimum regionis meror crebris depopulationibus deformate, labores inanes et sumptus steriles protestantur. Set inconsultus calor iracundie furiis provocatus et odiorum agitatus impulsibus etiam ab his qui patiuntur hec sentiri non sinit, quia dum vincendi vel ulciscendi cupiditas per improvisa trahit precipitia irritatos, non auditur pater salubriter revocans nec mater agnoscitur ostendens pereuntibus ubera pietatis. Set utroque calcato, quod bellicus furor suggerit, hoc prosequendi temeritas sanum censet. Porro, si alterutri decertantium successus Martis interdum arrideat, non debet is in securitatis iactantiam, donec finalis belli restat eventus, efferri et pacis mediatorem excludere ut irrevincibilis triumphator. Pendet enim adhuc volubilis fortuna certaminis nec cum suis dedit fidem muneribus, ut non debeant revocari et in eius retorqueri sinum, qui de his emulo invidebat. Ludit siquidem desuper in rebus humanis invisibilis speculator, dum eo permittente vel occulto disponente iudicio vincitur et vincit ab altero revictus uterque ac tandem preter spem Eccle. 9. 11. qui vicerat superatur, pro eo quod iuxta sapientis eloquium: 'Non est fortium bellum, cum casus et tempus in omnibus inopinabilia operentur'. Si vero alterutrum obmilitantium casus fortasse depresserit, ut adversario in aliquibus inferior videatur, is proculdubio interdum sibi deterius consulit, quando de casu insurgere satagit continuo in victorem et vires ad reparationem status proprii oportunas in reictionem stantis adversarii properus reluctator expendit, cum tempora fatigatum refovendi vigorem precedere oporteat tempora vindicandi et sepe contingat, quod qui[b] propriam ignominiam[c] nimis animose prosequitur, graviores ulciscendi causas incurrit.

Sane propter premissas tam verborum nostrorum quam cardinalium predictorum repulsas forte fuerat a salubribus repellentium medicationibus desistendum; set improbi[d] est circa filios et irrevincibilis paterne pietatis affectus, ab eorum redargutionibus, obsecrationibus et increpationibus importunis desistere nesciens, donec se in consilia referant meliora et morbi cesset pernities, que dormire in nobis vigilem sollicitudinem non permittit, sed ita nos urget assidue, quod si aliarum rerum necessaria occupatio et inevitabilis pateretur, non pigeret nos corporaliter in medias partes instantis exterminii, quod indubium concertantium periculum imminet, prosilire, ut adversos provincie huius-Ephes. 2. 16. modi parietes mutue in nobis, immo in Christo, reconciliationis federe iungeremus. Set fere idem vel tantumdem providimus faciendum, eas videlicet ad hoc mittendo lateris nostri partes, in quibus erga vos et salutis vestre causam fervor nostre intentionis patenter eluceat ac per operis sermonisque potentiam compensatione non minima presentie nostre in illis auctoritas sentiatur. Ecce igitur venerabilem fratrem Albanensem episcopum[1] et dilectum filium Guillelmum Sancti Eustachii diaconum cardinalem nostros,

---

a) postquam, *quod desideratur, legitur ante verbum* fuerint. b) per *R.* c) ignomininiam *R.*
d) *ita R*; *fortasse legendum est:* in nobis est c. filios irrevincibilis; *sed potius credimus aliquid excidisse.*

1) *Petrum; cf. n. 140 et p. 134, not. 3.*

magna utique ac insignia ecclesie Dei membra, licet eorum presentia carere ad presens sine molestia non possimus, tamen nostris vestra commoda preferentes, ad partes vestras in pacis pulchritudine reparandas de fratrum nostrorum consilio destinamus, totis eosdem affectibus et plenis desideriis ad commissum eis communis boni negotium consequendo. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, ac in remissionem vobis iniungimus peccatorum, quatinus parcentes vobis ipsis et patrie miserentes, vestros velitis providis consiliis temperare calores et super pacis negotio et statu provincie reformandis eorum velitis filialiter suscipere monita, exaudire consilia et mandatis ac iussionibus obedire, ita quod non videamini mortem potius quam salutem affectare communem, et vestra mater ecclesia vos tamquam benivolos filios ob hoc specialiter intime caritatis brachiis amplexetur. Alioquin celum et terram contra rebelles luminis in testimonium invocamus, quod si sponte pereundum eligitis, munde erunt a vestro sanguine manus nostre, et vos apud Deum et homines non solum malorum vestrorum, set et nostrarum super vos rei eritis lacrimarum. Nos quoque sententias, quas iidem episcopus et cardinalis tulerint in rebelles, ratas habebimus et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, alias contra pertinacium duriciam confringendam nichilominus processuri.

Dat. Perusii, VII Kalendas Septembris, anno X°.

159.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Albanensi et G[uillelmo] S. Eustachii diacono cardinali, pro pace inter discordes Tusciae reformanda destinatis, varia mandata et auctoritates concedit. *1252, Aug. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 305; Lib. X, cur. 7. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1252, § 3, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14697.

.. episcopo Albanensi et G. Sancti Eustachii diacono cardinali.

Cum pro pacis negotio inter discordes Tuscie reformande vos ad partes illas de nostro latere destinemus[1], dignum videtur et congruum, ut onus laboris iniuncti auctoritatis honor de nostre potestatis plenitudine comitetur. Hinc est, quod de circumspectionis vestre prudentia confidentes, recipiendi ad apostolice sedis gratiam civitates aliorumque locorum communitates ac personas quaslibet partium predictarum, eiusdem sedis communionem et gratiam non habentes, ac eis absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie impendendi necnon et relaxandi quorumlibet interdicta locorum ac etiam in pertinaces ecclesiasticam aggravandi censuram et contumacibus penas, tam spirituales quam etiam temporales, prout singulorum protervitas exegerit, imponendi, quemadmodum in premissis omnibus vestra viderit discretio faciendum, plenam et liberam vobis et utrique vestrum concedimus auctoritate presentium potestatem. Nulli ergo — nostre concessionis —.

Dat. Perusii, VII Kalendas Septembris, anno X°[2].

1) *Cf. n. 158.* 2) *A. 1252, Nov. 15 papa Alberto scolari nato Conradi marchionis Malaspinae, attendens grata obsequia parentum, gratiam fecit; Lib. X, cur. 13; cf. etiam Ann. Ianuen a. 1253, SS. t. XVIII, p. 231.*

160.

Innocentius IV papa M[arino] electo Capuano potestatem concedit, ut duabus vel tribus civitatibus regni Siciliae ad ecclesiam redire volentibus promittat easdem libertates, quibus papa Neapolitanam et Capuanam civitates munieverit. — Eidem obscure scribit de personis, quibus pecunia satisfieri possit. *1252, Aug. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 305; Lib. X, cur. 3 et 4. Damus Pertzii exemplaria.

I.

M. electo Capuano[1].

De tue circumspectionis industria confidentes, tibi offerendi et nostro ac ecclesie Romane nomine promittendi duabus aut tribus civitatibus totius regni Sicilie ad apostolice sedis gratiam redire volentibus, quod eas illis immunitatibus, libertatibus et concessionibus per nostrum privilegium muniemus, quibus Neapolitanam[2] et Capuanam[3] civitates noscimur munivisse, ac absolvendi clericos et laicos civitatum ipsarum ab excommunicationis sententia qua tenentur et dispensandi cum eisdem clericis super irregularitate, si quam contraxerunt, plenam[a] auctoritate presentium concedimus potestatem, et nos, cum ipse rediture civitates se devotorum ecclesie communioni sociaverint, tuum circa ipsas promissum curabimus in premissis sine difficultatis obstaculo adimplere.

Dat. Perusii, VI Kalendas Septembris, anno X°.

II.

Eidem.

Audivimus de personis illis, intelligenti enim loquimur, quod nobis intimare curasti, quibus de missa tibi pro negotio pecunia poterit satisfieri: et nos expedito negotio subsidium impendemus de nostro.

Dat. ut supra.

161.

Innocentius IV papa [Bertholdo] abbati S. Galli indulget, ut provisioni, de episcopatu Constantiensi cum vacaverit ipsi faciendae, per litteras papales, quibus provisiones huiusmodi nuper revocatae sint, praeiudicium non generetur. *1252, Aug. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 205, Lib. X, 88. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati Sancti Galli Constantiensis diocesis.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, olim tibi de Constantiensi episcopatu, cum illum vacare contingeret, per certum executorem sub certa forma mandaverimus provideri[4] tuque huiusmodi provisionem expectans in eo tibi preiudicari metuas, quod provisiones de archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus per nostras litteras faciendas nuper mandavimus revocari[5]: tibi super hoc provideri a nobis humi-

---

a) *sequitur iterum* tibi *R.*

1) *A. 1252, Ian. 13 papa Marinum, ecclesiae Romanae vicecancellarium [ab aestate a. 1244], ecclesiae Capuanae praefecerat; Lib. IX, 80, cf. 81 et 82; Potthast 14473, —, 14474. Huic et electo Barensi, legationis munere non fungentibus, negotia regni Siciliae prae aliis tum commissa sunt; de re cf. etiam p. 134, not. 3.* 2) *Cf. n. 116 et 125.* 3) *Apr. 20 magistro Andreae civi Capuano feudum Tubarolae in Aversa et territorio eius, spectans ad regale demanium, concesserat; Iun. 3 magistro Raoni iudici Capuano feudum quondam Rogerii Filrizardi de Theano et feudum quondam Willelmi Pagani de Aversa, pertinentia ad regis demanium et vacantia, concesserat; Lib. IX, 194 et 289.* 4) *Hoc factum videtur a. 1251, Febr.; cf. p. 139, not. 1; cf. etiam n. 102 et 146.* 5) *Cf. n. 141.*

liter postulasti. Sane illis devotionis tue meritis, quibus dignum apud nos te gratia huiusmodi reddidisti, ad conservandam tibi eandem inducti, ut per easdem litteras nullum tibi preiudicium generetur, quominus de predicto episcopatu iuxta mandati nostri tenorem tibi provideri valeat, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, III Kalendas Septembris, anno X°.

In eundem modum pro preposito monasterii sancti Galli[1] Constantiensis diocesis, set ubi dicitur de Constantiensi episcopatu, dicatur[a] de abbatia sancti Galli usque: tue meritis et obtentu dilecti filii . . abbatis Sancti Galli consobrini tui[b], quibus dignum etc. usque in finem.

Dat. ut supra.

162.

Innocentius IV papa [Leoni] archiepiscopo Mediolanensi mandat, ut potestatem et commune Mediolanenses ab excommunicatione absolvat et terminum solutionis pecuniae, in qua Romanae ecclesie teneantur, usque ad initium proximae quadragesimae proroget. *1252, Sept. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 205; Lib. X, 90. Exemplar, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 625, n. 428 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14707.

. . archiepiscopo Mediolanensi.

Supplicationibus . . potestatis et communis Mediolanensium inclinati, fraternitati tue presentium auctoritate mandamus, quatinus ipsos ab excommunicationis sententia lata in eos sive per legatos seu nuncios apostolice sedis aut subdelegatos eorum, pro eo quod quandam summam pecunie, in qua ecclesie Romane tenentur, statuto termino non solverunt, absolvens iuxta formam ecclesie vice nostra, terminum solutionis ipsius pecunie proroges eis usque ad initium quadragesimae proximo nunc future[2], ipsos, nisi tunc eam solverint, in eandem sententiam inducturus.

Dat. Perusii, II Nonas Septembris, anno X°[3].

163.

Innocentius IV papa potestati civitatis Aesculanae scribit inter civitatem Aesculanam et Conradum natum quondam Fr[iderici II] certis condicionibus treugas iniri posse. *1252, Sept. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 306; Lib. X, cur. 10. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 132, n. 244 edidit.

Potthast, Reg. 14711.

a) *ita R.; cf. N. A. t. X, p. 536.* b) *verba* obtentu — consobrini tui *ante verba* illis devot. t. meritis *ponenda erant.*

1) *Alberto. Epistola prior pro provisione eius a. 1251, Febr. 20 Eberardo de Sulze archidiacono Argentinensi directa erat; Berger 5085.* 2) *A. 1253, Mart. 5.* 3) *A. 1252, Sept. 24 eidem mandavit, ut terminum solutionis usque ad festum pentecostes proximum [a. 1253, Iun. 8] prorogaret: Lib. X, 122; Potthast 14716; cf. infra sub Oct. 11 et Ann. Mediol. ap. Muratori, SS. t. XVI, p. 656.*

.. potestati civitatis Esculane.

Etsi de multis possit tue fidei puritas commendari, in hoc tamen precipue commendabilis reputatur, quod equo animo tolerare non vales, quicquid suspectum occurrit, unde possit ecclesie Romane dispendium imminere. Cum igitur quam plures cives Esculani ad hoc suos inclinaverint animos, ut treugue inter civitatem eandem et nobilem virum Conradum natum condam Fr. olim se pro imperatore gerentis iniri debeant [1], sicut per tuas nobis litteras intimasti, nos, quia civitatem eandem affectu sincero prosequimur, equanimius sustinemus, si treugue predicte fiant, quam ut ex guerrarum discrimine possent eidem civitati dispendia provenire, dum tamen in eis, quod mandatum ecclesie salvum remaneat [2], specialiter sit expressum; quod si fieri cum huiusmodi expressione non possit, ne civitas ipsa durioribus detrimentis affici valeat, ad consumationem treuguarum ipsarum nichilominus procedatur.

Dat. Perusii, Nonis Septembris, anno X°.

164.

Innocentius IV papa hominibus villae Pinguensis indulget, ut imminente praesentis temporis periculo ad iudicium extra villam suam trahi non possint sine speciali mandato apostolico. *1252, Sept. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 206; Lib. X, 106. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Hominibus ville Pinguensis Maguntine diocesis.

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos propter turbationem instantis temporis villam vestram absque personarum periculo nequeatis exire [3], nos, obtentu venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Maguntini nobis pro vobis supplicantis inducti, vobis gratificari volentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut imminente huiusmodi periculo nullus vestrum trahi possit ad iudicium extra villam ipsam per litteras sedis apostolice seu legatorum ipsius sine dicte sedis speciali mandato, faciente plenam de indulto [a] huiusmodi mentionem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, VIII Idus Septembris, anno X°.

.. decanus et .. scolasticus Sancti Petri Maguntini dati sunt eis super hoc conservatores.

165.

Innocentius IV papa Patutio de Concesio potestati, consilio et communi Novariensibus nuntiat se ipsos ad preces eorum a praecisa observantia statutorum civitatis absolvere. *1252, Sept. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 207; Lib. X, 128. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

---

a) indul *R.*

1) *Cf. n. 134, 152 et 153. Conradus ipse eo tempore in Terra Laboris fuisse videtur; Böhmer-Ficker 4584. Sed Fridericus de Antiochia hoc anno in provincia Aprutina morabatur; cf. p. 64, not. 2.* 2) *Indutias admittit, ita ut civitas sub dominio ecclesiae remaneat. Fridericus II a. 1239, circa Aug. marchiam Anconitanam ad imperium revocaverat; Böhmer-Ficker 2468a.* 3) *Cf. p. 132, not. 4.*

Nobili viro Patutio de Concesio potestati, consilio et communi Novariensibus.

Devotionis augmentum vobis Deo propitio provenire confidimus, si circa vos condigne benivolentie gratiam exponamus. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus annuentes, vos ac assessores, milites et omnes familiares tuos, fili potestas, ab observantia precisorum statutorum civitatis vestre auctoritate presentium sub ea forma duximus absolvendos, ut ea non precise, sicut sunt edita, sed iuxta voluntatem totius consilii civitatis eiusdem vel maioris partis ipsius teneamini observare, et tu, fili predicta potestas, absolutionem statutorum ipsorum petere ac recipere valeas a consilio memorato, dummodo huiusmodi absolutio non in dispendium sed profectum Novariensis ecclesie convertatur[a] [1]. Nulli ergo — nostre absolutionis etc.

Dat. Perusii, VI Kalendas Octobris, anno X°.

166.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut ad pacem reformandam cum Hartmanno comite de Grueningen et Hedewigi nata [Wolfradi] comitis de Veringen de matrimonio consummando dispenset. 1252, Oct. 2.

Inn. IV Reg. Vol. II, 209; Lib. X, 140. Exemplar, quod Meerman, l. c. t. V, p. 126 edidit, contulit cum Regestis V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 14730 = 14700 falso sub Aug. 31; Wirtemberg. U. B. t. IV, p. 307, n. 1238.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri comitis[b] Harcimanni de Grueningen [2] petitio continebat, quod dissensionis auctor talem inter ipsum et nobilem virum . . comitem de Veringen [3] Constantiensis diocesis dissensionis materiam[c] seminavit, quod ex ea non solum bonorum ipsorum sequebatur destructio set vicinorum locorum incolis ac universis exinde transeuntibus multa corporum et rerum pericula imminebant. Unde ad sedandam huius dissensionis materiam et inter eos pacis federa reformanda idem comes de Grueningen nobilem mulierem Hedewigim natam dicti comitis de Veringen iuravit ducere in uxorem ac etiam desponsavit. Verum quia prefatus comes de Grueningen ipsam mulierem quarta linea consanguinitatis contingit, non prius ipse duxit ad consumationem huius matrimonii procedendum, quam super hoc recursus ad sedem apostolicam haberetur, nobis humiliter supplicans, ut cum ad reformationem pacis inter ipsos comites et multorum periculum evitandum nichil adeo sicut consumatio eiusdem matrimonii operetur, salubre remedium apponere curaremus. Attendentes igitur, quod urgens necessitas et evidens utilitas dispensationem exposcit, mandamus, quatinus consideratis diligenter circumstantiis universis, si utilitati et negotio karissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris videris expedire, dictis comiti de Grueningen ac mulieri auctoritate nostra per te vel per alium dispensando concedas, ut — impedimento huiusmodi non obstante — possint, si velint, ad consumationem matrimonii predicti procedere ac insimul licite remanere.

Dat. Perusii, VI Nonas Octobris, anno X°[d] [4].

a) convertantur *R.* b) . . comitis *R.* c) materia *R.* d) Dat. ut supra *R.*

1) *Cf. n. 80.* 2) *De hoc cf. t. II et Böhmer-Ficker 5113 et 5114.* 3) *Ex sept. cir. Sigmaringen; cf. ibid. 4521.* 4) *A. 1254, Iul. 29 abbati Augiensi ad preces comitis de Veringen mandavit, ut cum eisdem dispensaret, ita ut in matrimonio contracto possent remanere; Lib. XII, 88.*

167.

Innocentius IV papa [Leoni] archiepiscopo Mediolanensi iterum mandat, ut contra potestatem, assessores, officiales et consules Mediolanenses, protectores usurariorum, procedat. *1252, Oct. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 214; Lib. X, 193. Exemplar, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 631, n. 440 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14740.

. . archiepiscopo Mediolanensi.

Olim tibi nostris dedisse dicimur litteris in mandatis, ut . . potestatem Mediolanensem et assessores eius ac officiales et consules Mediolanensis civitatis ex parte nostra moneres, ne quemquam compellerent ad usuras alicui persolvendas, eos, quod ab huiusmodi compulsione omnimodo desisterent, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Set, sicut nobis extitit intimatum, tu, licet . . potestatem, assessores, officiales et consules predictos monueris iuxta litterarum ipsarum tenorem, quod a tali compulsione desisterent, contra eos tamen procedere neglexisti, quamquam ipsi monitis tuis non acquieverint in hac parte. Quocirca fraternitati tue in virtute obedientie per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus, si est ita, in huiusmodi procedas negotio iuxta litterarum continentiam earundem [1].

Dat. Perusii, V Idus Octobris, anno X°.

168.

Innocentius IV papa Thomae de Sabaudia comiti indulget, ut iuribus ipsius ex eo, quod quondam Fr[iderico II] imperatori adhaeserit, praeiudicium non generetur. *1252, Oct. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 215; Lib. X, 203. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Thome de Sabaudia comiti.

Ne pro eo, quod condam Fr. olim imperatori ac eius fautoribus contra ecclesiam adhesisse diceris, cum ab excommunicationis sententia, si quam propter hoc incurristi, te absolvi fecerimus [2], aliquod patiaris in tuis iuribus detrimentum: ut occasione huiusmodi nullum tibi, quoad iurisdictiones, honores et iura, que tibi contra quascumque personas vel loca, antequam dictam sententiam incurreres, competebant [3], preiudicium generetur, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis —.

Dat. Perusii, X Kalendas Novembris, anno X° [4].

169.

Innocentius IV papa [Marino] electo Capuano ad preces comitis Casertani et Alifani mandat, ut fratrem Placidum praepositum monasterii S. Benedicti Capuani

---

1) *Cf. etiam n. 15 et 162 et Böhmer-Ficker 4593.* 2) *Cf. p. 103, not. 2; cf. etiam Böhmer-Ficker 4577 a.* 3) *Dicere videtur concessiones ei a Friderico II a. 1248, Nov.—Dec. et iterum a Willelmo rege a. 1252, Mai. 22 factas; Böhmer-Ficker 3733—3742, 5086—5091; cf. infra sub a. 1254, Mart. 6.* 4) *Aliae gratiae eidem factae Lib. X, 345 et 372; cf. etiam Potthast 14865, 15072 et de eadem re Urbani IV benef. [Vol. 29], f. 69, n. 162.*

monasterio S. Vincentii de Vulturno in abbatem praeficiat et fratrem Andream eiusdem monasterii S. Benedicti, ab eodem comite et communi Capuano commendatum, loco Placidi subroget. *1252, Nov. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 217; Lib. X, 221. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Electo Capuano.

De puritate devotionis et fidei circa Deūm et ecclesiam ac etiam de vita, moribus et scientia dilecto filio fratri Placido preposito monasterii sancti Benedicti Capuani ordinis sancti Benedicti a pluribus fide dignis et precipue a dilecto filio nobili viro . . comite Casertano et Alifano[1], nobis et predicte sedi devoto[2], testimonium laudabile perhibetur. Propter hec[a] siquidem merita, et etiam quia iam dictus comes prepositum ipsum affectuose nobis per suas speciales litteras commendavit, discretioni tue, de qua in Domino fiduciam specialem gerimus, per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem prepositum, si quod de ipsius probitate proponitur veritate fulcitur, vacanti prout dicitur monasterio sancti Vincentii de Wlturno[3] eiusdem ordinis, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet medio, auctoritate nostra per te vel per alium preficias in abbatem, faciens sibi a subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi ac munus etiam benedictionis impendi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti etc.[b]; contradictores etc. Ceterum, postquam mandatum nostrum de predicto preposito fuerit adimpletum, dilectum filium fratrem Andream monachum prefati monasterii sancti Benedicti, virum utique prout asseritur timoratum, providum et honestum, quem dictus comes et etiam dilecti filii commune Capuanum[c] pro suis laudabilibus meritis prosequuntur affectu benivolentie specialis, eidem monasterio sancti Benedicti auctoritate predicta in prepositum preficias[4] et procedas in aliis, iuramento postposito[5], circa ipsum, prout de predicto fratre P. superius est expressum. Volumus tamen, quod monasterio Casinensi, cui sepedictum monasterium sancti Benedicti subesse dicitur, nullum ex hoc in posterum preiudicium generetur.

Dat. Perusii, VI Idus Novembris, anno X°.

170.

Innocentius IV papa Marino de Ebulo nomine uxoris eius A[delasiae] restituit comitatum Acerrarum, quo avum eiusdem A. Henricus VI imperator spoliaverit; non obstante quod comitatus olim Thomae de Aquino iuveni, qui a devotione sedis apostolicae recesserit, a papa confirmatus sit. *1252, Nov. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 220; Lib. X, 242. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

a) hoc *R.* b) quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium studeas quantocius destinare; *cf. infra sub a. 1254, Ian. 23.* c) Capuañ *R.*

1) *Alifanus comitatus, de quo cf. Berger 3147, Ricardo a papa nuper collatus videtur; cf. n. 114 et 119.* 2) *Circa a. 1253, Ian. et eodem fere tempore civitas Capuana Conrado IV se subiecerunt; Böhmer-Ficker 4590a.* 3) *Ex sept. et occ. civ. Iserniae.* 4) *A. 1253, Ian. 26 eidem monasterio gratiam fecit, cuius conservatores Boianensis et Caiacianus episcopi fuerunt; Lib. X, 384.* 5) *Scil. iuramentum ne postuletur, quia monasterium S. Benedicti immediate ecclesiae Romanae non subfuit.*

Nobili viro Marino de Ebulo[1].

Clara tibi testimonia suffragantur, quod honorem ecclesie sincera devotione diligis et eius hostibus non sine incursu dampnorum gravium constanti animo resistere delectaris. Sane petitionis tue seriem audivimus, continentem quod inclite recordationis Henricus Romanorum imperator condam . . avum[2] dilecte in Christo filie nobilis mulieris A[delasie] uxoris tue comitatu suo Acerrarum, quem ipse tunc temporis obtinebat, contra iustitiam pro sua voluntate privavit. Quia vero idem comitatus ad eandem uxorem tuam hereditario iure dicitur pertinere, nos ipsum tibi et heredibus tuis nomine dicte uxoris restituimus ac etiam de novo concedimus de nostra gratia[a] speciali — non obstante quod Thome de Aquino iuveni, qui dampnabiliter a sedis apostolice devotione recedens hostibus ecclesie impudenter ac patenter adhesit, comitatum eundem olim confirmasse seu de novo dicimur concessisse[3]. Nulli ergo — nostre restitutionis et concessionis etc.

Dat. Perusii, VII Kalendas Decembris, anno X°.

. . electo[b] Neapolitano. Clara etc. usque: concessisse. Quocirca mandamus, quatinus memoratum nobilem per te vel per alium auctoritate nostra in possessionem sepedicti comitatus inducas et defendas inductum; contradictores [etc.][c]; — non obstantibus[d] constitutione de duabus dictis etc., vel si alicui sit indultum, quod suspendi vel interdici etc. usque: mentionem.

Dat. Perusii, V Kalendas Decembris, anno X°.

171.

Innocentius IV papa Willelmo regi Romanorum confirmat sententiam, qua in curia generali nuper apud Frankefort celebrata illos omnes bonis, quae ab imperio tenerent in feudum, privaverit, qui de eis infra annum a die coronationis ipsius regis non receperint investituram. *1252, Dec. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 221; Lib. X, 252. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1252, § 17, collatum cum Regestis, contulimus cum authentico epistolae abbati Fuldensi directae, quod Schannat, Dioc. Fuldens. p. 279, n. 61 edidit [A.]

Potthast, Reg. 14793 et 14796.

Willelmo regi Romanorum illustri.

Dignum est sententias, que sollempniter regio promulgantur oraculo, ut illibate permaneant, apostolice firmitatis patrocinio non carere. Tua siquidem, carissime fili, nobis exhibita narratio continebat, quod tu in generali curia nuper apud Frankfort[e] de antiqua imperii consuetudine celebrata[4] per diffinitivam sententiam, de communi con-

---

a) gratia *superscr.* b) *pergitur post* X° *in eadem linea, perparvo spacio interposito, omissis verbis* In eund. modum. c) etc. *deest R.* d) obst' *R.* e) Frankefort *A.*

1) *De hoc cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. VI, p. 406 et 918 et infra sub a. 1255, Apr. 11. De consanguineis eius cf. n. 119 IV; cf. Berger 3165 et 3166.* 2) *Pater Sibiliae matris Adelasiae uxoris Marini fuerat Rogerus comes Acerrarum, cuius filium Ricardum comitem iussu Henrici VI imperatoris a. 1196 interfectum esse narrant Ann. Ceccan. et Ryccardus de S. Germ. a. 1197; SS. t. XIX, p. 294 et 329.* 3) *Cf. n. 115. Thomas Conrado regi se subiecerat a. 1252 circa Mai. vel paulo post; Böhmer-Ficker 4581 et supra p. 112, not. 4.* 4) *A. 1252, Iul. ante civitatem Frankefort; Böhmer-Ficker 5105a.*

sensu[a] principum imperii eiusdem tibi fidelium ibidem presentium promulgatam, illos omnes bonis quibuscumque, que ab imperio tenebant in feudum, privare curasti, qui super hiis investituram infra annum a die, quo apud Aquisgranum in Romanorum regem fuisti divina favente gratia[b] coronatus, a tua celsitudine recipere non curarunt, prout in autenticis litteris confectis exinde et[c] regio sigillo signatis plenius continetur[1]. Nos itaque, tue sublimitatis precibus inclinati, quod a te super hoc factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, IIII Nonas Decembris, anno X°.

. . abbati[d] Fuldensi Herbipolensis diocesis[e]. Dignum etc. usque: continetur, verbis competenter mutatis. Quocirca mandamus[f], quatinus eandem sententiam auctoritate nostra facias per te vel per alios inviolabiliter observari — non obstantibus[g] si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint vel eorum terre subici ecclesiastico interdicto absque etc.[h] usque: mentionem, etiamsi contineatur in eis, quod ipsarum impetratoribus quelibet dicte sedis indulgentia non obsistat, seu qualibet indulgentia sedis prefate, per quam tue[i] iurisdictionis effectus in hac parte impediri valeat vel differri, sive constitutione de duabus dietis etc. —; contradictores [etc.][k].

Dat. ut supra[l 2].

172.

Innocentius IV papa [Azzoni VII] marchioni Estensi, qui petivit, ut marchia Anconitana sibi restitueretur, respondet se hanc gratiam ipsi facere non posse; si vero de ea ius aliquod se habere confidat illudque decreverit prosequendum apud sedem apostolicam, iustum iudicium ipsi exhibitum iri. *1252, Dec. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 307; Lib. X, cur. 15. Damus Pertzii exemplar.

Nobili viro . . marchioni Estensi.

Progenitorum tuorum in te propagata devotio promeretur, ut apostolica sedes favorabilibus excipiat auribus vota tua, cum ea sibi quibuslibet insinuantibus innotescunt[3]; in quibus motus tuos illo te credimus discretionis iudicio moderari, ut desideriis tuis non nisi prout equitatis ratio suggerit expetas annuendum. Sane venientes ad presentiam nostram nuncios tuos, viros utique providos et discretos, solita benignitate recepimus et aure intenta percepimus, que coram nobis et fratribus nostris proponere voluerunt: qui inter cetera postularunt, ut marchiam Anconitanam, quam ad te asseris pertinere[4], tibi resti-

a) consensu *alia tinctura superscr. in R.* b) clementia *A.* c) et — signatis *eadem manus in marg. addidit in R.* d) Henrico abbati *A.* e) Herb. dioc. *deest A., sed legitur ap. Martène, Thes. t. I, p. 1053.* f) Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus *A.* g) obst[t] *R.;* obstante *A.* h) absque sedis eiusdem speciali mandato, plenam et expressam de verbo ad verbum faciente de indulto huiusmodi mentionem *A.* i) tue *deest A.* k) etc. *deest R.* l) Dat. Perusii, III Nonas Decembris, pontificatus nostri anni X *A. Apparet hanc ep. ex authentico registratam non esse.*

1) *Datis a. 1252, Iul. 11; LL. t. II, p. 366; Böhmer-Ficker 5107. Sententiae promulgatae vertebantur imprimis contra Conradum regem [cf. sub a. 1253, Febr. 8] et Margaritam comitissam Flandriae. Cf. etiam Potthast 14690, non reg.* 2) *A. 1253, Iul. 4 Henricus abbas Fuldensis auctoritate huius epistolae S. Laurentii Leodiensis et Lobiensi abbatibus mandavit, ut Margaritam comitissam Flandriae monerent, ut sententiae apud Frankefort latae pareret; alioquin in eam excommunicationis et interdicti sententias ferrent etc.; Martène, Thes. t. I, p. 1053; cf. p. 1055.* 3) *Cf. n. 145.* 4) *Honorius III eam Azzoni in feudum concesserat a. 1217, Apr. 14; Potthast 5520; cf. Winkelmann, Fried. II. ed. II, t. I, p. 123, not. 1 et Epp. sel. t. I, p. 116, n. 165.*

tuere dignaremur, hanc tibi facientes in iure gratiam, ut huiusmodi restitutionem sine iudicii strepitu consequaris. Nimirum, quantumcumque personam tuam geramus in visceribus caritatis ac te proponamus in benedictionibus dulcedinis tamquam devotum filium prevenire, tamen ad presens temporibus circumspectis et causis, quod postulatam exhibere tibi possimus in hac parte gratiam super re tot defensa laboribus ecclesie, tot eius sumptibus excussa quam pluries de manibus invasorum, facile nobis aut utcumque liberum non videtur. Verum quia omnibus sumus in iustitia debitores, nedum tibi, qui non solum ad iustitie debitum set ad gratie congrua beneficia te per devotionis merita coaptasti: si super marchia memorata te ius aliquod habere confidis illudque decreveris prosequendum apud sedem apostolicam, que principali privilegio causas suas iudicat[a], iustum tibi faciemus dante Domino iudicium exhiberi. Nam et alii mundi principes, presertim qui nullos superiores in temporalibus recognoscunt, ea[b] de iure nobiscum in suos subditos prerogativa potestatis utuntur, ut in propriis auditoriis fiscales dirimi faciant questiones et super hiis attoribus contra se iudices exhibeant, temporalem in huiusmodi iudicem non habentes.

Dat. Perusii, Nonis Decembris, anno X°.

173.

Innocentius IV papa ecclesiae Castellanae confirmat concessionem Ottonis IV imperatoris, qua contra ipsam nulla praescriptio temporis nisi centenaria opponatur.

1252, Dec. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 225; Lib. X, 296. Damus Pertzii exemplar.

Preposito et capitulo ecclesie Castellane[1] ordinis sancti Augustini.

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod clare memorie Otto quartus Romanorum imperator primo anno imperii sui inter alias immunitates et libertates, quibus vos et ecclesiam vestram imperiali auctoritate munivit, specialiter eidem ecclesie vestre concessit, ut contra ipsam nulla prescriptio temporis nisi centenaria opponatur, prout in privilegio ipsius imperatoris inde confecto suo sigillo munito vidimus plenius contineri[2]. Nos itaque, devotionis vestre precibus inclinati, concessionem huiusmodi de prescriptione centenaria, contra laicos tantummodo valituram, ratam habentes et gratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, VII Idus Decembris, anno X°[3].

. . archipresbyter de Cortonio[4] Aretine diocesis datus est eis super hoc conservator.

174.

Innocentius IV papa iudicibus, scabinis et ceteris civibus Coloniensibus indulget, ut per litteras apostolicas extra civitatem Coloniensem ad iudicium evocari non possint

---

a) īdicat *R.* b) ac. *R.*

1) *Cum diocesis adscripta non sit, de ecclesia episcopali agi videtur, et cum archipresbyter de Cortona conservator fuerit, epistolam pro ecclesia Civitatis Castelli [Città di Castello ex or. civ. Aretinae] datam credimus.* 2) *Instrumentum ipsum non superest.* 3) *A. 1252, Iul. 29 ecclesiae Castellanae Petrum Rubeum in episcopum praefecerat; Lib. X, 45.* 4) *Cortona e mer. civ. Aretinae.*

absque speciali mandato papae. — Eisdem libertates et iura ab imperatoribus et regibus Romanorum et archiepiscopis Coloniensibus aliisque principibus concessa et bonas consuetudines confirmat. *1252, Dec. 9 et 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 225 et 226; Lib. X, 292 et 302. Pertzii exemplaria, collata cum Regestis, contulimus cum authenticis ap. Ennen, Qu. z. Gesch. d. Stadt Köln t. II, p. 326, n. 312 et p. 329, n. 315 [A.] Potthast, Reg. 14799 et 14810; Mitth. aus d. Stadtarch. v. Köln III, p. 34, n. 187 et 190.

I.

Iudicibus, scabinis et ceteris civibus Coloniensibus.

Adeo semper fixa extitit vestra et progenitorum vestrorum in beati Petri fide soliditas et fidelitatis vestre ac ipsorum erga Romanam ecclesiam matrem vestram sinceritas comprobata, quod numquam fuit de vestra et eorundem constantia circa illam in aliquo hesitandum, qui semper alienorum vocibus precludentes auditum, alterius quam pastoris et patris universalis ecclesie vestigia nescivistis. Quapropter votis vestris animo libenti annuimus et flagranti desiderio a futuris vobis gravaminibus, quantum cum Deo possumus, precavemus. Vestre itaque devotionis litteratoriis precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut per apostolice sedis vel legatorum ipsius litteras impetratas, per quas nondum sit processum, vel etiam impetrandas, universaliter vel singulariter pro quacumque privata causa vel comuni extra civitatem Coloniensem ad iudicium evocari aliquatenus non possitis absque speciali sedis eiusdem mandato, plenam et expressam de verbo ad verbum faciente de hac indulgentia mentionem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, V Idus Decembris, anno X°[1].

II.

Iudicibus, scabinis et ceteris civibus Coloniensibus.

Adeo semper fixa etc. usque: annuimus, vestrasque petitiones, quantum cum Deo possumus, exaudimus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris devotis precibus inclinati, libertates et immunitates ac iura vobis ab imperatoribus et regibus Romanorum[a] ac etiam archiepiscopis Coloniensibus et aliis principibus fidelibus rationabiliter[b] concessa necnon et consuetudines vestras laudabiles et antiquas, sicut ea omnia iuste ac pacifice obtinetis, vobis et per vos civitati vestre seu ipsius civibus auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, II Idus Decembris, anno X°[2].

175.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato scribit homines de Confluentia ad instinctum [Arnoldi] archiepiscopi Treverensis, domini tem-

---

a) Romanis *A.* b) vobis *iterum sequitur in R. et A.*

1) *Conservatorem eodem die abbatem S. Martini Coloniensis constituit; Potthast 14800, non reg.*
2) *Eodem die papa compositionem inter archiepiscopum et cives Colonienses super mutatione monetae et aliis diversis articulis mense Apr. a. 1252 mediantibus Hugone cardinali legato et fratre Alberto de ordine Praedicatorum initam confirmavit; Potthast 14809; cf. 15018 et Böhmer-Ficker 5151. A. 1253, Ian. 18 papa Coloniensibus per quinquennium indulsit, ne in eos excommunicationis vel interdicti sententiae promulgari possent absque speciali mandato apostolico; Potthast 14840; epp. non reg.*

poralis eorum, in G[uillelmum] regem Romanorum et exercitum eius hostiliter irruisse; mandat, ut archiepiscopum ad satisfactionem praestandam inducat, alioquin eum ad sedem apostolicam citet. — Eidem idem scribit, addens, ut nisi archiepiscopus paruerit, capitulo iniungat, ut aliquos ad papam mittant, potestatem habentes alium eligendi in archiepiscopum. *1252, Dec. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 225—226; Lib. X, 293 et 299. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Ripoll, Bull. Praedicat. t. I. p. 219, n. 273 et 274 edidit.

Potthast, Reg. 14807 et 14808; Görz, Mittelrh. Reg. t. III, n. 984.

I.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod scultetus, milites et homines castri de Confluentia[1] Treverensis diocesis ad venerabilis fratris nostri . . archiepiscopi Treverensis, eorum domini temporalis, instinctum[2] in carissimum in Christo filium nostrum G. regem Romanorum illustrem, crucesignatos et alios de exercitu dicti regis manu irruentes armata, nonnullos ex ipsis vulnerare, alios occidere, quosdam spoliare ac captivare temere presumpserunt, aliquibus miserabiliter in Reni flumine suffocatis, in ipsius regis iniuriam et ecclesie ac imperii negocii generalis non modicum detrimentum[3]. Ne igitur tante presumptionis temeritas propter impunitatem transeat aliis in exemplum, mandamus, quatinus, si de plano et absque iudicii strepitu super hoc per te vel alium inquirens inveneris ita esse, dictum archiepiscopum moneas vel moneri facias, ut plenariam super hiis satisfactionem studeat exhibere, quam secundum ecclesie ac regis honorem et atrocitatem facti videris exhibendam. Verum si monitus plenam humilitate debita satisfactionem ad mandatum tuum, immo nostrum, impendere forte contempserit, tu ex parte nostra peremptorie cites eundem, ut infra duos menses post citationem huiusmodi compareat personaliter coram nobis, prout decuerit recepturus. Si vero in statuendo sibi termino ad nostram venire presentiam recusabit, subditos eius ab obedientia ipsius in penam inobedientie sue usque ad satisfactionem congruam absolvere non postponas. Quod inde feceris, per tuas etc.[a] usque: intimare.

Dat. Perusii, II Idus Decembris, anno X°.

II.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod scultetus, milites et homines castri de Confluentia etc. ut in septima superiori usque: non postponas, capitulo Treverensi ex parte nostra iniungens, ut in certo termino, quem eis duxeris statuendum, aliquos ex se, plenam ab ipsis eligendi coram nobis alium in archiepiscopum Treverensem vel recipiendi vice omnium eum, quem in pastorem ecclesie Treverensi duxerimus providendum, habentes plenariam[b] facultatem, ad[c] presentiam nostram mittant. Quod autem inde feceris etc.[4]

Dat. Perusii, II Idus Decembris, anno X°.

---

a) *scil.* nobis litteras [continentes tenorem presentium] studeas [fideliter] intimare; *cf. n. 102.* b) *aut* plenariam *aut supra* plenam *delendum est.* c) *verba* ad — mittant *superscr.*

1) *Coblenz.* 2) *A. 1252, Sept. 27 papa archiepiscopo et capitulo Treverensibus gratiam fecerat; Potthast 14725a.* 3) *Cf. Gesta Trever. Cont. V, SS. t. XXIV, p. 412 et Böhmer-Ficker 5103, 5104 et 5127a et b.* 4) *Cf. infra sub a. 1253, Iul. 12.*

176.

Innocentius IV papa [Bernerio] electo Cremonensi mandat, ut abbatem S. Mariae de Girunda, fautoribus quondam F[riderici II] adhuc faventem, deponat.

1252, Dec. 20.

Inn. IV Reg. Vol. II, 225; Lib. X, 295. Damus Pertzii exemplar.

.. electo Cremonensi[1].

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod .. abbas monasterii sancte Marie de Girunda[2] Cremonensis diocesis, condam Fr. se tunc pro imperatore gerenti et fautoribus eius contra ecclesiam manifestus fautor existens, eisdem fautoribus adhuc impendit consilium, auxilium et favorem. Quia vero dignum est, ut indevoti ex indevotione iacturam et devoti ex devotione commodum assequantur, mandamus, quatinus, si res ita se habet, ipsum abbatem auctoritate nostra privans perpetuo regimine monasterii memorati, eo exinde velut indigno et indevoto amoto, personam idoneam et honestam ac in spiritualibus et temporalibus circumspectam, ecclesie Romane devotam, preficias ipsi monasterio in abbatem; contradictores —.

Dat. Perusii, XIII Kalendas Ianuarii, anno X°[3].

177.

Innocentius IV papa [Sigeberto] episcopo Novariensi mandat, ut civitates et personas Lombardiae, adversariis ecclesiae adhaerentes, quae ad communionem ecclesiae et societatem Lombardorum converti velint, recipiat et absolvat et ad solidandam societatem praedictam intendat. *1253, Ian. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 307; Lib. X, cur. 16. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis et cum altero exemplari, quod authentico depromptum Hahn, Coll. Monum. t. I, p. 170 edidit [A.]

Potthast, Reg. 15591.

.. episcopo Novariensi[4].

Quia nostrum est oves requirere perditas et ad caulas humeris referre pastoris nec non ad unitatem ecclesie redire volentibus materne benignitatis gremium non negare,

---

1) *A. 1252, Nov. 12 capitulo et clero civitatis et diocesis Cremonensis mandaverat, ut Bernerio de Summo [cf. etiam Potthast 13758], cui de ecclesia Cremonensi providisset, intenderent; in eundem modum communitati militum et peditum civ. et dioc. Cremon.; Lib. X, 238; provisio electo in Lombardia pro sustentatione sua facienda Lib. X, 239 sub Nov. 17.* 2) *Lago Gerondo vocatur lacus, qui superabundantibus aquis Addae et Serii fluminum efficitur.* 3) *A. 1253, Febr. 4 electo in eundem modum de abbate S. Thomae Cremonensis scripsit; Lib. X, 409. In favorem Pagani de Michara [Michariis] civis Cremonensis scripsit a. 1253, Ian. 5 et 1254, Mai. 11; Lib. X, 318 et Lib. XI, 621. — A. 1255, Dec. 18 Alexander IV episcopo Cremonensi scripsit Cremosianum abbatem S. Laurentii Cremonensis, qui cum nonnullis consanguineis pro devotione ecclesiae per quinquennium et amplius exulasset, supplicasse, ut cedere posset; mandarit, ut cessionem reciperet et, cum maior pars conventus excommunicata esset, monasterio de persona idonea provideret; Lib. I, 770.* 4) *Ex eo quod episcopo Novariensi haec mandata commissa sunt, suspicamur legatum in Lombardia tum non fuisse. A. 1251, Nov. 10 papa Octaviano S. Mariae in Via Lata diac. card. plenam legationem in Lombardia, Aquilegiensi provincia et Romaniola concesserat; Lib. IX, cur. 5; Potthast 14412. A. 1251, Dec. 5 Philippo electo Ravennati similem potestatem in Romaniola dederat, sed legatum eum non vocaverat; Potthast 14428, cf. 14427a, 14435, 14484, 14620; epp. non reg. A. 1252, Apr. 3 eidem 'legato' mandaverat, ut quamdiu Octavianus legatus in Lombardia moraretur, legationis officio sibi ibidem commisso supersederet; Potthast 14549, non reg. Octavianus a. 1253, Febr. 25 apud curiam erat, et Mai. 18 'tunc legatus' appellatur; Potthast 14895 et 14977, epp. non reg. De Philippo cf. infra sub a. 1253, Iul. 21. Cf. etiam Ficker, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. IV, p. 387.*

pro eo quod[a] licet pertinacibus severos nos esse conveniat, misericordes tamen esse debemus hiis, qui ad penitentiam humiliter se prosternunt: quocirca mandamus[b], quatinus communitates civitatum aliorumque locorum nec non et personas quaslibet provincie Lumbardie adversariis ecclesie ipsiusque fidelium[c] adherentes ac volentes ad communionem ecclesie ac societatem Lombardorum, sedis apostolice devotorum[1], consilio saniori converti, sicut eorum saluti, honori ecclesie ac eorum, qui in eiusdem sedis devotione permanent, profectui[d] videris expedire, recipias ad mandatum nostrum et eiusdem ecclesie vice nostra, ipsis absolutionis beneficium iuxta formam ecclesiasticam impensurus ac relaxaturus in terris eorum ecclesiasticum interdictum, terris Vercellensis ecclesie ac nobilium[e] advocatorum[2] aliorumque apostolice sedis fidelium nec non et personis, que per se vel alios detinent ipsas terras, exceptis, circa quas excommunicationis vel interdicti sententias relaxari per te vel alios nolumus, nisi eisdem terris prius plenarie restitutis. Ad hec de tua industria confidentes volumus et mandamus, ut ad consolidandam societatem predictam diligenter intendens, in mutuum convoces et provoces auxilium atque presidium dicte societatis federe copulatos, monens ipsos sollicitis exhortationibus et inducens, ut sibi ipsis socialiter ac fideliter coherentes, in defensionem civitatis Parmensis[3], per cuius amissionem ut norunt ipsorum universitas enormem pateretur[f] enervationis iacturam et adversariorum brachium magne virtutis robore firmaretur, manus potentis subventionis extendant, tam vota quam studia in id communiter dirigendo. Quod si ad revocationem aliquorum existentium exadverso seu recuperationem locorum, ex quibus possint adiuvari devoti, fuerit largitio pecuniaria oportuna, societatis predicte consortes horteris sollicitis admonitionibus et inducas, ut provido commertio emolumenta communia prosequentes ad hoc tribuant liberaliter singuli et sine difficultate contribuant, quod poterit in uberes utilium proventuum manipulos pullulare, ut illa non negligant argumenta sollertie pro statu reparando provincie, quibus ad subversionem eius alii nequiter abutuntur; contradictores [etc.][g].

Dat.[h] Perusii, Kalendis Ianuarii, anno X°.

178.

Innocentius IV papa [Gerhardum] archiepiscopum Maguntinum monet, ut [Henrico II] electo Spirensi, consanguineo suo, cui papa de archiepiscopatu vel episcopatu quem acceptandum duxerit in regno Alamanniae mandaverit provideri, circa hoc fautorem se exhibeat.
1253, Ian. 9.

Inn. IV Reg. Vol. II, 228; Lib. X, 335. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

a) quod *deest A.* b) quare fraternitati tue per apostolica scripta mandamus *A.* c) eiusque infidelibus *A.* d) *ita A.;* profectū *R.* e) nob. virorum advoc. Vercellensium *A.* f) *ita A.;* paterent *R.* g) etc. *deest R.;* per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut expedire videtur, compescendo *A.* h) *nota chronol. deest A.*

1) *A. 1252, Mart. 8 Brixiae coram Octaviano Mediolanum, Alexandria, Brixia, Mantua, marchio Estensis et Ferraria, Bononia, Mutina, Parma, Placentini, Regini et Cremonenses exules, Albericus de Romano et Tervisium foedus suum et cum ecclesia Romana renovaverant; Muratori, Antiqu. t. IV, p. 487.* 2) *A. 1252, Nov. 16 papa cum Uberto comite de Langusto [e mer. et or. Vercellarum], qui Sybiliam natam Phylippi Advocati Vercellensis matrimonialiter sibi copulare volebat, dispensaverat; Lib. X, 233; cf. etiam Potthast 14395 et 15337; epp. non reg.* 3) *A. 1253, Mai. inter Parmenses exules et intestinos pax reformata est; Ann. Parm. et Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 676 et 506; cf. Potthast 14976; cf. etiam infra n. 185.*

. . archiepiscopo Maguntino[1].

Quia ex meritis pervenitur ad premia, ut ad merita subditos per premia invitemus, dilectum filium . . electum Spirensem non indigne prerogativa gratie prosequi cupimus specialis; cuius probata devotio et fidei puritas in necessitate, qua cognoscuntur amici, sic claruisse noscuntur, quod speciali apostolice sedis se dignum reddiderit gratia et favore. Cum igitur eius personam honorare sibique gratificari volentes, ei de aliquo archiepiscopatu vel episcopatu, quem acceptandum duxerit, in regno Alamanie mandaverimus provideri[2]: licet credamus, quod ratione consanguinitatis[3], qua ipse tibi coniunctus esse dicitur, tum etiam, quia te decet voluntatem tuam voluntati apostolice coaptare, nobis tacentibus te in hoc sibi favorabilem debeas exhibere, quodque idem apud te nostro vel cuiusquam alterius egere non debeat interventu, quia tamen ipsum sincera caritate complectimur et promotionem eius ex animo affectamus, fraternitatem tuam rogamus et monemus attente, quatinus pro nostra et apostolice sedis reverentia eidem electo in hoc favorabilem et propitium te studeas exhibere, ita quod ipse sibi favorem tuum affuisse gaudeat, nosque diligentie tue studio cognito per effectum rectitudinis tue zelum cum gratiarum actionibus commendemus[4].

Dat. Perusii, V Idus Ianuarii, anno X°[5].

179.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut ad providendum de aliquo episcopatu Alamanniae Everardo praeposito S. Georgii Coloniensis, fratri Arnoldi domini de Dist, pro quo W[illelmus] rex Romanorum apud Lugdunum supplicaverit, non obstante revocatione provisionem huiusmodi generali, procedat.

1253, Ian. 9.

Inn. IV Reg. Vol. II, 229; Lib. X, 339. Exemplar, quod Ripoll, Bull. Praedicat. t. I, p. 220, n. 276 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14828.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Licet olim super provisione dilecti filii Everardi prepositi ecclesie sancti Georgii Coloniensis[6], fratris nobilis viri Arnoldi domini de Dist[7], nostri et ecclesie Romane devoti, de aliquo episcopatu, quem ipse duceret acceptandum, quam cito vacaret, in regno Alemannie facienda, tibi sub certa forma direxerimus scripta nostra, idem tamen, grata se oportunitate ad id offerre tardante nobisque interim revocantibus litteras super archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus conferendis a nobis concessas et processus auctoritate litterarum ipsarum super hiis habitos et habendos irritantibus,

---

1) *Hic excommunicationi ab Hugone legato promulgatae tum subiacebat; Böhmer-Will, Reg. archiep. Mogunt. t. II, p. 317, n. 26 et p. 320, n. 51 et 52.* 2) *Cf. t. II, p. 267, n. 361 et p. 523, n. 707.* 3) *Electus e genere comitum de Liningen, archiepiscopus filius Conradi comitis Silvestris erat.* 4) *Cf. revocationem generalem in n. 141.* 5) *Eodem die Dithero canonico Spirensi gratiam fecit; Lib. X, 336. Ditherus postea procurator electi in eadem causa erat; cf. infra sub a. 1256, Ian. 23 et Mart. 17. — In favorem electi etiam ep. Lib. X, 304; cf. supra p. 34, not. 1. — A. 1253, Aug. 13 papa Wernero praeposito Maguntino indulsit, ut in ecclesiis, in quibus beneficiatus esset, in episcopum assumi posset, si canonice evocatus esset; Lib. XI, 102.* 6) *De hoc cf. t. II, p. 536, not. 6.* 7) *De hoc cf. Böhmer-Ficker 5015, 5025, 5055, 5102 et 5120.*

ita quod hiis[a], ad quos pertinet, de illis disponendi libera sit facultas[1], proventum spei de nostra in hac parte concepte gratia non suscepit. Movente igitur nos et efficaciter impellente ad specialiter super hoc aliquid demandandum, quod carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris apud Lugdunum pro huiusmodi provisione viva nos voce rogavit[2], quodque tu et idem rex nuper pro ipso E. instanter per litteras supplicastis, mandamus, quatinus — revocatione huiusmodi non obstante — in eiusdem E. provisione procedas iuxta priorum continentiam litterarum.

Dat. Perusii, V Idus Ianuarii, anno X°[3].

180.

Innocentius IV papa Yprensibus consuetudines rationabiles villae ipsorum confirmat. 1253, Ian. 14.

Inn. IV Reg. Vol. II, 231; Lib. X, 361. Damus Pertzii exemplar. Potthast, Reg. 14839.

Scabinis et universis hominibus ville Yprensis Morinensis diocesis[4].

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris devotis supplicationibus inclinati, rationabiles et antiquas ac hactenus pacifice observatas consuetudines ville vestre auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, XVIIII Kalendas Februarii, anno X°.

181.

Innocentius IV papa [Waltero] episcopo Tornacensi mandat, ut scabinos Gandenses, qui ad officium testium synodalium deputati contra fornicatione notatos ex quadam prava consuetudine testificari contemnant, ut id faciant, compellat. 1253, Ian. 15.

Inn. IV Reg. Vol. II, 232; Lib. X, 369. Damus Pertzii exemplar.

.. episcopo Tornacensi.

Cum[5], sicut tua nobis fraternitas intimavit, iuxta canonicas sanctiones in tua civitate ac diocesi quosdam testes publicos, qui sinodales vulgariter appellantur, tam predecessores tui quam tu in singulis parrochiis duxeritis deputandos, scabini ville Gandensis eiusdem diocesis ad officium huiusmodi deputati, licet de singulis criminibus diffamatos apud te vel illum, quem super hoc idoneum deputaveris, teneantur deferre, nichilominus tamen contra fornicatione notatos ex quadam prava consuetudine, que

---

a) hii *R.*

1) *Cf. n. 141.* 2) *A. 1251, Apr.; cf. p. 31, not. 2.* 3) *A. 1252, Iun. 1 papa Alberto canonico Xantensi consanguineo [Conradi] archiepiscopi Coloniensis et fratri domini de Dollendorp, devoti papae, beneficium conferri iusserat; Lib. IX, 394. A. 1253, Apr. 9 ad preces [Simonis] episcopi Paderburnensis, [Brunonis] electi Osnaburgensis et [Bernhardi III] domini de Lippia Iohanni clerico nato quondam Erberti [Ecberti F.] de Batenhorst gratiam fecerat; Lib. X, 875; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 242, n. 528.* 4) *Cf. t. II, p. 272, n. 369 et Potthast 14854 et 14874.* 5) *Eadem ep. cum paucis variantibus t. II, p. 473, n. 661.*

dicenda est verius corruptela, testificari contempnunt, quasi fornicatio criminale peccatum non debeat reputari. Cum igitur crimen huiusmodi eo studiosius sit, quo frequentius a pluribus committitur, puniendum, mandamus, quatinus, si est ita, prefatos scabinos, ut tam super fornicatione quam aliis criminibus veritatem referant, ut tenentur, — predicta consuetudine non obstante — monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas.

Dat. Perusii, XVIII Kalendas Februarii, anno X°.

182.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali [legato] committit, ut cum Rewino nato Ernesti comitis de Glichen et Caecilia relicta Nicolai comitis de Halandia, consanguinea [Wilbrandi] archiepiscopi Magdeburgensis, et cum Henrico advocato de Plewe fratre advocati de Gera et Aleedi nata Hermanni de Luhtemberg de causis matrimonialibus dispenset. *1253, Ian. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 308; Lib. X, cur. 21. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Ripoll, l. c. t. I, p. 222, n. 281 edidit.

Potthast, Reg. 14845; v. Mülverstedt, Reg. archiep. Magdeburg. t. II, p. 587, n. 1325.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali[a].

Devotionem, quam venerabilis frater noster . . Magdeburgensis archiepiscopus et dilecti filii nobiles viri Hernestus comes de Glichen[b 1] Othoniensis[2] et . . advocatus et Gera[3] Nuemburgensis diocesum una cum suis circa Romanam gerunt ecclesiam, nobis diligenter per tuas litteras expressisti, affectuose deposcens quod cum dilecta in Christo filia Cecilia relicta condam Nicolai comitis de Halandia[4], consanguinea ipsius archiepiscopi[5], et Rewino nato prefati comitis, ut — non obstante quod quarta affinitatis linea se contingunt — matrimonialiter copulari valeant, ac etiam quod nobilis vir Henricus advocatus de Plewe[6], frater predicti advocati de Gera, et Aleedis nata nobilis viri Hermanni de Luhtemberg[7] Nuemburgensis diocesis, quam idem Henricus pro federe pacis inter se ac illius consanguineos reformando sibi de facto matrimonialiter copulavit, pluribus ex ea filiis procreatis, — non obstante quod ipsi quarta consanguinitatis et tertia affinitatis linea sunt coniuncti — manere possint in matrimonio sic contracto, dispensare cum eis de benignitate solita dignaremur. Nos itaque, digne volentes quod dictus archiepiscopus et iidem nobiles apud nos pro suis meritis invenisse gaudeant gratiam benivolentie specialis, probate circumspectioni tue presentium tenore committimus, ut cum prefatis personis super huiusmodi matrimoniis auctoritate nostra dispenses, si negotio ecclesie ac imperii, quod in partibus illis agitur, et utilitati carissimi in Christo filii nostri . . Romanorum regis illustris id videris expedire.

Dat. Perusii, XIII Kalendas Februarii, anno X°.

---

a) *verba* apostolice sedis legato *desunt in marg. et in rubro.* b) Glicheñ *R.*

1) *E mer. et or. civ. Gotha.* 2) *Odense in insula Fünen.* 3) *Henricus.* 4) *Halland in Suecia, ad mare Kattegat, e mer. civ. Göteborg; qui comitatus ad regnum Daniae tum pertinebat.* 5) *Wilbrandus archiepiscopus ex genere comitum de Kevernburg erat.* 6) *Plauen.* 7) *Leuchtenburg ad Saale fl. prope civ. Kahla, e mer. civ. Iena. Hermannus e genere dominorum de Lobedaburg erat; cf. E. Schmidt, Die Lobdeburg bei Jena p. 16.*

183.

Innocentius IV papa [Marino] electo Capuano dispensandi in tribus causis matrimonialibus Gaietanis et absolvendi Suessanos, Fundanos et Gaietanos cives, qui pro violenta manuum iniectione in personas ecclesiasticas inciderint in canonem, potestatem concedit. *1253, Ian. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 308; Lib. X, cur. 20. Damus Pertzii exemplar.

.. electo Capuano.

Ut, quemadmodum necessitatis suadet utilitas, rigor iuris mansuetudine molliatur, dispensandi in tribus matrimoniis, inter aliquos cives Gaietanos quarto consanguinitatis et affinitatis gradu coniunctos, prout reformationi status civitatis Gaietane ac revocationi eius ad devotionem ecclesie profuturum videris, contrahendis, liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem. Insuper Suessanos[1], Fundanos et Gaietanos etiam cives, qui pro violenta iniectione manuum in personas ecclesiasticas inciderunt in canonem sententie promulgate, iuxta formam ecclesie absolvendi hac vice, nisi forte ipsorum fuerit gravis et enormis excessus, libera sit tibi de nostra permissione potestas; proviso quod ab eis iniuriam passis congrue satisfiat.

Dat. Perusii, IIII Kalendas Februarii, anno X°.

184.

Innocentius IV papa Tallacocio de Monte Marano Beneventanae diocesis castellucium de Soro et castrum Massafrae, quae quondam Fr[idericus II] occupaverit et nati eius detineant, restituit et confirmat. *1253, Ian. 30.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 234; Lib. X, 392. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Tallacocio de Monte Marano[a][2] Beneventane diocesis.

Quia Deo et ecclesie devotus esse diceris, dignum est, quod super hiis, que iuste desideras, nos invenisse benivolos gratuleris. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus annuentes, castellucium de Soro et castrum quod Massafra[3] dicitur, ad te iure successionis tamquam ad proximiorem consanguineum condam Rizardi et Troisii dominorum castellucii et castri predictorum, qui sine liberis ab intestato decesserunt, prout asseris, pertinentia, — non obstante quod condam Fr. imperator ipsa post mortem dominorum ipsorum nequiter occupavit et nati eius adhuc detinent occupata[4] — tibi auctoritate presentium, maxime cum regnum Sicilie ad presens rege careat, de gratia speciali restituimus ac etiam confirmamus, ita tamen quod iuramentum fidelitatis ac debita et consueta servitia ecclesie Romane vel regi substituendo per ipsam[5] de illis facere tenearis. Nulli ergo — nostre restitutionis et confirmationis etc.

Dat. Perusii, III Kalendas Februarii, anno X°.

---

a) Marañ *R.*

1) *Civitas a. 1252, Mai. 28 Conrado se subiecerat; Böhmer-Ficker 4578e.* 2) *Ex or. civ. Avellino; cf. n. 115.* 3) *Ex sept. et occ. Tarenti.* 4) *Forsan Conradus IV paulo ante in hac regione fuerat; cf. Böhmer-Ficker 4589.* 5) *Papa eo tempore cum Ricardo comite Cornubiae de conferendo ei regnum Siciliae tractabat; cf. p. 134, not. 3 et Matth. Paris. SS. t. XXVIII, p. 331 et 346.*

185.

Innocentius IV papa [Alberto] episcopo Placentino facultatem concedit, ut cum propter discordiam inter cives Placentinos exortam in civitate sua morari non possit, ea, quae ad officium suum spectent, alibi existens, capitulo non requisito, ordinet.

1253, Febr. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 236; Lib. X, 110. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. episcopo Placentino.

Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, merito nos inducit, ut tuis petitionibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, propter gravem discordiam[a] olim inter cives Placentinos exortam[1] comode non possis ad presens in eadem civitate morari, nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi in nostra curia seu etiam alibi existenti cognoscendi de causis, quas inter subditos tuos moveri contigerit, comitendi[b] eas aliis lege tibi diocesana subiectis ac statuendi et ordinandi de ecclesiis ac instituendi et destituendi, prout ad tuum officium spectat, clericos Placentine civitatis et diocesis, secundum quod utilius et melius expedire videris, capitulo[c] Placentino minime requisito, ac si in eadem civitate personaliter resideres, donec secure ad illam redire valeas et ibidem comode commorari, auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, VII Idus Februarii, anno X°[2].

186.

Innocentius IV papa W[illelmo] regi Romanorum confirmat sententiam, qua tam ab H[enrico] rege quam ab ipso W[illelmo] in curia generali apud Frankeford congregata Conradus natus quondam Fr[iderici II] ducatu Sueviae et omnibus bonis, quae ad eum in regno Alamanniae pertineant, privatus sit. *1253, Febr. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 239; Lib. X, 446. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14669, falso sub a. 1252, Iul. 20.

W. regi Romanorum illustri.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nobilis vir Conradus natus condam Fr. olim Romanorum imperatoris tam a clare memorie H. rege Romanorum predecessore tuo[3] quam a tua celsitudine postmodum in curia generali a te apud Frankeford ex more principum congregata[4] non solum ducatu Suevie set etiam omnibus bonis suis, que ad ipsum dicebantur in regno Alamanie pertinere, eiusdem regni principum accedente consensu ex eo fuerit rite privatus, quod erat persecutor ecclesie et

---

a) discordiam gravem *R.* b) *ita R.* c) *verba* capitulo — requisito *in fine epistolae sub signo* ⁒ *alia tinctura adiecta sunt.*

1) *Cf. n. 117 et 157. Sed a. 1252, Dec. 17 milites Placentiam reversi pacem cum populo fecerant; Ann. Plac. Gib. SS. t. XVIII, p. 506; cf. etiam n. 177.* 2) *A. 1253, Ian. 23 intuitu Lanfranchi Zochi civis Placentini, qui devotos ecclesiae obsequioso favore prosequeretur, gratiam fecerat; Lib. X, 873.* 3) *Ut videtur a. 1246, Aug.; Böhmer-Ficker 4872a. Confirmationem papalem huius sententiae non habemus.* 4) *Cf. n. 171.*

adversarius manifestus, nec de predictis ducatu et aliis investituram a te vel eodem predecessore tuo recipere procuravit: nos, privationem huiusmodi ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii, VI Idus Februarii, anno X°[a].

. . abbas Sancti Trudonis[1] datus est super hoc conservator[b]; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut extra suam diocesim per litteras apostolicas trahi non possint etc. usque: mentionem.

187.

Innocentius IV papa fratri Iohanni de ordine Minorum episcopo Sambiensi mandat, ut in praedicatione crucis contra Conradum filium quondam F[riderici II] in Alamannia absque neglegentiae torpore procedat. *1253, Febr. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 240; Lib. X, 465. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 649, n. 463 edidit.

Potthast, Reg. 14875; Perlbach, Preuss. Reg. 406.

Fratri Iohanni de ordine Minorum, episcopo Sambiensi[2].

Cum tibi dudum predicationem crucis contra condam F. olim imperatorem ac fautores eius persecutores ecclesie in regno Alamanie per nostras litteras sub certa forma commisisse dicamur, nos, de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus in predicatione huiusmodi contra Conradum eiusdem F. filium ac adherentes eidem absque negligentie torpore procedas iuxta earundem continentiam litterarum[3].

Dat. Perusii, V Idus Februarii, anno X°.

In eundem modum fratri Willelmo de Eika ordinis Predicatorum, capellano carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris.

188.

Innocentius IV papa fratri Willelmo de Eika ordinis Praedicatorum, capellano W[illelmi] regis Romanorum, mandat, ut contra Conradum natum quondam Fr[iderici II] in Alamannia verbum crucis praedicet. — Eidem pro crucis negotio promovendo varias potestates concedit. *1253, Febr. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 239; Lib. X, 447 et 448. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Ripoll, Bull. Praedicat. t. I, p. 225, n. 290 et Sbaralea, Bull. Francisc. t. I, p. 649, n. 464 ediderunt.

Potthast, Reg. 14877 et 14878; Perlbach, Preuss. Reg. 407.

Fratri Willelmo de Eika ordinis Predicatorum, capellano carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris.

Ad[1] promotionem negotii ecclesie generalis et Romani imperii totis affectibus et iugi sollicitudine vigilamus, et ut idem negotium finem accipiat consumationis optate,

a) Dat. ut supra *R.* b) *Sub similibus, ut credimus, verbis atque in n. 171 abbati Fuldensi.*

1) *Willelmus.* 2) *Inter a. 1251, Febr. 10 [n. 54] et Aug. 21 [Böhmer-Ficker 5047] episcopus factus est.* 3) *Cf. n. 54 et 188.* 4) *Cf. n. 187.*

oportunum libenter sollicite diligentie studium adhibemus, impendendo ad hoc quam possumus operam et aliorum opem nichilominus implorando. Hinc est, quod nos, de discretione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus per te vel alios tam religiosos quam seculares etiam, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, proponens iuxta datam tibi et hiis quibus id commiseris a Deo prudentiam fidelibus in regno Alamanie verbum crucis, eos, ut contra Conradum natum condam Fr. olim Romanorum imperatoris eiusque fautores suscepto crucis signaculo viriliter se accingant, studiosis et sedulis exhortationibus inducere non postponas. Nos[1] enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi tribuit, potestate[a] omnibus, qui laborem istum utiliter et efficaciter in propriis personis subierint et expensis, ac eis, qui non in personis propriis sed in suis dumtaxat sumptibus iuxta facultates et qualitates eorum idoneos destinaverint bellatores, nec non et illis, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumpserint onus ipsum, illam suorum peccatorum veniam, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, indulgemus ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte succurrentibus in generali concilio sunt concessa. Huiusmodi quoque remissionis concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes illos, qui adversus eundem Corradum et eius fautores de bonis suis congrue ministrabunt vel impendent consilium et auxilium oportunum.

Dat. Perusii, IIII Idus Februarii, anno decimo.

II.

Eidem.

Ut talentum verbi tibi a Domino dispensatum in eius exercitatus obsequiis multiplicatum sibi referas, cum de ipso a te repetet rationem, [discretioni tue][b] predicationem crucis contra Conradum natum condam Fr. olim Romanorum imperatoris suosque fautores persecutores ecclesie per totum regnum Alamanie duximus auctoritate apostolica committendam, exequendi predicationem huiusmodi per te vel per alios, quos ad hoc idoneos esse cognoveris, largiendi etiam crucesignatis ob causam huiusmodi et concedendi privilegia et indulgentias, que crucesignatis in Terre Sancte subsidium transfretantibus conceduntur, nec non et remissionem quadraginta dierum omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad tuam ob hoc predicationem vel illorum quibus eam commiseris accesserint audiendam, illosque nichilominus censura ecclesiastica compescendi, qui te vel eos super hiis forsitan presumpserint impedire, concessa tibi et eis auctoritate presentium plenaria potestate.

Dat. ut supra.

In eundem modum Iohanni de ordine Minorum, episcopo Sambiensi[c].

189.

Innocentius IV papa [Odoni] episcopo Tusculano legato concedit, ut crucesignatos, qui C[onrado IV] et fratribus eius faventes vel Watacio servientes vel aliis de causis excommunicati sint, absolvere possit. *1253, Febr. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 242; Lib. X, 480. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

a) potestatem *R.* b) discret. tue *deest R.* c) *Nescimus an eidem Iohanni ep. I quoque missa sit, cum ep. II nihil nisi supplementum ep. I fuerit.*

1) *Cf. concil. Lateran. a. 1215, ap. Mansi, Conc. t. XXII, col. 1067.*

. . episcopo Tusculano, apostolice sedis legato[a].

Sicut tua nobis fraternitas intimavit, nonnulli crucis caractere insigniti, qui adherendo et favendo C. nato quondam Fr. se tunc pro imperatore gerentis eiusque fratribus et fautoribus eorundem, et quidam, qui Wathacii servitio insistendo, alii etiam qui frangendo ecclesias, furta et incendia committendo, quamplures quoque, qui latas in eos ab ordinariis suis vel iudicibus delegatis a sede apostolica seu legatis eiusdem, pro eo quod ab eis citati legitime[b] in prefixo[c] ipsis termino peremptorio comparere coram eis contumaciter non curarunt, propter huiusmodi contumaciam manifestam excommunicationum sententias incurrerunt, ad te veniunt, absolvi ab ipsis sententiis humiliter postulantes. Nos igitur, de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut eosdem excommunicatos, undecumque sint sive veniant, absolvas ab huiusmodi sententiis iuxta formam ecclesie vice nostra, ita tamen quod huiusmodi contumaces de stando iuri et satisfaciendo congrue de expensis pro contumacia parti alteri, et raptores, fractores ecclesiarum et incendiarii memorati de restituendis ablatis et satisfaciendo illis, quibus dampna per fractionem huiusmodi et incendia intulerunt, infra competentem terminum eis a te prefigendum prestent sufficientem et idoneam cautionem, ex tunc ipso facto easdem sententias, si premissa implere neglexerint, incursuri.

Dat. Perusii, II Idus Februarii, anno X°[d].

190.

Innocentius IV papa magistro Ysembardo notario suo committit, ut [Raynerio] electo Vulterano tribuat licentiam de recuperando castro Monterii postulatam, quod Fr[idericus] de Antiochia filius quondam F[riderici II] quibusdam mercatoribus Senensibus obligaverit. *1253, Febr. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 243; Lib. X, 490. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Magistro Ysembardo notario nostro.

Dilectus filius . . electus Wlteranus nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse castrum Monterii[1] spectans ad ecclesiam Wlteranam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de manibus Scotti Dominici et sociorum eius mercatorum Senensium, quibus Fr. de Antiochia natus condam F. dudum se pro imperatore gerentis illud obligasse dicitur, recuperare desideret[2], ac eius cassarum et argenteriam, exceptis iurisdictione et aliis redditibus eiusdem castri, quos vult ad manus proprias retinere, pro sex milibus marcarum argenti ad pondus eiusdem castri dilectis filiis Bonifacio et Rollando Bonsegnoris[3] fratribus familiaribus nostris et Bartholomeo Christofori eorumque sociis civibus et mercatoribus Senensibus pignori obligare, ac recuperare castrum ipsum et alia castra et possessiones eiusdem ecclesie, que a nonnullis contra iustitiam detineri noscuntur, nec non et exo-

---

a) Eidem *R.* b) legitimo *R.* c) prefixis *R.* d) Dat. ut supra *R.*

1) *Montieri ex or. Massae Maritimae; de eodem cf. Böhmer-Ficker 3390.* 2) *Iam a. 1251, Mart. 13 papa Alebrandino ord. Praedicat. Senis commoranti [cf. Berger 5382] mandaverat, ut cives Senenses induceret, ut idem castrum electo restituerent; Berger 5141; Potthast 14240; eadem ep. etiam 14221, falso sub Febr. 26.* 3) *Cf. Berger 4815; Lib. XI, 506 [Potthast 15264] et 563; Lib. XII, 214 = Potth. 15512; Winkelmann, Acta t. I, p. 579, n. 733.*

nerare prefatam ecclesiam a debitis, que idem electus hactenus pro sui episcopatus recuperatione contraxit, ac etiam Scottum et socios predictos absolvere a satisfactione[a] fructuum, quos de ipso castro hactenus perceperunt, et renovare nichilominus instrumentum cuiusdam pensionis, quam commune civitatis Senensis annuatim de castro percipiunt supradicto[1], licentiam faciendi premissa sibi concedere misericorditer curaremus. Gerentes itaque de circumspectione tua fiduciam in Domino pleniorem, discretioni tue committimus, quatinus eidem electo, si sibi et ecclesie predicte videris expedire, — non obstante si super hoc capituli eiusdem ecclesie non accedat assensus — licentiam auctoritate nostra tribuas postulatam.

Dat. Perusii, V Kalendas Martii, anno X°[2].

191.

Innocentius IV papa clericis et laicis Aquensibus, post reditum ad devotionem ecclesiae fide ferventibus, indulget, ut per litteras apostolicas extra muros Aquenses in iudicium evocari non possint absque speciali mandato papae. *1253, Mart. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 251; Lib. X, 537. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 14900.

Universis clericis et laicis Aquensibus Leodiensis diocesis.

Quia post reditum vestrum ad devotionem ecclesie[3] tam in fide ipsius quam in obsequio karissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris intelleximus vos fervere[4], nos, personas vestras ob id et eiusdem regis obtentu nobis super hiis pro vobis cum instantia supplicantis honorare volentes dono gratie specialis, vobis in devotione ipsorum ecclesie ac regis persistentibus auctoritate presentium indulgemus, ut extra muros Aquenses vos omnes vel singuli non possitis per litteras apostolice sedis vel legatorum eiusdem super aliquibus negotiis in iudicium evocari absque speciali mandato sedis ipsius, faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulgentia[b] huiusmodi mentionem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. Perusii, Kalendis Martii, anno X°.

. . abbas Rodensis[5] ordinis sancti Augustini Leodiensis diocesis datus est eis super hoc conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari etc. usque: mentionem.

192.

Innocentius IV papa fratri Henrico electo Barensi significat se omnes confirmationes electionum, beneficiorum collationes et ordinationes, quas Conradus Teutonicus, qui pro electo Barensi se gerat, post mortem M[arini] archiepiscopi attemptaverit, irritare. *1253, Mart. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 251; Lib. X, 536. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

a) *ita R.; i. e., ut videtur,* a restitutione. b) indul̄ *R.*

1) *Idem castrum in territorio Senensi situm erat.* 2) *Cf. infra sub Iul. 18.* 3) *Cf. t. II, p. 441, n. 620.* 4) *Cf. Böhmer-Ficker 5003.* 5) *Klosterrad ex sept. civ. Aquensis prope Herzogenrad.*

Fratri Henrico Barensi electo[1].

In nostra proposuisti presentia constitutus, quod Conradus Theotonicus, qui pro electo Barensi se gerit, de confirmationibus electionum, que fiunt in ecclesiis cathedralibus vacantibus Barensis provincie, collationibus beneficiorum ac de omnibus, que ad te spiritualiter et temporaliter ratione Barensis ecclesie pertinent, Dei timore postposito se dampnabiliter intromittit. Cum igitur eidem Barensi ecclesie auctoritate nostra de fratrum nostrorum consilio prefectus sis in archiepiscopum et pastorem, nos, volentes tibi super hoc apostolica sollicitudine providere, omnes confirmationes electionum, beneficiorum collationes, infeudationes, concessiones, ordinationes, concambia et alienationes quaslibet per dictum Conradum seu quemcumque alium presumptas hactenus post mortem bone memorie M. Barensis archiepiscopi predecessoris tui, et quas deinceps attemptari contigerit, irritas decernimus et inanes, devotioni tue revocandi premissa omnia et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi nec non et animadvertendi pena debita in omnes clericos tue civitatis[a], diocesis atque provincie, qui a memorato C. postulare ac recipere talia presumpserunt vel presumpserint in futurum, potestatem plenam et liberam concedentes. Nulli ergo — nostre constitutionis et concessionis etc.

Dat. Perusii, Nonis Martii, anno X°[2].

193.

Innocentius IV papa fratri H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato committit, ut Godefrido domino de Perwes et de Grimbergis, obsequiis W[illelmi] regis

a) *sequitur* et, *linea perducta deletum.*

1) *A. 1252, Apr. 27 papa [Petro] episcopo Albanensi legato mandarerat, ut ecclesiae Barensi vacanti fratrem Henricum Filangerium ordinis Praedicat., nepotem quondam [Marini] archiepiscopi Barensis, praeficeret; id quod legatus Mai. 6 executus est; papa id Mai. 10 confirmavit; Lib. IX, 222 et 262; cf. 250; Potthast —, 14578, —.* 2) *Annotamus, quos episcopos papa a. 1253 ecclesiis regni Siciliae praefecerit, quaedam alia adicientes: Febr. 13 et 17 ecclesiam Aversanam pastore vacantem appellat; Lib. X, 436 et 470. — Febr. 20 electo Barensi mandat, ut ecclesiae Iuvenatiensi diu vacanti Leonardum de Sarmineto monachum Fossae Novae praeficiat; Febr. 25 eundem capitulo Iuv. commendat; Mart. 7 eius consecrationem Terracinensi, Gaietano et Verulano episcopis committit; Lib. X, 457, 497, 515; Potth. 14887, 14894, 14903a. — Febr. 26 fratrem Thomam, quem Bernardus electus Neapolitanus ecclesiae Marturanae Febr. 21 praefecit, confirmat; Catacensis, Neucastrensis et Militensis episcopi eum consecrent, Mart. 5; Lib. X, 511, 512; Potth. 14897 et 14890, —. — Apr. 13 ecclesiae Tricaricensi vacanti Palmerium de Gallutio praeficit; Lib. X, 636; Potth. 14942 sub Apr. 12 falso. Iul. 7 eidem gratia, cum damna gravia perpessus sit nec ad ecclesiam suam accedere possit; Lib. XI, 11. — Apr. 18 ecclesiae Acherontinae vacanti magistrum Anselmum canonicum Neapolitanum, capellanum P[etri] S. Georgii etc. diac. cardinalis, praeficit; Lib. X, 638. — Mai. 3 ecclesiae Idrontinae diu vacanti magistrum Matthaeum de Palma, capellanum episcopi Ostiensis, praeficit; Iun. 21 electo exulanti mutuum centum unciarum auri contrahendi facultatem concedit; Lib. X, 690 et 780; Potth. 14954, —. — Mai. 17 Henrico electo Barensi mandat, ut ecclesiae Botontinae, quae tanto tempore vacavit, ut collatio eius ad papam devoluta sit, episcopum praeficiat; Aug. 12 fratrem Pancratium electum Botontinum, quem Henricus Anagniae Iun. 29 instituit, confirmat; Lib. X, 685, Lib. XI, 97, cf. 98. — Iun. 11 episcopo Rapolano mandatum dirigit de reformatione monasterii de Vultu ordinis S. Benedicti diocesis ipsius, quod per duodecim annos vacavit; Lib. X, 735. — Sept. 30 ecclesiae Cefaludensi diu vacanti fratrem Thomam Fusconis de Berta priorem Praedicat. de Urbe de fratrum consilio et plenitudine potestatis praeficit; Dec. 13 eundem ad ecclesiam Senensem transfert; a. 1254, Febr. 9 'conventui Cefaludensi ordinis S. Augustini' scribens, ecclesiae Cefaludensi Iohannem Stephani priorem Basilicae Principis Apostolorum de Urbe in episcopum praeficit de fratrum consilio et plenitudine potestatis; Lib. XI, 209, 291, 435. — A. 1253, Dec. 20 ecclesiae Soranae magistrum Lucam praeficit, mandans ut ad ecclesiam suam accedat; Dec. 30 eius consecrationem differt; Lib. XI, 322, 321. Cf. infra sub a. 1253, Iun. 12, Oct. 15 et Nov. 27.*

Romanorum se exponere cupienti, quasdam decimas concedat, prout expedire viderit. Eidem idem fere in favorem Henrici III ducis Brabantiae committit, qui in obitu patris gravibus remanserit debitis obligatus. *1253, Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 261; Lib. X, 624 et 625. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Ripoll, Bull. Praedicat. t. I, p. 227, n. 293 et 294 edidit.

Potthast, Reg. 14906 et 14907.

I.

Fratri H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte dilecti filii nobilis viri . . ducis Brabantie fuit nobis humiliter supplicatum, ut nobili viro Godefrido domino de Perwes[1] et de Grimbergis[2], consanguineo et consiliario suo, exponere se ut asserit devotioni Romane ecclesie ac carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris obsequiis cupienti, decimas terrarum, que in dominio ipsius G. de novo redigi contigerit ad culturam, tertia parte decimarum ipsarum rectoribus ecclesiarum, in quarum consistunt parrochiis, vel personaliter in eis deservientibus reservata, concedere de speciali apostolice sedis gratia curaremus. Quocirca discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut super hoc agas vice nostra, prout negotio ecclesie ac utilitati prefati regis tua providentia viderit expedire.

Dat. Perusii, V Idus Martii, anno X°.

II.

Eidem.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Henrici ducis Brabantie nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum ipse in obitu patris sui[3] gravibus remanserit debitis obligatus ac propter hoc Romane ecclesie ac carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri assistere hactenus nequiverit, prout gessit et gerit in votis, eidem in relevatione debitorum huiusmodi, qua potentior fiat in subsidium regis eiusdem, decimas terrarum, quas in ipsius dominio de novo redigi contigerit ad culturam etc. ut supra per totum[4].

Dat. ut supra.

194.

Innocentius IV papa Henricum III ducem Brabantiae monet, ut W[illelmo] regi Romanorum contra quoslibet eius adversarios potenter assistat; ecclesiam enim pacem cum eisdem facturam non esse, quin ipsum ducem in ea ponat. *1253, Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 253; Lib. X, 552. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 136 edidit.

Potthast, Reg. 14905.

Henrico duci Lothoringie[a] et Brabancie.

Cupientes imperii Romani negocium fine laudabili auctore Domino consumari, ferventer appetimus, ut omnes ecclesie filii et precipue ipsius magnates imperii ad negocii

a) *ita R.*

1) *Perwez ex sept. et or. civ. Gembloux. A. 1254, Mai. 29 [Iohanni] episcopo Lubicensi ad preces Willelmi regis commisit, ut cum eodem Gaufrido de Perwes consanguineo regis dispensaret, ut cum aliqua muliere in quarta consanguinitatis linea ipsum attingente matrimonium contrahere posset; Lib. XI, 623; Potthast 15406; cf. Böhmer-Ficker 4954.* 2) *Grimbergen ex sept. civ. Bruxellensis.* 3) *Henrici II, mortui a. 1248.* 4) *Cf. etiam Lib. X, 626 = Potthast 14915 et n. 194 et 195.*

promotionem eiusdem viriliter et constanter assurgant, eosque libenter ad id nostris monitis et precibus excitamus. Hinc est, quod nobilitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente ac per apostolica scripta mandamus[a], in remissionem peccaminum iniungendo, quatinus predictum negotium iam per Dei gratiam prospere inchoatum ardenti animo prosequens, carissimo in Christo filio nostro W. illustri Romanorum regi contra quoslibet ipsius adversarios efficaciter et potenter assistas. Nos enim nec in vita eiusdem regis nec etiam post eius obitum, si eum forte de hoc seculo interim vocari[b] contigerit, te ac tuos heredes aliosque tibi adherentes aliquatenus in huiusmodi negotio deseremus nec pacem etiam, quin te ac ipsos in pace ponamus, reformabimus cum adversariis supradictis[1].

Dat. Perusii, V Idus Martii, anno X°.

195.

Innocentius IV papa Henricum III ducem Brabantiae hortatur, ut in devotione ecclesiae perseveret, et eum cum familia et bonis sub protectione sua suscipit, nuntians ecclesiam eam pacem facturam non esse, ut Conradus natus quondam F[riderici II] in Alamannia regali honore remaneat decoratus. — Eidem indulget, ut per generalem clausulam 'quidam alii' conveniri non possit. 1253, Mart. 13.

Inn. IV Reg. Vol. II, 251—252; Lib. X, 540 et 541. Exemplaria nos inde descripsimus. Potthast, Reg. 14911 = I.

I.

Nobili viro Henrico duci Brabantie et Lothoringie[c].

Nonnumquam ex celestis dispositione consilii providetur, quod in regno ecclesie scandala oriantur, ut qui probati sunt, fiant exprobratis reprobis manifesti, quia sicut penam debitam indevoti et reprobi, sic devoti et electi digna premia consecuntur, utrisque diversis meritorum stipendiis inferendis. Licet igitur, tamquam devotus ecclesie filius princepsque catholicus confossus doloris iaculis, que de pharetra persequentium ecclesiam ipsam procedunt, filiali affectu illi compatiens, ad defensionem suam contra persecutores et inimicos eiusdem accingere magnanimiter te proponas, super quo gaudemus in Domino et devotionis tue fervorem non sine gratiarum actionibus dignis laudibus commendamus: ut tamen apostolicis excitatus monitis et ecclesie protectione munitus eo libentius et efficatius ipsi ecclesie in necessitate, qua probantur amici, subvenias, quo certius tibi constare poterit, quod ex hoc merueris gratiam in presenti et gloriam in futuro, nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus spiritu fortitudinis roboratus, constantis animi munimenta suscipiens et ad defensionem ecclesie predicte matris tue viriliter te accingens, in fide ac devotione ipsius inviolabiliter perseveres. Nos enim personam tuam in ecclesie prefate devotione manentem cum familia et bonis, que impresentiarum rationabiliter possides, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque: communimus, te volentes pro certo tenere, quod ecclesia cum hostibus suis ad eam non veniet concordiam atque pacem, ut Conradus natus quondam F., qui se pro imperatore gerebat, in Alamania regali honore remaneat decoratus[2]. Nulli ergo — nostre protectionis etc.

Dat. Perusii, III Idus Martii, anno X°.

---

a) *Fortasse* tibi *ante* mandamus *excidit.* b) *sequitur spatium sex litterarum vacuum.* c) *ita R.*

1) *Cf. n. 193 et 195.* 2) *Cum inter papam et Conradum de pace tum tractatum non sit [cf. p. 154, not. 5], nescimus, an in Germania in favorem Conradi aliquid machinatum sit, fortasse ab adversario*

II.

Eidem.

Devotionis tue precibus benignum impertientes assensum, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut per illam generalem clausulam 'quidam alii', que litteris apostolicis frequenter inseritur[1], non possis ab aliquibus conveniri, nisi littere ipse plenam de indulgentia huiusmodi fecerint mentionem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. ut supra.

196.

Innocentius IV papa [Martino] episcopo Mantuano scribit, si ipse speret se negotium pacis inter Lombardos promovere posse, id faciat super hoc de licentia apostolica, quod spes ipsi consulat. *1253, Mart. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 309; Lib. X, cur. 28. Damus Pertzii exemplar.

.. episcopo Mantuano[2].

Quidam, ut ex tua nobis est parte propositum, zelum habentes pacis inter discordes Lombardos communiter reformande idque sperantes per tuam posse industriam promoveri, tibi, ut hoc aggrediaris negocium, persuadent, set tu ad illud non ducis, nisi nostro fulciaris beneplacito, assurgendum. Quia ergo favorabiliter accederet votis nostris, si tantum bonum, nedum ex tuo, set de cuiuscumque studio proveniret: si ex claris colligere potes auspiciis[3], quod in tam difficilis promotione negotii proventum laudabilem attingere debeat labor tuus, facias super hoc de nostra licentia, quod tibi provida spes et certa consulte suggesserit faciendum[4].

Dat. Perusii, III Idus Martii, anno X°.

197.

Innocentius IV papa Henrico de Vinstingen cantori Virdunensi ad preces H[ugonis] tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis legati, [Henrici II] electi Spirensis et nobilium de Suevia mandat, ut in negotio praepositurae Surburgensis iuxta priores litteras contra Anselmum de Flekestein capellanum suum procedat, cuius pater et fratres C[onrado IV] adhaereant et castra imperii detineant. *1253, Apr. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 298; Lib. X, 879. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Henrico de Vinstingen cantori Virdunensi, capellano nostro[a].

Pro[5] parte dilecti filii Conradi canonici Argentinensis germani nobilis viri .. domini de Liehtemberc advocati Argentinensis, devoti nostri, fuit propositum coram

a) Eidem *R.*

ducis archiepiscopo Maguntino excommunicato [cf. p. 151, not. 1 et Ilgen u. Vogel, Thüring.-hess. Erbfolgestr. in Zeitschr. d. Ver. f. hess. Gesch. N. F. t. X, a. 1883, p. 310 et sequ.], qui a. 1253, Ian. 21 Frizlariae erat; cf. Böhmer-Will, l. c. n. 42. Eodem tempore, a. 1252, Dec.—1253, Febr., Willelmus rex veloci itinere Germaniam orientalem percurrens cum principibus earum partium colloquia habuit; Böhmer-Ficker 5133—5149. Etiam epp. 186—188 et 198 ad hanc rem pertinere credimus.

1) *Hanc clausulam ignoramus, nisi forte papa statuere voluit, ut si quae personae nominibus non expressis sub verbis 'et quidam alii' convenirentur, ut t. II, p. 274, l. 14; p. 284, l. 24; p. 349, l. 11; p. 388, l. 20, dux inter eas comprehendi non deberet.* 2) *Martinum praepositum Parmensem a. 1252, Mai. 31 ecclesiae Mantuanae praefecerat; Lib. IX, 285; Potthast 14616.* 3) *De Lombardorum desiderio pacis cf. p. 150, not. 3 et p. 155, not. 1.* 4) *Notandum est mandatum ei datum non esse; cf. a. 1254, Iun. 22.* 5) *Cf. n. 130.*

nobis, quod cum nos olim super provisione condam Symonis fratris sui Argentinensis canonici de aliqua prelatura vel dignitate primo tunc in Argentinensi civitate vel diocesi vacatura ad certum executorem sub certa forma direxerimus scripta nostra, tandem vacante prepositura ecclesie Surbugensis[a] Argentinensis diocesis, que de iure eidem Symoni debebatur, Anselmus de Flekestein capellanus noster preposituram ipsam auctoritate quarundam litterarum a sede apostolica, ignorantibus nobis quod pater et frater ipsius A. se potenter et patenter opponerent negocio generalis ecclesie, postmodum obtentarum conferri sibi in ipsius S. preiudicium procuravit. Sed carissimo in Christo filio nostro Willelmo Romanorum rege illustri ac venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Maguntino, tunc electo, intimantibus nobis, quod dicti pater et fratres ipsius A. C. nato condam Fr. Romanorum imperatoris eiusque fautoribus adherebant quodque castra et munitiones imperii occuparant ac detinebant etiam occupata, nos venerabili fratri nostro . . Metensi episcopo nostris iniunximus litteris, ut predictos patrem et fratres monere ac efficaciter inducere procuraret, quod infra certum temporis spatium in eisdem expressum litteris post ipsius monitionem ad devotionem ecclesie redeuntes, castra et munitiones ipsa regi restituerent memorato, alioquin prefatum A. de consilio dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, a prepositura eadem amovens, illam dicto S. auctoritate nostra conferre et assignare studeret; contradictores —. Cumque idem episcopus in negotio huiusmodi procedere incepisset, dictus Symon diem clausit extremum. Nos vero postmodum, ad dicti cardinalis et . . electi Spirensis nec non et nobilium de Suevia nobis pro eodem C. supplicantium instantiam, omnes gratias super ipsius S. provisione obtentas a nobis in ipsum Conradum duximus transferendas. Ideoque mandamus, quatinus in eodem negocio pro ipso C. procedas iuxta predictarum nostrarum directarum ad eundem Metensem episcopum pro eodem Symone continentiam litterarum.

Dat. Perusii, VII Idus Aprilis, anno X°[1].

198.

Innocentius IV papa fratri H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut in ecclesiis conventualibus legationis suae proventus unius prebendae per triennium exigi et de proventibus monasteriorum per idem tempus aliquam portionem, prout viderit, separari faciat, deponenda in locis idoneis. — Eidem mandat, ut id ita exequatur, ut scandalum evitetur. — Eidem mandat, ut pecuniam sic collectam W[illelmo] regi Romanorum assignari faciat. — Epistolam primam nonnullis locis immutat.

1253, Apr. 12, 11, 12.

Inn. IV Reg. Vol. II, 262—263; Lib. X, 633 et 634; Vol. II, 265; Lib. X, 645. Epp. I, II et IV ex apographis tabularii, quae cum Regestis contulimus, ep. III ex apographo Pertzii proponimus.

I.

H. cardinali Sancte Sabine[b].

In[c] curis officii pastoralis cor nostrum vehementer urgentibus[d] nichil magis cotidianam nobis reddit instantiam in ecclesiarum omnium sollicitudine onerosam, quam

---

a) *ita R.* b) *loco rubri haec verba tinctura nigra, fortasse manu altera scripta.* c) *superscr.* Va; *in fine ep. II superscr.* cat. *Epp. I et II ergo cassatae sunt. Loco ep. I missa est ep. IV.* d) urrentibus *R.*

1) *In favorem eiusdem Conradi scripsit Mart. 25, Apr. 30 et Aug. 18; Lib. X, 878 et 880; Lib. XI, 146. Apr. 8 ob devotionem Eberardi de Hittendorf [ut videtur Ettendorf e mer. et occ. civ. Hagenau cf. t. II, p. 403, n. 571], consanguinei et socii domini de Lichtemberc, gratiam fecit; Lib. X, 700; cf. Lib. X, 753 = Potthast 14996 et Lib. XI, 473.*

quod requirente interdum necessitate temporum et publice nonnumquam utilitatis exigentia suadente easdem nobiscum oportet ecclesias in supportatione communis sarcine fatigari. Si enim esset in rerum natura possibile, quod universum corpus a capite sine membrorum suffragio regeretur, potissimum nobis inter vota nostra veniret, quod communes labores sic pro universali portaremus ecclesia, ut particulares nullo vexationum ingruentium participio gravarentur, sed de frequenti nostre turbationis incommodo ceteris nonnisi occiose pacis commodum proveniret. Verum quoniam ad omnia possibilitas nobis data non sufficit, aliorum humeros cogimur in supportationis advocare suffragium, ne defectus virium, sine quibus efficax esse nequid[a] suscepti laboris instantia, periculo viam paret et dampnosa pariat detrimenta. Sed dum aliis ecclesiis cogimur incumbentia communicare gravamina, quoniam ad id nos urgens necessitas pertrahit non voluntarios sed invitos, ubi declinandi penitus se pars tuta non offert, quecumque possumus remediorum ingenia cogitamus, per que levius feratur ab aliis in communis cause subsidium, quicquid est eis, ne pro deffectu sicut diximus virium ecclesiastica pereat utilitas, imponendum. Hinc est, quod providentie tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in singulis ecclesiis conventualibus tue legationis, tam cathedralibus quam aliis, exemptis et non exemptis, per aliquos viros providos et discretos ad hoc a te deputandos facias unius integre prebende proventus per triennium exigi et recipi auctoritate nostra, in locis deponendos idoneis et, donec de illis aliter disponi mandabimus, sub cauta diligentia conservandos. De proventibus autem monasteriorum et locorum regularium legationis eiusdem facias per idem triennium aliquam separari, prout tue discretioni videbitur, portionem, deponendam ut diximus et fideliter conservandam. Ceterum, ut capitula ecclesiarum ipsarum aliquo etiam compensationis solatio relevemus, eisdem concedimus et tu ipse auctoritate nostra concedas, ut primo vacaturas in ecclesiis suis prebendas, singulas videlicet in singulis ecclesiis, ubi prebende ac fructus earum secundum presentis mandati tenorem a te vel predictis viris quos deputaveris ipsis capitulis detracti fuerint, valeant — non obstante contradictione cuiuslibet — per idem temporis spacium retinere ac pro rata detractorum sibi taliter prebendarum et fructuum suis usibus applicare. Religiosis quoque congruam, si poteris, prout faciendum videris, compensationem studeas portionis, quam de proventibus singulorum separandam decreveris, consideratione habita providere; — non obstantibus aliquibus consuetudinibus vel statutis contrariis, confirmatione sedis apostolice, iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis, aut quibuscumque sedis eiusdem vel legatorum ipsius privilegiis vel indulgentiis seu litteris specialibus vel generalibus, cuiuscumque tenoris existant, impetratis vel etiam impetrandis, per que huiusmodi fructuum exactio vel receptio sive compensatio impediri valeant vel differri et de quibus plenam et expressam ac de verbo ad verbum fieri oporteat in presentibus mentionem, aut si in[b] eisdem ecclesiis aliqui nostra vel quavis auctoritate sub expectatione vacaturi beneficii sunt recepti, quibus quoad assecutionem[c] aliarum prebendarum vel beneficiorum nolumus preiudicium generari, vel si aliquibus collegiis seu personis communiter vel divisim sit ab eadem sede indultum, quod absque speciali mandato ipsius sedis excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi seu ad provisionem quamlibet coartari —; contradictores —.

Dat. Perusii, II Idus Aprilis, anno X°.

II.

Eidem[d].

Nostras tibi dirigimus litteras in hac forma: In curis etc. usque: compescendo De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus.

---

a) *ita R.* b) in *superscr.* c) executionem *R.* d) *haec quoque ep. sub. n. 633 registrata est.*

quatinus sic premissa omnia executioni demandes, ut grave et generale scandalum evitetur.

Dat. ut supra[a].

III.

[Eidem][b].

Nuper tibi sub certa forma scripsisse recolimus, ut in singulis ecclesiis conventualibus tue legationis, tam cathedralibus quam aliis, exemptis et non exemptis, per aliquos discretos viros a te super hoc deputandos faceres unius integre prebende proventus per triennium exigi et recipi auctoritate nostra, in locis deponendos idoneis et, donec de illis disponeremus aliter, sub cauta diligentia conservandos, de proventibus quoque monasteriorum et aliorum locorum regularium eiusdem legationis tibi tradita[c] per nostras litteras certa forma. Quocirca mandamus, quatinus quicquid de hiis collectum fuerit et perceptum, carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri pro universalis ecclesie ac imperii negociis auctoritate nostra facias assignari[1]; contradictores —.

Dat. Perusii, III Idus Aprilis, anno X°[2].

IV.

Fratri H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

In curis officii pastoralis etc. ut in quartadecima littera superiori[d] usque: conventualibus sive collegiatis tue legationis, tam cathedralibus quam aliis, exemptis et non exemptis, de singularum bonis communibus vel in prebendas distinctis, ubi aliqua bona communia ad id sufficientia non existunt, per aliquos viros providos et discretos ad hoc a te deputandos facias equivalentes uni integre prebende proventus per triennium exigi etc. usque: videlicet in singulis ecclesiis, ubi proventus huiusmodi de ipsarum communibus aut distinctis bonis secundum presentis mandati tenorem etc. usque: sibi taliter proventuum suis usibus applicare. Religiosis[e] quoque etc. usque[f]: vel etiam impetrandis, per que huiusmodi proventuum exactio vel receptio sive compensatio etc. usque in finem.

Dat. Perusii, II Idus Aprilis, anno X°[g][3].

199.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi mandat, ut cum [Helena] unica nata Iohannis marchionis Brandeburgensis et Theoderico nato [Henrici] marchionis Misnensis de consummando matrimonio per verba contracto dispenset, prout expedire viderit.

1253, Mai. 2.

Inn. IV Reg. Vol. II, 266; Lib. X, 654. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. I, p. 658, n. 476 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14953; Perlbach, Preuss. Reg. 410.

---

a) cat *superscr.; cf. p. 164, not. c.* b) *rubrum deest; margo resecata est.* c) tradit̃ *R.* d) *n. I.* e) Reliosis *R.* f) usque *superscr.* g) *sine dubio etiam ep. II renovata est.*

1) *Cf. p. 162, not. 2.* 2) *De nota chronologica cum ea, quae sub ep. I legitur, non concinente cf. N. A. t. X, p. 550.* 3) *A. 1253, Ian. 11 eidem legato mandaverat, ut ab usurariis et aliis aliena detinentibus de terris extra legationem suam usuras et res ablatas, si eas restituere vellent et ii, quibus restitutio deberetur, inveniri non possent, et redemptiones votorum, quae aliis non deberentur, et ea, quae manuum iniectores et incendiarii pro redemptione sua impenderent, exigere et recipere non postponeret; Lib. X, 346; Potthast 14834.*

.. episcopo Sambiensi.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Iohannis marchionis Brandeburgensis fuit a nobis suppliciter postulatum, ut cum nata ipsius, quam habet unicam, et Theodericus natus dilecti filii nobilis viri .. marchionis Misnensis, quarta consanguinitatis linea coniuncti[1], matrimonium per verba contraxerint de presenti, cum eis, quod — non obstante impedimento consanguinitatis huiusmodi — contractum matrimonium valeant consumare ac in eo licite remanere, dispensare de benignitate sedis apostolice curaremus. De tua igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus super hoc cum eis auctoritate nostra per te vel per alium dispenses, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire[2].

Dat. Asisii, VI Nonas Maii, anno X°[3].

200.

Innocentius IV papa potestati et communi Castri de Monte Fusculo, ecclesiae devotis, quos Conradus natus quondam Fr[iderici II] hostiliter impetat, omnium peccatorum veniam indulget, ut animos eorum confortet. *1253, Mai. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 309; Lib. X, cur. 27. Damus Pertzii exemplar.

Nobili viro .. potestati et communi castri de Monte Fusculo[4] Beneventane diocesis.

Cum, sicut intelleximus, Conradus natus condam Fr. Romanorum imperatoris persecutor ecclesie manifestus vos in devotione sedis apostolice persistentes hostilibus insultibus impetat et ad depopulationem territorii vestri iam totis conatibus duxerit procedendum[5], propter quod expedit vobis contra ipsum suosque fautores pro defensione vestre libertatis et conservatione fidelitatis Romane ecclesie viriliter dimicare: nos, ut ad resistendum ei tanto constantioribus confortemini animis et alii eo securiori proposito se accingant, quo de matris ecclesie gratia salubriora subsidia provenerint in hac parte, tam vobis quam universis, qui subventionem in hoc exhibuerint oportunam, plenam omnium peccatorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, veniam indulgemus.

Dat. Asisii, V Idus Maii, anno X°[6].

201.

Innocentius IV papa [Opizoni] abbati de Mezano legato mandat, ut cum principes Poloniae sedi apostolicae nullo medio subsint iidemque et habitatores Poloniae censum,

1) *Stemma: Theodericus, Henricus, Theodericus, Otto et Hadewig — Albertus Ursus — Otto I, Albertus II, Iohannes, Helena.* 2) *Cf. infra sub Iul. 15.* 3) *Eodem die Iohanni et Ottoni marchionibus gratiam fecit; Lib. X, 652 et 653; Potthast 14952; cf. 14957. Mai. 5 precibus [Mathildae] marchionissae Brandeburgensis [matris Iohannis et Ottonis] et [Mathildae] ducissae de Brunswic natae eius annuit; Potthast 14955 et 14956; non reg.* 4) *E mer. et or. Beneventi.* 5) *Cum ex Apulia ad obsidendam Neapolim proficisceretur.* 6) *A. 1253, Apr. 5 papa obtentu Raonis de Molisio gratiam fecerat; Lib. X, 629.*

qui denarius sancti Petri appelletur, solvant, infeudationes et occupationes, si quae a W[illelmo] rege Romanorum vel aliis de terra Poloniae factae sint, non valere nuntiet.
1253, Mai. 17.

Inn. IV Reg. Vol. II, 271; Lib. X, 693. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1253, § 24, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 14975.

. . abbati de Mezano[1], apostolice sedis legato.

Licet apostolatus officium nos universis constituat debitores, illis tamen specialius et efficatius adesse nos convenit, qui nullo medio subesse sedi[a] apostolice dinoscuntur. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum principum Polonie fuit propositum coram nobis, progenitores eorum, postquam christiane fidei notitiam habuerunt, eidem sedi solummodo subiecti fuerint et ipsi adhuc existant, et in signum subiectionis huiusmodi censum, qui denarius sancti Petri vulgariter appellatur, iidem et habitatores Polonie ipsi sedi annis singulis persolverint hactenus et persolvant: mandamus, quatinus eisdem principibus et habitatoribus per te vel per alium efficaciter presidio defensionis assistens ac non permittens eos ab aliquibus molestari, si quas infeudationes, distributiones aut occupationes de terra Polonie inveneris tam a carissimo in Christo filio nostro W. rege Romanorum illustri quam ab aliis factas, denuncies auctoritate nostra per te vel alium aliquatenus non valere[2], molestatores et contradictores, siqui fuerint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, — non obstantibus aliquibus litteris super hoc a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, seu si aliquibus de partibus illis est ab eadem sede indultum, quod excommunicari sive suspendi aut eorum terre interdicto supponi non possint per litteras apostolicas, non facientes[b] plenam et expressam seu de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Asisii, XVI Kalendas Iunii, anno X°[3].

202.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut Hugonem abbatem Campidonensem, qui bona monasterii sui Olrico et Henrico pincernis de Winterstetten et aliis fautoribus Conradi nati Fr[iderici II] pro annua pensione concesserit, deponat idemque monasterium personae idoneae committat. 1253, Mai. 23.

Inn. IV Reg. Vol. II, 271; Lib. X, 691. Damus Pertzii exemplar.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod Hugo abbas monasterii Campidonensis[4], ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis, sue fame prodigus et salutis, castrum Campidonense ad idem monasterium pertinens pleno iure, quod nobiles viri Olricus et Henricus pincerne de Winterstoth[5] eiusdem diocesis, Conradi nati quondam Fr. Romanorum imperatoris

---

a) sedis *R.* b) ñ fa *superscr.*

1) *Cf. n. 117 et t. II, p. 108, n. 142.* 2) *Cf. etiam infra sub a. 1256, Iul. 3.* 3) *De eodem legato cf. Lib. X, 732 et cur. 25; Potthast 14979 et 14980, et 14972.* 4) *Cf. n. 146.* 5) *Winterstetten e mer. civ. Biberach; de Conrado de W. cf. Böhmer-Ficker 4595.*

fautores publici, occuparant et per quod devoti ecclesie graviter impugnantur, eosdem nobiles consentiens possidere, omnes alias possessiones et bona dicti monasterii quibusdam aliis laicis, ipsius C. fautoribus ac per eadem devotos ecclesie impugnantibus, de facto concessit pro certa annua pensione: de quorum manibus creduntur non posse recuperari castrum, possessiones et alia bona predicta, quibus monasterium ipsum taliter fore dinoscitur destitutum, nisi saltem aliqua potens et discreta persona, religiosa vel secularis, deputetur eidem monasterio, que se dictis pincernis et aliis inimicis ecclesie, per castrum et bona predicta devotos ecclesie impugnantibus ac libertatem ecclesiasticam satagentibus conculcare, opponere[a] possit et audeat potenter pariter et patenter. Volentes igitur eiusdem monasterii desolationi succurrere ac devotis ecclesie subveniri, mandamus, quatinus per te vel per alium inquiras super premissis sollicite veritatem, et si rem inveneris ita esse, dictum abbatem a monasterio ipso studeas tamquam dampnosum et immeritum amovere, ac eo amoto alicui persone idonee, valenti et volenti castrum et alia recuperare predicta et idem monasterium a malignorum defensare incursibus et salubriter gubernare, ipsius monasterii plenam in spiritualibus et temporalibus curam committas, prout eiusdem monasterii utilitati et promotioni negocii generalis ecclesie videris expedire; contradictores etc. — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari nequeant vel suspendi.

Dat. Asisii, X Kalendas Iunii, anno X°.

203.

Innocentius IV papa universitati hominum Roccae de Foce Firmanae diocesis confirmat libertates, quas quondam R[aynerius] S. Mariae in Cosmidin diaconus cardinalis, tunc legatus, ipsis pro eo concesserit, quod resistendo nuntiis quondam Fr[iderici II] damna et pericula incurrerint. *1253, Mai. 26.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 273; Lib. X, 705. Damus Pertzii exemplar.

Universitati hominum Rocce de Foce Firmane diocesis.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Sane vestra petitio nobis exhibita continebat, quod bone memorie R. Sancte Marie in Cosmidin diaconus cardinalis, tunc apostolice sedis legatus[1], attendens sincere devotionis affectum, quem ad Romanam ecclesiam geritis, et quod resistendo nunciis condam Fr. olim imperatoris dampna rerum et personarum pericula incurristis, vos sub ipsius sedis protectione suscepit, concedendo vobis, ut communantiam possitis facere ac eisdem gaudere iuribus et libertatibus, quibus gaudere consueverunt alie communantie castrorum et locorum marchie Anconitane in devotione ac fidelitate Romane ecclesie persistentes, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Asisii, VII Kalendas Iunii, anno X°[2].

a) se opponere *R.*

1) *A. 1246, Apr. — a. 1249 ineunt.; cf. t. II, p. 128, n. 170, p. 455, n. 638 et p. 492, not. 3.* 2) *A. 1253, Iun. 25 [VII Kl. Iulii sic!] rectori marchiae Anconitanae de eadem re scripsit; Lib. X, 806. Eosdem homines a. 1253, Mai. 10 sub protectione sua susceperat; Lib. X, 697. A. 1252, Iul 19 communi et hominibus Pennae S. Iohannis Firmanae diocesis communitatis sive communantiae ius concesserat; Lib. X, cur. 1. Cf. etiam Potthast 14453 = 14642 et 14789 et 14930, epp. non reg.*

204.

Innocentius IV papa [Conrado] episcopo Frisingensi, cuius ecclesiae bona [Otto II] dux Bawariae devastarit, concedit, ut quasdam ecclesias vacantes, ad collationem suam spectantes, ad manus suas retineat. *1253, Iun. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 276. Lib. X, 712. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 14991 falso sub Iun. 2.

.. episcopo Frisingensi.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nobilis vir.. dux Bawarie bona temporalia ecclesie tue adeo rapinis et incendiis devastarit, ut non solum de ipsius redditibus non potes[a] custodibus castrorum eiusdem[b] ecclesie in victualibus providere, verum etiam aliquatenus sustentari, subvenire tibi super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Super hiis igitur paterno tibi compatientes affectu, retinendi ad manus tuas de Ehuige[1], Pacharn[2], Eutuige[3] et de Veten[4] ecclesias tue diocesis, quas ad collationem tuam spectare ac nunc vacare proponis, quarum proventus XL marcarum argenti valentiam annis singulis sicut asseris non excedunt, et percipiendi cum integritate proventus eosdem, donec huiusmodi bonis in pacis tranquillitate dimissis et in statum debitum revocatis pacificam eorum possessionem habueris, nec non et compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota fraternitati tue auctoritate presentium concedimus facultatem; proviso quod interim ipsis ecclesiis per idoneos vicarios facias deserviri[c].

Dat. Asisii, II Nonas Iunii, anno X[5].

205.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato ad preces W[illelmi] regis Romanorum mandata dirigit contra clericos et capellanos papales, quorum consanguinei C[onrado] nato Fr[iderici II] faveant. *1253, Iun. 4.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 284; Lib. X, 790. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Ripoll, l. c. t. I, p. 234, n. 304 edidit.
Potthast, Reg. 14995.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri W. Romanorum regis illustris fuit propositum coram nobis, quod licet interdum nonnullis prelatis regni Alamanie et aliis personis ecclesiasticis nostris dederimus litteris in mandatis, ut quosdam ipsius regni

---

a) *ita R.; fortasse legendum est* quod non solum. b) eiusdem eiusdem *R.* c) *litt.* ri *corr. ex* re.

1) *Fortasse Eching ex sept. lacus Ammersee.* 2) *Bachern in Land-Ger. Friedberg; aliud in Land-Ger. Starnberg.* 3) *Eitting invenimus in Land-Ger. Mallersdorf, sed pertinebat ad dioc. Ratisponensem.* 4) *Fortasse Pfettrach vel Pfettenmühle in Land-Ger. Moosburg.* 5) *Eodem die papa de Reitenbuch, de Steingaden et de Polling ecclesiarum praepositis Frisingensis et Augustensis diocesium mandavit, ut si eis constaret statuta, pacta et ordinationes ab [Ottone] duce Bawariae in terra eius edita esse contra libertatem ecclesiasticam, ea auctoritate apostolica revocarent; Potthast 14997, non reg. Cf. n. 212 et sub n. 215 et 217 II.*

nobiles, fautores C. nati condam Fr. Romanorum imperatoris, monere ac efficaciter inducere procurarent, quod infra certum temporis spacium in eisdem expressum litteris post monitionem ipsorum ad devotionem ecclesie redeuntes, castra et munitiones imperii, que detinent occupata, regi restituerent memorato, alioquin filios, fratres et consanguineos eorundem, clericos et capellanos nostros, prelaturis, personatibus, dignitatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis que obtinent auctoritate nostra privarent, contradictores — dictis tamen clericis et capellanis quasdam coram eisdem prelatis et personis proferentibus indulgentias, quibus[a] eis ab apostolica sede concessum esse dicitur, quod patrum, fratrum et consanguineorum suorum indevotio eis obesse nequeat, quominus possint prelaturas, personatus et beneficia ecclesiastica obtinere[1], mandatum super hiis apostolicum non potuit executioni debite demandari; propter quod idem rex a nobis humiliter petiit, ut cum ex hoc in illis partibus promotioni Romani imperii et negocii generalis ecclesie impedimentum non modicum generetur, providere in hac parte sibi apostolica sollicitudine curaremus. Nos igitur, eiusdem regis precibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus contra huiusmodi clericos et capellanos, et illos precipue qui de ecclesiasticis redditibus ac proventibus talibus consanguineis suis eiusdem regis super hoc rebellibus suffragia subministrant, — huiusmodi apostolicis indulgentiis nequaquam obstantibus — per te vel per alium procedas iuxta earundem continentiam litterarum, prout videris expedire.

Dat. Asisii, II Nonas Iunii, anno X°[2].

206.

Innocentius IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi mandat, ut cum [Albertus] archiepiscopus Prusciae proventus, ex quibus sustentari possit, acquisierit, concessionem ei de episcopatu Lubicensi factam revocet et ecclesiae Lubicensi fratrem I[ohannem] de Diest ordinis Minorum episcopum Sambiensem praeficiat in episcopum, pro quo W[illelmus] rex Romanorum supplicaverit. *1253, Iun. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 284—285; Lib. X, 793. Pertzii exemplar[1] contulimus cum altero eiusdem epistolae, ibidem f. 301, n. 900 registrato [2].

Potthast, Reg. 14998; Perlbach, Preuss. Reg. n. 415.

. . episcopo Cameracensi.

Olim exponente nobis venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Livonie, Estonie et Pruscie, quod de proventibus archiepiscopatus sui propter maliciam[b] habitantium in eodem non poterat sustentari, eidem concessisse dicimur, ut proventus Lubicensis ecclesie pastoris regimine destituti posset pro sustentatione sua, quoad viveret, ad manus proprias retinere[3]. Verum quia, sicut a fide dignis accepimus, idem archiepiscopus nonnullos redditus episcopatus Livonie, ex quibus sustentari comode[c] potest, postmodum acquisivit, nos, cupientes eidem ecclesie, ne, quod absit, ex nimia vacatione irreparabile incurrat dispendium, de pastore idoneo provideri, et considerantes quod per prudentiam et industriam venerabilis fratris nostri I. de Diest[d] ordinis fratrum Minorum, episcopi

a) quas *R* b) malitiam *2.* c) commode *2.* d) *ita 2*; Deist *1.*

1) *De eisdem et similibus rebus cf. n. 27, 79, 130, 146, 155, 197 et t. II, n. 495, p. 364, not. 1, p. 366, not. 6, n. 554, 578, 605.* 2) *Cf. etiam Potthast 14968.* 3) *Cf. t. II, p. 310, n. 426.*

Sambiensis, in multis expertam negotiis, utpote qui karissimo[a] in Christo filio nostro G. illustri regi Romanorum constanter assistens et contra indevotos et rebelles ipsius predicans verbum crucis, multis se periculis exposuit pro negotio ecclesie generalis, ad cuius promotionem indefesso studio diutius laboravit, ita ut per ipsius ministerium nonnulla castra et ville regni Alamanie ad mandatum regis rediere predicti, possit eadem ecclesia in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari, fraternitati tue, prefato rege nobis super hoc per suas litteras supplicante, per apostolica scripta mandamus, quatinus predictam concessionem proventuum Lubicensis ecclesie eidem archiepiscopo factam revocans ac eundem episcopum absolvens auctoritate nostra per te vel alium a vinculo quo tenetur ecclesie Sambiensi, ipsum eidem ecclesie Lubicensi preficias in episcopum et pastorem, plena sibi spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie amministratione[b] commissa et concessa ei nichilominus licentia se ad ipsam ecclesiam transferendi, ac facias ei a capitulo et clero et populo civitatis et diocesis Lubicensis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc.[c] — non obstantibus[d] concessione predicta, dummodo, ut predictum est, redditus acquisierit, ex quibus possit commode sustentari, seu si eidem archiepiscopo vel capitulo aut clero et populo supradictis generaliter vel specialiter a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari[e] non possint, aut quod nulli de episcopatu ipsius ecclesie provideri valeat per litteras apostolicas absque assensu illorum, ad quos electio et confirmatio episcopi ipsius ecclesie noscitur pertinere, nisi totus tenor ipsius indulgentie de verbo ad verbum in eisdem litteris sit insertus, vel quavis alia indulgentia sedis eiusdem, cuiuscumque tenoris existat, per quam non expressam presentibus premissa impediri valeant vel differri, seu quod eidem fratri de episcopatu eiusdem ecclesie Sambiensis mandavimus provideri, aut litteris, que super revocandis provisionibus de episcopatibus concessis et concedendis a nobis a sede apostolica emanarunt[1], [et[f] constitutione de duabus dietis edita in concilio generali]. Nos enim episcopatum ipsius ecclesie Lubicensis nostre aut tue donationi reservantes episcopo conferendum eidem, decernimus ex nunc irritum et inane, siquid de ipso in eiusdem episcopi preiudicium a quoquam contigerit attemptari.

Dat. Asisii, Nonis Iunii, anno X°[2].

207.

Innocentius IV papa [Raynerio Zeno] duci et communi Venetorum ob fidem eorum concedit, ut, non obstante inhibitione [Odonis] episcopi Tusculani legati, ad partes Sarracenorum orientalium naves cum mercimoniis transmittere possint. 1253, Iun. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 274; Lib. X, 726. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro duci et communi[g] Venetorum.

Licet, sicut intimantibus vobis[h] accepimus, venerabilis frater noster . . episcopus Tusculanus, apostolice sedis legatus, sub pena excommunicationis duxerit inhibendum, ne per Christianos mercimonia Sarracenis, qui partes orientales inhabitant, deferantur:

---

a) car. 2. b) adm. 2. c) etc. *deest 1.* d) obst[t] *1, 2.* e) excom., susp. vel interd. 2.
f) et — generali *deest 1. Fortasse propter hunc defectum ep. renovata est.* g) communi et duci *R.*
h) nobis *R.*

1) *N. 141.* 2) *Cf. infra sub a. 1254, Mart. 4.*

quia tamen prout asseritis nulli ex hoc paratur preiudicium et vobis dispendium non parvum accedit, nos, attendentes puritatem fidei et sincere devotionis affectum[1], quibus vos dignos redditis speciali apostolice sedis gratia et favore, presentium vobis auctoritate concedimus, ut — inhibitione huiusmodi non obstante — ad partes easdem naves vestras cum mercimoniis transmittere vel transvehere possitis usque ad nostre beneplacitum voluntatis, excommunicationis sententiam, si quam propter hoc idem tulit episcopus, interim minime incursuri, dummodo inimicis fidei res vetitas[2] non portetis.

Dat. Asisii, VII Idus Iunii, anno X°.

208.

Acta ad collationem regni Siciliae Carolo comiti Andegariae et Provinciae faciendam spectantia. *1253, Iun. 7—12.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 310—312; Lib. X, cur. 39—53.

I.

Innocentius IV papa magistro Alberto notario suo plenae legationis officium in regno Franciae, Provincia, Guasconia et partibus adiacentibus et omnibus locis, ad quae ipsum venire contigerit, committit. *1253, Iun. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 310; Lib. X, cur. 39. Damus Pertzii exemplar.

Magistro Alberto notario nostro[3], apostolice sedis legato.

Licet persona tua officio et merito sit insignis, quia tamen negotiorum, que tibi ab apostolica sede commissa sunt, magnitudo exigit et natura, ut per sollempniorem quam ipsius sedis nuncium quantumcumque magnum et meritum procurentur: nos, super hoc cum fratribus nostris provida deliberatione tractantes, de consilio ipsorum providimus, ut legatione ad sollempnius et utilius eadem procuranda negotia potiaris. Gerentes itaque de tua circumspectione, fidelitate ac industria fiduciam in Domino pleniorem ac pro certo tenentes, quod eo studiosius et vigilantius dicta prosequaris negotia, quo celebriori fueris titulo insignitus, quodque tibi ab omnibus eo melius, quo ipsis gratiosior esse poteris, intendetur, in regno Francie ac Provincia, Guasconia et partibus eisdem adiacentibus ac in omnibus provinciis seu diocesibus vel locis, ad que te venire contigerit, plene tibi legationis officium duximus committendum, concessa tibi libera potestate, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, prout secundum Deum videris expedire. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus legationem ipsam sic studeas iuxta datam tibi a Domino gratiam laudabiliter exercere, quod exinde apud Deum meritum et apud homines tibi compares nomen bonum, nosque diligentie tue studium dignis in Domino laudibus commendemus.

Dat. Asisii, VII Idus Iunii, anno X°[4].

1) *Etiam a. 1253, Febr. 15 devotionem populi Veneti laudaverat, 'quae ecclesiae Romanae foedere inconcusso cohaerens, ab eius obedientia nunquam evelli funditus potuit, inundatione quacumque in fundamentum catholicae fidei pro tempore irruente'; Lib. X, cur. 37.* 2) *Scil. in concilio Lateranensi a. 1215; cf. Mansi, Concil. Coll. t. XXII, col. 1066, et c. 17 ap. Greg. de Iudaeis, Lib. V, tit. 6.* 3) *Cf. p. 134, not. 3, Böhmer-Ficker 5286 w et Sternfeld, Karl v. Anjou p. 88. Eidem a. 1253, Apr. 11 papa potestatem tribuerat concedendi regnum Siciliae regi Angliae vel filio eius; v. infra sub a. 1256, Oct. 23.* 4) *Eodem die Albertum legatum clero legationis suae commendavit; Lib. X, cur. 42.*

II.

Innocentius IV papa eidem potestatem concedit obligandi papam ad servandas conditiones in collatione regni apponendas et recipiendi obligationem [Caroli] comitis. *1253. Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 310; Lib. X, cur. 40. Damus Pertzii exemplar.

Eidem.

Cum tibi conditiones apponendas in collatione regni Sycilie facienda per te dilecto filio nobili viro . . Andegavie ac Provincie comiti sub bulla nostra mittamus[1], obligandi nos et ecclesiam Romanam ad eas servandas ac recipiendi nostro et ipsius ecclesie nomine obligationem de conditionibus servandis eisdem plenam tibi concedimus de fratrum nostrorum consilio potestatem. Nulli etc.

Dat. Asisii, III Idus Iunii, anno X°.

III.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut [Carolum] comitem inducat, ut si rege decedente heres infra legitimam aetatem sit, custodiam regni ad ecclesiam pertinere permittat. *1253. Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 310; Lib. X, cur. 41. Damus Pertzii exemplar.

Eidem.

Presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus dilectum filium nobilem virum . . comitem Provincie, ut placeat ei, quod decedente rege custodia regni et heredis, si infra legitimam etatem fuerit, vel saltim regni ad ecclesiam Romanam pertineat[2], moneas attentius et inducas, nichilominus ad collationem regni sibi faciendam, si eum ad id aliquo modo non posses inducere, processurus.

Dat. ut supra.

IV.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut pro negotio regni Siciliae statim mutuum recipiat, etiam, si oportuerit, sub gravibus usuris. *1253, Iun. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 310; Lib. X, cur. 43. Damus Pertzii exemplar.

Magistro Alberto ut supra.

Cum ad consummationem et prosecutionem negocii, quod cum dilecto filio nobili viro . . comite[a] Provincie de conferendo sibi regno Sycilie propter hoc missus a nobis provide inchoasti, multa pecunia [sit][b] oportuna, mandamus, quatinus sine more dispendio statim recipias nostro et ecclesie Romane nomine mutuum, etiam, si oportuerit, sub gravibus usuris, quantumcumque et a quibuscumque poteris invenire[3].

Dat. Asisii, VII Idus Iunii, anno X°[c].

---

a) comitem *R* b) sit *deest R.* c) Dat. ut supra *R.; cf. p. 173, not. 4.*

1) *Tractatum, quem de conferendo regno Albertus cum Carolo inceperat, nuntii comitis apud curiam papalem persecuti sunt; cf. n. VI et X, § 21.* 2) *Cf. n. X, § 14.* 3) *Apparet hanc ep. secretam fuisse; sequentem vero ep. iis, quorum bona obliganda erant, et creditoribus inspicere licuit, ut auctoritatem Alberto legitime traditam fuisse cognoscerent; cf. N. A. t. X, p. 565.*

V.

Innocentius IV papa eidem concedit facultatem obligandi papam, ecclesiam Romanam et ecclesias legationis suae creditoribus, a quibus mutuum receperit.

1253, Iun. 7.

Inn. IV Reg. Vol. II, 311; Lib. X, cur. 44. Exemplar, quod V. Cl. E. Winkelmann ex Cod. Vallicell. J. 55 nobis praebuit, contulimus cum Regestis.

Eidem.

Cum ad consumationem etc. usque: oportuna, ut pecuniam ipsam vel saltim aliquam partem mutuo ad tam urgens et necessarium negocium promptius valeas invenire, obligandi nos et ecclesiam Romanam ac universas et singulas, prout expedire videris, ecclesias et monasteria legationis tue, tam exempta quam non exempta, eorumque proventus et bona creditoribus, a quibus mutuum receperis, plenam tibi de fratrum nostrorum consilio concedimus auctoritate presentium potestatem. Nulli etc.

Dat. ut supra.

VI.

Innocentius IV papa [Carolum] comitem rogat, ut negotium super regno recipiendo cum Alberto feliciter inchoatum perficiat, cum conditiones ei graves removere vel moderari velit. *1253, Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 311; Lib. X, cur. 45. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Winkelmann l. c. edidit.

Winkelmann, Acta Imp. ined. t. I, p. 581, n. 735.

.. comiti Provincie.

Gratiarum tibi multimodas referimus actiones super eo, quod sicut dilectus filius magister Paulus de Sancto Helya canonicus Baiocensis, devotus tuus, nobis diligenter exposuit, specialem habens ad personam nostram intime dilectionis affectum, ad obsequia ecclesie, de quo tibi regratiamur plurimum, et beneplacita nostra te promptum exhibes et paratum. Quocirca nobilitatem tuam duximus attentius rogandam, quatinus de nobis plene confidens ac secure nos in omnibus, que tuo animo sederint, interpellans, sine aliqua trepidatione cum dilecto filio magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato, negocium super recipiendo regno Sicilie perficias feliciter inchoatum, pro certo sciturus quod tibi multo maiora quam petieris, prout negotii utilitas et promotio exegerit, faciemus, et quecumque tibi videbuntur super tractatis hinc inde conditionibus gravia, vel omnino removebimus aut ea salvis libertatibus ecclesiarum moderabimur ad tue beneplacitum voluntatis. Ad hec tibi et omnibus illis, tam clericis quam laicis, qui tecum vel cum aliquo tuorum venerint, eam peccatorum suorum veniam illaque privilegia et immunitates concedimus, que transfretantibus in Terre Sancte subsidium conceduntur.

Dat. Asisii, III Idus Iunii, anno X°.

VII.

Innocentius IV papa [Guillelmo] episcopo Aurelianensi gratias agit, quod in negotio ecclesiae cum [Carolo] comite super conferendo ipsi regno utiliter laboraverit, eumque rogat, ut id ad perfectionem perducat et cum comite personaliter veniat. *1253, Iun. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 311; Lib. X, cur. 46. Exemplar, quod V. Cl. E. Winkelmann ex Cod. Vallicell. J. 55 nobis praebuit, contulimus cum Regestis.

.. episcopo Aurelianensi.

Gratiarum tibi etc. usque: affectum[a] quodque in negocio ecclesie cum dilecto filio nobili viro .. comite Provincie super conferendo sibi regno Sicilie, tuo feliciter inchoato ministerio, fideliter et utiliter tamquam precipuus ipsius promotor negocii laborasti, propter quod tibi adeo sedem apostolicam obligasse dinosceris, quod eam senties plus, quam posses credere, in omnibus tuis honoribus et oportunitatibus favorabilem et benignam. Quia vero ad idem negocium, iam fere ad consumationem te auxiliante deductum, incipit esse maxime tuum consilium et auxilium oportunum, fraternitatem tuam omni qua possumus affectione rogamus, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatinus predictum negocium ad optatam perfectionem perducens, ipsum una cum eodem comite, veniendo cum eo personaliter, pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia indefessa et inconcussa constantia prosequaris, sciturus pro certo, quod in hiis et aliis proponimus consilio tuo uti. Nos enim tibi et omnibus illis, tam laicis quam clericis, qui tecum vel cum eodem comite venerint, eam peccatorum suorum veniam etc. usque in finem[1].

VIII.

Innocentius IV papa Carolo significat se Alberto legato tribuisse facultatem concedendi ipsi et heredibus eius regnum Siciliae et totam terram citra Pharum cum omnibus iuribus, excepta civitate Beneventana, sub condicionibus bulla contentis.

1253, Iun. 12.

Inn. IV Reg. Vol. II, 311; Lib. X, cur. 52. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1253, § 2, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15015.

Nobili viro Karulo Andegavie ac Provincie comiti in perpetuum.

Dum adversitates et pericula, que passa est hactenus ecclesia per regnum Sicilie, apostolice sedis peculium speciale, recolimus, dum non superflua meditatione pensamus, quot et quantis et quam inexcogitatis offensionum modis condam Fr. dudum imperator, ipsius regni tunc feudatarius et contrectator iniquus, turbabat per nequitiam propriam et regni eiusdem incredibilem opulentiam totum orbem: apparet protinus, quod de regno ipso, quo inter alia predictum Fr. sacro approbante concilio privavimus, ad Romanam ecclesiam devoluto sic diligenti deliberatione prehabita ordinare nos convenit, ut cum idem regnum, si bonus ibi rex fuerit, sit in se regnum pacis, talis preficiatur ibidem, de quo nulla possit haberi sinistra suspicio, ut intervertant subite divitie mentem eius, quin potius plena de ipso per approbatam experientiam geratur fiducia, ut tamquam aurum in fornace probatum non querat que sua sunt, immo tamquam Christi verus athleta desideret, ut per hoc Deo thurificet, obsequatur ecclesie ac serviat, sedatis ubique discordiis, earum obstructa vel verius exsiccata radice, cuncto christiano populo et maxime Terre Sancte, que, nisi per idem regnum succurratur eidem, vix aut numquam poterit de Sarracenorum manibus liberari. Super hiis itaque cum fratribus nostris

---

a) effectum *R.; in hac ep. nimirum antea legendum est* habes.

1) *Eodem die papa in ep. cur. 47 [archi]episcopo Aquensi scripsit, ut interponeret partes ad negotium perficiendum, veniendo personaliter cum comite; epp. cur. 48 et 49 episcopo Andegavensi et praeposito S. Audomari Morinensis diocesis, capellano papae, simili modo [sed de veniendo nihil dicitur]; ep. cur. 50 Guillelmo de Bellomonte socio comitis Provinciae, ep. cur. 51 ignoto [cum rubrum desit et margo resecata sit] et Henrico de Soliaco socio comitis simili modo.*

oportuna et necessaria deliberatione tractantes, dum de multorum ydoneitate, quis foret preferendus regno tam opulentissimo, conferremus[a], nolentes a nostris recedere nec nostra ad extraneos derivare, evidenti et manifesta ratione comperimus, quod tu, quem semper invenimus ad beneplacita nostra paratum et in negotiis ecclesie non remissum, cuiusque progenitores a longis retro temporibus fide ferventes, devotione sinceri, ecclesiam de proprio multis opibus et libertatum privilegiis ampliarunt, ad tantum dinosceris fastigium merito attollendus. Ut igitur te tamquam ecclesie Romane specialem filium et singulare signaculum, ac in persona tua carissimum in Christo filium nostrum . . regem Francie illustrem, fratrem tuum, quem precipua inter alios prerogativa favoris prosequimur, cum se offert oportunitas, exaltantes, promoveamus te utpote benemeritum ad coronam, dilecto filio magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato, quem dudum propter hoc ad tuam presentiam destinavimus, concedendi[b] tibi tuisque[c] heredibus regnum Sicilie et totam terram, que est citra Pharum, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, honoribus, districtibus et pertinentiis suis — excepta civitate Beneventana cum omnibus[d] iuribus, districtibus et pertinentiis suis — in feudum libere sub conditionibus sub bulla nostra contentis, teque nostro et ecclesie Romane nomine investiendi de predictis regno et terra[e] cum sollempnitate, que desideratur in tanto negotio, ac obligandi nos et ecclesiam Romanam ad predictas conditiones servandas et recipiendi a te obligationem nostro et ecclesie Romane nomine de servandis eisdem plenam de fratrum nostrorum consilio concedimus auctoritate presentium facultatem. Decernimus ergo etc. Si qua igitur etc. Cunctis autem etc.

Dat. Assisii, II Idus Iunii, indictione XI[a] [1], anno decimo.

IX.

Innocentius IV papa Alberto legato idem fere scribit. *1253, Iun. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 311; Lib. X, cur. 53. Exemplar, quod Winkelmann l. c. edidit, contulimus cum Regestis.

Winkelmann, Acta Imp. ined. t. I, p. 580, n. 734.

Magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato.

Dum adversitates etc. ut in alia usque: ampliarunt[f], mutatis mutandis. Cum igitur te dudum propter hoc ad ipsius presentiam de fratrum nostrorum consilio duxerimus destinandum, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eidem comiti eiusque heredibus regnum Sicilie et totam terram, que est citra Pharum, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, honoribus, districtibus et pertinentiis suis — excepta civitate Beneventana cum iuribus, districtibus et pertinentiis suis — in feudum libere cum sollempnitate, quam idem adhiberi voluerit, sine dispendio more concedas ipsumque nostro et ecclesie Romane nomine investias de eisdem.

Dat. Asisii, V Idus Iunii, anno X°.

---

a) conferemus *R.* b) *litt.* i *ex* a *corr.* c) tuis *R.* d) *sequitur linea tam longa quam verbum* iuribus. e) terra et regno *R.* f) *lin. 6.*

1) *Ex adscriptione indictionis concludimus hanc epistolam privilegium sollemne fuisse, subscriptionibus cardinalium ornatum, cuius nota chronologica minus integre registrata sit. Etiam formulae* Decernimus *etc. tales sunt, quales in privilegiis occurrunt; cf. t. I, p. XVII; cf. etiam epp. a. 1254, Sept. 27 et saepius in Inn. IV Lib. XII.*

X.

Condiciones, quibus Innocentius IV papa regnum Siciliae Karolo Andegaviae et Provinciae comiti conferri vult. *1253, Iun. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. II, 311—312, Lib. X, car. 53. Sequitur epistolam antecedentem, numero et rubro deficiente. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1253, § 3—4, suppletum ex eo, quod Winkelmann, Acta Imp. ined. t. I, p. 581, n. 734 edidit, contulimus cum Regestis. Numeros singulis capitulis nos apposuimus.

Capasso, Hist. dipl. regni Siciliae p. 43, n. 83.

[1.] Iste sunt conditiones petende in concessione regni Sicilie[1], ducatus Apulie, Capitinate[a] et Calabrie ac principatus Capue et totius terre, que est citra Pharum usque ad confinia terrarum ecclesie, in feudum, excepta civitate Beneventana cum iuribus et districtibus suis, nobili viro Karulo Andegavie ac Provincie comiti per magistrum Albertum domini pape notarium, legatum sedis apostolice, facienda, super quibus concordatum est hinc et inde.

[2.] In primis idem comes in ipsa concessione prestabit eidem legato, recipienti nomine domini pape et ecclesie Romane, iuramentum fidelitatis; eidem domino pape faciet homagium ligium, cum fuerit in eius presentia, et tam ipse quam heredes sui legitimi regnum et terras predictas tenebunt a domino papa et ecclesia Romana in feudum, ita tamen, quod si contingat regnum ad feminam devenire, illa[b] non nubat adversario ecclesie, nec imperatori aut filio seu fratri eius aut alii, de cuius electione ad Romanum imperium ageretur, absque consensu domini pape et ecclesie Romane.

[3.] Item regnum imperio nullo modo subdetur seu sibi umquam tempore in eadem persona aliquatenus unietur.

[4.] Item revocabit omnes constitutiones seu leges per condam Fr. dudum imperatorem vel reges Sicilie sive per Conradum ipsius filium editas contra ecclesiasticam libertatem[2], et in iuramento fidelitatis quod prestabit addetur, quod privilegia apostolice sedis a regibus et principibus vel aliis Christi fidelibus concessa super regno aut rebus sitis in ipso illibata servabit; alia vero privilegia, equitatem continentia, servabit; nec statuta vel constitutiones aliquas edet aut etiam promulgabit, per que iuri vel libertati ecclesiastice derogetur.

[5.] Item electiones, provisiones, postulationes et confirmationes cathedralium ecclesiarum, monasteriorum et aliorum locorum religiosorum, tam in prelatis quam clericis et aliis personis ecclesiasticis, libere fiant, secundum quod canones mandant et maxime statuta concilii generalis. Denunciatio tamen mortis prelati regi fiat, si fieri consuevit, sed eius consilium vel consensus in predictis non requiratur, nec ante electionem nec post electionem[3].

[6.] Item restituantur omnes episcopi et alii prelati et clerici et alie persone ecclesiastice ad sedes et loca sua.

[7.] Item restituet, quicquid occupatum est hactenus per Fr. et ministros suos seu alios quoscumque de castris, iuribus, possessionibus, hominibus, cuiuscunque conditionis existant, et aliis rebus immobilibus et mobilibus, que extent et ad manum suam vel suorum devenerint vel ad eos qui erunt in sua potestate, prelatorum, Templariorum, Hospitalariorum[4] et aliorum religiosorum, ecclesiarum vel ecclesiasticarum personarum. De occupatis autem per reges Sicilie ab antiquo iustitia plena fiat[5].

---

a) *ita R.* b) illā *R.*

1) *Intellegas: 'insulae Siciliae'; cf. n. VIII et IX.* 2) *Cf. n. 156.* 3) *Cf. t. II, p. 436, n. 613.* 4) *A. 1252, Apr. 10, 9, 9, 8 et Mart. 8 papa eisdem concessiones Willelmi et Rogerii regum, Friderici II, Constantiae et iterum Willelmi confirmaverat; Lib. IX, 254, 255, 259, 261, 264. Cf. Lib. XII, 216 et 227.* 5) *Cf. n. 156.*

[8.] Item generaliter omnes de regno vel extra regnum, cuiuscumque conditionis existant vel ordinis, sive mares sive femine sive civitates sive castra sive quecumque loca ecclesie adherentes, ad quos aliqui in eodem regno de iure pertineant, recipiet ad gratiam suam ipsosque affidabit, nisi postquam regnum receperit, ei vel regno suo adversentur; et eis omnia bona sua stabilia et mobilia, que extant[a] et ad manum suam vel suorum devenerint vel ad eos qui erunt in sua potestate, plene restituet et banna eis imposita ad voluntatem domini pape relaxabit.

[9.] Item pro civitate Beneventana[1] hac vice reficienda per Beneventanos exponet pro lignaminibus[b] omnia nemora regni et omnem materiam ad edificia oportunam, puta lapides, arenam que puteolana vocatur, cementum et similia, absque iuris preiudicio singularium personarum ad unam dietam prope Beneventum; prestabit eis securitatem per totum regnum, nisi in terra sua de novo delinquant, propter quod ad ipsum de iure iustitia pertineat. Privilegia quoque predicte civitati a regibus et principibus concessa illibata servabit. Omnia statuta per Fr. seu quoscumque reges Sicilie facta contra libertatem civitatis eiusdem revocabit, et in omnibus et per omnia, quoad ea que libertatis fuerint, ceteris regnicolis parificabit eandem; nec aliqua statuta seu leges condet in posterum, per que civitati eidem directe vel indirecte possit preiudicium generari, nec e converso eadem civitas condet vel statuet aliqua, per que regi vel regno preiudicium generetur. Et pro apostolice sedis et beati Bartholomei reverentia, ipsius civitatis patroni, fidancias ab omnibus remitti faciet et remittet eisdem. Fidanciarum remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias terras et vineas excolere earumque fruges et fructus recolligere ac easdem terras et vineas vendere et de ipsis ad suam voluntatem disponere sine aliqua exactione vel munere seu datione.

[10.] Item in quolibet quinquennio dabit rex domino pape unum palafridum album, pulcrum et bonum in recognitionem veri dominii regni eiusdem.

[11.] Item in regnum ipsum nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

[12.] Item idem comes usque ad festum Omnium Sanctorum[2] proximo venturum personaliter, viriliter et potenter cum exercitu iter arripiet ad negotium prosequendum, et siquid humanitus de ipso contingeret, unus vel duo capitanei, viri strenui et potentes, in forti manu nomine filii vel filie teneantur ad omnia et singula supradicta.

[13.] Item Beneventum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ecclesie remanebit.

[14.] Item heredes, qui non erunt legitime etatis, si pater premoreretur, in custodia Romane ecclesie remanebunt, ita quod expensis necessariis pro herede et custodia terre deductis residuum convertatur in utilitatem heredis et conservetur, nisi rex aliud ordinaverit de proventibus regni. [Custodia[c] non fiat; quod predictus legatus cum eodem comite ordinabit.] Potestas autem collocandi in matrimonium heredem pertinebit ad amicos propinquiores[3], cognatos aut ad illum vel illos, quibus rex duxerit committendum, salvis omnino conventionibus supradictis.

[15.] Item nullam confederationem seu pactionem vel societatem faciet cum aliquo imperatore vel rege seu principe vel barone, Sarraceno, Christiano vel Greco, aut provincia seu civitate, communitate vel loco extra regnum suum contra Romanam ecclesiam vel in dampnum ecclesie.

a) *ita R.; cf. in § 7.* b) ligaminibus *R.* c) *verba notis aliquibus distincta non sunt; ea, quae uncis inclusimus, non partem condicionum sed annotationem papae intellegimus, qui ut custodia utique postularetur, noluit; cf. p. 174, n. III.*

1) *Cf. n. 156.* 2) *Nov. 1.* 3) *Cf. Ducange sub verbo 'amici propinquiores'.*

[16.] Item exulantes pro ecclesia restituantur ad propria et debita iura sua in eodem regno existentia.

[17.] Item restituet omnes captivos et obsides, qui tenentur in regno, Romanos, regnicolas et alios de terra ecclesie, Tuscos, Lombardos et illos de Tervisina marchia, libertati bona fide pro posse suo. Super comitatibus vero Fundano[1] et Sorano[2] et Salpien.[a][3] et Tressant.[b][4] necnon et aliis, si qua sunt in regno ecclesie Romane aut aliis ecclesie Romane fidelibus a regibus et principibus concessa, salvum sit ius ecclesie Romane ac ipsorum fidelium omnino; nec per regni concessionem comitatuum seu concessorum eorundem cuiquam, quoad proprietatem seu possessionem, preiudicium generetur, regio in hiis omnibus iure salvo[5].

[18.] Iste infrascripte sunt conditiones, quas dictus comes moderari petiit, set idem dominus papa moderationem aliquam non admittit; immo vult, quod remaneant sic omnino.

[19.] Idem comes promittet, quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eiusdem regni in civili vel criminali causa conveniatur coram iudice seculari, nisi super feudis conveniatur civiliter[6]; sed omnes ecclesie et persone ecclesiastice omni modo erunt libere et in nullo regi seu principi subiacebunt.

[20.] Item nullas tallias vel collectas imponet ecclesiis, monasteriis, clericis et viris ecclesiasticis vel rebus eorum[7].

[21.] Item in ecclesiis vacantibus rex seu princeps nulla habebit regalia. [Hanc[c] concesserunt eiusdem comitis nuncii, postquam regum privilegia bullata bulla aurea inspexerunt.]

[22.] Super reliquis vero conditionibus, illis omnino amotis de quibus hic non fit mentio, placet eidem domino pape, ut taliter procedatur.

[23.] Predictus legatus inducet eundem comitem et rogabit eum affectuose ex parte ipsius domini pape, ut placeat sibi, si dictum regnum ad personam, quod absit, pervenerit extraneam, quod ecclesie Romane mille uncie auri ad minus pro relevamine[8] in signum dominii persolvantur.

[24.] Item quod pro eodem regno solvat idem comes annuatim eidem ecclesie census nomine duo milia vel ad minus mille marcas.

[25.] Item quod serviat domino pape et ecclesie Romane in expensis propriis per sex menses de quingentis militibus in terris ecclesie, videlicet marchia Anconitana, ducatu Spoletano, Patrimonio beati Petri, Campania et Maritima. In Sardinia vero serviat in navigio ad equivalens, quandocumque dominus papa vel ecclesia Romana ibi guerram[d] habuerit et fuerit requisitus.

[26.] Item promittet, quod pro reedificatione Beneventi et specialiter ecclesiarum ac locorum religiosorum et palatii domini pape, cum habuerit regnum in pace, decem milium unciarum auri subsidium exhibebit.

[27.] Quod si prefatus comes has conditiones admittere, quod non creditur, recusaret omnino, vult idem dominus papa, quod dictus legatus nichilominus ad ipsius regni

a) Salpieñ *R.* b) Tressant̄ *R.* c) *annotatio papae ut p. 179, not. c.* d) guerra *R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 661 et 662 et Winkelmann, Friedr. II, ed. II, t. I, p. 101, not. 4 et p. 131 et ed. I, t. I, p. 344—345.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 836 et Winkelmann l. c. ed. II, p. 131.* 3) *Agitur ut videtur de civitate Salparum [ex sept. et occ. civ. Barletta], quam papa a. 1239 cum pertinentiis eius Venetis in feudum concesserat; t. I, p. 736.* 4) *Ut videtur Tres Sancti, prope Salpas.* 5) *Revocantur hac clausula litterae, quibus papa quasdam personas a dominio futuri regis exemerat; cf. p. 106, not. 2, n. 131 et p. 115, not. 3.* 6) *Cf. t. I, p. 334, n. 415 XV et t. II, p. 437.* 7) *Cf. t. I, p. 334, n. 415 XV et XVI.* 8) *I. e. pro investitura feudi caduci; cf. Ducange sub verbo 'relevare'.*

et aliarum terrarum concessionem et investituram sine aliqua dilatione procedat, ita tamen quod idem comes ad censum se obliget consuetum [1].

[28.] Ceterum prefatus comes ad idem negotium potentius exequendum petiit, quod habeat quolibet anno ab ecclesia mutuum quadringentorum milium librarum Turonensium, quousque terra sit acquisita, de quibus infra Kalendas Septembris proximo venturas [a] solventur ducenta milia Parisius vel in nundinis Campanie [2] aut in Provincia. Alia autem ducenta [b] milia solventur statim, quando erit in regno, vel ante, si necesse fuerit; et de necessitate credetur bone fidei comitis.

[29.] Si vero donaria fiant alia quam esculentum et poculentum [3] ab illis, qui sunt in regno, de mutuo tantum diminuatur, quantum erit in donariis, salvo quod si tam donaria quam mutua sint eidem necessaria pro acquisitione terre, utrumque habebit; et de utilitate vel necessitate stabitur dicto suo et bone fidei eius.

[30.] Preterea si acquisierit aliquam partem terre, statim parte acquisita tantum diminuetur de mutuo, quanti erunt proventus terre acquisite ad manus suas pervenientes, salvo quod si tam proventus quam mutua sint eidem necessaria pro acquisitione terre, utrumque habebit; et de utilitate et necessitate stabitur dicto suo et bone fidei eius.

[31.] Et sciendum, quod quicquid accidit, solum regnum erit pro dicto mutuo obligatum et non alia terra comitis aut uxoris sue.

[32.] In reddendo mutuum habebitur ratio, quod ipse possit inde vivere et ipsum regnum custodire, secundum quod rex vivere debet.

[33.] Item annus incipiet secundum consuetudinem militum stipendiariorum, scilicet a tempore arreptionis itineris de domibus suis pro dicto negotio.

[34.] Dominus papa id isto modo concedit, quod predictam summam mutuabit in predictis terminis, prout petitum est, primo anno, seque sic obligabit ad alios sequentes, si pecuniam mutuo habere possit; et de possibilitate stabitur dicto eius; quod si non posset et idem comes inveniret eandem, idem dominus papa se creditoribus obligabit.

[35.] Preterea idem dominus papa ex nunc dat liberam et plenariam potestatem prefato comiti obligandi sequentibus annis et dandi pignori pro ipsa pecunia marchiam Anconitanam, ducatum Spoletanum, Patrimonium beati Petri, Campaniam et Maritimam.

[36.] Et quia idem dominus papa predictam summam necessario, quia thesaurum non habet, recipiet a feneratoribus, vult omnino, quod idem comes ad satisfactionem tam usurarum quam sortis obliget dictum regnum, ita tamen quod [c] subsidium, quod idem dominus papa ab ecclesiis et prelatis regni Francie seu Provincie habebit, de ipso debito deducetur, nec teneatur ad restitutionem idem comes, nisi sponte voluerit ecclesiis subvenientibus satisfacere, ut sit ei meritorium [d] apud Deum.

Dat. Asisii, IIII Idus Iunii, pontificatus domini Innocentii pape IIII anno X° [4].

a) venturū *R.* b) ducentarum *R.* c) q̃uod tamen *R.* d) meritoritorium *R.*

1) *Scil. mille squifatorum per annum; cf. t. II, p. 93.* 2) *Champagne; cf. t. I, p. 621, n. 723.* 3) *Cf. Ducange sub verbo 'poculentum'.* 4) *A. 1253, Iun. 13 papa civibus Adriae et aliis devotis ecclesiae in regno constitutis nuntiavit se super collatione regni Siciliae cum nuntiis cuiusdam principis inter alios mundi potentioris concordasse, ita ut idem princeps brevi cum potenti exercitu venturus esset ad coronam regni accipiendam; Capasso, Hist. dipl. regni Sic. n. 84; Antinori, Mem. istor. degli Abbruzzi t. II, p. 111. Cf. infra n. 219.*

209.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi mandat, ut cum Willelmo domino de Strin. Traiectensis diocesis in causa matrimoniali dispenset, cum idem per sex menses in servitio W[illelmi] regis Romanorum militare paratus sit. 1253, Iun. 11.

Inn. IV Reg. Vol. II, 277; Lib. X, 750. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, l. c. t. I. p. 661, n. 481 edidit.

Potthast, Reg. 15013; Perlbach, Preuss. Reg. n. 416.

. . episcopo Sambiensi.

Dilectus filius nobilis vir Willelmus dominus de Strin.[a] [1] Traiectensis diocesis nobis exposuit, quod cum ipse olim dimissa quondam . . uxore sua Mattildi mulieri solute adherens, ei, quam per adulterium polluerat, promiserit, quod si dictam uxorem premori contingeret, matrimonialiter contraheret cum eadem, tandem uxore ipsa viam universe carnis ingressa dictus nobilis mulierem eandem, ex qua prolem susceperat, sibi matrimonialiter copulavit. Quare fuit ex parte ipsius nobilis nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse paratus sit cum uno socio in servitio carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris cum armis et equis per sex menses in eius expeditionibus sub expensis propriis militare, quod in matrimonio sic contracto — non obstante quod mulierem eandem taliter polluit — remanere licite valeat, [dispensare][b] cum eo misericorditer curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, eo adimplente quod offert, nisi dicti nobilis et Matildis vel alter ipsorum in mortem uxoris predicte fuerint machinati, dispensative super premissis agas auctoritate nostra cum ipso, prout anime sue saluti secundum Deum videris expedire.

Dat. Asisii, III Idus Iunii, anno X° [2].

210.

Innocentius IV papa archiepiscopo Tranensi mandat, ut de electione Palermi, antequam regnum Siciliae interdicto suppositum esset, in ecclesia Murana celebrata inquirat eamque, si canonica fuerit, confirmet, amoto Nicolao dicto de Patrice clerico Tarentino a quondam F[riderico II] post depositionem eius intruso. 1253, Iun. 12.

Inn. IV Reg. Vol. II, 287; Lib. X, 810. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

. . archiepiscopo Tranensi[3].

Dilectus filius Palermus archipresbyter ecclesie sancti Felicis canonicus Muranus[4] sua nobis petitione monstravit, quod olim, antequam esset a nobis regnum Sycilie suppositum ecclesiastico interdicto[5], Murana ecclesia pastore vacante . . archipresbyter et

---

a) Striñ *R.* b) dispensare *deest R.*

1) *Strijen e mer. et occ. civ. Dordrecht.* 2) *Aliae dispensationes matrimoniales intuitu Willelmi regis factae Lib. X, 10, 15 et 95; Potthast 14660, 14667 et 14701. A. 1253, Mai. 24 W. decano Glasguensi consanguineo Willelmi regis gratiam fecerat; Lib. X, 695.* 3) *Hic a. 1252 tempore verno legatus cum aliis a Conrado IV ad papam missus erat; Böhmer-Ficker 4577a. A. 1252, Iul. 18 et Aug. 8 papa ei mandata direxerat; Lib. X, 32 et 47.* 4) *Muro ex sept. et occ. civ. Potenza.* 5) *Tempus nescimus. A. 1248, Apr. 18 interdictum promulgatum non fuisse videtur; cf. t. II, p. 380 et 384, n. 541 et 545. Id primo commemoratum invenimus a. 1248, Aug. 30; t. II, p. 414, lin. 24.*

capitulum ipsius ecclesie, die ad eligendum prefixa in capitulo et vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt comode interesse prout moris est convenientes in unum, invocata[a] Spiritus Sancti gratia ipsum canonice ac concorditer elegerunt in eorum episcopum et pastorem. Set Nicolaus dictus de Patrice clericus Tarentinus, predictam ecclesiam de mandato condam F. Romanorum imperatoris post latam depositionis sententiam in eundem occupans, se fecit in episcopum dicte Murane ecclesie consecrari, et eam taliter detinere presumit in proprie salutis dispendium, ipsius archipresbyteri preiudicium et scandalum plurimorum. Cum igitur Consana ecclesia, cui prefata ecclesia Murana metropolitico iure subesse dinoscitur, vacare dicatur ad presens[1], nobis humiliter supplicavit, ut ipsius electionem confirmari ac sibi munus consecrationis impendi de benignitate sedis apostolice misericorditer faceremus. Quocirca mandamus, quatinus de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligenter inquirens, si electionem ipsam inveneris de persona idonea canonice celebratam, ipsam auctoritate nostra confirmans ac sibi munus consecrationis impendens, facias eidem a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, amoto ab eadem ecclesia dicto clerico vel quolibet alio illicito detentore, alioquin ea rite cassata etc.[b] usque: provideri. Volumus tamen, quod per hoc dicte Consane ecclesie nullum in posterum preiudicium generetur; — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Asisii, II Idus Iunii, anno X°.

211.

Innocentius IV papa M[argaritae] ducissae Austriae et Stiriae concedit, ut monasteria ordinis sancti Damiani in Bohemia, Austria et Stiria intrare possit.

1253, Iun. 13.

Inn. IV Reg. Vol. II, 277; Lib. X, 748. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, l. c. t. I, p. 662, n. 483 edidit.

Potthast, Reg. 15017.

Nobili mulieri M. ducisse Austrie et Stirie[2].

Accensa sincere devotionis fervore, quam ad monasteria sororum inclusarum ordinis sancti Damiani habere dinosceris, nobis humiliter supplicasti, ut intrare causa devotionis et pietatis amore monasteria dicti ordinis sita in regno Boemie ac ducatu Austrie et Stirie tibi de nostra permissione liceret. Nos igitur, piis votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes, devotioni tue presentium auctoritate concedimus, ut associatis tibi aliquibus bonis et honestis mulieribus ingredi possis monasteria memorata — contraria consuetudine aut statuto ipsius ordinis vallato iuramento seu firmitate alia non obstante. Nulli ergo etc. nostre concessionis —.

Dat. Asisii, Idibus Iunii, anno X° [3].

---

a) invocati *R.* b) prefate ecclesie per electionem canonicam de pastore facias provideri *vel similiter; cf. t. II, p. 62, lin. 6.*

1) *A. 1254, Apr. 24 papa ecclesiae Consanae Nicolaum Bonifacii praefecit de fratrum consilio et plenitudine potestatis; Lib. XI, 648.* 2) *Cf. infra n. 217.* 3) *Iun. 17 papa Bertoldo presbytero canonico S. Andreae Frisingensis ad preces ducissae gratiam fecit; Lib. X, 777. Gratia capellano ducissae sub Iun. 27 facta Lib. XI, 7.*

212.

Innocentius IV papa [Conrado] episcopo Frisingensi, cuius proventus per [Ottonem II] ducem Bawariae aliosque valde diminuti sint, concedit, ut redditus beneficiorum diocesis suae usque ad triennium vacantium per annum retinere possit. 1253, Iun. 22.

Inn. IV Reg. Vol. II, 283; Lib. X, 785. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15024.

.. episcopo Frisingensi[1].

Meritis tue probitatis et devotionis inducimur, ut te sincere dilectionis brachiis amplectentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum igitur, sicut ex tenore tue petitionis accepimus, ecclesie tue redditus et proventus per nobilem virum .. ducem Bawarie ac alios inimicos ecclesie sint adeo diminuti, quod ex eis nequeas penitus sustentari, maxime cum pro custodia et defensione castrorum eiusdem ecclesie te oporteat gravia subire onera expensarum, nos, dignum arbitrantes et congruum ut super hoc in nobis remedium invenisse gaudeas oportunum, presentium tibi auctoritate concedimus, ut redditus beneficiorum tue civitatis et diocesis vacantium usque ad triennium per unum annum pro sustentatione tua et defensione castrorum ipsorum — non obstantibus aliquibus indulgentiis quibuscumque personis ab apostolica sede concessis — possis libere retinere; proviso quod interim eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Asisii, X Kalendas Iulii, anno decimo[2].

213.

Innocentius IV papa [Bonfilium] episcopum et clerum Senenses a provisionibus, quas [Guillelmo] Aretino et [Raynerio] Vulterano electis et archidiacono Aretino annis singulis iusserit fieri, absolvit, cum iidem electi ad beneficia sua restituti sint. 1253, Iun. 27.

Inn. IV Reg. Vol. II, 285; Lib. X, 800. Exemplar nos inde descripsimus.

.. episcopo Senensi.

Circa provisionis gratiam, in qua multorum votis annuimus, illam nobis assiduo providentiam [reservamus][a], ut sic uni dignum proveniat commodum, quod indebitum alteri non immineat detrimentum. Cum itaque tu et dilecti filii clerus civitatis et diocesis Senensis, prout ex tenore tue petitionis accepimus, super provisionibus, quas a vobis dilectis filiis .. Aretino et .. Wlterano electis ac .. archidiacono Aretino annis singulis mandavimus fieri, sitis nimium aggravati, maxime cum alias propter discrimina guerrarum illarum partium in bonis vestris pertuleritis maximum detrimentum, nos, tuis supplicationibus annuentes, te ac dictum clerum a provisionibus eorundem electo-

---

a) reservamus *deest R.; cf. similem formulam t. II, p. 454, n. 637.*

1) *Cf. n. 204. Gratia obtentu eius Iun. 16 facta Lib. X, 778.* 2) *Iul. 4 papa Hugoni cardinali legato mandavit, ut episcopo timenti, ne ecclesiae suae ab [Ottone] duce propter guerram irreparabile dispendium immineret, maxime cum alii episcopi, a quibus iuvari soleret, cum duce ad concordiam revocati essent, cum eodem componendi licentiam concederet; Potthast 15042, non reg.*

rum, qui sunt sicut accepimus ad sua beneficia restituti[1], auctoritate presentium duximus absolvendos.

Dat. Asisii, V Kalendas Iulii, anno X°.

214.

Innocentius IV papa H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut cum Henricus comes de Luxemburc et Girardus dominus de Dolboi frater eius in negotiis ecclesiae obsequiosi fuerint, dispenset cum Girardo et Mahadi uxore eius de matrimonio contra canones contracto. *1253, Iul. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 1; Lib. XI, 6. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 15040.

H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarta consanguinitatis vel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nobiles viri Henricus comes de Lucelluntiburg Treverensis et Girardus frater eius dominus de Dolboi[2] Leodiensis diocesum in ecclesie negotiis se tibi obsequiosos exhibuerint et devotos[3], nos, intendentes ipsos ob hoc gratia prosequi et favore, mandamus, quatinus recepta ab eodem Girardo de adherendo ecclesie et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri idonea cautione, cum ipso et nobili muliere Mahadi uxore sua, [ut][a] — non obstante quarta consanguinitatis linea, qua sibi ad invicem attinent[4], — in contracto matrimonio remanere libere valeant, auctoritate nostra dispenses, prout videris expedire.

Dat. Asisii, Kalendis Iulii, anno XI°.

215.

Innocentius IV papa [Wenceslaum] regem Bohemiae hortatur, ut a guerris, quas una cum P[rzemislao] duce Austriae contra [Belam IV] regem Ungariae gerat, omnino desistat; nuntiat se fratrem Valascum poenitentiarium suum pro pace reformanda destinare. *1253, Iul. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 1; Lib. XI, 5. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 15033 et 15034.

a) ut *deest R.*

1) *Cf. p. 79, not. 2 et n. 190. [A. 1251] G[uido] Guerra comes palatinus Tusciae B[onifacio] de Sal[a] potestati, consilio et communi Bononiensibus nuntiaverat Aretinam civitatem supposuisse colla sua ecclesiae Romanae mandatis et stabilivisse, ut haberet rectorem de civitate Bononiensi; Savioli, Ann. Bologn. t. III, pars II, p. 280, n. 672.* A. *1253 Orlandus Carbonensis de Bononia potestas Aret. erat; Ann. Arret. ap. Muratori, SS. t. XXIV, p. 860. Guerrarum discrimina in partibus Aretinis commemorantur a papa Lib. IX, 395, sub a. 1252, Iun. 4.* 2) *Durbuy ad Ourthe fl.* 3) *Cf. etiam Böhmer-Ficker 5176.* 4) *Stemma: Mahadi seu Mathilda, Theodericus Clivensis et Elisabeth, Henricus I dux Brabantiae, Godefridus et Margarita — Henricus II dux de Limburg — Henricus III, Walramus IV, Gerhardus. Ergo ex altera parte se quarta, ex altera tertia consanguinitatis linea attingebant.*

. . regi Boemie.

Si considerarent, ut expediret, guerrarum discrimina dimicantes, cum hinc inde vix aut nunquam nisi animarum pericula, excidia personarum et rerum dampna reportent, ab earum[a] forsan inchoatione vel saltim exercitio abstinerent. Set quia quosdam sic plerumque impetus furoris involvit, ut eo plus se bellis exerceant, quo magis ipsorum non sine amaritudine detrimenta degustant: oportet nos, qui non tam puri hominis quam veri Dei vicem in terris gerimus, partes nostras contra talia interponendo discrimina, removere scandala, sedare litigia et revocare ad concordiam discordantes. Accepimus siquidem veridica relatione multorum, quod inter te et P. natum tuum ducem Austrie ex parte una et carissimum in Christo filium nostrum . . regem Ungarie illustrem ex altera adeo scintilla discordie sufflante inimico humani generis est succensa, ut quos antea familiaris decorabat dilectio et familiaritas confovebat alterna, tempestatis exagitet spiritus et in profundum vorago iurgiorum absorbeat, dum ad non necessaria bella set perniciosa prorsus insurgitis et ad invicem dimicatis[1]. Sicque fit, quod vobis regna vestra predantibus et depopulantibus circumpositas regiones, terra remanet habitatoribus, pro dolor! desolata. Quia vero nostre sollicitudinis interest, ut nos, qui disponente Domino universali regimini presidemus, ex officio nostro, pro eo maxime quod ecclesie, que inde consueverunt nunc ledi, nunc destrui, preserventur et Christianus populus taliter non perdatur, tantis occurramus periculis remediis oportunis: celsitudinem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum imponentes, quatinus ab huiusmodi guerris omnino desistens, cum predicto rege sic ad pacem et concordiam pro apostolice sedis et nostra reverentia sine dilatione ac difficultate qualibet revertaris, quod exinde apud Deum et homines valeas non immerito commendari. Nos enim dilectum filium fratrem Valascum, penitentiarium nostrum, ad partes illas ad reformanda inter vos pacis federa destinamus, dantes ei cogendi contradictores et rebelles per excommunicationis in personas et terras ipsorum interdicti sententias plenariam potestatem — non obstante si vobis ab apostolica sede concessum sit, ut in vos seu terras vestras non possint huiusmodi sententie promulgari.

Dat. Asisii, Kalendis Iulii, anno XI°.

In eundem modum nobili viro . . duci Austrie.

In eundem modum . . regi Ungarie[2].

216.

Innocentius IV papa magistro Iordano subdiacono et notario suo, Campaniae et Maritimae rectori, nuntiat se omnes concessiones de redditibus et iuribus ecclesiae in Campania et Maritima non perpetuo factas revocare. *1253, Iul. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 129; Lib. XI, cur. 2. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Magistro Iordano subdiacono et notario nostro, Campanie Maritimeque rectori.

Si circa ecclesias alias illius vigilantie studium adhibemus, ut earum iura minorationis detrimenta non subeant sed integra conserventur, de negligentia utique nimia

a) eorum *R.*

1) *Agebatur de possessione Stiriae; cf. Lorenz, Deutsche Gesch. im 13. Iahrh. t. I, p. 104 et sequ. Aliae epp. ad hanc rem pertinentes non registratae ap. Potthast 15029—15032, 15045, 15046, 15055.*
2) *A. 1253, Iul. 5 papa [Conrado] episcopo Frisingensi idem scripsit, mandans ut ad pacem faciendam partes suas interponeret et Valasco ad id auxilium praestaret; Potthast 15044, non reg.*

non indigne notari possemus, si erga Romanam ecclesiam matrem et dominam omnium aliarum, cui specialius disponente Domino presumus, diligentiam non impenderemus omnimodam, ne possint bona eius aliqua occasione diminui vel quacumque detentione temeraria occupari. Verum quia multa de iuribus ipsius ecclesie, pretextu gratie facte interdum de ipsis aliquibus, diminuta non modicum et aliqua suppressa et offuscata enormiter, nonnulla etiam amissa quasi penitus dinoscuntur, nos, ex preteritis cautelam sumentes necessariam pro futuris et instructi precedenti iactura, quomodo subsequenter vitare similia debeamus, quia de proventibus, redditibus et iuribus, que in Campania et Maritima predicta ecclesia obtinet, nonnullis aliqua per nos et predecessores nostros de gratia, non tamen perpetuo, sunt concessa, ut precaveamus indempnitati [a] eiusdem ecclesie in hac parte, provida cum fratribus nostris deliberatione prehabita de consilio eorundem omnes concessiones, donationes, commissiones et gratias, de proventibus, redditibus, iurisdictionibus, dominiis et iuribus ipsius ecclesie in partibus earundem Campanie et Maritime sive in Trebe [1], Anticuli, Guarcini, Vici et Collopardi castris sive in Ferentina et Verulana civitatibus sive in locis aliis partium predictarum per nos vel predecessores eosdem aut per rectores, qui pro tempore in ipsis partibus extiterunt, factas quibuscumque personis, baronibus, militibus seu aliis, sive sint Romani sive Campani vel Maritimani sive alii, aut ad ipsorum vitam aut ad certum tempus aut usque ad nostrum beneplacitum aut alias etiam, penitus auctoritate apostolica revocamus, decernentes illas et litteras quaslibet apostolicas et rectorum ipsorum super ipsis concessas vel obtentas ulterius non valere, ac precipientes firmiter, ut tibi et rectoribus, qui post te in eisdem partibus pro tempore fuerint, de premissis proventibus, redditibus, iurisdictionibus, dominiis et iuribus — predictis concessionibus, donationibus, commissionibus et gratiis ac litteris nequaquam obstantibus — respondeatur totaliter et super omnibus hiis plenarie intendatur [2]. Nulli etc. nostre revocationis, constitutionis et precepti paginam infringere etc.

Dat. Asisii, VI Nonas Iulii, anno XI° [3].

217.

Innocentius IV papa fratri Walasco ordinis Minorum, poenitentiario suo, ad preces [Wenceslai] regis Bohemiae et P[rzemislai] ducis Austriae filii eius concedit facultatem, ut cum eodem P[rzemislao] et Margareta uxore eius de matrimonio contra canones contracto dispenset. — Eidem mandat, ut ad dispensationem non procedat, nisi rex et dux iuraverint se ecclesiae et W[illelmo] regi Romanorum astituros et ad requisitionem regis ab eo regalia recepturos esse. *1253, Iul. 5 et 6.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 1; Lib. XI, 2 et 3. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15047 et 15048.

a) idempnitati *R.*

1) *Loca illa ex sept. et occ. civ. Alatrinae Sublacum versus sita sunt.* 2) *A. 1253, Mai. 5— Iun. 10 papa multas epistolas destinaverat ad civitates et dominos Campaniae et Maritimae, ut Terracinensibus, quos [Brancaleo] senator et populus Urbis suae ditioni subicere intenderent, totis viribus assisterent; Potthast 14958—14960, 14964, 15005, 15011, 15012; epp. non reg.; cf. Reumont, Gesch. d. St. Rom t. II, p. 540. A. 1254, Iun. 13 cum Paulo Pirunto, nepote praenominati magistri Iordani, et Donnana nata Fraiapan. de Sarmineto de matrimonio contrahendo dispensavit; Lib. XI, 742.* 3) *A. 1253, Dec. 17 papa Guidonem de Pileo capellanum suum rectorem Sabiniae, a. 1254, Ian. 9 magistrum Raynerium de Viterbio capellanum suum, nepotem quondam R[aynerii] S. Mariae in Cosmidin diaconi cardinalis, rectorem patrimonii beati Petri in Tuscia constituit; Lib. XI, cur. 26 et 23; cf. 24.*

I.

Fratri Walasco ordinis fratrum Minorum, penitentiario nostro.

Devotione, quam carissimus in Christo filius noster .. rex Boemie illustris ad apostolicam sedem habere dinoscitur, promerente, ipsum et eius obtentu dilectum filium nobilem virum P. natum eius ducem Austrie, qui tamquam catholicus et devotus princeps paterna imitatur vestigia, prerogativa favoris prosequimur eorumque votis nos favorabiles exhibemus[1]. Cum igitur, sicut ex parte ipsorum fuit propositum coram nobis, idem dux nobilem mulierem Margaretam ducissam Austrie duxerit in uxorem[2]: nos, dictorum regis et ducis precibus benignum impertientes assensum, dispensandi cum predictis coniugibus, ut — quarta consanguinitatis[3] et tertia affinitatis[4] linea qua sibi adinvicem attinent nequaquam obstante — in huiusmodi matrimonio licite remanere valeant, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Asisii, III Nonas Iulii, anno XI°.

II.

Eidem.

Cum dilectus filius nobilis vir P. natus carissimi in Christo filii nostri .. regis Boemie illustris dux Austrie nobilem mulierem Margaritam ducissam Austrie duxerit in uxorem, nosque ad eorundem regis et ducis instantiam dispensandi cum predictis coniugibus, ut — quarta consanguinitatis et tercia affinitatis linea qua sibi adinvicem attinent nequaquam obstante — in huiusmodi matrimonio licite remanere valeant, plenam tibi concedamus[a] per alias nostras litteras facultatem: mandamus, quatinus ad dispensationem huiusmodi non procedas, nisi prius dicti rex et dux litteras suas patentes tibi dederint et firmaverint etiam iuramento, quod iidem ecclesie et carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri assistent fideliter et ad eius requisitionem prefatus rex Boemie per se, si poterit, alioquin per nuncios sollempnes, et dictus dux personaliter, quando comode poterunt, ipsius regis Romanorum adhibunt[b] presentiam, recepturi ab eo regalia eique homagium ligium prestituri[5].

Dat. Asisii, II Nonas Iulii, anno XI°.

218.

Innocentius IV papa Henrico duci Brabantiae indulget, ut nullus hominum terrae ipsius super bonis, quae obtineant in ea, extra eam per litteras apostolicas in causam evocari possit sine speciali mandato papae. *1253, Iul. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 3; Lib. XI, 21. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

a) concedimus *R.* b) *ita R.*

1) *Iul. 2 [Ulrico] episcopo Secowiensi ad preces ducis Austriae et Stiriae mandaverat, ut cum Cunrado cive Novae-Civitatis Pataviensis diocesis, officiali ducis, de matrimonio contra canones contracto dispensaret et prolem eius legitimaret; Lib. XI, 4; cf. etiam X, 740 [Potthast 15000] et 786.* 2) *A. 1252, Febr. 11.* 3) *Stemma: Margareta, Liupoldus VI, Liupoldus V et Helena — Geisa II rex Ungariae — Bela III, Constantia et Otacarus I, Wenceslaus, Przemislaus Otacarus II; ergo ex altera parte tertia, ex altera quarta consanguinitatis linea coniuncti erant.* 4) *Quia quondam Wladislaus frater Przemislai Gertrudam neptem Margaretae in matrimonium duxerat.* 5) *Cf. etiam Potthast 15076. Otacarus hoc iuramentum ad requisitionem Velasci in praesentia Conradi Frisingensis, Alberti Ratisponensis et Bertholdi Pataviensis episcoporum aliorumque praestitit apud Chrems a. 1253, Sept. 17; Erben, Reg. Boh. t. I, p. 618, n. 1445.*

Nobili viro Henrico duci Brabancie et Lothoringie[a].

Sincere devotionis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, nos inducit, ut tuis petitionibus, per quas tuorum subditorum occurritur gravaminibus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut nullus hominum clericorum aut laicorum terre tue super negociis seu bonis aliquibus, que obtinent in eadem, possint a quoquam sigillatim vel communiter extra terram tuam in causam trahi vel ad iudicium evocari per litteras sedis apostolice vel legatorum ipsius absque speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam et expressam, de hac indulgentia mentionem; presentibus post biennium etc.[b] Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Asisii, III Nonas Iulii, anno XI°[1].

.. decanus et .. thesaurarius ecclesie Lovaniensis Leodiensis diocesis dati sunt ei super hoc conservatores — non obstantibus[c] si aliquibus sit indultum vel concessum a sede predicta, quod interdici, suspendi vel excommunicari quodque extra suam diocesim per litteras apostolicas ad iudicium evocari non possint, nisi expressam fecerint de indulgentia huiusmodi mentionem, vel quavis alia indulgentia sedis eiusdem, per quam id impediri valeat vel differri.

Dat. ut supra[2].

219.

Innocentius IV papa magistro Alberto notario suo legato scribit de quibusdam condicionibus, in collatione regni Siciliae Carolo comiti Provinciae facienda apponendis, super quibus a consiliariis comitis difficultates ingerantur, licet comes ipse eis contentus sit.

1253, Iul. 11.

Inn. IV Reg. Vol. III, 129; Lib. XI, cur. 3. Exemplar Pertzii contulimus cum Regestis.

Magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato[3].

Cum, sicut ex litteris quas misisti nobis nuper accepimus, super quibusdam articulis, expressis in conditionibus apponendis in collatione regni Sicilie per te dilecto filio nobili viro Karulo comiti Provincie facienda, difficultates alique ab ipsius consiliariis ingerantur: licet idem comes eisdem conditionibus sit contentus, ad captandum[d] tamen eorum favorem, ut per hoc ad veniendum cum eo facilius inducantur, articulos ipsos per nos ad aliquorum consilium, ut tua continebat cedula, declarari postulat et restringi[e], non tamen ut fiat, set ut habeatur erga eosdem consiliarios excusatus. Quocirca mandamus, quatinus eidem comiti ad excusationem eorundem consiliariorum ex parte nostra promittas, quod nos super eisdem articulis faciemus, quecumque duo prelati et unus miles, quos idem comes nominaverit, nobis duxerint consulenda, ita tamen quod idem comes tibi primitus litteras suas patentes exhibeat, quod huiusmodi promissio sit irrita penitus et inanis dictoque comiti aliquod emolumentum non afferat nec nobis aut ecclesie Romane iacturam, nosque per eam non obligemur nec teneamur ad alia, nisi ad ea

a) *inscriptio in loco raso; in margine deest.* b) *scil.* minime valituris. c) obst; *R.* d) captandam *R.* e) restringit *R.*

1) *Iam a. 1253, Mart. 23 eidem duci pro clericis eius similem indulgentiam per triennium concesserat; Lib. X, 594.* 2) *Sept. 17 papa Godefrido de Hakendover capellano Willelmi regis propter merita eius et consideratione ducis Brabantiae, cuius clericus et nuntius esset, et ad preces dicti regis gratiam fecit; Lib. XI, 791. De eodem Godefrido cf. Lib. XI, 200 et 201; Potthast 15109, —.* 3) *Cf. n. 208.*

dumtaxat, que in directis tibi a nobis per dilectum filium magistrum Paganum capellanum nostrum, prepositum Sancti Salvatoris de Lavania, litteris continentur. Ceterum videtur nobis, quod idem comes post ipsius regni collationem et investituram per te sibi faciendam [1] se regem debeat nominare.

Dat. Asisii, V Idus Iulii, anno XI°.

220.

Innocentius IV papa fratri H[ugoni] tituli S. Sabinae presbytero cardinali legato mandat, ut Arnoldo archiepiscopo Trevernsi ecclesiae obsequioso concedat, ut proventus beneficiorum ecclesiasticorum, in diocesi sua usque ad triennium semel vacantium, per annum recipiat. — Eidem mandat, ut eidem Arnoldo concedat, ut beneficia ecclesiastica, quae ante promotionem suam habuerit, usque ad beneplacitum apostolicum retineat.

1253, Iul. 12.

Inn. IV Reg. Vol. III, 5—6; Lib. XI, 45 et 46. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15057 et 15056.

I.

Fratri H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Venerabilis frater noster Arnoldus Treverensis archiepiscopus concedi sibi a nobis suppliciter postulavit, ut proventus beneficiorum, personatuum et officiorum ecclesiasticorum, que in civitate ac diocesi Treverensi usque ad triennium semel vacare contigerit, per unum annum post vacationem ipsorum libere posset percipere, prout hactenus ibidem per aliquod tempus ex indulto nostro dicitur percepisse. Quia igitur, sicut accepimus, idem archiepiscopus tam nobis quam Romane ecclesie in negotio generali cum obsequendi promptitudine devotus existit [2], nos ipsum ex hoc intendentes in hiis et aliis, quantum cum Deo possumus, prosequi gratiose, mandamus, quatinus id sibi per te vel per alium auctoritate nostra sue devotionis merito suadente concedas; contradictores [etc.] [a] — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari etc. usque: mentionem.

Dat. Asisii, IIII Idus Iulii, anno XI°.

II.

Eidem.

Venerabilem fratrem nostrum Arnoldum Treverensem archiepiscopum ob sincere devotionis affectum, quem ad nos et Romanam ecclesiam in negotio generali habere dinoscitur, volentes speciali prerogativa gaudere, mandamus, quatinus eidem archiepiscopo, quod ecclesiastica beneficia et personatus, que ante promotionem suam obtinuit, prout hactenus ex indulto nostro dicitur habuisse [3], usque ad nostrum beneplacitum valeat retinere, per te vel per alium auctoritate nostra eiusdem archiepiscopi devotionis merito suadente concedas [4]; contradictores [etc.] [a] — non obstantibus [b] aliquibus litteris vel

---

a) etc *deest R.* b) obsts *R.*

1) *Facta non est. A. 1253, Sept. 27 papa ad preces comitis dispensavit cum prole, quam uxor eius gestaret in utero, de futuro matrimonio; de eadem re Alberto legato scripsit; Lib. XI, 202 et 203; —, Winkelmann, Acta t. I, p. 582, n. 736. A. 1253, Sept. 30 ad preces comitis dispensavit cum Guieto de Bazenna Autissiodorensis dioc. et Iohanna nata Oddonis domini Belli Ioci Bituricensis dioc. de matrimonio contrahendo; Lib. XI, 216 et 217. A. 1254, V (sic) Non. Ianuar. obtentu Odardi de Villariis senescalci Bellicadri gratiam fecit; Lib. XI, 822. Cf. infra sub Dec. 29.* 2) *Cf. n. 175.* 3) *Cf. t. II, p. 82, n. 117.* 4) *A. 1255, Iul. 28 Alexander IV archiepiscopo hanc gratiam usque ad beneplacitum suum prorogavit; Lib. I, 540.*

indulgentiis veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis, seu processibus habitis per easdem, aut si ab eadem sede aliquibus sit indultum, quod excommunicari etc. usque: mentionem.

Dat. ut supra [1].

221.

Innocentius IV papa ad preces [Henrici] marchionis Misnensis cum filio eius Theoderico et Agneta [?] nata marchionis Brandeburgensis dispensat, ut pro pace inter parentes reformanda matrimonialiter copulare se valeant. *1253, Iul. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 8; Lib. XI, 76. Exemplar, quod Riedel, Cod. dipl. Brandenb. 2. Hauptth. t. I, p. 41, n. 60 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15058.

Theoderico nato nobilis viri marchionis Misnensis.

Etsi coniunctio copule coniugalis in quarta consanguinitatis vel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta etc.[a] usque: persuadet. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nobilem puellam Agnetam [2] natam nobilis viri . . marchionis Brandeburgensis [3], cum qua iam contraxisti sponsalia, ducere pro pace inter parentes vestros reformanda desideres in uxorem, nos, dilecti filii nobilis viri . . marchionis Misnensis patris tui precibus inclinati, ut eandem puellam — non obstante quod quarto gradu consanguinitatis vobis adinvicem attinetis — matrimonialiter tibi copulare valeas, tecum auctoritate presentium dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Asisii, Idibus Iulii, anno XI° [4].

222.

Innocentius IV papa nominatis mercatoribus Senensibus obligationem argentariae cum burgo et castro de Monterio, quam R[aynerius] electus Vulteranus ipsis pro quodam mutuo fecerit, confirmat. *1253, Iul. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 6; Lib. XI, 58. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Bonefatio Bonsignoris et Barthalomeo[b] Christophori civibus et mercatoribus Senensibus eorumque sociis [5].

Cum, sicut ex parte dilecti filii R. Wlterani electi fuit propositum coram nobis, ipse pro exoneratione debitorum, quibus ex pluribus causis episcopatus Wlteranus gra-

---

a) *ut t. II, p. XVIII, n. 3, mutatis ultimis verbis:* cum urgens necessitas exigit vel evidens utilitas, maxime publica, persuadet; *cf. t. II, p. 52, n. 71.* b) *ita R.*

1) *Eodem die scripsit Arnoldo archiepiscopo in favorem Roberti canonici Treverensis consanguinei Symonis praepositi Treverensis; Lib. XI, 47. — Aug. 20 papa Iohannem abbatem Tuicensem institutum ab archiepiscopo Coloniensi et Alberto lectore fratrum Praedicatorum Coloniensium auctoritate Hugonis cardinalis legati confirmavit; Lib. XI, 148. A. 1254, Mart. 25 archiepiscopi Coloniensis et [Theoderici V] comitis Clevensis devoti ecclesiae precibus annuit; Lib. XI, 835, Finke, Westf. U. B. t. V, p. 244, n. 533.* 2) *Error; nam in ep. n. 199 legimus Theodericum sponsalia contraxisse cum unica filia marchionis, quae erat Helena quamque in matrimonium duxit; Chron. princ. Saxoniae, SS. t. XXV, p. 479, lin. 25. Praeterea Alexander IV a. 1255, Febr. 17 confessus est Innocentium 'in propriis nominibus' errasse, sed ipse non minus erravit; v. infra.* 3) *Iohannis, cf. n. 199.* 4) *In ep. a. 1253, Aug. 15 legimus marchioni Misnensi usque ad decennium indultum esse, ut in eum excommunicationis et interdicti sententiae promulgari non possent; Potthast 15090; non reg.; cf. etiam Lib. XI, 75.* 5) *Cf. n. 190 et 213 et Lib. XI, 41.*

viter premebatur, a nobis obtenta licentia sex milia marcarum argenti prius ac postmodum, cum id ad exonerationem huiusmodi nequaquam sufficeret, sex milia sexcentas libras Pisanorum parvorum a vobis recipiens, argentariam cum burgo et castro de Monterio vobis propter[a] hoc, donec de pecunia ipsa vobis satisfactum fuerit, obligarit, prout in instrumentis publicis exinde confectis dicitur plenius contineri: nos, quod ab eodem electo in hac parte factum est ratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Asisii, XV Kalendas Augusti, anno XI°[b].

223.

Innocentius IV papa Castellano aliisque eiusdem regionis episcopis et praelatis mandat, ut Huguitioni Marchioni capellano suo, quem Massae Trabariae rectorem praefecerit et plenae legationis officio ornaverit, humiliter intendant. — Huguitioni legato concedit, ut eandem iurisdictionem exerceat atque quondam Iaquintus aliique legati.

1253, Iul. 21 et 14.

Inn. IV Reg. Vol. III, 12; Lib. XI, 117 et 118. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke. Epistolam I contulimus cum ep. Gregorii IX a. 1240, Ian. 14 pro Iaquinto destinata, t. I, p. 676, n. 777 [1].

I.

.. Castellano, .. Urbinati, .. Ariminensi, .. Feretrano, .. Bobiensi, .. Cesanati[c1], .. Foropopuliensi, .. Liviensi[2], .. Faventino, .. Imolensi[3], .. Cerviensi, .. Clomaclensi[d] episcopis et dilectis filiis .. Ravennati[4] et Aretino electis nec non abbatibus, prioribus, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis per civitates ipsas et earum dioceses constitutis.

Cum de statu et tranquillitate dilectorum fidelium nostrorum de[e] Massa Trabaria[5] paterna sollicitudine cogitantes dilectum filium Huguitionem Marchionem capellanum nostrum[6], virum providum et discretum, nobis et fratribus nostris ob sue merita probitatis acceptum, commisso sibi plene legationis officio[7] eis prefecerimus[f] in rectorem: universitatem vestram rogandam duximus attentius et monendam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipientes ylariter et honeste[g] tractantes, eidem tamquam legato vestro humiliter intendatis, ita quod ipse propter hoc ad dilectionem vestram fortius[h] obligetur et nos devotionem vestram debeamus exinde merito commendare. Alioquin sententiam etc. usque: observari.

Dat. Asisii, XII Kalendas Augusti, anno XI°[8].

---

a) p̄t *R.* b) Dat. ut supra *R.* c) *leg.* Cesenati. d) *leg.* Comaclensi. e) da *R.* f) providerimus *1.* g) honoste *R.* h) artius *1.*

1) *Cf. Potthast 14522.* 2) *Cf. Lib. XI, 465.* 3) *Cf. Potthast 14516.* 4) *Hic ergo tum legatus non erat; cf. p. 149, not. 4. A. 1253, Sept. 4 eidem commisit, ut ad sopiendas inimicitias inter electum Populiensem et Raynerium, Guidonem et Nicolaum de Calbulo fratres [cf. t. II, p. 39, n. 51] ex parte una et comites Castricarii ex altera ab antiquo habitas de quodam matrimonio contrahendo dispensaret; Lib. XI, 163.* 5) *Cf. t. II, p. 286, n. 391.* 6) *Cf. t. II, p. 222, n. 298.* 7) *Scil. in Massa Trabaria et Romaniola, sicut iam nomina eorum, quibus epistola directa est, indicant. Insuper Huguitio a. 1253, Aug. 22 'Massae Trabariae et Romaniolae apost. se. legatus' vocatur; Lib. XI, 805.* 8) *A. 1254, Ian. 23 eidem concessit, ut extra fines legationis suae existens, legationis officium exerceret; Lib. XI, 444; Potthast 15204.*

II.

Huguitioni Marchioni capellano nostro, apostolice sedis legato in Massa Trabaria.

Cum tibi legationis officium in Massa Trabaria duxerimus committendum, tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue exercendi libere iurisdictionem, quam bone memorie Iaquintus capellanus apostolice sedis et alii, qui fuere pro tempore in eadem Massa ipsius sedis legati, ibidem et alibi item[a] huius legationis habuisse et exercuisse noscuntur in temporalibus et spiritualibus, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Asisii, II Idus Iulii, anno XI°.

224.

Innocentius IV papa Henrico episcopo Argentinensi indulget, ut proventus beneficiorum ecclesiasticorum, a tempore ipsi hucusque concesso per biennium vacaturorum, per annum recipere possit. *1253, Aug. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 9; Lib. XI, 91. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Henrigo[b] episcopo Argentinensi.

Sicut petitio tua nobis exposita continebat, tibi pro exoneratione debitorum, que contraxisti pro prosecutione negocii ecclesie generalis[1], per nostras litteras duximus concedendum, ut possis per biennium percipere proventus prelaturarum et beneficiorum in civitate ac diocesi Argentinensibus[c] vacaturorum usque ad certum tempus. Quia vero promerentur tue devotionis merita, ut te prosequamur benivolentia gratiosa: ut finito tempore in huiusmodi litteris comprehenso possis percipere proventus primi anni prelaturarum et beneficiorum vacaturorum infra biennium in eisdem civitate ac diocesi, convertendos in solutione huiusmodi debitorum, tibi auctoritate presentium indulgemus — non obstantibus aliquibus indulgentiis quibuscumque personis ab apostolica sede concessis, de quibus oporteat in nostris litteris plenam aut expressam vel de verbo ad verbum mentionem fieri et per quas effectus presentium impediri valeat vel differri —: proviso quod in prelaturis et beneficiis huiusmodi interim per ydoneos vicarios serviatur. Nolumus autem, quod ad monasteria concessio huiusmodi extendatur. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Asisii, III Idus Augusti, anno XI° [2].

---

a) *ita R.; an* auctoritate? b) *ita in rubro; margo deest.* c) Argentineñ *R.; infra* in eisdem civ. ac dioc. *legitur; sed singularis saepius reperitur.*

1) *A. 1254, Mart. 13 papa praeposito, decano et capitulo Argentinensibus, cum viriliter et triumphaliter inimicis ecclesiae restitissent, ad eorum et episcopi Argent. preces concessit, ut cum ecclesia eorum pastore vacatura esset, sibi de persona idonea per electionem vel postulationem providere possent; Lib. XI, 517. Cf. n. 226.* 2) *A. 1256, Iul. 11 Alexander IV episcopo Argentinensi, cum elapsum esset tempus huius indulgentiae ab Innocentio concessae, eandem gratiam prorogavit usque ad duos annos, 'a die quo litteras has receperis computandos'; Lib. II, 336.*

225.

Innocentius IV papa Iohanni episcopo Sabinensi [Sambiensi] mandat, ut redemptiones votorum crucesignatorum in subsidium Terrae Sanctae et ad hoc legata seu relicta per regnum Alamanniae colligat et sub diligenti custodia conservet. 1253, Aug. 13.

Inn. IV Reg. Vol. III, 9; Lib. XI, 90. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Iohanni episcopo Sabinensi[1].

Gerentes de tue sinceritatis et devotionis constantia fiduciam in Domino pleniorem, mandamus, quatinus redemptiones et obventiones[a] ex quacumque causa provenientes votorum crucesignatorum in subsidium Terre Sancte, qui sunt pauperes et inhabiles ad transeundum, nec non ad hoc legata seu relicta vel alio modo concessa per regnum Alamanie per te ipsum et alios ad hoc ydoneos colligas fideliter et colligi facias, illa usque ad nostrum beneplacitum sub custodia diligenti conservans, absolutis a voto crucis per te seu per illos, quos ad id duxeris deputandos, redimentibus taliter vota sua et concessa eis illa peccatorum venia, que transeuntibus in Terre Sancte subsidium vel ei subvenientibus in generali concilio est indulta, — non obstantibus privilegiis aut indulgentiis seu quibuslibet aliis litteris a sede apostolica vel eius legatis obtentis aut etiam obtinendis, per que huiusmodi collectio impediri valeat vel differri et de quibus specialem aut expressam in litteris nostris oporteat fieri mentionem —; contradictores —. Quicquid autem super hoc duxeris faciendum, nobis fideliter rescribere non postponas[2].

Dat. Asisii, Idibus Augusti, anno XI°.

226.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Argentinensi mandat, ut cum Eberhardus de Landesberc pro defensione libertatis ecclesiasticae decertans a fautoribus quondam Fr[iderici II] captus et diu detentus sit, Lemprido clerico filio eius de beneficio ecclesiastico provideat. 1253, Aug. 19.

Inn. IV Reg. Vol. III, 113; Lib. XI, 786. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

.. episcopo Argentinensi.

Grata devotorum obsequia gratuita sunt retributione non immerito compensanda, ut illorum remunerata devotio illarescat[b] et alii exemplo laudabili animentur ad fideliter obsequendum. Cum igitur, ut accepimus, dilectus filius nobilis vir Eberhardus dominus de Landesbert[3] pro defensione ecclesiastice libertatis et fidei puritate decertans ab ecclesie indevotis, fautoribus condam Fr. se pro imperatore gerentis, captus fuerit et

a) *ita t. II, p. 532, n. 719 et semper in talibus mandatis; cf. t. II, p. 601 sub 'Terra Sancta' et Potthast 15272;* obligationes *R.* b) *i. e.* hilarescat.

1) *Sine dubio Iohanni episcopo Sambiensi, cui ad verbum idem mandatum t. II, p. 532, n. 719 et a. 1254, Mart. 11 [Lib. XI, 521; Potthast 15272] commissum est. Neque scimus, num episcopus Sabinensis tum extiterit; cf. infra sub a. 1253, Dec. 22.* 2) *Per alteram epistolam papam eidem mandasse, ut pecuniam Willelmo regi assignaret, pro certo tenemus; cf. t. II, p. 532, n. 719 et 721; cf. etiam supra n. 198 I et III. — A. 1253, Aug. 17 papa obtentu Willelmi regis filio [Arnoldi] domini de Wesemale [ex sept. et or. civ. Löwen; cf. Böhmer-Ficker 5066, 5074, 5076, 5100] gratiam fecit; Lib. XI, 784; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 243, n. 531; cf. etiam Lib. XI, 781 et 817; Potthast 15094 [Finke n. 530] et 15169.* 3) *Ex sept. et occ. civ. Barr.*

diu carcerali angustia maceratus, alias dampna gravia passus: nos, ob hoc et tuo supplici interventu dilectum filium Lempridum clericum natum eiusdem nobilis, nullum ut dicitur ecclesiasticum beneficium obtinentem, volentes prosequi gratiose, mandamus, quatinus eidem L. de aliquo beneficio ecclesiastico competenti ad collationem abbatisse ac conventus de Hohemburc[1] ordinis sancti Augustini tue diocesis spectante ac solito clericis secularibus assignari, quod idem L. duxerit acceptandum, etiam si curam habeat animarum, et vacat ad presens, vel quam primum ad id obtulerit se facultas, auctoritate nostra procures per te vel alium providere — non obstantibus[a] si predictis abbatisse et conventui direximus scripta nostra pro aliis, quibus per hoc nolumus preiudicium generari, aut si alias scripsimus pro eodem, vel si eisdem abbatisse et conventui a sede apostolica sit indultum, quod ad cuiusquam provisionem compelli seu excommunicari, suspendi vel interdici vel quod de beneficiis ad eorum collationem spectantibus alicui provideri per litteras dicte sedis non possit, que de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, seu defectu, quem idem L. pati dicitur ordinum et etatis —; contradictores —.

Dat. Asisii, XIIII Kalendas Septembris, anno XI°[2].

227.

Innocentius IV papa capitulo Herbipolensi concedit, ut si ecclesiam Herbipolensem vacare contigerit, ad electionem seu postulationem episcopi procedere valeat.

1253, Aug. 29.

Inn. IV Reg. Vol. III, 17; Lib. XI, 150. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

.. preposito, .. decano et capitulo Herbipolensibus.

Exigentibus vestre devotionis meritis votis vestris libenter annuimus et petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Vestris itaque supplicationibus benignum impertientes assensum, presentium vobis auctoritate concedimus, ut si ecclesiam vestram vacare contigerit, ad electionem seu postulationem episcopi procedere libere valeatis — non obstantibus aliquibus reservationibus vel inhibitionibus litterarum nostrarum generalium seu etiam specialium auctoritate factis vel medio tempore faciendis, etiam si in ipsis dicatur litteris, quod earum impetratoribus aliqua sedis apostolice indulgentia non obsistat, que de eis plenam et expressam non fecerit mentionem. Nos enim sententias, si que predictarum litterarum auctoritate late sunt vel medio tempore fieri contigerit, penitus relaxamus[3]. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Asisii, IIII Kalendas Septembris, anno XI°.

.. abbas Sancti Stephani Herbipolensis datus est eis super hoc conservator; — non obstante si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut trahi ad iudicium extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum.

a) obst, *R.*

1) *Odilienberg ibid.* 2) *A. 1253, Iul. 25 et 24 papa eidem episcopo scripserat in favorem Conradi subdiaconi, nati eiusdem Eberardi; Sept. 4 ad preces L[udowici] comitis de Vroburc Eglolfo clerico nato Guniterii domini de Landesberc gratiam fecit; Lib. XI, 819—821. A. 1254, Aug. 23 Egelolfo clerico nato Gunteri domini de Landesberc quaedam indulgens narravit eius pat[rem] B. [error ut videtur pro 'G.'], circa promotionem negotii ecclesiae generalis obsequiosum se exhibentem, pro redemptione C[onradi] nati sui et quorundam aliorum suorum militum, a persecutoribus ecclesiae captorum in bello et per biennium et amplius carcerali custodiae mancipatorum, coactum esse solvere non modicam quantitatem pecuniae; Lib. XII, 164. Eberhardus et Gunterus fratres erant; cf. Strassb. U. B. t. I, p. 268, n. 353.* 3) *Cf. n. 141.*

228.

Innocentius IV papa abbati S. Drutperti mandat, ut omnes, qui a monasterio Augiensi officia vel obedientias obtineant, compellat, ut eidem monasterio per guerras et debita depresso subsidium competens impendant. *1253, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 17; Lib. XI, 149. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis et cum authentico, quod edidit Wartmann, l. c. [A.]

Wartmann, U. B. d. Abt. S. Gallen t. III, p. 705, n. 25.

. . abbati Sancti Druperti[1] Constantiensis diocesis.

Attendentes quod membra compatiuntur capiti patienti, dignum reputamus et congruum, ut subditi superioribus suis subveniant in necessitatis articulo constitutis. Cum igitur, sicut dilectus filius . . abbas monasterii Augensis[2] ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis nobis exposuit, preter[a] guerrarum discrimina idem monasterium gravi prematur onere debitorum, nos, ei paterno ut convenit compatientes affectu, mandamus[b], quatinus omnes, qui eiusdem monasterii officia vel obedientias obtinent, quod ei ad exonerationem debitorum huiusmodi subsidium competens, moderatum tamen, de facultatibus suis impendant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas — non obstante si eis vel eorum aliquibus etc. ut supra[c].

Dat. Asisii, IIII Nonas Septembris, anno XI°[3].

229.

Innocentius IV papa Friderico plebano de Vico capellano suo mandat, ut [Tisoni] Feltrensi et Bellunensi electo etiam pro anno futuro ab episcopis Lombardiae, Romani[ol]ae et Gradensis provinciae usque ad mille libras Bononienses provideri faciat, non obstante quod eidem Concordiensis ecclesia commendata sit. *1253, Sept. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 19; Lib. XI, 164. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Frederico plebano de Vico, capellano nostro.

Dudum tibi nostris sub certa forma dedisse meminimus litteris in mandatis, ut dilecto filio . . Feltrensi et Bellunensi electo[4] usque ad summam M librarum Bononiensium a venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis Lombardie, Romanie[d] ac Gradensis provincie faceres provideri; quod fuisti sicut accepimus cum diligentia executus, eisdem archiepiscopis et episcopis prefato electo liberaliter aperien-

a) propter *A.* b) discretioni tue per apostolica scripta mandamus *A.* c) *in Lib. XI, 148 legitur:* aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, a sede apostolica sit indultum; *in A. desunt verba:* de partibus illis. d) *ita R.; i. e.* Romaniole.

1) *In Nigra Silva, ex sept. montis Belchen.* 2) *Conradus.* 3) *Sept. 7 abbati et conventui Augiensibus propter miserabilem incendii casum idem monasterium totaliter consumentis et propter guerrarum discrimina concessit, ut proventus beneficiorum ad collationem ipsorum spectantium, quae usque ad triennium vacare contingeret, in usus proprios per unum annum convertere possent; conservator abbas de Alchingen; Lib. XI, 153; Potthast 15119a; cf. etiam Berger 5075. Aug. 13 abbati Augiensi mandaverat, ut circa correctionem excessuum monachorum suorum officii sui debitum exequeretur; Potthast 15088a; non reg.* 4) *Tiso filius Biaquini de Camino erat; t. II, p. 206, n. 273. Eum iam olim ab ecclesia sua exulare coactum esse commemorat papa a. 1252, Sept. 20; Lib. X, 125.*

tibus viscera caritatis, super quo sibi auxerunt nomen apud homines et meritum apud Deum. Volentes autem eidem electo in hac parte facere gratiam ampliorem, mandamus, quatinus eidem pro anno futuro ab eisdem archiepiscopis et episcopis usque ad prefatam summam provideri facias auctoritate nostra iuxta priorum continentiam litterarum — non obstante quod postmodum ipsi electo Concordiensem ecclesiam spiritualiter et temporaliter duximus commendandam[1], cum nondum sit plenam ipsius possessionem adeptus[2].

Dat. Asisii, V Idus Septembris, anno XI°.

230.

Innocentius IV papa monasterio Casaenovae Pennensis diocesis concedit, ut ei ex quodam contractu, quem cum Iohanne dicto Moro camerario Conradi filii quondam F[riderici II] fecerit, cum omnia bona monasterii in potestate dicti Conradi sint, praeiudicium non generetur. *1253, Sept. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 22; Lib. XI, 176. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati et conventui monasterii Casenove Cisterciensis ordinis Pennensis diocesis.

Petitio vestra nobis exhibita[a] continebat, quod cum Iohannes dictus Morus camerarius et fautor manifestus Conradi nati condam F. olim imperatoris monasterium vestrum super quadam grangia vestra, que Luceria dicitur, graviter molestaret, paratus et minans vos illa incontinenti destitui facere, nisi eam per contractum sub annuo[b] redditu reciperetis ab eo, vos per metum et potentiam dicti camerarii, quibus non poteratis resistere, utpote qui omnia bona vestra sub potestate dicti Conradi habetis[3], coacti estis ab ipso Iohanne grangiam predictam sub certo recipere redditu eidem annis singulis persolvendo. Quia vero ea, que huiusmodi vi metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis, nos, vestris supplicationibus inclinati, volentes indempnitati dicti monasterii paterna sollicitudine precavere, contractum super eadem grangia inter vos et predictum Iohannem habitum et quicquid ex eo taliter factum est vel fiet decernentes auctoritate apostolica carere robore firmitatis, vobis concedimus, ut per contractum ipsum nullum in posterum ipsi monasterio preiudicium generetur. Nulli etc.

Dat. Asisii, XIII Kalendas Octobris, anno XI°.

231.

Innocentius IV papa scolastico Leodiensi mandat, ut [Gerhardum] archiepiscopum Maguntinum ad sedem apostolicam peremptorie citet, cum Iacobum decanum S. Iohannis

a) ex *R.* b) anno *R.*

1) *Eidem ecclesiae a. 1251, Ian. 5 magistrum Guillelmum decanum Aquilegiensem praefecerat; ad eam Wernerum quondam electum Cenetensem translatum esse narrat a. 1252, Iun. 12; eam a. 1252, Oct. 25 Tisoni commisit, qui ei per amicorum favorem et potentiam cognatorum proficere posset; Berger 5118; Lib. IX, 312; Lib. X, 202.* 2) *A. 1253, Apr. 11 abbati S. Georgii Maioris de Venetiis scripsit usque nunc Bartholomaeum dictum Sarracenum, qui pro electo Concordiensi se gereret, impedivisse, quominus Tiso possessionem pacificam ecclesiae Concordiensis haberet, nuper autem eundem Bartholomaeum sponte resignasse; mandavit, ut Tisoni obedientia et a vassallis fidelitas exhiberetur; Lib. X, 620.* 3) *Cf. Böhmer-Ficker 4598, 4618, 4619; de civitate Atriae cf. p. 181, not. 4.*

Leodiensis de debitis, quae idem pro quondam [Sigefrido III] archiepiscopo Maguntino apud sedem apostolicam et apud Leodium contraxisset, non servaverit indempnem.
1253, Sept. 27.

Inn. IV Reg. Vol. III, 26; Lib. XI, 211. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

.. scolastico ecclesie Leodiensis.

Olim conquerente nobis dilecto filio Iacobo decano ecclesie sancti Iohannis Leodiensis, capellano dilecti filii nostri P[etri] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, quod venerabilis frater noster .. Maguntinus archiepiscopus ipsum super debitis, que pro bone memorie .. archiepiscopo Maguntino predecessore suo, eius et ecclesie Maguntine negocia apud sedem apostolicam procurando [1], et apud Leodium, ipso archiepiscopo in obsidione Aquensi morante [2], pro ipso contraxerat, non servabat indempnem et prefato decano de obsequiis ab eodem impensis ipsi archiepiscopo satisfacere non curabat: nos primum eidem archiepiscopo sub certa forma direximus scripta nostra, et demum ipso archiepiscopo nostris [a] et venerabilis fratris nostri .. Mantuani episcopi, tunc prepositi Parmensis et capellani nostri [3], qui super hiis eundem archiepiscopum de mandato nostro monuerat, parere in hac parte monitionibus non curante, predicto decano bone memorie P[etrum] Sabinensem episcopum, tunc tituli Sancti Marcelli presbyterum cardinalem, concessimus auditorem [4]. Et licet idem cardinalis dicto archiepiscopo suas direxerit litteras, continentes ut prefato decano satisfaceret de premissis, alioquin infra duorum mensium spacium, quod terminum peremptorium assignavit eidem, procuratorem idoneum propter hoc ad sedem apostolicam destinaret: idem tamen archiepiscopus neutrum horum efficere procuravit, sicut eiusdem decani petitio nobis exhibita continebat. Nos quoque dictum archiepiscopum super hoc sub forma citari fecimus consueta. Verum quia huiusmodi citatio propter quedam impedimenta sicut accepimus non processit, mandamus, quatinus eundem Maguntinum archiepiscopum auctoritate nostra peremptorie per te vel alium citare procures, ut infra quatuor menses post tuam citationem per se vel per procuratorem idoneum et ad totam causam sufficienter instructum compareat coram nobis, facturus et recepturus quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis etc.[b] usque: intimare

Dat. Asisii, V Kalendas Octobris, anno XI°.

232.

Innocentius IV papa [Egenoni] episcopo Tridentino mandat, ut ecclesiae Gurcensi vacanti personam idoneam praeficiat episcopum. *1253, Oct. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 27; Lib. XI, 234. Damus Pertzii exemplar.

.. episcopo Tridentino.

Cum intellexerimus Gurcensem ecclesiam pastore vacare, nos, volentes eidem ecclesie de potestatis nostre plenitudine providere ac de tua prudentia plenam in Domino

a) n..s *R.* b) *ut in t. II, p. 54, n. 74.*

1) *Iacobum papa a. 1247, Iun. 20 et Oct. 16 procuratorem archiepiscopi Maguntini vocaverat ap. Berger 2833 et 3360; de eodem cf. 3196, 3197, 3372, 3539, 3546, 3570. Cf. etiam t. II, p. 338, n. 475.* 2) *A. 1248, Iun. 1 ibi chartam dedit; Böhmer-Ficker 4919; Böhmer-Will, Reg. archiep. Mog. t. II, p. 300, n. 631.* 3) *Cf. n. 196.* 4) *Accidit inter a. 1251, Iul., quo tempore Gerhardus archiepiscopus factus est [cf. p. 83, not. 2], et a. 1252, Febr., quousque Petrus tit. S. Marcelli presbyter cardinalis vocabatur; Potthast 14496. Idem a. 1252, Mart. 5 episcopus Sabinensis erat; Potthast 14523.*

fiduciam obtinentes, mandamus, quatinus, si est ita, eidem ecclesie personam idoneam auctoritate nostra preficias in episcopum et pastorem, faciens sibi ab ipsius subditis exhiberi obedientiam et reverentiam debitam ac de iuribus episcopalibus integre responderi; contradictores [etc.][a] — non obstantibus[b] si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Nos insuper decernimus irritum et inane, si secus a quoquam de ipsa ecclesia contigerit attemptari[1].

Dat. Lateran., II Idus Octobris, anno XI°[2].

233.

Innocentius IV papa abbati S. Trinitatis Militensis et priori S. Stephani de Bosco Squillacensis et Aegidio canonico Militensi mandat, ut electionem olim in ecclesia Squillacensi de Benevenuto nepote quondam Riccardi camerarii quondam Fr[iderici II] per potentiam saecularem celebratam et a capitulo Regino confirmatam cassent et capitulo Squillacensi inhibeant, ne episcopum eligat. *1253, Oct. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. III. 54; Lib. XI, 429. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati Sancte Trinitatis Militensis et .. priori Sancti Stephani de Bosco Squillacensis et Egidio canonico Militensi.

Relatu fide digno percepimus, quod condam Riccardus camerarius condam Fr. imperatoris Benevenutum clericum nepotem ipsius R., tunc annum vicesimum minime attingentem nec in sacris ordinibus constitutum, non absque seculari potentia per capitulum Squillacensis ecclesie in episcopum Squillacensem eligi[3] et postmodum per capitulum ecclesie Regine, ipsius ecclesie Squillacensis metropolitane, ipsa vacante[4], huiusmodi electionem de facto procuravit perperam confirmari, ac deinde dictus Benevenutus calices, cruces, thuribula argentea, pannos sericos et ornamenta ipsius ecclesie Squillacensis nequiter distrahens ac bona eiusdem dilapidans enormiter et consumens, predicto Fr. post latam in eum depositionis sententiam tamquam imperatori favorem prestitit, et contra interdictum a nobis in regnum Sicilie promulgatum[5] per presbyteros et clericos civitatis et diocesis Squillacensis divina celebrari demandat, sub laicali habitu dampnabiliter innitendo[c] administrationi spiritualium et temporalium ipsius ecclesie in anime sue periculum ac plurimorum devotorum ecclesie preiudicium et scandalum et ecclesiastice discipline contemptum. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, processum super dictis electione et confirmatione taliter habitum auctoritate nostra cassantes,

a) etc. *deest R.* b) obst' *R.* c) imitendo *R.*

1) *Ad a. 1253 Ann. S. Rudberti Salisb., SS. t. IX, p. 792, referunt: Philippum electum Salisburgensem quendam ex confratribus Gurcensis ecclesiae episcopatui Gurcensi praefecisse. — A. 1256, Febr. 17 Alexander IV electo Turonensi [leg. Gurcensi], cum ab electo Salzeburgensi metropolitano suo, a temporalibus et spiritualibus suspenso, consecrari non posset, concessit, ut a quocunque mallet archiepiscopo vel episcopo consecrationis munus impendi sibi faceret; Lib. II, 125.* 2) *Oct. 12 vel paulo ante papa Romam primo intraverat, postquam ab a. 1244 absens fuit; cf. Potthast inter 15151 et 15152. Eodem tempore Conradus tractatum de pace cum eo reformanda renovaverat; Böhmer-Ficker 4607 et sequ.* 3) *A. 1251, Dec. 23 papa episcopo Sorano mandaverat, ut cum capitulum Squillacense Benevenutum canonicum Reginum canonice in episcopum postulasset, postulationem, si de persona idonea celebrata esset, admitteret; Lib. IX, 77; Potthast 14446.* 4) *A. 1252, Apr. 22 Vernacius electus Reginus primo occurrit; cf. p. 123, lin. 27.* 5) *Cf. p. 182, not. 5.*

ipsum ac electionem et confirmationem easdem irritas denuncietis et prefatis capitulo Squillacensi nichilominus inhibeatis expresse, ne aliquem in suum episcopum eligant absque mandato sedis apostolice speciali, in contradictores et rebelles excommunicationis sententiam appellatione postposita promulgando. Nos enim nichilominus irritum et inane decernimus, si quid contra inhibitionem huiusmodi super hoc fuerit attemptatum. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran., Idibus Octobris, anno XI° [1].

234.

Innocentius IV papa praelatis, capitulis, conventibus et patronis ecclesiarum significat se statuere, ut praebendas, beneficia et redditus, quae obtineantur a quibuscumque oriundis extra regna, in quibus habeantur, ex nunc personis idoneis conferre valeant, ita tamen, ut illi, qui nunc ipsa obtineant, ea, quousque cesserint vel decesserint, pleno iure habeant.

1253, Nov. 3.

Inn. IV Reg. Vol. III, 30; Lib. XI, 249. Exemplar, quod Bull. Roman. ed. Taurin. t. III, p. 217, edidit, contulimus cum Regestis et cum authentico, quod apud Matthaeum Paris. ed. Luard, Addit. t. VI, p. 260, n. 131, legitur [A.].

Potthast, Reg. 15162.

Archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis eorumque capitulis et conventibus seu collegiis, tam exemptis quam non exemptis, ac patronis, clericis seu laycis, presentes litteras inspecturis.

Postquam regimini generalis ecclesie nos licet immeritos divina pietas voluit presidere, cordi semper habuimus, quod honestatem et ordinem in omnibus servaremus ac in provisionibus faciendis haberemus illius providentie modum, per quem ecclesiis et monasteriis sive aliis piis locis honor et comodum proveniret. Quod autem quandoque contrarium accidisse dinoscitur, tum propter malitiam temporum tum propter improbitatem nimiam petitorum, sepe nobis dolorem intulit et cordi nostro suspiria cumulavit, maxime cum post multa diffugia et excogitate resistentie studium provisiones quasdam prorsus inviti fecerimus, quas potuisse vitare pro magno et solempni gaudio duceremus. Cum itaque dudum fuerimus mente vigiles, ut super hiis adhibere possemus remedium oportunum, nos pro quiete mentis nostre ac pro ecclesiarum, monasteriorum et locorum predictorum salute duximus statuendum, quod singuli vestrum canonias et prebendas ac beneficia seu personatus et dignitates, cum cura vel sine cura, redditus ac etiam pensiones, ad collationem aut electionem seu presentationem vestram spectantia, que obtinentur a quibuscumque oriundis extra regna, in quibus habentur canonicatus et prebende ac alia supradicta, sive apud sedem apostolicam maneant sive alibi commorentur, ex nunc personis idoneis [2] Deum habendo pre oculis conferre vel

1) *A. 1254, Oct. 6 papa Gregorio Siracusano et Philippo Pactensi episcopis mandavit, ut eundem Benevenutum, qui per favorem Friderici II se intrudi procurasset, etiamsi longo tempore ecclesiam Squillacensem detinuisset, ab ea amoverent eique T[homam] episcopum Marturanum praeficerent; Lib. XII, 253. Thomae, olim abbati S. Stephani de Bosco Squillacensis dioc. [cf. Potthast 14890], papa a. 1254, Aug. 13 mandaverat, ut ad ecclesiam Marturanam accederet; Lib. XII, 113.* 2) *I. e. non alienigenis.*

eas ad illa eligere ac electas[a] confirmare seu presentare et presentatas admittere, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, valeatis. Et ex tunc persone ipse in eisdem canoniis et prebendis ac beneficiis seu dignitatibus et personatibus, redditibus et pensionibus plenum ius et inconcussum obtineant. Nec tamen de hiis, priusquam vacent, se aliquatenus intromittant, sed ea ipso iure, quam citius vacaverint, assequantur et ipsa intrandi ac retinendi nullius requisito consensu liberam habeant facultatem, ita tamen quod illi, qui nunc ipsa obtinent, ea, quousque cesserint vel decesserint, pleno iure pacifice habeant et quiete ac nullum omnino super hiis pretextu statuti eiusdem preiudicium patiantur. Volumus tamen, quod si sub expectatione prebendarum in ecclesiis, in quibus provisum fuerit dictis personis, prius aliqui sint recepti, vel si super provisione sua in eis litteras apostolicas impetrarunt, sicut in receptione vel impetratione, sic in prebendarum assecutione personis preferantur eisdem[1]. Si vero aliqua personarum ipsarum, cui obtentu eiusdem statuti provisum fuerit vel ei per vos iuxta modum inferius annotatum contigerit de vestra liberali gratia provideri, cedat interim vel decedat, licitum sit vobis tam[b] cito loco sui aliam ydoneam subrogare ac successive hoc facere in cuiusvis earundem cessione vel obitu personarum. Sub divini tamen iudicii obtestatione precipimus, quod persone ipse contra possessores dictorum canonicatuum et beneficiorum ac prebendarum seu personatuum et dignitatum, reddituum seu pensionum nullas insidias aut fraudem vel molestias sive quodcumque aliud inconveniens machinentur; alias autem hoc ipso[c] cadant ab omni iure eis super provisione huiusmodi acquisito, cum dignum sit, quod sicut gratia pro virtute tribuitur, ita pena pro vitio compensetur. Pro maliciis etiam[d] cohibendis, que huius forsitan occasione statuti oriri possent in mentibus perversorum, volumus, ut si aliquem, cui subrogatio ex beneficio eiusdem statuti facta fuerit, quod absit, perimi contigerit quoquomodo, taliter subrogatus possessionem sue provisionis non habeat nec aliquatenus apprehendat, nisi prius apostolicas vel ordinarii et aliquorum religiosorum virorum Deum timentium patentes litteras obtinuerit, quod de morte sic occisi suspectus nullatenus habeatur. Ceterum, quia personis eisdem in grave posset redundare tedium, quod vacationem canonicatuum et prebendarum ac aliorum predictorum per longa tempora expectarent, ad hec vestra desudet intentio, ut de canoniis et prebendis ac beneficiis seu personatibus et dignitatibus, redditibus et pensionibus ad vestram collationem aut electionem vel presentationem spectantibus, que preter huiusmodi provisionem vestram vacant ad presens seu vacare contigerit, dummodo nulli alii de iure competant, liberaliter ac sine mora provideatis eisdem et postmodum ipsarum loco alias personas ydoneas quam citius subrogetis. Ad hec statutum predictum, quamvis iuri oppositum[2], quod pro causa legitima et salubri ad nullius requisitionem vel instantiam proprio motu fecimus, plenam et inviolabilem firmitatem volumus obtinere; set tamen ad alias collationes et electiones seu presentationes, quas a quocumque[e] de cetero fieri contigerit, idem statutum nullatenus extendatur[3], nec sanctionibus canonicis propter ipsum in posterum aliquod preiudicium generetur[4]. Preterea nulla privilegia vel indulgentie seu littere apostolice sedis vel legatorum eius sub quacumque forma verborum de cetero impetranda obsistant prefato statuto, cum iam plenum ius per huiusmodi collationem[f] seu presentationem acquiratur

a) electos *R.* b) *ita etiam A.* c) ipso facto *A.* d) autem *A.* e) *ita A*; quacumque *R.* f) aut electionem *add. A.*

1) *Intellegas: iura, quae aliqui per provisiones papales iam impetrarunt, hoc statuto ne cassentur; cf. infra lin. 40 'privilegia .... de cetero impetranda'.* 2) *Ut videtur, quia iura papalia hoc statuto restringebantur; cf. dictatum Gregorii VII papae, Reg. Lib. II, 55a, ed. Jaffé p. 175: 'Quod de omni ecclesia, quocumque voluerit, clericum valeat ordinare'.* 3) *Scil. ad beneficia, quae personae non alienigenae obtinebant, statutum non extendebatur.* 4) *Non semper hoc statutum valere papa voluisse videtur.*

personis eisdem et illud eis tolli non possit absque divini offensa nominis et sedis apostolice iniuria manifesta. Nos enim nichilominus, si aliquid super hiis contra prefatum statutum contigerit attemptari, non solum irritum et inane decernimus, sed omnes, qui contravenire presumpserint, divine maledictioni ac nostre volumus subiacere; licitumque sit vobis universis et singulis tanquam nostris in hac parte ministris nostras seu legatorum nostrorum lacerare litteras, si que statuto ipsi contrarie vobis aut alicui vestrum fuerint presentate. Canonicatuum insuper et prebendarum ac beneficiorum et aliorum predictorum possessio, sicut predictum est, nichilominus intretur ac retineatur libere — non obstantibus litteris memoratis. Sepedictum vero statutum ad pontificatus et abbatias ac alias regulares extendi nolumus dignitates.

Dat. Lateran., III Nonas Novembris, anno XI°[1].

235.

Innocentius IV papa inhibet, ne a praeposito et clero Laudensibus procurationes repetantur, in quibus iidem G[regorio] de Montelongo electo Aquilegiensi pro octo annis teneri dicantur, dum legatus fuerit Lombardiae. *1253, Nov. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 30; Lib. XI, 250. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Preposito ecclesie Cremensis Placentine diocesis[a].

Dilectorum filiorum .. prepositi ecclesie ac cleri civitatis Laudensis lecta nobis petitio continebat, quod dilectus filius G. de Montelongo electus Aquilegensis iura et actiones cessit Danisio de Osenago civi Mediolanensi in exigendis otto[b] annorum[2] procurationibus a preposito et clero predictis, in quibus ipsos sibi teneri dicebat, dum in Lombardie partibus legationis officio fungeretur; propter quod idem civis litteris ad vos super quadam summa pecunie ac rebus aliis in forma communi a sede apostolica impetratis procurationes ipsas coram vobis importune repetit ab eisdem. Cum autem legatis terminos suarum legationum egressis huiusmodi repetitio minime reservetur, mandamus, quatinus, si est ita, eidem civi super predictis procurationibus silentium imponentes, revocetis in statum debitum, siquid in eorundem prepositi et cleri preiudicium super hoc attemptastis. Alioquin dilecto filio .. preposito Cremensis ecclesie Placentine diocesis damus nostris litteris in mandatis, ut super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores —.

Dat. Lateran., VI Idus Novembris, anno XI°[3].

236.

Innocentius IV papa archipresbytero Mantuano mandat, ut publicet se omnes electiones et collationes beneficiorum ecclesiasticorum, in civitate et diocesi Veronensi post

a) *Inscriptio falsa, sicut finis epistolae docet; insuper haec ep. ad plures missa est. Et his pluribus et praeposito Cremensi eadem fere verba scribenda erant, propter quod minuta epistolae certa inscriptione carebat, et cum epistola ex eadem minuta registraretur, ei inscriptio non iusta ex errore aliquo data est; cf. N. A. t. X, p. 541 et sequ.* b) *litt.* tt *in loco raso eadem manu.*

1) *Eodem tempore papa cum Conrado rege de pace tractabat; cf. etiam p. 124, not. 2.* 2) *Gregorius a. 1251 legatione fungi desierat; cf. p. 75, not. 1. Ottobellus quoque episcopus Laudensis circa medium annum 1243 mortuus erat; cf. p. 109, not. 2.* 3) *A. 1254, Mai. 25 papa electo, capitulo et clero Astensibus simili modo indulsit, ut ad solvenda eidem Gregorio ea, quae ratione procurationum olim ipsis imposuisset, cum in illis partibus legatus esset, per litteras apostolicas compelli non possent; Lib. XI, 687.*

excommunicationem quondam F[riderici II] per adhaerentes eidem F. et E[zelino] de Romano factas et de cetero faciendas, irritas nuntiare. *1253, Nov. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 32: Lib. XI, 266. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. archipresbytero Mantuano.

Ne ad prelaturas vel dignitates quascumque seu beneficia ecclesiastica aliqui ecclesie persecutoribus adherentes in civitate vel diocesi Veronensibus[a] presertim per surreptionis astutiam assumantur, nos electiones, postulationes, provisiones et collationes prelationum, dignitatum et personatuum ac aliorum beneficiorum tam secularium quam regularium ecclesiarum civitatis et diocesis predictarum[b] factas, postquam condam F. olim imperator fuit excommunicationis vinculo pro presenti discordia innodatus[1], per quoscumque dicto F. vel E. de Romano adherentes, et etiam [que][c] de cetero per eosdem, dum predicto E. faverint, presumpte fuerint, etsi per bone memorie .. patriarcham Aquilegensem[2] vel .. Veronensem episcopum[3] forsitan confirmate fuerint, cassas et irritas nunciantes et nullius decernentes existere firmitatis, mandamus, quatinus hoc publicare non differas in locis, in quibus videris expedire.

Dat. Lateran., VI Idus Novembris, anno XI[o d][4].

237.

***I**nnocentius IV papa Mulembrunnensi et Uterinae Vallis abbatibus mandat, ut licet ecclesiis liberam electionem restituerit, tamen secundum mandatum eidem abbati Uterinae Vallis et [Eberhardo] episcopo Constantiensi olim datum [Henrico II] electo Spirensi propter eximia merita eius de aliquo archiepiscopatu vel episcopatu Alamanniae, quem acceptandum duxerit, provideant.* *1253, Nov. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 29—30; Lib. XI, 247. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. Malumbrunensi[5] et .. Uterine Vallis[6] Cisterciensis ordinis Spirensis diocesis abbatibus.

Attendentes olim devotionem sinceram, puritatem fidei et probitatis merita dilecti filii .. electi Spirensis, quibus utpote vir genere ac moribus nobilis se dignum reddit sedis apostolice gratia et favore[7], tibi, fili abbas Uterine Vallis, et venerabili fratri nostro .. episcopo Constantiensi, sicut eo intimante accepimus, super provisione facienda sibi de archiepiscopatu vel episcopatu aliquo, quem duceret acceptandum, in regno Alamannie sub certa forma direximus scripta nostra[8]. Licet autem postmodum super eo, quod[c] de archiepiscopatibus, episcopatibus seu abbatiis et prioratibus mandavimus per nostras litteras in diversis partibus provideri, sanius reputantes provideri

a) Veroneñ *R.* b) *ita R.;* predicte *usui curiae magis convenit.* c) que *deest R.* d) *Quae sequuntur usque ad verba* nullas esse *sumpta sunt ex n. 141, p. 123, lin. 12—124, lin. 7.*

1) *A. 1239, Mart. 20.* 2) *Bertholdum.* 3) *Iacobum.* 4) *Cf. n. 13.* 5) *Maulbronn ex sept. et or. civ. Pforzheim.* 6) *Eusserthal ex sept. et occ. civ. Landau.* 7) *Cf. n. 178.* 8) *Etiam sub a. 1253, Apr. 9 episcopo et abbati de provisione electi simili modo scripserat, pergens [ut in hac epistola] se, licet ecclesiis liberam electionem reddidisset, nolle, ut ei per hanc revocationem preiudicium generaretur, et eis mandare, ut procederent iuxta priorum directarum ad ipsos continentiam litterarum; Lib. X, 617; Ladewig, Reg. ep. Constant. n. 1811.*

ecclesiis, cum de ipsarum regimine agitur, quam personis, providendi ac ordinandi canonice de premissis omnibus liberam illis, ad quos predictorum electio, ordinatio seu collatio sive provisio pertinet, concesserimus sub certa forma auctoritate apostolica potestatem — non obstantibus quibuslibet litteris generalibus vel specialibus sub quacumque [forma][a] verborum super quorumcumque promotionibus vel provisionibus impetratis a sede apostolica vel legatis ipsius aut etiam impetrandis, seu reservationibus vel prohibitionibus aut nominationibus earundem litterarum auctoritate factis vel faciendis, aut processibus per eas habitis vel habendis in posterum, que omnia volumus viribus omnino carere —, decernendo irritum et inane, quicquid contra concessionis nostre tenorem vel libertatem iuris seu potestatis patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum, abbatum, priorum et aliorum prelatorum necnon capitulorum, conventuum et collegiorum ecclesiarum in hac parte a quoquam huiusmodi litterarum occasione factum est vel fuerit aut presumptum, ac relaxando interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, sique litterarum ipsarum pretextu late sunt hactenus, et quas deinceps promulgari contigerit, censentes penitus nullas esse: quia tamen idem electus tamquam de virtute in virtutem proficiens merito debet provehi de gratia in gratiam pleniorem, nolentes eidem super predicta provisione facienda pretextu concessionis, statuti, relaxationis et decreti huiusmodi aliquod preiudicium generari, quominus, cum vacaverit archiepiscopatus vel episcopatus in regno Alamannie, possit de ipso electo provideri eidem, mandamus, quatinus ad faciendam eandem provisionem de predictis archiepiscopatu vel episcopatu ipsi electo — premissis concessione, statuto seu relaxatione aut decreto nequaquam obstantibus —, cum vacaverint, procedatis. Quod si non ambo etc.

Dat. Lateran., Idibus Novembris, anno XI°

238.

Innocentius IV papa [Henrico] electo Barensi mandat, ut iuxta epistolam quondam [Petro] episcopo Albanensi missam ecclesiae Anglonensi personam Iohanni de Montefusculo acceptam in episcopum praeficiat. *1253, Nov. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 33; Lib. XI, 272. Epistolam, quam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke, contulimus cum eo exemplari, quod ep. Lib. XI, 363 insertum, ap. Sbaralea, l. c. t. I, p. 691, n. 511 legitur [2]. Potthast, Reg. 15170.

. . electo Barensi.

Intelleximus, quod nos olim bone memorie . . Albanensi episcopo[b] nostris dedimus litteris in mandatis [1], ut ecclesie Anglonensi vacanti personam ydoneam, acceptam dilecto filio nobili viro Iohanni de Montefusculo, cui civitas Anglonensis prout asseritur temporaliter est subiecta, in episcopum preficeret et pastorem, faciens illi a capitulo et subditis ipsius ecclesie tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores —. Sed eodem episcopo morte prevento [2] huiusmodi negocium perduci non potuit ad effectum. Ideoque mandamus, quatinus, si est ita, ad providendum predicte ecclesie de persona idonea et eidem accepta nobili procedas iuxta predictarum directarum ad eundem episcopum continentiam litterarum.

Dat. Lateran., V Kalendas Decembris, anno XI° [3].

---

a) forma *deest R.* b) *omissa sunt etiam in 2 verba:* tunc apostolice sedis legato; *cf. n. 140.*

1) *N. 140.* 2) *A. 1253, Mai. 25.* 3) *Electus Laterani a. 1253, Dec. 19 fratrem Deodatum de Squillacio ord. Minorum ecclesiae Anglonensi praefecit, quem papa a. 1254, Ian. 17 confirmavit; Lib. XI, 363 et 408; Potthast 15199 et 15191.*

239.

Innocentius IV papa abbati Farfensi et successoribus eius inhibet, ne aliquem de progenie monachorum illorum, qui se incastellaverint in castris monasterii vel ab inimicis ecclesiae stipendia receperint, in monachum assumant. *1253, Nov. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 33; Lib. XI, 276. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati monasterii Farfensis ad Romanam ecclesiam nullo medio[a] pertinentis.

Cum iuxta sanctiones canonicas quandoque feratur ultio non solum in actores scelerum verum etiam in progeniem dampnatorum, tibi tuisque successoribus auctoritate presentium districtius inhibemus, ut aliquem de progenie monachorum illorum, qui se incastellarunt contra te ac monasterium tuum in castris ipsius, nec non et eorum, qui contra Romanam ecclesiam ab inimicis eius stipendia receperunt, in monachum seu amiliarem ipsius monasterii de cetero non assumas[1].

Dat. Lateran., V Kalendas Decembris, anno XI[o] [2].

240.

Innocentius IV papa [Hermanno] episcopo Herbipolensi mandat, ut observari faciat excommunicationis sententiam, quam tulerit H[ugo] tituli S. Sabinae presbyter cardinalis, tunc legatus, in Ludolfum de Sladen, qui per surreptionis astutiam in episcopum Halberstadensem se eligere procurarit et fraudulenter a W[illelmo] rege Romanorum regalia et a G[erhardo] archiepiscopo Maguntino confirmationem obtinuerit.

1253, Nov. 29.

Inn. IV Reg. Vol. III, 38—39; Lib. XI, 313. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15171; Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. t. II, p. 322, n. 70; Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberstadt, t. II, p. 146, n. 882.

.. episcopo Erbipolensi.

Dilecti filii .. decanus[3], .. scolasticus[4], Henricus de Drondorf et Heidenricus de Zangenberc[5] ac quidam alii canonici Halberstadensis ecclesie nobis significare curarunt, quod cum venerabilis frater noster M.[b] condam Halberstadensis episcopus olim a dilecto filio nostro H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato[6], cessionem ex certis causis cum instantia postulasset, idem legatus, intelligens cessionem huiusmodi non fore ipsi ecclesie fructuosam, eam penitus non admisit, mandans nichilominus .. decano, .. preposito et capitulo ipsius ecclesie ad cautelam, ne ante cessionem eiusdem episcopi a nobis vel ab eo rite admissam nullum[c] in episcopum ipsius ecclesie eligere attemptarent; quod si secus fieret,

a) nulane *R. in rubro; margo resecata est.* b) M. *alia tinctura superscr.* c) *ita R.*

1) *Cf. etiam n. 205.* 2) *A. 1255, Sept. 1 Alexander IV I[ohanni] tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali correctionem monasterii Farfensis commisit; Lib. I, 586.* 3) *Wiggerus; cf. infra sub a. 1254, Aug. 23; cf. etiam p. 124, not. c.* 4) *Volradus, postea episcopus; cf. sub a. 1254, Aug. 27.* 5) *Cf. sub a. 1254, Ian. 23.* 6) *Eum in Germania officio fungentem ultimo invenimus Metis a. 1253, Aug. 6 et 9; Görz, Mittelrh. Reg. t. III, n. 1052 et Wyss, Hess. U. B. t. I, p. 98, n. 120. A. 1253, Sept. 5 papa eum 'tunc legatum' vocavit; Lib. XI, 207. Hugo ipse sub titulo legati chartas dedit adhuc a. 1253, Sept. 1 Bisuntii et Sept. 30 Bellicen. [Belley]; Gallia Christ. t. XV, instr. p. 84 et Reg. Lib. XII, 86 = Potthast 15476. De via, qua ex Germania ad curiam rediit, cf. etiam infra sub a. 1258, Ian. 18.*

denunciabat irritum et inane. Verum Ludolfus de Sladein[1] ecclesie predicte canonicus, iniciens ambitionis oculos ad eandem et cogitans per surreptionis astutiam cathedram ascendere pastoralem, una cum quibusdam aliis canonicis ipsius ecclesie, fautoribus suis, ad legatum eundem duos fraudulentos nuncios pro cessione ipsius episcopi destinarunt. Et licet idem legatus cessionem eius nec tunc etiam admisisset, redeuntes tamen prefati nuncii cessionem huiusmodi ab eodem legato receptam ipsi episcopo, prout instructi erant, mendaciter suggesserunt. Cumque dictus episcopus nimis credulus mendaciis huiusmodi nunciorum, non receptis ab ipso legato super hoc aliquibus litteris, oneri pontificalis dignitatis cessisset simpliciter[2], prefatus Ludolfus in publicum sue fraudis venena producens se de facto in pastorem ipsius ecclesie vel raptorem potius eligi procuravit, et receptis a carissimo in Christo filio nostro W. rege Romanorum illustri tacita veritate regalibus, et amministrationi episcopatus Halberstadensis se temere ingerens ac occupans castra et alia bona ipsius, demum ordine prepostero et ex malicia commutato a venerabili fratre nostro G. Maguntino archiepiscopo loci metropolitano huiusmodi electionis confirmationem obtinuit, nullam ipsi vel dicto regi de tam informi processu faciens mentionem[3]. Prefatus vero legatus, quia sibi plene constitit de premissis, processum electionis huiusmodi, et quidquid esset ob eam vel ex ea secutum, per sententiam diffinitivam denuncians et denunciari faciens non tenere, dictum L., pro eo quod castra et bona huiusmodi detinebat contra mandatum cardinalis eiusdem nichilominus occupata, et quia coram ipso vocatus ab eo legitime comparere contumaciter recusavit, excommunicationis vinculo exigente iustitia innodavit, prelatos et clerum Halberstadensis civitatis et diocesis ab ipsius obedientia, barones vero et nobiles, ministeriales, vassallos et alios homines ipsius ecclesie a iuramento fidelitatis, si quo eidem canonico tenerentur, absolvens ipsosque denunciari faciens per venerabiles fratres nostros G. Maguntinum[4] et . . Magdeburgensem[5] archiepiscopos ac . . Hildesemensem[6], . . Nuwemburgensem[7] et . . Merseburgensem[8] episcopos ad ea penitus non teneri. Collationem quoque dignitatum, personatuum aliorumque beneficiorum et bonorum ipsius ecclesie, si quam fecit dictus canonicus, cassam et irritam nunciavit et ipsum tamquam excommunicatum singulis diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et accensis candelis per dictos archiepiscopos et episcopos mandavit publice nunciari. Propter quod dicti decanus, scolasticus et alii eiusdem ecclesie canonici hec approbari a nobis et[b] huiusmodi excommunicationis sententiam apostolico roborari munimine petierunt. Nos igitur, dictam eiusdem legati diffinitivam sententiam ratam habentes et gratam ipsamque auctoritate apostolica confirmantes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictam excommunicationis sententiam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari; contradictores etc. — nullis obstantibus litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis. Nolumus tamen, quod prefato W. regi Romanorum illustri per huiusmodi litteras aliquod preiudicium generetur.

Dat. Lateran., III Kalendas Decembris, anno XI°.

---

a) ī *R.*

1) *Schladen inter civitates Goslar et Wolfenbüttel.* 2) *Post a. 1252, Iul. 22 [Schmidt, l. c. t. II, p. 133, n. 862; cf. p. 141, n. 876] chartam Meinhardi episcopi non invenimus.* 3) *Ludolfus 'electum et confirmatum' primo se appellavit in civ. Halberstadensi a. 1253, Ian. 8 et 9; Schmidt, l. c. t. II, p. 136, n. 868 et 869.* 4) *Sed Gerardus eo tempore, quo id factum est [cf. not. 5], excommunicatione ligatus erat, quam legatus ipse circa aestatem a. 1252 pronuntiaverat quamque a. 1253, Apr. 15 relaxavit; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 320, n. 51 et 52.* 5) *Alius fuisse non potest atque Wilbrandus, qui a. 1253, Apr. 5 obiit, cum successor eius a. 1254, Ian. 23 electus adhuc fuerit; cf. infra.* 6) *Henricum.* 7) *Theodericum II.* 8) *Henricum.*

241.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi de ordine Minorum, familiari W[illelmi] Romanorum regis, committit, ut cum M. relicta quondam C. comitis palatini de Tubingen et R. domino de Durne marito eius, ecclesiae devoto, de causa matrimoniali dispenset. *1253, Dec. 10.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 39: Lib. XI, 323. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15173; Perlbach, Preuss. Reg. n. 434.

.. episcopo Sambiensi[a] de ordine fratrum Minorum.

Sinceritas devotorum ecclesie tunc potissime in augmentum deducitur, cum benignitas apostolice sedis in complendis eorum desideriis prompta et propitia reperitur. Sane dilecta in Christo filia mulier nobilis M.[1] relicta quondam C.[2] comitis palatini de Tuingen, sicut nobis exposuit, post mortem ipsius comitis matrimonium cum dilecto filio nobili viro R. domino de Durne[3], ecclesie Romane devoto, contraxit, ignari[b] tamen quod idem nobilis prefatum comitem quarta consanguinitatis linea contigisset. Quare pro parte ipsorum nobilium humiliter petebatur a nobis, ut providere super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos itaque, de tua circumspectione confisi, tibi, qui carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris familiaris esse diceris, presentium tenore committimus, quatinus consideratis diligenter circumstantiis universis, si negocio ecclesie ac utilitati dicti regis id videris expedire, cum prefatis nobilibus auctoritate nostra dispenses, ut in matrimonio sic contracto — non obstante impedimento huiusmodi — libere valeant permanere.

Dat. Lateran., IIII Idus Decembris, anno XI°.

242.

Innocentius IV papa capitulo Virdunensi nuntiat se ecclesiae eorum vacanti Iacobum de Trecis archidiaconum Laudunensem, capellanum suum, de fratrum suorum consilio et plenitudine potestatis in episcopum praefecisse; mandat, ut ei obediant. *1253, Dec. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 36: Lib. XI, 295. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

capitulo[c] Virdunensi.

Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium celeriter nostre diligentie studio provideatur sustitutione[d] pastorum, per quos spiritualiter et temporaliter auctore Deo continuum suscipiant incrementum. Hinc est, quod cum ecclesia Virdunensis pastoris sit solatio destituta, nos, qui ex iugo apostolice servitutis universis sumus ecclesiis obligati, volentes ipsi ecclesie, ne dampna gravia ex longa

a) Sabiensi *R.* b) *ita R.* c) .. capitulo *R.* d) *ita R.*

1) *Mechtildis nomen ei erat, ut Schmid, Pfalzgr. v. Tübingen p. 233, asserit.* 2) *Conradi ibid.* 3) *Riwin de Turne [Walldürn in bad. Bez. A. Buchen, e mer. Moeni fl.] invenitur sub a. 1253, Aug. in Wirtemb. U. B. t. V, p. 28, n. 1264.*

vacatione subiret, salubriter providere, dilectum filium Iacobum de Trecis archidiaconum Laudunensem, capellanum nostrum[1], virum utique litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, acceptumque nobis et fratribus nostris sue probitatis merito, ecclesie predicte in episcopum et pastorem prefecimus de fratrum ipsorum consilio et plenitudine potestatis[a], sperantes quod sua circumspectione laudabili et providentia circumspecta ecclesia ipsa[b] tam circa spiritualia quam temporalia gratis tribuente Domino proficiet incrementis. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes, obedientiam sibi et reverentiam debitam impendatis, ipsius monitis et mandatis salubribus humiliter intendendo. Alioquin sententiam etc. usque: observari.

Dat. Lateran., XV Kalendas Ianuarii, anno XI°.

In eundem modum clero civitatis et diocesis Virdunensis.

In eundum modum vassallis ecclesie Virdunensis usque: suscipientes, debita iuramenta fidelitatis prestare curetis eidem. Alioquin sententiam sive penam, quam idem spiritualiter et temporaliter rite tulerit in rebelles, ratam etc. usque: observari.

Dat. ut supra.

In eundem modum Iacobo de Trecis Virdunensi electo usque: incrementis, verbis competenter mutatis. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus humiliter suscipiens impositum a Domino tibi onus, ad predictam ecclesiam te transferre procures, gerens sollicite curam eius, gregem Dominicum in illa tibi commissum doctrina verbi et operis informando.

Dat. ut supra[2].

243.

Innocentius IV papa magistro Marino procuratori episcopatus Sabinensis mandat, ut Bernardo electo Neapolitano, cui episcopatum Sabinensem pro subventione Neapolitanorum exulantium administrandum commiserit, fructus episcopatus eiusdem assignet.
1253, Dec. 22.

Inn. IV Reg. Vol. III, 37; Lib. XI, 303b. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Magistro Marino capellano nostro, procuratori episcopatus Sabinensis.

Cum dilecto filio magistro Bernardo electo Neapolitano curam et amministrationem Sabinensis episcopatus in spiritualibus et temporalibus pro subventione civium Neapolitanorum pro devotione ecclesie exulantium[3] duxerimus committendas, gerendas per eum usque ad nostre beneplacitum voluntatis, mandamus, quatinus fructus et proventus episcopales, quos apud te habes, eidem electo vel alii, quem ad hoc miserit, assignare procures.

Dat. Lateran., XI Kalendas Ianuarii, anno XI°[4].

---

a) ple po *R.* b) ecclesiam ipsam *R.; cf. ep. a. 1255, Nov. 3.*

1) *Cf. p. 53, not. 1.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 5184.* 3) *Neapolis a. 1253, Oct. 10 a Conrado rege capta est; Böhmer-Ficker 4605a.* 4) *A. 1253, Oct. 30 papa Henrico electo Barensi pro ipsius et nobilium virorum Filangeriorum, de quorum prosapia originem traxit, exulum subventione administrandum episcopatum Albanensem usque ad beneplacitum papale concesserat; Lib. XI, 237. A. 1253, Dec. 13 castrum*

244.

Innocentius IV papa magistro Alberto notario suo legato mandat, ut legationis ipsi commissae insigniis consuetis utatur. *1253, Dec. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 39; Lib. XI, 319. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato[1].

Ne cuiusquam humilitatis obtentu preiudicare honori legatorum sedis apostolice videaris, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus legationis tibi commisse utaris tam circa faciendam benedictionem et signationem quam etiam circa alia singula insigniis consuetis[a].

Dat. Lateran., IIII Kalendas Ianuarii, anno XI°.

245.

Innocentius IV papa magistro Berardo de Neapoli subdiacono et capellano suo, iuris civilis professori, castellaniam Radicofani, Aquaependentis et Preceni custodiendam committit usque ad beneplacitum apostolicum. — Magistro Antonio scriptori suo mandat, ut arcem Radicofani Berardo assignet. *1254, Ian. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 39; Lib. XI, 316 et 317. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

I.

Magistro Berardo de Neapoli subdiacono et capellano nostro, iuris civilis professori.

De personis, quarum fidelitas et probitas alias plenius est probata, eo spes et fiducia maior suggeritur, quo ex laudabilibus actibus earum preteritis presumptio de ipsis circa futura melior et securior obtinetur. De tua itaque devotione ac circumspectione, quam experti sumus iam pluries, specialius confidentes, providentie tue castellaniam Radicophani[2], Aquependentis[3] et Preceni[4] cum omnibus ipsorum iuribus, pertinentiis, redditibus et proventibus ad Romanam pertinentibus ecclesiam duximus committendam, retinendam et custodiendam per te vel per alium seu alios usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Ut autem eorundem custodiam efficatius et melius gerere valeas, tibi compellendi per te vel per alium monitione premissa spirituali et temporali pena sublato cuiuslibet appellationis obstaculo homines locorum ipsorum ad parendum et intendendum tibi ac respondendum de omnibus, in quibus predicte tenentur ecclesie, liberam auctoritate presentium concedimus potestatem.

Dat. Lateran., Kalendis Ianuarii, anno XI°.

---

a) consuetuetis *R.*

Ariciae ei in subsidium eorundem per idem tempus concesserat; Lib. XI, 293; cf. 294. A. 1254, Ian. 5 electo Beneventano pro subventione Beneventanorum et nobilis viri Eustachii et aliorum Aversanorum et magistri Andreae de Capua eiusque familiae ac Guillelmi de Iudice et ceterorum de Suessa et civitatum ipsarum civium episcopatus Portuensis administrationem per idem tempus concessit; Lib. XI, 327.

1) *Cf. n. 219. Ad regem Angliae destinatus erat, ut Edmundo filio eius regnum Siciliae offerret; cf. infra sub a. 1256, Oct. 23.* 2) *E mer. et occ. civ. Chiusi.* 3) *Ex occ. Urbis Veteris; cf. etiam Cod. dipl. d'Orvieto in Documenti di Storia Italiana t. VIII, p. 192, n. 296.* 4) *Ex sept. Aquaependentis.*

In eundem modum universis hominibus Radicophani, Aquependentis et Preceni. De personis etc. usque: voluntatis, verbis competenter mutatis. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictum capellanum et alios, quos ad locorum ipsorum deputaverit custodiam, debita recipientes honorificentia et tractantes, eidem capellano intendere ac respondere de omnibus, in quibus ecclesie prefate tenemini, plenarie studeatis. Alioquin sententiam sive penam spiritualem vel temporalem, quam per se vel per alium rite propter hoc tulerit in rebelles, ratam etc. usque: observari.

Dat. ut supra.

II.

Magistro Antonio scriptori nostro.

Cum arcem Radicophani[1] dilecti filii magistri Berardi de Neapoli subdiaconi et capellani nostri, iuris civilis professoris, custodie duxerimus committendam, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus arcem ipsam cum rebus omnibus, que sunt ibi et pertinent ad eandem, capellano predicto vel alii, quem idem ad hoc destinaverit, non differas assignare, redacturus in scriptis que sibi duxeris assignanda.

Dat. ut supra[2].

246.

Innocentius IV papa [Hartmanno] electo Augustensi obtentu comitum de Kiburc et aliorum comitum et nobilium de Suevia concedit, ut proventus beneficiorum ecclesiasticorum diocesis suae usque ad triennium vacantium per annum percipiat.

1254, Ian. 1.

Inn. IV Reg. Vol. III, 41; Lib. XI, 346. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. electo Augustensi.

Sincera devotio, quam dilecti filii nobiles viri H. et H. de Kiburt[a] [3] et alii comites et nobiles de Suevia circa Romanam gerunt ecclesiam, nos inducit, ut ipsorum iustis petitionibus favorem benivolum impendamus. Cum itaque tu ipse una cum eis sollicitus et fervens extiteris et existas in negociis ecclesie magnifice promovendis, nos obtentu eorundem nobilium ac tuorum intuitu meritorum tibi auctoritate presentium de gratia speciali concedimus, quod proventus prebendarum et beneficiorum, etiam curam animarum habentium, que in civitate vel diocesi Augustensi usque ad triennium vacare contigerit, valeas per unum annum post vacationem ipsorum percipere, in subsidium dicti negocii convertendos, ita tamen quod tantum de predictis proventibus reservetur, ut in ecclesiis, in| quibus habentur huiusmodi prebende vel beneficia, possit interim per ydoneos vicarios deserviri. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., Kalendis Ianuarii, anno XI°.

---

a) *ita R.*

1) *Castellaniam et rectoriam castri Radicofani papa a. 1250, Oct. 4 Sarraceno nato quondam Nicolae Sarraceni civis Perusini contulerat; Berger 4858; Potthast 14082; cf. Berger 4859.* 2) *A. 1253, Ian. 2 populo Utriculi mandaverat, ut Oliverio servienti suo, castellano Roccae de Cesis, de omnibus iuribus et proventibus Utriculi, ad Romanam ecclesiam spectantibus, responderet; Lib. X, cur. 17.* 3) *Hartmannus electus Augustensis, filius Hartmanni III comitis de Dillingen, consanguineus comitum de Kiburg erat.*

247.

Innocentius IV papa [Henrico III] episcopo Argentinensi mandat, ut ad petitionem W[illelmi] regis Romanorum cum Waltero de Eschibach et Kunegunda nata comitis de Sulza super matrimonio contra canones contracto dispenset. 1254. Ian. 5.

Inn. IV Reg. Vol. III, 11; Lib. XI, 339. Exemplar, quod Meerman, l. c. I V, p. 157 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15189.

.. episcopo Argentinensi.

Licet coniugalis contractus copule in quarto consanguinitatis et affinitatis gradu a sacris sit canonibus interdictus, consuevit tamen sedes apostolica cum benemeritis in gradu huiusmodi, cum id suadet necessitas vel utilitas, dispensare. Lecta quidem nobis[a] ex parte dilecti filii nobilis viri Walteri de Eschibach[1] Constantiensis diocesis petitio continebat, quod cum olim inter suos et nobilis mulieris Kunegunde uxoris sue, nate nobilis viri .. comitis de Sulza[2], consanguineos essent inimicicie capitales, ut malis innumeris, que de fonte huiusmodi odii procedebant, finalis terminus poneretur, iidem[b] W. et K. matrimonium adinvicem, quamvis quarta se consanguinitatis linea contingerent, contraxerunt, et procrearunt filios in huiusmodi matrimonio permanentes. Cum igitur carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris et tu ac venerabilis frater noster .. Constantiensis episcopus[3] et dilectus filius .. abbas Sancti Galli[4] per suas asseruerint litteras, quod prefatus Walterus Romane ecclesie sit devotus et possit ac velit ecclesie generalis et imperii negocio existere fructuosus, mandamus, quatinus ad petitionem regis eiusdem, quod prefati Walterus et mulier in sic contracto matrimonio licite permanere ac eorum proles in bonis suis eisdem legitime succedere valeant — impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante —, cum ipsis auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum animarum eorundem saluti ac predicto negocio videris expedire.

Dat. Lateran., Nonis Ianuarii, anno XI°.

248.

Innocentius IV papa episcopo Ilberinensi [Suerinensi] mandat, ut Hermanno nepoti reginae Romanorum, quem ipse papa ecclesiae Caminensi olim praefecerit in episcopum, cum duobus vel tribus episcopis vicinis consecrationem impendat. — Sequitur forma iuramenti, quod episcopus Caminensis papae praestare debeat. 1254, Ian. 19.

Inn. IV Reg. Vol. III, 47; Lib. XI, 388. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis.

I.

.. episcopo Ilberinensi[c 5].

Conversis olim ad personam dilecti filii Hermanni Caminensis electi[6] nostre mentis oculis, ipsum de consilio fratrum nostrorum Caminensi ecclesie tunc vacanti, que ad

a) coram nobis *alias dici solebat.* b) idem *R.* c) *ita R.*

1) *Ex sept. civ. Luzern.* 2) *Ad Neckar fl. infra civ. Rottweil.* 3) *Eberhardus.* 4) *Bertholdus; cf. infra sub Iul. 14.* 5) *Sine dubio Rudolfo episcopo Suerinensi, cui in n. 77 de eodem Hermanno scriptum est.* 6) *Iam a. 1252, Iul. 8 et 9 papa ei mandata in favorem capituli Suerinensis direxerat; Potthast 14655 et 14658; non reg.*

nos nullo medio pertinet sicut accepimus, prefecimus in pastorem, plena in spiritualibus et temporalibus eiusdem ecclesie sibi administratione commissa: quare pro parte ipsius instanter petebatur a nobis, ut cum ipse propter viarum pericula et loci distantiam comode sedem apostolicam adire non possit pro consecrationis munere obtinendo, providere super hoc ei misericorditer curaremus. Nos itaque, laboribus et expensis dicti electi obtentu[a] carissime in Christo filie nostre regine Romanorum illustris, cuius nepos existit[1], parcere in hac parte volentes, mandamus, quatinus associatus[b] duobus vel tribus convicinis episcopis eidem electo vice nostra munus consecrationis impendas, recepturus ab eo postmodum pro nobis et Romana ecclesia fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Formam autem iuramenti etc.[c] usque: procures.

Dat. Lateran., XIIII Kalendas Februarii, anno XI°.

II.

Forma iuramenti.

Ego Hermannus Caminensis episcopus ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro etc.[d] usque: limina annis singulis visitabo aut per me etc. usque in finem.

249.

Innocentius IV papa Lubicensibus confirmat privilegia imperatorum Romanorum, quibus ipsis concessum sit, ut ab imperio, cui immediate subiecti essent, alienari non valerent. *1254, Ian. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 83; Lib. XI, 597d. Pertzii exemplar contulimus cum authentico in Cod. dipl. Lubic. t. I, p. 190, n. 208.

Potthast, Reg. 15202.

Consilio et communi Lubicensibus, ecclesie Romane devotis.

Consuevit sedes apostolica precibus condescendere devotorum eorumque votis favorem benivolum impertiri. Cum igitur, sicut fuit ex parte vestra expositum coram nobis, clare memorie Romanorum imperatores, qui fuerunt pro tempore, in ecclesie devotione manentes, vobis per sua duxerint privilegia concedendum, ut ab imperio, cui estis immediate subiecti, alienari vel infeudari seu pignori obligari a nemine valeatis[2], prout in huiusmodi privilegiis plenius dicitur contineri: nos, vestris devotis precibus inclinati, quod ab eisdem imperatoribus super hoc provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., XIII Kalendas Februarii, anno XI°[e][3].

---

a) obtenti *R.* b) a sociat' *R.* c) *cf. n. 250 II.* d) *cf. n. 250 IV.* e) Dat in alia *R.*

1) *Cf. p. 62, not. 2.* 2) *Cf. Cod. dipl. Lubic. t. I, n. 7, 34 et inprimis 35 = Böhmer-Ficker 1636. A. 1252, Mart. 25 Willelmus rex civitatem marchionibus Brandenburgensibus in feudum contulerat; Böhmer-Ficker 5067.* 3) *Iam Ian. 15 abbati de Reynevelde Lubicensis diocesis mandarerat, ne Lubicenses super hac re molestari permitteret; Ian. 19 eosdem cum bonis sub protectione sua susceperat; Potthast 15197 et 15201, epp. non reg.*

250.

Innocentius IV papa Rodulfo electo Magdeburgensi scribit se pallium ab ipso postulatum [Henrico] episcopo Merseburgensi destinare, qui id ipsi assignet et ab ipso recipiat fidelitatis iuramentum. — Sequuntur epistola episcopo Merseburgensi directa, forma dandi pallium et forma iuramenti. *1254, Ian. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 45–46; Lib. XI, 373 et 374. N. I. III. IV damus ex Pertzii exemplaribus collatis cum Regestis; n. II nos inde descripsimus.

I.

.. electo Magdeburgensi[1].

Cum[a] palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte tua per dilectos filios Heydenricum de Zangimberch[2] canonicum Nuemburgensem et magistrum Henricum de Kirberch[3] subdiaconos nostros, nuncios tuos, fuisset a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum, nos, tuis supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per eosdem nuncios venerabili fratri nostro .. episcopo Mersburgensi, assignandum tibi per eum, duximus destinandum, ut illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, et a te nomine nostro et Romane ecclesie sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipiat iuramentum. Tu autem illo intra ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi in ipsius ecclesie privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato set quod geris exterius intus serves in mente, discretionem tuam monemus attente et hortamur, quatinus humilitatem et iustitiam dante Domino, qui dat munera et premia elargitur, conservare studeas, que suum servant et promovent servatorem, et Magdeburgensem ecclesiam sponsam tuam cures sollicite auctore Deo spiritualiter et temporaliter augmentare.

Dat. Lateran., X Kalendas Februarii, anno XI°.

II.

.. episcopo[b] Mersburgensi.

Cum[c] palleum, insigne videlicet pontificalis officii, ex parte dilecti filii .. electi Magdeburgensis per dilectos filios Heydenricum de Zaugimberch[d] canonicum Nuemburgensem et magistrum Henricum de Kirberch subdiaconos nostros, nuncios eius, fuisset a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum, nos, ipsius supplicationibus annuentes, ipsum de corpore beati Petri sumptum per eosdem nuncios tibi, assignandum illi per te, duximus destinandum. Ideoque mandamus, quatinus illud ei assignes sub forma, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, et ab ipso nomine nostro et ecclesie Romane sub forma, quam sub eadem bulla dirigimus, fidelitatis recipias iuramentum. Formam autem etc.[e] usque: destinare.

Dat. ut supra.

---

a) *Eadem forma litterarum ap. Berger 435.* b) *epp. II—IV = Lib. XI, 374.* c) *Eadem forma ap. Berger 436.* d) *ita R.* e) Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuntium studeas quantocius destinare *ap. Berger 436.*

1) *Wilbrandus archiepiscopus a. 1253, Apr. 5 obierat; Rudolfus Mai. 3 electus iam erat; Mülverstedt, Reg. archiep. Magd. t. II, p. 590.* 2) *Cf. n. 240. A. 1254, Febr. 17 papa [Henrico] episcopo Havelbergensi mandavit, ut magistro Heidenrico canonico SS. Apostolorum Petri et Pauli Magdeburgensium, nuntio archiepiscopi Magdeburgensis, in diocesi Caminensi provideret; Lib. XI, 859.* 3) *De quo cf. Geschichtsquellen der Provinz Sachsen I b, 163.*

III.

Forma dandi palleum.

Ad honorem Dei omnipotentis et beate Marie virginis et beatorum Petri et Pauli apostolorum et domini pape Innocentii et Romane ecclesie necnon et ecclesie tibi commisse tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab apostolica ei sede concessis.

IV.

Forma iuramenti.

Ego[a] Rodulfus archiepiscopus Magdeburgensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sancteque apostolice Romane ecclesie et domino meo pape Innocentio suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum aut capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut per nuncios suos sive per litteras, ad eorum dampnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolice sedis eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi prepeditus fuero canonica prepeditione. Apostolorum limina singulis bienniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones[b] vero ad mensam mei episcopatus pertinentes non vendam neque donabo vel aliquo modo alienabo neque impegnerabo vel de novo infeudabo inconsulto Romano pontifice. Sic me Deus adiuvet et hec sancta evangelia.

251.

Innocentius IV papa universo clero terrae [Henrici] marchionis Misnensis facultatem concedit cantandi in missarum sollemniis Virginis gloriosae novum cantum super 'Kyrieleyson' et 'Gloria in excelsis Deo', quem marchio ediderit. 1254, Ian. 23.

Inn. IV Reg. Vol. III, 46; Lib. XI, 377. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15205.

Episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac rectoribus eorumque capitulis et collegiis in terra dilecti filii nobilis viri marchionis Misnensis constitutis.

Cum in summi regis palatio Virgo se gloriosa pro nobis iugiter exhibeat advocatam, felici eum patrocinio nobis clementer flettens[c] ad veniam, quem humanus excessus interdum graviter provocat ad vindictam, non debet ab ipsius lingua carnis laudibus se aliquatenus continere, quin ei pro tam placido munere gratiarum surgat ad debitum,

---

a) *Idem iuramentum, ab Henrico patriarcha Aquilegiensi a. 1079 Gregorio VII praestitum, legitur Reg. Lib. VI, 17a, ap. Jaffé p. 355. Cum nonnullis variantibus inter decretales Gregorii IX receptum est, c. IV ap. Greg. de iureiur., Lib. II, tit. XXIV. Nostrum ab utroque et verbis et ordine verborum discrepat.*
b) *verba* Possessiones — pontifice *desunt in utroque exemplari cit.* c) *ita R.*

ut dampnose ingratitudinis caute vitare valeat detrimentum. Sane dilectus filius nobilis vir marchio Misnensis, sinceritate qua decuit revolvens in animo, ut quem ad ipsam habet devotionis affectum evidenter exprimeret eamque pro sue possibilitatis modulo congruis obsequiis honoraret, super 'Kyrieleyson' et 'Gloria in excelsis Deo' cantum novum edidisse proponitur, ut capelle sue clerici eo in missarum sollempniis eiusdem virginis uterentur; et quia cantum[a] ipsum ex parte ipsius marchionis presentatum, quem coram nobis cantari fecimus, Deo gratum et hominibus acceptum invenimus, ipsum ob inventoris devotionem, que dum spiritu Dei ducitur, musice regulis non artatur, duximus approbandum, cantandi et faciendi eum cantari vobis in premissis sollempniis libera facultate concessa. Ad maiorem vero certitudinem premissa 'Kyrieleyson' et 'Gloria' sub ipso cantu vobis sub bulla nostra mittimus interclusa.

Dat. Lateran., X Kalendas[b] Februarii, anno XI°[1].

252.

Innocentius IV papa magistro Iohanni de S. Germano subdiacono et capellano suo mandat, ut Marottam sororem Aymonis de Aquino, ecclesiae devoti, quae olim de mandato P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc legati, monasterio S. Mariae de Capua praefecta sit, in possessionem eiusdem abbatiae inducat.

1254, Ian. 27.

Inn. IV Reg. Vol. III, 54; Lib. XI, 422. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meyncke

Magistro Iohanni de Sancto Germano subdiacono et capellano nostro.

Exposuit nobis dilecta in Christo filia Marotta abbatissa monasterii sancte Marie de Capua ordinis sancti Benedicti, soror nobilis viri Aymonis de Aquino, nostri et ecclesie Romane devoti, quod olim venerabilis frater noster .. episcopus Alatrinus de mandato dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in regno Sicilie apostolice sedis legati, ipsam prefecit in abbatissam eidem monasterio tunc vacanti, nosque, quod per eundem episcopum factum fuerat in hac parte gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica duximus confirmandum[c], eidem legato nostris dantes litteris in mandatis, ut ipsi M. benedictionis munus faceret[d] exhiberi. Prefatus autem[e] episcopus ad ipsius legati mandatum huiusmodi sibi munus impendit. Postmodum vero condam Altruda de Preturo[f] ipsius monasterii moniali asserente se a conventu eiusdem monasterii in abbatissam fuisse electam et electionem de se factam a capitulo Capuane ecclesie confirmatam[2], super abbatia ipsius monasterii inter easdem M. et A. questio est exorta, quam primo bone memorie P[etro] Sabinensi episcopo ac demum eo defuncto[3] dilecto filio magistro Martino Ispano capellano nostro

a) tm̄ = tantum *R.* b) Kl' X *R.* c) *sequitur locus rasus unius vel duarum litterarum.* d) faceret — Prefatus *in loco raso.* e) *verba* autem — impendit *eadem manus in margine addidit.* f) p̄turo *R.*

1) *Febr. 3 papa Witegoni praeposito ecclesiae de Nonchusen [Northusen?] Maguntinae diocesis mandavit, ut magistro Gerardo de Foresto canonico Misnensi, nuntio marchionis Misnensis, devoti ecclesiae, pro quo marchionissa supplicavit, de dignitate in ecclesia Misnensi provideret: Lib. XI, 858; cf. n. 221.* 2) *Hoc factum esse videtur, cum ecclesia Capuana vacaret, i. e. ante a. 1252, Ian. 13; cf. p. 138, not. 1. De simili confirmatione a capitulo Regino facta cf. n. 233.* 3) *Eum viventem ultimo commemoratum invenimus a. 1252, Aug.; Cod. dipl. d'Orvieto p. 201, n. 314.*

commisimus audiendam. Cumque super eadem abbatia fuisset aliquamdiu litigatum, tandem, questione ipsa pendente, predicta A. viam fuit universe carnis ingressa. Unde prefata M. nobis humiliter supplicavit, ut providere in hac parte sibi de benignitate solita curaremus. Nos igitur, ipsius supplicationibus inclinati, provisionem factam eidem monasterio auctoritate eiusdem legati de ipsa firmam manere volentes, mandamus, quatinus — premissis nequaquam obstantibus — provisionem eandem debite[a] auctoritate nostra confirmans ac supplens defectum, si quis in ea extitit, de plenitudine potestatis, amota ab ipso monasterio qualibet illicita detentrice, inducas eam per[b] te vel per alium in possessionem eiusdem abbatie et defendas inductam, faciens sibi a personis eiusdem monasterii obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores —.

Dat. Lateran., VI Kalendas Februarii, anno XI[o] [1].

253.

Innocentius IV papa scolastico Novae Ecclesiae extra muros Huxarienses ad preces [Alberti] ducis de Brunswic sororii W[illelmi] regis Romanorum, [Alberti] archiepiscopi Livoniae, episcopi Roskildensis et comitum Holsatiae mandat, ut Iohanni canonico Lubicensi clerico dicti ducis in provincia Bremensi de personatu provideat.

1254, Ian. 28.

Inn. IV Reg. Vol. III, 83; Lib. XI, 597a. Exemplar, quod Meerman, l. c. t. V, p. 159 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15214; Perlbach, Preuss. Reg. n. 437; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 243, n. 532.

.. scolastico Nove Ecclesie[2] extra muros Huxarienses Padeburgensis diocesis.

Meritis laudabilis conversationis et vite dilectus filius Iohannes canonicus Lubicensis, clericus dilecti filii nobilis viri .. ducis de Brunesvic sororii carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris, iuvari dinoscitur, ut a nobis benigni favoris gratia foveatur. Hinc est, quod nos, in eo dictum ducem et venerabiles fratres nostros .. archiepiscopum Livonie et Pruscie ac .. episcopum Roskildensem[3] nec non comites Holtsane[c] [4] ecclesie Romane devotos, qui pro ipso apostolicam gratiam per affectuosas litteras implorarunt, honorare volentes, mandamus, quatinus eidem canonico in aliqua ecclesiarum Bremensis provincie, cathedralium vel aliarum, prout duxerit acceptandum, de personatu vel dignitate, etiam curam animarum habente, ad cuiuscumque collationem pertineat, si vacat ad presens vel quam primum ad id se facultas obtulerit, auctoritate nostra provideas aut per alium facias provideri — non obstantibus[d] si pro aliis in ecclesia, in qua sibi provisum fuerit, direxerimus scripta nostra, quibus etc. usque: generari, vel si de mandato legatorum sedis apostolice aliqui sunt ibi recepti, quibus eum in assecutione huiusmodi personatus et dignitatis preferri volumus, sicut de iure fuerit preferendus, seu quod idem alias beneficiatus existat, aut quod alias scripsimus pro eodem, sive aliqua indulgentia quibuscumque personis, locis vel dignitatibus de partibus

---

a) *ita R.* b) per — alium *altera manus in margine adiecit.* c) *ita R.* d) obsts *R.*

1) *In favorem eiusdem Marottae sub a. 1254, Mart. 23; Lib. XI, 550.* 2) *Nigenkerken.* 3) *Non Petrus, ut Gams, Series episc. p. 332 statuit, sed Iacobus episcopus Roskildensis adhuc erat, qui a. 1254, Mart. 13 Hafniensibus ius municipale concessit; Nielsen, Kiøbenhavns Diplom. t. I, p. 15, n. 16.* 4) *Iohannem et Gerhardum comites Holsatiae.*

illis communiter vel divisim sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessa, quod suspendi vel interdici aut excommunicari seu ad receptionem alicuius compelli non possint etc. usque: mentio habeatur, aut constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, ita quod ultra tertiam vel quartam etc. — : contradictores —. Nos enim nichilominus irritum decernimus et inane, si secus super premissis fuerit attemptatum.

Dat. Lateran., V Kalendas Februarii, anno XI°[1].

254.

Innocentius IV papa Iacobo episcopo Metensi, cum pro negotiis ecclesiae generalis et suscipiendis legatis et nuntiis sedis apostolicae graria debita subierit, concedit, ut redditus beneficiorum ecclesiasticorum civitatis et diocesis suae usque ad triennium vacantium per unum annum percipiat. *1254. Ian. 31.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 52; Lib. XI, 411. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Iacobo episcopo Metensi.

Cum, sicut tua nobis fraternitas intimavit, tam pro negociis ecclesie generalis quam etiam pro suscipiendis legatis et nunciis sedis apostolice adeo gravia subieris hactenus onera debitorum, quod episcopatus tui redditus ad exonerationem ipsorum nequaquam sufficere asseruntur: nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, alicuius relevationis solatio te in hac parte confovere volentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut proventus et redditus dignitatum[a], personatuum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam curam animarum habentium, Metensis civitatis et diocesis, postquam ea vacare contigerit, possis usque ad triennium per unum annum libere percipere, in solutionem[b] debitorum huiusmodi convertendos, reservata de ipsis proventibus et redditibus ad ecclesiarum ipsarum obsequia congrua portione, — non obstantibus[c] dictarum ecclesiarum contraria consuetudine vel statuto iuramento vel confirmatione sedis apostolice seu quacunque alia firmitate vallato, seu quavis indulgentia cuicunque persone, dignitati vel loco ab eadem sede concessa, per quam non expressam presentibus de verbo ad verbum effectus nostre gratie in hac parte impediri valeat vel differri. Nulli etc. nostre concessionis etc.[2]

Dat. Lateran., II Kalendas Februarii, anno XI°.

.. scolasticus Tullensis datus est super hoc conservator; — non obstante si aliquibus de partibus illis a dicta sede indultum existat, quod ad provisionem alicuius compelli quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas etc. usque: mentionem.

---

a) dignitat *R.; sequitur locus rasus duarum vel trium litterarum.* b) solutione *R.* c) obst' *R.*

1) *Eodem die ad preces Willelmi regis decano et capitulo Hammenburgensibus mandavit, ut Iohannem in fratrem reciperent; Lib. XI, 597e; cf. 597c = Potthast 15203.* 2) *Cf. similem concessionem eidem factam t. II, p. 263, not. 2. [A. 1249 et 1250] Willelmus rex cum dominum civitatis Metensis recognoverat; Böhmer-Ficker 4962 et 4997. A. 1253, Mai. 15 papa precibus Renaldi comitis de Castris [Blieskastel], domini de Bicis [Bitsch], fratris episcopi, de dispensatione matrimoniali eiusdem Renaldi annuerat: Lib. X, 683. Uterque erat frater quondam Matthaei II ducis Lotharingiae.*

255.

Innocentius IV papa universis Christi fidelibus nuntiat se super diversis articulis fidem et mores tangentibus Conradum natum Fr[iderici II] ad se evocasse eumque procuratores destinasse, qui excusationes eius proposuerint; ad preces I. Montisfortis et T[homae] de Sabaudia comitum se citationis terminum usque ad mediam quadragesimam prorogare. *1254. Febr. 1.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 130; Lib. XI, cur. 6. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 41, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15220.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Super diversis articulis fidem moresque religionis christiane tangentibus nobilem virum Conradum natum condam Fr. olim Romanorum imperatoris propositis publice citationis edictis ad presentiam nostram suadente officii pastoralis debito duximus evocandum, prefixo sibi peremptorio termino, quo veniret, suam, si Deo volente valeret, coram nobis innocentiam ostensurus[1]. Ipse vero audita citatione huiusmodi ad statutum terminum sollempnes procuratores et nuncios ad sedem apostolicam destinavit, qui super predictis articulis excusationes suas in nostro auditorio publice proponere curaverunt[2]. Nos itaque, hiis intellectis, quia eiusdem C. querimus affectu[a] paterno salutem, dilectorum filiorum nobilium virorum I. Montisfortis[3] et T. de Sabaudia[4] comitum precibus inclinati, usque ad medium proxime quadragesime[5] de solita eiusdem sedis misericordia predicte citationis terminum prorogamus, in eodem statu in quo erat negotio per omnia remanente.

Dat. Lateran.[b], II Nonas Februarii, anno XI°[6].

---

a) *in* affectū *signum - deletum est.* b) Lateran *primo omissum infra lineam positum est.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 4607, 4611, 4616a; cf. etiam p. 199, not. 2.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 4625.* 3) *Hunc Nicolaus de Curbio c. 36 avunculum Conradi appellavit; Baluze, Misc. t. VII, p. 394. De quodam Iohanne comite M. cf. t. II, p. 119, n. 158 et saepius ap. Berger.* 4) *Hic sine dubio legatus Conradi non erat; cf. infra sub a. 1256, Oct. 23.* 5) *Mart. 22. Eodem tempore papa cum rege Angliae tractabat de regno Siciliae filio eius conferendo; cf. ibid.* 6) *Annotamus, quos episcopos papa a. 1254 usque ad mensem Sept., quo tempore cum Manfredo pacem iniit, ecclesiis regni Siciliae praefecerit, quaedam alia addentes: Ian. 5 ecclesiae Pactensi diu vacanti fratrem Bartholomaeum de Lentino de ordine Praedicat. praeficit de fratrum consilio et plenitudine potestatis; Apr. 8 Anagnino, Ferentino et Verulano episcopis mandat, ut electum, cum requisiti fuerint, consecrent; electo mandat, ut ad ecclesiam suam accedat; Lib. XI, 359, 578, 579 = Potth. 15301, falso sub Mart. 28. — Ian. 27 A[lferum] de ecclesia Alifana, ad quam propter malitiam temporis accedere non potuerit, ad Viterbiensem et Tuscanensem ecclesiam translatum commendat inter alios populo Cornetano, non obstante quod bonae memoriae S[cambio] Viterb. et Tusc. electo [cf. Berger 1346] de iuribus episcopalibus intendere obligati non fuerint usque ad beneplacitum papale; Lib. XI, 382; Potth. 15211. — Mart. 28 ecclesiae Alifanae fratrem Romanum suppriorem Praedicat. Urbis praeficit; Apr. 5 archiepiscopo Corinthiensi et Viterbiensi et Cephaludensi episcopis mandat, ut electum, cum requisiti fuerint, consecrent; Sept. 2 episcopo Alifano contrahendi mutuum quinquaginta unciarum auri facultatem concedit; Lib. XII, 566 [= Potth. 15300], 581; XII, 173. — Iun. 19 in duabus epp. commemorat Nicolaum de Celano ad vacantem ecclesiam Marsicanam electum, quem ipse confirmaverit; Lib. XI, 746; cf. Potth. 15427 et 15428. — Iul. 21 O[ttobono] S. Adriani diacono cardinali mandat, ut Petrum archipresbyterum Castri S. Elyae terrae monasterii Cassinensis ecclesiae Calvensi in episcopum praeficiat; Lib. XII, 55. — Iul. 23 electionem de Lando de Vico in ecclesia Ogentina celebratam, a capitulo Ydrontino, ecclesia eadem vacante, et postea a Matthaeo de Palma electo Ydrontino confirmatam, ratam habet; Lib. XII, 54; Potth. 15467. — Aug. 24 ecclesiae Theatinae diu vacanti magistrum Alexandrum de Capua praeficit; Sept. 5 eidem, cum ad ecclesiam suam se conferre personaliter desideret, contrahendi mutuum centum unciarum auri facultatem concedit; Lib. XII, 151 et 179. — Sept. 2 Iohanni de Aversa ministro in Calabria ord. Minorum mandat, ut magistrum Nicolaum de Durachio, in Latina et Graeca lingua peritum, ecclesiae Cotronensi praeficiat, amoto exinde Mauro presbytero, qui pro ipsius electo se gerat; Lib. XII, 165; Potth. 15504. Cf. sub n. 210, 233, 238.*

256.

Innocentius IV papa [Rudolfo] archiepiscopo Magdeburgensi, qui ad W[illelmum] regem Romanorum accedens pro recipiendis regalibus captus et spoliatus sit, concedit, ut proventus beneficiorum diocesis suae usque ad triennium vacaturorum per annum percipiat.
1254, Febr. 6.

Inn. IV Reg. Vol. III, 56: Lib. XI, 441. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 15221; v. Mulverstedt, Reg. archiep. Magdeb. t. II, p. 597, n. 1352.

. . archiepiscopo Magdeburgensi[1].

Ad faciendam tibi gratiam specialem devotionis constantia, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinosceris, et carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris precamina nos inducunt. Cum igitur, sicut ex tua et ipsius parte fuit propositum coram nobis, dum ad ipsum ab eo vocatus pro recipiendis de manu eius iuxta morem regalibus et imperii agendis accederes[2], captus et spoliatus in via magna, priusquam evaderes, subire te oportuerit onera expensarum: nos, eiusdem regis et tuis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate concedimus, ut proventus et redditus primi anni beneficiorum vacantium, vel que usque ad completum triennium vacare contigerit in tua civitate vel diocesi, convertere per te vel alium valeas in solutionem huiusmodi debitorum, contradictores etc. — non obstante si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut conveniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum.

Dat. Lateran., VIII Idus Februarii, anno XI°.

257.

Innocentius IV papa abbatissae et conventui S. Iohannis Evangelistae Lubicensis confirmat sententiam definitivam, quam Albertus archiepiscopus Prusciae in causa inter ipsas et abbatem et monachos loci Cicimer vertente protulerit, insertis instrumentis processus habiti. *1254, Febr. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 63: Lib. XI, 494. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum authentico, quod editum est in Cod. dipl. Lubicensi, 1. Abth. t. I, p. 192, n. 210 [A.].
Potthast, Reg. 15225; Perlbach, Preuss. Reg. n. 438.

. . abbatisse et conventui monasterii monialium[a] sancti Iohannis Evangeliste Lubicensis Cisterciensis ordinis.

Iustis petentium etc. usque: complere. Exhibita quidem nobis vestra petitio continebat, quod cum olim vestrum monasterium esset duplex, in quo moniales et monachi sancti Benedicti ordinis morabantur, et adeo in spiritualibus et temporalibus deformatum, quod ibidem sepe temptata[b] per bone memorie Bertoldum Lubicensem episcopum[3], loci diocesanum, non potuit reformatio provenire[c], tandem bone memorie Iohannes

a) monial. monast. *A.* b) *ita A.;* temptate *R.* c) perv. *A.*

1) *Cf. n. 250. Iam Febr. 4 ad propositionem 'archiepiscopi' Magdeburgensis omnibus, qui fabricae ecclesiae Magdeb. manum adiutricem porrigerent, unum annum et quadraginta dies de iniuncta poenitentia relaxaverat; Lib. XI, 447; cf. 861.* 2) *A. 1253, Aug. 21 et 22 apud regem fuisse videtur; Böhmer-Ficker 5165 et 5166.* 3) *Sedit a. 1210—1230.*

successor ipsius Lubicensis episcopus[1] de abbatis et monachorum loci eiusdem et capituli Lubicensis assensu statuit et etiam ordinavit, ut iidem abbas et monaci ad locum qui Eitemer[a][2] dicitur, ad idem monasterium pertinentem, quem cum maiori parte possessionem et bonorum predicti monasterii eisdem de predictorum assensu contulit, se transferrent, ibidem sub regulari observantia Domino perpetuo servituri. Monasterium vero ipsum vobis et que vobis successerint cum reliqua bonorum eiusdem parte concessit; idque loci metropolitanus ac venerabilis frater noster . . Livonie et Pruscie archiepiscopus, apostolice sedis legatus, postmodum confirmarunt, quadam compositione super hiis inter partes per eiusdem archiepiscopi providentiam subsequente, que fuit a partibus acceptata, confirmata per metropolitanum et per sedem apostolicam roborata. Demum inter abbatem et conventum de Citemer[b] predictos ex una parte ac vos ex altera super eodem monasterio, quod iidem abbas et monachi sibi restitui postulabant, questione suborta, prefatus archiepiscopus in negotio ipso delegatus a nobis, cognitis cause meritis et iuris ordine observato, eisdem abbati et monachis per diffinitivam sententiam super hoc perpetuum duxit silentium imponendum, prout omnia[c] in eiusdem archiepiscopi litteris dicuntur plenius contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc per eosdem Iohannem episcopum, metropolitanum[d] et archiepiscopum[e] provide factum est ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus[f], litterarum eiusdem archiepiscopi tenorem sub sigillis fratrum Minorum et communitatis Lubicensis nobis exhibitum[g] presentibus inseri facientes; qui proponitur[h] esse talis:

Anno[i] Dominice incarnationis M°CC°L°[3] nos Albertus miseratione divina archiepiscopus Livonie ac Pruscie, minister ecclesie Lubicensis, litteras domini Innocentii IIII sub hac forma recepimus:

Innocentius[k] episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . . archiepiscopo[l] Pruscie ac Livonie salutem et apostolicam benedictionem. Sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, olim monasterio[m] sancti Iohannis Lubicensis, in quo abbas[n] et conventus sancti Benedicti ordinis morabantur, propter ipsorum incuriam in spiritualibus et temporalibus deformato, bone memorie . . Lubicensis episcopus[4] et venerabilis frater noster . . Bremensis archiepiscopus[5], metropolitanus loci, eosdem abbatem et conventum ab ipso monasterio auctoritate propria suis culpis exigentibus amoveri ac ibidem abbatissam et moniales Cisterciensis ordinis fecerunt induci. Set inter predictos abbatem et conventum, qui se ad locum qui Eicemer[o] dicitur, in quo construxerunt quoddam monasterium, Lubicensis diocesis transtulerunt, ex una parte ac easdem abbatissam et moniales ex altera, super eo quod iidem abbas et conventus ad ipsum monasterium sancti Iohannis redire contendunt, nec non divisione bonorum eiusdem monasterii et rebus aliis orta materia questionis, causa ipsa propter diversitatem commissionum super hiis tam ab eodem archiepiscopo quam a sede apostolica obtemptarum[p][6] est adeo intricata, quod non potest de facili terminari, et predicta monasteria propter hoc collapsa [sunt][q] in spiritualibus et temporalibus, quod non possunt tibi, cui commisimus eccle-

---

a) *ita R.;* Cicemer *A.* b) Cicemer *A.* c) hec omnia *A.* d) . . metrop. *A.; contra usum curiae.* e) . . archiep. *A.* f) ordinavimus *A.; mendum ut videtur editoris.* g) exhibitam *A.* h) proponit *A.* i) *Sequentem epistolam contulimus cum authentico in Cod. dipl. Lub. t. I, p. 161, n. 176.* k) *Contulimus cum authentico ibid. p. 157, n. 171; Potth. 14182.* l) archiepiscopo *in marg. add. in R.* m) *ita A.;* monasterium *R.* n) . . abbas *A.* o) Cicimer *A.* p) obtentarum *A.* q) sunt *deest R. et A.*

1) *Sedit a. 1230—1247.* 2) *Cismar in Wagria, e mer. civ. Oldenburg.* 3) *I. e. a. 1251; cf. sequentem epistolam papae. Initium anni more Coloniensi a festo paschae computatum videtur.* 4) *Iohannes.* 5) *Gerhardus II.* 6) *Cf. ep. a. 1247, Dec. 14, in hac ep. non commemoratam; Potthast 12788.*

siam Lubicensem, de iuribus episcopalibus respondere. Quare nobis humiliter supplicasti, ut indempnitati monasteriorum ipsorum providere de benignitate sedis apostolice curaremus. Cum autem causa huiusmodi ultimo tibi fuerit ab eadem sede commissa, mandamus[a], quatinus, si est ita, faciens tibi omnes huiusmodi litteras ac processus per eas habitos exhiberi, detentores[b] ad exhibitionem eorum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, in eadem causa appellatione remota previa ratione procedas iuxta directarum ad te nostrarum continentiam litterarum. Testes autem etc. Dat. Lugduni, Idibus Februarii, pontificatus nostri anno VIII[1].

Quod autem predicta causa nobis ultimo fuerit ab apostolica sede commissa, patet per subscriptas litteras; quarum tenor talis est:

Innocentius[c] etc. venerabili fratri . . archiepiscopo Pruscie, procuratori ecclesie Lubicensis, salutem etc. Monasterium de Cicemer ordinis sancti Benedicti Lubicensis diocesis adeo in temporalibus est collapsum et in spiritualibus ut accepimus deformatum, quod non creditur in suo posse ordine reformari. Quocirca mandamus[d], quatinus ad monasterium ipsum personaliter accedens et Deum solum habendo pre oculis inquirens super hiis diligentius veritatem, si tibi sic esse constiterit, Cisterciensem ordinem in dictum monasterium inducere procures, monachis eiusdem monasterii, qui suscipere dictum ordinem Cisterciensem noluerint, in aliquibus monasteriis sui ordinis collocatis[e]: contradictores etc. Dat. Lugduni, VI Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno VI[2].

Auctoritate igitur supradictarum litterarum abbatem et conventum de Cicemer et abbatissam et conventum Sancti Iohannis in Bibeke[f] ad nostram peremptorie citavimus presentiam, locum in Lubeke et crastinum sancti Iohannis Baptiste[3] ipsis terminum assignantes; in quo termino partibus iniunximus, ut processus habitos hinc et inde in octaba[g] assumptionis beate Virginis[4] nobis in Lubeke presentarent. Abbatissa vero ad eundem terminum nobis quosdam processus et litteras presentare curavit; quarum tenor talis est:

Iohannes Dei gratia Lubicensis ecclesie episcopus omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, in Christo Iesu gaudium et salutem. Humane memorie imbecillitatem, que variis impedita negotiis de facili senium oblivionis[h] consuevit incurrere, scripturarum perpetuitate duximus adiuvare. Noverint igitur universi, quod, perlata ad dominum nostrum archiepiscopum[i] materia cuiusdam dissensionis inter abbatem[k] Sancti Iohannis Evangeliste in Lubeke ex una parte et monachos eiusdem ecclesie ex altera, dominus noster archiepiscopus paci ipsorum consulere cupiens et saluti viros providos et religiosos fratrem Adolfum condam comitem Holtsacie[5] et fratrem Hernestum priorem ordinis fratrum Predicatorum Hammenburg. ad iamdictam ecclesiam destinavit, ut eorum consilio et prudentia ipsi ad religionem reformandam auctoritate sua et nostra procederent quantum possent. Ipsis autem ad eandem ecclesiam venientibus et nobis cum ipsis residentibus, abbatem et monachos ad presentiam nostram fecimus evocari. Tandem multo cum ipsis habito tractatu usque adeo processum fuit in negotio, quod abbas et monachi tam super abbate revocando[l] quam super alio substituendo et super statu totius cenobii fide in manibus nostris corporaliter prestita se nostris ordinationibus simpliciter et voluntarie subiecerunt[m], quod et manifeste postea coram nobis et consulibus civitatis et quibusdam aliis sunt confessi. Nos vero, attendentes quod etsi per

---

a) fraternitati tue per apostolica scripta mandamus *A*. b) denegantes *A*. c) *Contulimus cum authentico ibid. p. 131, n. 136; Potth. 13003.* d) fraternitati tue per apostolica scripta mandamus *A*. e) *litt.* oc *superscr. in R.* f) Lubeke *A*. g) *ita R. et A.* h) oblionis *R*. i) . . archiep. *A*. k) . . abbatem *A*. l) removendo *A*. m) subiacerunt *R*.

1) *I. e. a. 1251, Febr. 13.* 2) *I. e. a. 1248, Aug. 27.* 2) *A. 1251, Iun. 25.* 4) *A. 1251, Aug. 22.* 5) *Patrem Iohannis I et Gerhardi I comitum Holsatiae, qui a. 1238 habitum fratrum Minorum susceperat.*

antecessorem nostrum bone memorie Bertoldum episcopum et per nos ipsos super reformatione religionis sepe et multum fuerit laboratum, nullum tamen adhuc invenimus profectum, quia quod pro religione fuerat ordinatum, minime ab ipsis tam abbate quam monachis extitit observatum, in tantum enim invaluit in predicto loco libertas et oportunitas insaniendi et propter evacationes[a] in civitate et occasio et consuetudo, immo corruptela peccandi, ut spes non sit, quod in illo loco per eosdem monachos possit religio de cetero reformari: ideoque prudentum virorum habito consilio cum predictis duobus fratribus et nostro scolastico magistro Godescalco et domino Iohanne Volquarti[b] presentibus, consulibus etiam nostre civitatis consentientibus et petentibus, sic statuentes ordinavimus, ut abbas et monachi predicti cenobii exire debeant de civitate Lubicensi ad locum qui Cicemer nuncupatur, sub regula beati Benedicti Domino servituri; qui locus utique[c] in agris arabilibus et fertilibus, in pascuis, pratis, silvis, molendinis et piscibus adeo est desiderabilis, ut ad commodum et utilitatem claustralium non possit locus aptior eligi vel optari. De ecclesia vero sancti Iohannis Apostoli et Evangeliste cum eisdem fratribus de voluntate et petitione civitatis nostre statuimus, ut in eodem loco sanctimoniales Cisterciensis ordinis sint, que sub regula beati Benedicti ibidem Deo valeant iugiter famulari. De redditibus autem ecclesie sancti Iohannis sic statuimus, ut omnes redditus, quos habuit ecclesia in Holtsatia et in Slavia, ad ecclesiam in Cicemer iure pleno et integro pertinebunt. Allodium vero Valkenhusen[d] [1] et alii redditus, quos ecclesia sancti Iohannis habuit in civitate, in molendino videlicet, piscatura et areis, ipsi ecclesie sancti Iohannis ad necessitatem monialium integraliter et iure perpetuo remanebunt, ne ecclesia sancti Iohannis nuda a possessionibus habitis relinquatur, precipue cum tres domine moniales superstites adhuc sint[2], que cum aliis[e] monialibus, que viam universe carnis sunt ingresse, olim[f] de collegio sepe dicti monasterii Lubeke[g] extiterunt. Pro redditibus autem pretaxatis centum marche denariorum monachis in recompensationem a consulibus predictis quantotius persolventur. Ne igitur hec provida, hec sancta ordinatio ab aliquo in posterum malitiose valeat immutari, presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostro et fratris Adolfi condam comitis Holtsacie et fratris Hernesti prioris fratrum Predicatorum in Hammenburg duximus roborandam. Testes huius rei sunt: frater Reinaldus[h] de ordine Minorum et frater Nicolaus condam scolasticus Lubicensis, frater Albertus de Bardew[i] de ordine Predicatorum; nostri canonici: Godescalcus[k], Iohannes Volquardi; nobilis: dominus[l] Magnopolensis[3]; milites: Godefridus de Bulowe, Bernardus de Balige, et Helyas Gallus[4], Thidericus Clawe, Godescalcus Prefectus, Marquardus Faber: consules civitatis Lubicensis tunc temporis: Henricus Wllenpunt[m], Willehelmus dominus[n] Vasburgis filius, Rodulfus Wrot, Helyas Rutherius, Henricus de Boyceneburg, Godifridus de Nussia, Iohannes de Belling[o], Thidericus Vorrat, Henricus Vorrat et alii quamplures. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M°CC°XL°V°, in ecclesia sancti Iohannis Apostoli et Evangeliste in Lubeke, pontificatus nostri anno XVI°, III[p] Nonas Ianuarii. Contradictores et rebelles excommunicamus. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

De consensu vero abbatis et monacharum in subscripta littera plenius continetur; cuius tenor talis est:

---

a) evagationes *A.* b) Volquardi *A.* c) utique *manus, ut videtur, altera, coaeva, superscr. in R.* d) Valkenhuseñ *R.* e) aliis *superscr. in R.* f) que olim *R. et A.; sed fortasse locus alias quoque corruptus est.* g) in Lubeke *A.* h) Reinardus *A.* i) Bardewik *A.* k) scolasticus *add. A.* l) . . dominus *A.* m) Wllenpūt *R.;* Wullenpunt *A.* n) domine *A.* o) Bellig̅ *R.;* Deling *A.* p) IIII *A.*

1) *Cf. Cod. dipl. Lub. t. I, p. 62, n. 52.* 2) *Monasterium olim iam duplex fuerat, monachorum et monialium; cf. initium epistolae.* 3) *Iohannes dominus de Meklenburg.* 4) *Cf. p. 223, lin. 20.*

Iohannes Dei gratia abbas Sancti Iohannis Apostoli [et][a] Evangeliste in Laubeke[b] ac sui monachi omnibus presentes paginas inspecturis orationes in Domino. Noverint universi, quod nos omnem ordinationem factam super statu nostri monasterii in Lubeke tam auctoritate domini nostri archiepiscopi quam auctoritate nostri episcopi Lubicensis gratam habemus in omnibus et ratam. Ego enim et omnes fratres nostri cenobii clerici fide prestita manuali in manus domini nostri episcopi Lubicensis nos simpliciter et voluntarie obligavimus nulla conditione facta, quod omnem ordinationem circa ipsum monasterium tam auctoritate domini nostri archiepiscopi quam auctoritate domini episcopi Lubicensis factam simpliciter obedientes servaremus, sicut in ipso privilegio super hac ordinatione conscripto plenius continetur, precipue autem recognoscentes, quod allodium Valkenhusen et piscatura et omnia bona nostra, que infra civitatem Lubicensem sunt constituta, liberaliter et iure perpetuo ecclesie sancti Iohannis Evangeliste et monialibus ordinis Cisterciensis ibidem moraturis ad earum sustentationem relinquimus possidenda. Ut autem hec rata permaneant, presens scriptum sigilli nostri appensione duximus roborandum. Testes huius rei sunt: frater Adolfus condam comes Holtsatie, frater Hernestus prior fratrum Predicatorum in Hammenburc, frater Reynardus de ordine Minorum, frater Nicolaus condam scolasticus Lubicensis et frater Albertus de Bardewike de ordine Predicatorum; canonici Lubicenses: magister Godescalcus[c], Iohannes Volquarti[d]; nobilis vir dominus Iohannes Magnopolensis; milites Slavie: Godifridus de Bulowe, Bernardus de Walige, Etkeardus[e] Gallus, Thidericus Clawe; milites Holtsarie[f]: Godescalcus Prefectus, Marquardus Fuber[g]; consules civitatis: Henricus Wllempunt[h], Willelmus dominus[i] Vasburgis, Rodolfus Wrot, Helyas Rutherius, Henricus de Boytemburg, Godifridus de Nussia, Iohannes de Deling, Thidericus Vorrat, Henricus Vorrat et alii quamplures. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M°CC°XL°V°, in ecclesia sancti Iohannis Apostoli et Evangeliste in Lubelke[k], IIII Nonas Ianuarii.

De consensu etiam capituli Lubicensis habentur littere sigillate in hunc modum:

In nomine sancte et individue Trinitatis. . . prepositus, . . decanus et capitulum Lubicenses omnibus presens[l] scriptum inspecturis salutem in Domino. Noveritis, quod nos ad honorem domini nostri Iesu Christi et cultum divinum ampliandum gratam gerimus et acceptam mutationem et translationem factam in ecclesia beati Iohannis Evangeliste in Lubeke, sic ut moniales ordinis Cisterciensis sint in ecclesia predicta, que communionem et unctionem et alia iura spiritualia a suo preposito recipient, ius sepeliendi non habebunt nisi monialium et suarum sororum et prepositi et sue familie secundum formam et tenorem in privilegio ipsarum monialium inter nos et ipsas expressum; quibus in subsidium sustentationis, ut orationum suarum simus participes, oblationes cotidianas, que nobis ex privilegiis nostris debentur, in aliis privilegiis nostris donamus et relinquimus inoffense. Ut autem hec nostra donatio rata et firma permaneat, presentem paginam sigilli nostri appensione fecimus roborari. Dat. in Lubeke, anno gratie M°CC°XL°V°[m], VIII° Idus Februarii. Amen.

Quod autem archiepiscopus omnia predicta confirmaverit, per ipsius patentes litteras comprobatur; quarum tenor talis est:

Gerhardus Dei gratia[n] sancte Bremensis ecclesie archiepiscopus omnibus presentem paginam inspecturis salutem in Domino. Noveritis, quod omnem ordinationem factam auctoritate nostra per dilectos nuncios nostros, videlicet fratrem Hernestum priorem Hammenburgensem et fratrem Adolfum de Scowemburg, nec non auctoritate

a) et *deest R.*; apost. et *deest A.* b) Lubeke *A.* c) scolasticus *add. A.* d) Volquardi *A.* e) Eckecardus *A.* f) Holtsatie *A.* g) Faber *A.* h) Wllempūt *R.*; Wllenpunt *A.* i) domine *A.* k) Lubeke *A.* l) presentẹs *R.* m) *litt.* V *superscr. in R.* n) gr̄e *R.*

domini Iohannis Lubicensis episcopi super statu monasterii sancti Iohannis Evangeliste in Lubeke, scilicet ut abbas et monachi civitatem exeuntes Lubicensem ad locum qui vulgariter Cicimer dicitur transeant, ibidem mansuri, et moniales ordinis Cisterciensis in eadem ecclesia sancti Iohannis sint sub eo iure et libertate, quo nigri monachi ibi fuerunt, et alia, que in privilegio super hac[a] ordinatione confecto plenius continentur[b], nos auctoritate nostra metropolitica confirmamus, contradictores excommunicantes. Nulli etc. nostre confirmationis etc. usque: contraire. Dat. Brem[is][c], anno Dominice incarnationis M°CC°XL°V°, XIX Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno XXVI.

Sequitur executio sententie seu confirmationis eiusdem archiepiscopi ad dominum Iohannem Lubicensem episcopum in hec verba:

G. Dei gratia sancte Bremensis ecclesie archiepiscopus venerabili in Christo fratri suo Iohanni Lubicensi episcopo salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum ad officium nostrum et vestrum pertineat decorem domus Dei modis quibus possumus ampliare, nos, considerantes quod monasterium sanctimonialium ordinis Cisterciensis sancti Iohannis Evangeliste in Lubeke, ubi condam fuit quedam umbra religionis, nunc vero substantia sancte religionis cepit florere Domino disponente, necesse habeat, ut defendatur et consolationis uberibus nutriatur, fraternitatis vestre dilectionem rogandam duximus et monendam, quatinus prefatum monasterium cum suis possessionibus et personis auctoritate nostra et vestra per censuram ecclesiasticam defendatis, invasores et molestatores antedicti monasterii per interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias compescendo. Omnes enim nostras sententias in predicta causa iuste latas faciemus auctore Domino usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. Dat. Stadii, anno gratie M°CC°XL°VI°, VI[d] Kalendas Maii, pontificatus nostri anno XX°VIII°.

Post hanc confirmationem archiepiscopi exhibitum est quoddam instrumentum omnium predictorum; cuius instrumenti[e] tenor talis est:

A. miseratione divina archiepiscopus Lyvonie, Estonie et Pruscie, apostolice sedis legatus, universis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem et benedictionem a Domino. Sedes apostolica, cuius providentia dono Dei in sui dispositione non fallitur, inter alias gratias fidelibus populis dispensandas hanc suis legatis contulit potestatem, ut non solum ordinariorum sententias iudicum verum etiam delegatorum ipsius, si rite latas invenerint, auctoritate legationis sibi commisse valeant confirmare[1]. Cum[f] per civitatem Lubicensem versus Prusciam transitum faceremus, ordinationem quandam in ecclesia beati Iohannis Evangeliste in Lubeke factam invenimus per fratrem Adolfum ordinis fratrum Minorum et fratrem Ernestum ordinis fratrum Predicatorum de auctoritate diocesani episcopi et domini Bremensis archiepiscopi, metropolitani loci, nec non de assensu abbatis et quorundam monachorum prefate sancti Iohannis ecclesie ac[g] etiam prepositi, decani et capituli Lubicensis ecclesie, sicut per eorum et per plures alias litteras coram nobis extitit comprobatum. Que siquidem ordinatio talis erat, quod cum in prefato sancti Iohannis monasterio quasi quoddam duplex esset cenobium, monachorum ac etiam feminarum, et ex hoc et quibusdam aliis non per omnia exprimendis multa iampridem infamia contra monachos suborta fuisset, quam bone memorie Bertoldus condam Lubicensis episcopus et dominus Iohannes successor ipsius per crebras visitationes non poterant extirpare, nisi a cohabitatione mulierum fieret sequestratio monachorum, provida deliberatione prehabita taliter per pre-

---

a) hoc *R.* b) continetur *R.* c) Brem̄ *R.*; Bremis *A.* d) VI *superscr. in R.* e) *corr. ex* Istro *R.* f) ergo *add. A.* g) ac — ecclesie *deest A.*

1) *Cf. c. 2 de officio legati ap. Greg. Lib. I, tit. 30.*

dictos visitatores extitit ordinatum, ut abbas et monachi antedicti ad locum qui Cicemer dicitur religioni habilem se transferrent, monialibus remanentibus in monasterio memorato. Que quia usum psallendi non habebant, ne quicquam divino cultui deperiret, moniales Cisterciensis ordinis in sepedicto monasterio sunt locate, relicta eis aliquota parte bonorum ad usum subsidii temporalis, reliquis bonis pro multo maiori portione monachis deputatis. Verum licet quidam ex monachis in Egyptum redire volentibus contra hanc ordinationem prout poterant reclamarent: quia tamen ipsam invenimus a metropolitano et diocesano et abbate predicti loci et a Lubicensi capitulo approbatam, favore etiam comitis terre [1] et consulum ac civitatis Lubicensium, quantum ad ipsos pertinere potuit, accedente, attendentes insuper etiam abolitionem totius infamie precedentis ac ampliationem divini cultus in eo, quod ex uno monasterio facta sunt duo, quorum utrumque in temporalibus potest susistere [a], ordinationem ipsam, sicut provide facta est, auctoritate legationis qua fungimur duximus confirmandam. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Si quis autem [b] hoc attemptare presumpserit, sententiam suspensionis seu interdicti se noverit incursurum [c]. Dat. Lubeke, anno Domini M°CC°XL°VI°. mense Augusti [d] [2].

Postmodum est exhibita nobis littera amicabilis compositionis, que nobis mediantibus facta fuit et multorum testimonio comprobata et ab utraque parte recepta: cuius forma talis est:

A. [e] miseratione divina archiepiscopus Livonie, Estonie et Pruscie, minister ecclesie Lubicensis, apostolice sedis legatus, universis presentes litteras audituris in salutis auctore salutem. Noverint universi, quod nos, ex debito officii nostri [f] pacis cultum ampliare et discordias subortas et questiones scrupulosas sopire [g] cupientes, causam monasterii sancti Iohannis in Lubelk [h] [de] [i] bonis quibusdam inter abbatem de Fonte sancti Iohannis Evangeliste ex parte una, qui locus vulgariter Cicemer dicitur, et abbatissam Sancti Iohannis in Lubek et moniales ex altera sic de utriusque partis consensu, cum in nos simpliciter compromiserint, determinamus, ut abbati pro restauro bonorum, videlicet Valkenhusen, piscaria [k] in Wokoniz [l] [3], quinque marcis denariorum in thelonio, triginta talentis frumenti in molendino antiquo et tredecim solidis [m] Lubicensis monete, que sicut canonicis Lubicensibus persolvuntur, sic cenobio sancti Iohannis persolventur, et octo marcis [n] denariorum in areis, quibus omnibus abbas de Fonte sancti Iohannis Evangeliste simpliciter cessit a bonis et questione, que bona predicta hactenus impetebat, trecentas marcas denariorum predictum cenobium monialium abbati et fratribus suis, de quorum consensu iamdictus abbas cessit, dabit sine scrupulo questionis; quas sic persolvet [o]: in hoc anno centum marcas et proximo centum et tertio centum. Insuper frater Adolfus et nos bona fide laborabimus, ut dominus Iohannes comes Holtsatie ecclesiam in Grobe [4] det cenobio de Fonte sancti Iohannis Evangeliste iure perpetuo possidendam; insuper duas villas, scilicet Marcus [p] et Londist, ut precio relinquat cenobio memorato, operam dabimus bona fide. In cuius rei testimonium presens scriptum sigilli nostri et dicti abbatis et gardiani fratrum Minorum, Lubicensium consulum et abbatisse [appensione] [q] duximus roborandum. Testes huius rei sunt: clerici: Gerardus dictus Pilatus, Iohannes de Parkentin; consules: Willelmus Wasburg. [r], Iohannes

a) subsistere *A.* b) autem *repetitum in R.* c) incurrisse *A.* d) Aug *R.* e) *Contulimus cum authentico in Cod. dipl. Lub. t. I, p. 133, n. 140.* f) nr̄is *R.* g) *litt.* o *corr. ex* u *R.* h) Lubeke *A.* i) et *R. et A.* k) piscarie *R.* l) Wokeniche *A.* m) solidos *R.* n) marcas *R.* o) persolvunt *A.* p) marc' *R.*; Marus *A.* q) appensione *deest R. et A.* r) Wasburḡ *R.*; Vastburgis *A.*

1) *A. 1246, Oct. 23 Iohannes et Gerhardus comites Holsatiae ordinationem factam ratam habuerunt: Cod. dipl. Lub. t. I, p. 116, n. 118. Pater eorum, praedictus frater Adolfus, accipiens quaedam bona monasterii, eidem villam Cicemer olim dederat: ibid. p. 85, n. 79.* 2) *Alia confirmatio legati a. 1246, Sept. 6 data ibid. p. 113, n. 115.* 3) *Wakenitz.* 4) *Grube ex sept. et or. loci Cismar.*

de Deling[a], Rodulfus Wrot et alii quamplures. Acta sunt hec ad Sanctum Iohannem Evangelistam in Lubek, anno Domini M°CC°XL°IX°, XIIII Kalendas Maii.
Predictam vero compositionem Bremensis archiepiscopus confirmavit, ea videlicet ratione, quod Lubicensis ecclesia, cui tunc presedimus, suffraganea est Bremensis ecclesie, unde ad ipsum spectare auctoritate metropolitica videbatur: cuius confirmationis rescriptum tale est:

G. Dei gratia sancte Bremensis ecclesie archiepiscopus omnibus presentem[b] paginam visuris in Domino salutem. Ne, quod rationabiliter inter aliquos noscitur ordinatum, cuiusquam temeritate vel oblivione contingat in dubium revocari, notum esse volumus universis, quod nos compositionem, mediante domino Lubicensi et aliis religiosis viris inter abbatem et monachos de Fonte sancti Iohannis ex parte una et abbatissam et moniales Sancti Iohannis Evangeliste Lubicensis factam et ab ipso episcopo presente abbate et consentiente publice promulgatam, approbamus, auctoritate qua fungimur confirmamus et presentis scripti munimine roboramus. Dat. Stadh.[c], anno Domini M°CC°XL°IX°, pontificatus nostri XXX°.
Exhibita est nobis post hec papalis littera sub tali tenore:

Innocentius[d] episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatisse[e] ac conventui monasterii sancti Iohannis in Lubek Cisterciensis ordinis Lubicensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Exhibita nobis siquidem vestra petitio continebat, quod licet in vestro monasterio sancti Iohannis ordo monachorum nigrorum institutus fuerit ab antiquo, eis tamen postmodum de mandato felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nostri ad locum qui Cicemer dicitur ex certa causa translatis, fuit per loci diocesanum et alios, quorum intererat, deliberatione provida ordinatum, ut in eodem monasterio a prefatis monachis nigris dimisso conventus monialium Cisterciensis ordinis poneretur, ubi nunc vos sub eiusdem ordinis observantiis pro Christi gloria spretis vanitatibus seculi dignum impenditis Domino famulatum; et demum venerabilis frater noster . . archiepiscopus Livonie, Estonie ac Pruscie, qui tunc in hiis[f] partibus legationis officio fungebatur, hoc laudabile factum intelligens, id dicitur confirmasse. Quod quidem ratum haberi a nobis humiliter supplicastis. Vestris igitur supplicationibus inclinati, ordinationem huiusmodi, sicut provide facta est, ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc. Si quis etc. Dat. Lugduni, Idibus Iulii, pontificatus nostri anno quinto[1].
Ex hac littera manifeste apparet dominum papam confirmationem sui legati legitime approbasse. Nos igitur auditis et inspectis processibus supradictis abbati et capitulo de Cicemer duximus iniungendum, ut si quid vellent pro se introducere nobis, in crastino beati Luce evangeliste[2], quem terminum partibus prefiximus, nobis in domo fratrum Minorum in Lubek presentarent; ad quem terminum abbate ex una parte et abbatissa ex altera comparentibus coram nobis exhibitum fuit quoddam instrumentum, in quo videbatur contineri, quod dominus Iohannes episcopus factum suum quasi in mortis confinio revocasset. Fuerunt etiam alias hinc et inde multa proposita, que singula non oportuit explicari, super quibus omnibus deliberatione prehabita in capitulo maioris ecclesie presedimus feria quarta[g][3], presentibus canonicis maioris ecclesie, fratribus Predicatoribus et Minoribus, presente etiam abbatissa predicta, set abbate de Cicemer

a) Delig̃ *R.*; Cling *A.* b) presentẽs *R.* c) Stadhii *A.* d) *Contulimus cum authentico ibid. t. I, p. 123, n. 125; Potth. 12614.* e) . . abbatisse *A.* f) illis *A.* g) sequente *add. A.*

1) *I. e. a. 1247, Iul. 15.* 2) *A. 1251, Oct. 19.* 3) *Oct. 25.*

se per contumatiam absentante, et sententiam huiusmodi auctoritate supradictarum litterarum sedis apostolice protulimus in hec verba: De vultu tuo, Domine, iudicium meum prodeat, oculi tui videant equitatem, quam te auctore sequentes, quia secundum premissa omnia translationem monachorum in Cicemer et institutionem abbatisse[a] Sancti Iohannis in Lubek auctoritate domini Bremensis archiepiscopi et diocesani episcopi de consensu bone memorie Iohannis abbatis eiusdem monasterii per fratrem Adolfum ordinis fratrum Minorum et fratrem Ernestum ordinis Predicatorum invenimus legitime factam cum possessionibus hinc inde assignatis, adiecta similiter ordinatione inter predicta monasteria de consensu partium habita, sicut in litteris superius est expressum, auctoritate Dei omnipotentis et domini pape qua fungimur confirmamus, eidem abbati et monachis super hoc perpetuum silentium imponentes, contradictores et rebelles excommunicationis vinculo innodantes. Actum Lubeke, anno Domini M°CC°LI°[b].

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., VIII Idus Februarii, anno XI°.

. . scolasticus ecclesie Nortunensis[1] Maguntine diocesis datus est super hiis conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi[2].

258.

Innocentius IV papa [Thomae] episcopo Senensi facultatem concedit absolvendi Senenses, qui de cetero usque ad biennium excommunicati fuerint pro eo, quod cum Pisanis in mercimoniis communicent. *1254, Febr. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 56: Lib. XI, 443. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

. . episcopo Senensi.

De subditorum tuorum salute solicitus nobis humiliter supplicasti, ut cum frequenter contingat nonnullos homines Senensis civitatis et diocesis in mercimoniis communicare Pisanis ac propter hoc sententiam excommunicationis incurrant, absolvendi tales ab huiusmodi sententia tibi licentiam largiremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue absolvendi iuxta formam ecclesie omnes illos de eadem civitate ac dioecesi, qui excommunicationis sententiam taliter incurrisse noscuntur et qui decetero usque ad biennium incurrent, et iniungendi eis penitentiam salutarem plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem[3].

Dat. Lateran., III Idus Februarii, anno XI°.

---

a) et monialium in ecclesia *add. A.* b) *sequitur in A.:* Datum per manum publicam Heinrici scriniarii seu notarii universitatis civitatis Lubicensis. Ego Henricus persona publica tale signum annotationis apposui supradictis *[signum notarii]*. Nos etiam ad maiorem cautelam presentes litteras sigillo nostro duximus consignandas.

1) *Nordhausen.* 2) *A. 1254, Ian. 28 papa [Henrico] episcopo Havelbergensi mandaverat, ut sententiam [Alberti] archiepiscopi observari faceret. Mart. 3 abbatissam et moniales sub protectione sua suscepit; Potthast 15212 et 15262; cf. etiam Cod. dipl. Lub. t. I, p. 195, n. 214 et Alex. IV Lib. I, 546 = Potthast 15918.* 3) *Cf. t. II, p. 181, not. 2. A. 1252, Ian. 31 S[tephano] archiepiscopo Turritano legato indulserat, ut cum Pisanis et aliis fautoribus quondam Friderici II excommunicatis communicaret, non excommunicandus; Lib. IX, 110; cf. 107.*

259.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi concedit, ut in Alamannia crucem praedicet et omnibus, qui eam assumpserint pro ecclesiae et W[illelmi] regis Romanorum subsidio seu contra C[onradum] natum Friderici II et fautores eius, eam veniam elargiatur, quae crucesignatis pro succursu Terrae Sanctae tribuatur.

1254, Febr. 16.

Inn. IV Reg. Vol. III, 61; Lib. XI, 476. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15239; Perlbach, Preuss. Reg. n. 440.

. . episcopo Sambiensi.

Ad promotionem negotii ecclesie ac Romani imperii cunctis inhiantes affectibus, iugi erga eam sollicitudine vigilamus, et ut possit auctore Domino laudabiliter provenire, totius diligentie studium adhibemus, impendendo ad hoc quam possumus operam et aliorum opem nichilominus postulando. Hinc est, quod nos, de fraternitate tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate concedimus, ut per regnum Alamannie possis Christi fidelibus proponere verbum crucis et omnibus, qui pro ecclesie vel karissimi in Christo filii nostri W. Romanorum regis illustris auxilio seu subsidio contra C.[1] natum condam Frederici Romanorum imperatoris suosque fautores ipsius crucis signum assumpserint, illam peccatorum veniam et idem privilegium eamque immunitatem tribuere, que crucesignatis pro Terre Sancte succursu consuevit sedes apostolica elargiri, eosque sub protectione sedis eiusdem suscipere ac ipsis conservatores iuxta formam predicte sedis solitam deputare, personis insuper ecclesiasticis, que contra predictos C. et fautores ipsius crucis fuerint caractere insignite, tribuere licentiam obligandi usque ad triennium redditus et proventus suos ecclesiasticos iuxta indulgentiam crucesignatorum pro terre subventione prefate — non obstante consuetudine qualibet vel statuto, quacumque firmitate vallatis, — nec non convocare plebanos, rectores et clericos ecclesiarum eiusdem regni cum suis plebibus pro memorato negotio, quotiens videris expedire, ipsosque, si necesse fuerit, ut ad tuam convocationem accedant, per censuram ecclesiasticam — privilegiis quibuslibet et indulgentiis apostolicis nequaquam obstantibus — cohercere. Ac ut copiosior ad audiendum verbum prefatum populi confluat multitudo, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad huiusmodi tuam predicationem accesserint, XX vel XL dies de iniunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. Lateran., XIIII Kalendas Martii, anno XI°.

260.

Innocentius IV papa eidem et praedicatoribus crucis in Alamannia concedit, ut eos, quos in torneamentis occidi contigerit, sepulturae ecclesiasticae tradi permittant, si iidem W[illelmo] regi Romanorum contra Conradum natum Fr[iderici II] et fautores eius subsidium praestiterint vel crucem assumpserint contra eosdem. 1254, Febr. 17.

Inn. IV Reg. Vol. III, 84; Lib. XI, 606. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 164 edidit.

Potthast, Reg. 15240; Perlbach, Preuss. Reg. n. 441.

1) *Quocum eodem tempore tractatum de pace reformanda habebat; cf. n. 255; cf. etiam n. 187 et 188.*

.. episcopo Sambiensi et dilectis filiis predicatoribus verbi crucis in regno Alamanie[1].

Cum sacris sit canonibus interdictum, ne hii, qui accedentes ad torneamenta causa congregandi et vires suas temere ostentandi occiduntur ibidem, tradantur ecclesiastice sepulture[2], non intendimus aliquibus aperire viam eundi ad torneamenta huiusmodi, set ea omnimode detestamur. Verum, si quos, quod aspernamur, ad ipsa ire contigerit, talibus, qui aliquod subsidium iuxta facultates proprias secundum vestre discretionis prudentiam carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri in communi causa contra Conradum natum Fr. condam Romanorum imperatoris et fautores eiusdem prosequenda prestiterint, vel qui in eiusdem regis subsidium contra predictum C. et fautores eosdem pro se vel suis predecessoribus assumpserint signum crucis, volentes in hac parte ob favorem ipsius regis et negocii generalis, quod idem[a] pro Christiani populi pace prosequitur, remedio specialis gratie providere, vobis presentium auctoritate concedimus, quod si quos eorum ibi mori contigerit, ipsis vel hiis, pro quibus heredes talium aut consanguinei et amici huiusmodi subsidium prestiterint, dummodo in ipsis omnibus apparuerint signa penitentie manifesta, possitis per vos vel alios ad hoc idoneos auctoritate nostra concedere, quod tradantur ecclesiastice sepulture; presentibus post triennium minime valituris[3].

Dat. Lateran., XIII Kalendas Martii, anno XI°.

261.

Innocentius IV papa eidem ad preces W[illelmi] regis Romanorum facultatem concedit dispensandi cum quinque hominibus Alamanniae, qui in subsidium regis crucem assumpserint, ut eorum quilibet mulierem sibi in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu attinentem matrimonialiter sibi possit copulare. *1254, Febr. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 63; Lib. XI, 491. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15248; Perlbach, Preuss. Reg. n. 442.

.. episcopo Sambiensi[4].

Ad hoc Deus in apostolica sede constituit plenitudinem ecclesiastice potestatis, ut Romanus pontifex, qui claves in beato Petro potestatis et discretionis accepit, nunc rigorem exerceat, nunc mansuetudinem anteponat, prudenter attendens non solum personas sed causas etiam, cum quibus etiam et ex quibus dispensare disponit, quia non est reputandum personis deferri, cum pro loco et tempore non privati sed publici comodi gratia quicquam aliquibus sine iuris iniuria indulgetur. Hinc est, quod nos, promotionem generalis negocii, super quo iamdiu in regno Alamannie per Romanam ecclesiam dinoscitur laboratum, et profectum carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris totis desideriis affectantes, ipsius regis supplicationibus inclinati, dispensandi cum V personis regni eiusdem, qui in ipsius regis subsidium assumpserint[b] signum crucis, pro quibus id a te petierit rex prefatus, quod eorum quilibet attinentem

a) eidem *R.* b) assumpserit *R.*

1) *Cf. n. 259.* 2) *Cap. 1 et 2 ap. Greg. de torneam. Lib. V, tit. XIII.* 3) *De torneamentis cf. etiam infra sub a. 1264, Iul. 6.* 4) *Cf. n. 259 et 260.*

sibi mulierem in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis sibi valeat matrimonialiter copulare — impedimento huiusmodi non obstante —, prout id rationabilis causa suaserit, fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Lateran., VIII Kalendas Martii, anno XI°[1].

262.

Innocentius IV papa [Henrico] episcopo Traiectensi concedit facultatem percipiendi per unum annum proventus beneficiorum ecclesiasticorum diocesis suae, quae usque ad triennium vacaverint, convertendos in subsidium W[illelmi] regis. 1254, Febr. 22.

Inn. IV Reg. Vol. III, 63: Lib. XI, 492. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15249.

.. episcopo Traiectensi.

Personam tuam, quam circa negotium universalis ecclesie promptam esse intelleximus et apostolice sedi devotam, prosequi favorabiliter intendentes, percipiendi per unum annum proventus ecclesiasticorum beneficiorum, dignitatum et personatuum, que in civitate ac diocesi tua usque ad triennium vacare contigerit, eosque in sumptus, quos pro servitio Romane ecclesie ac carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris te subire contigerit, integre convertendi nec non et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod absque speciali mandato sedis ipsius excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi, — liberam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem: proviso tamen quod interim huiusmodi beneficia, dignitates et personatus debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus ipsa imminet, nullatenus negligatur.

Dat. ut in alia[2].

263.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi ad preces W[illelmi] regis Romanorum et [Henrici III] Argentinensis et [Eberhardi] Constantiensis episcoporum mandat, ut cum Henrico nato Conradi de Thengen et Odelhilda filia Olrici de Snabelburch de matrimonio contrahendo dispenset. 1254, Febr. 25.

Inn. IV Reg. Vol. III, 61: Lib. XI, 477. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. I, p. 705, n. 522 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15250; Perlbach, Preuss. Reg. n. 443.

.. episcopo Sambiensi[a].

Attenta sedis apostolice circumspectio congrue temporum vices pensans etc.[b] usque: agat. Hinc est, quod nos, attendentes fidei puritatem, quam nobiles viri dilecti filii Conradus de Thengen[3] et Olricus de Snabelburch[4] Constantiensis diocesis ad nos

---

a) Eidem *R.* b) *cf. t. II, p. 325, n. 452.*

1) *Mart. 25 eidem talem dispensationem cum Thilemanno de Ruremunde [Roermond in Holl. Limburg] in servitium Willelmi regis crucesignato faciendam commisit; Lib. XI, 541; Potthast 15296; cf. p. 161, not. 1.* 2) *A. 1253, Oct. 1 [Henrico] electo Leodiensi, cum occasione obsequiorum, quae hactenus ecclesiae Romanae ac W[illelmo] regi impendit, gravibus debitis praegravaretur, eandem facultatem concesserat; Lib. XI, 225; Potthast 15148.* 3) *Cf. t. II, p. 352, n. 498.* 4) *In monte Albis ad sinistram ripam lacus Turicensis sito; de Ulrico cf. Böhmer-Ficker 5122.*

et Romanam habent ecclesiam, nec non et grata devotionis[a] obsequia, que carissimo in Christo filio nostro W. Romanorum regi illustri in promotione negotii generalis ecclesie ac Romani imperii incessanter hactenus impendisse dicuntur, ac volentes ipsis ex hoc in eorum petitionibus existere favorabiles et benigni, eiusdem regis et venerabilium fratrum nostrorum . . Argentinensis et . . Constantiensis[1] episcoporum supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus cum dilecto filio nobili viro Henrico nato predicti C. et nobili muliere Odelhilda filia prefati Olrici, ut possint ad invicem matrimonialiter copulari — non obstante quod quarta consanguinitatis linea se contingunt —, auctoritate nostra dispenses.

Dat. Lateran., V Kalendas Martii, anno XI°.

264.

Innocentius IV papa statuit, ut archiepiscopis, episcopis et praelatis, visitantibus ecclesias, procurationes moderatae exhibeantur, ita ut summam quattuor marcarum argenti in nulla procuratione transcendant. *1254, Febr. 28.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 61; Lib. XI, 478. Exemplar, quod Matthaeus Paris., ed. Luard, Addit. t. VI, p. 289, n. 143 praebuit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Ad memoriam et observanciam perpetuam.

Contra gravamina, que in procurationibus ratione visitationis debitis inferebantur subditis a prelatis, providerunt salubriter canonica instituta circa evectionum et personarum multitudinem, epularum immoderantiam aliasque superfluitates, statuendo modestiam debitam observari, ut nec in exigendo nimium prelati excederent, nec in exhibendo superflue subditi gravarentur fieretque visitatio ad salutem animarumque letitiam et non ad afflictionem et tedium subiectorum. Verumptamen quia nonnulle adhuc de huiusmodi procurationibus querimonie audiuntur, nos, volentes pastorali sollicitudine providere taliter in hac parte, quod tollatur omnino gravandi occasio et cesset prorsus materia murmurandi, apostolica auctoritate statuimus, ut archiepiscopis, episcopis, archidiaconis aliisque prelatis personaliter visitantibus ab ecclesiis et locis visitatis exhibeantur procurationes in victualibus et aliis necessariis moderate, ita quod hec secundum communem rerum extimationem singulorum locorum vel sumptus, qui pro hiis fient, summam seu valentiam quatuor marcarum argenti in nulla procuratione transcendant, proviso tamen quod secundum maiorem vel minorem evectionum et personarum numerum pro maioritate vel minoritate prelatorum in concilio Lateranensi taxatum[2] fiant usque ad summam ipsam vel infra huiusmodi procurationum expense. Set in locis, in quibus maior fertilitas vel copia rerum habetur, et ubi minores sunt redditus seu ecclesiastice facultates, minus secundum ampliorem necessariorum ubertatem et parvitatem proventuum in ipsis procurationibus expendatur[3]. Si autem amplius in huiusmodi procurationibus fuerit expensum, prelati eas recipientes restituere in utilitatem ecclesiarum, a quibus ipsas receperint, et illi, qui eas exhibuerint, erogare de suo proprio pauperibus

a) devota *R.*

1) *Hic apud sedem apostolicam tum erat; cf. n. 266.* 2) *A. 1179, cap. IV, ap. Mansi, Conc. Coll. t. XXII, col. 219; cf. col. 1019.* 3) *Intellegas: quia in locis maioris fertilitatis minor pecunia ad sustentationem sufficit, minor postuletur vel expendatur; idem de locis pauperibus statuitur.*

duplum eius, quod taliter ultra expensum extiterit, compellantur, alia nichilominus pena multandi, si visum fuerit expedire; ceteris nichilominus, que pro huiusmodi visitationibus et procurationibus generaliter statuta esse noscuntur, manentibus semper salvis. Nulli etc. nostre constitutionis etc.

Dat. Lateran., II Kalendas Martii, anno XI°.

265.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Sambiensi ad preces W[illelmi] regis Romanorum facultatem concedit dispensandi cum nobilibus Alamanniae crucesignatis super quibusdam decimis percipiendis, ita tamen ut dispensatio duret solum, donec rex imperii adeptus sit diadema. *1254, Mart. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 63; Lib. XI, 493. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15260; Perlbach, Preuss. Reg. n. 445.

.. episcopo Sambiensi[1].

Ex parte carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris fuit propositum coram nobis, quod dilectus filius noster H[ugo] tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis, tunc in illis partibus apostolice sedis legatus, cum nonnullis nobilibus regni Alamannie [super][a] decimarum perceptione, [quas][b] iuxta morem patrie in feudum vel tamquam sub alodio seu quasi iure hereditario ab antiquo tenebant, quod earum fructus hactenus perceptos ex ipsis et percipiendos valeant, quoad vixerint, retinere, dummodo in eiusdem regis et ecclesie generalis subsidium signum crucis assumerent, dispensavit[2], prout in litteris inde confectis et ipsius cardinalis sigillo munitis dicitur plenius contineri. Nos itaque, ipsius regis precibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali provide factum est ratum et gratum habentes[c], illud auctoritate apostolica duximus confirmandum, et tibi nichilominus dispensandi sub eadem forma cum talibus, prout eiusdem regis subsidio expedire cognoveritis tu et ipse, concedimus auctoritate presentium facultatem, dispensatione huiusmodi duratura solum, quousque imperii adeptus fuerit diadema[3]. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Lateran., VI Nonas Martii, anno XI°[4].

266.

Innocentius IV papa Eberhardo episcopo Constantiensi indulget, ut redditus beneficiorum civitatis et diocesis suae, quae, finito quinquennio iam concesso, usque ad triennium vacaverint, per unum annum in subsidium negotii ecclesiae generalis convertat. *1254, Mart. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 66; Lib. XI, 499. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke. Ladewig, Reg. episc. Constant. n. 1843.

---

a) qui pro *R.* b) quas *deest R.* c) hn̄tes *superscr.*

1) *Cf. n. 259—261.* 2) *Cf. n. 193; cf. etiam n. 2.* 3) *Hoc loco primo post a. 1251 futuram coronationem Willelmi regis commemorat; cf. etiam Potthast 15475 et Böhmer-Ficker 5197a.* 4) *Sub Mart. 11 eidem episcopo epistolam cum n. 225 ad verbum congruentem destinavit; Lib. XI, 521; Potthast 15272.*

Eberhardo episcopo Constantiensi.

Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus[1], nos olim tibi per nostras duxerimus litteras concedendum, quod redditus et proventus prelaturarum, dignitatum et personatuum ac aliorum beneficiorum, que in tua civitate ac diocesi usque ad quinquennium vacare contingeret, convertere posses per unum annum in subsidium expensarum, quas oportebat pro ecclesie generalis negotio te subire, nos, volentes ampliorem tibi facere gratiam in hac parte, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, ut redditus et proventus huiusmodi prelaturarum, dignitatum et personatuum ac aliorum beneficiorum, que in eadem civitate ac diocesi finito quinquennio ipso usque ad triennium vacabunt, per unum annum in simile subsidium convertere ac contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescere valeas, auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., VI Nonas Martii, anno XI°[2].

267.

Innocentius IV papa Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali mandat, ut cum [Albertus] archiepiscopus Prusciae, cui episcopatus Lubicensis pro sustentatione sua dudum commendatus sit, in sede sua commode sustentari possit, ecclesiae Lubicensi I[ohannem] de Diest fratrem Minorum episcopum Sambiensem in episcopum praeficiat. 1254. Mart. 1.

Inn. IV Reg. Vol. III, 63; Lib. XI, 490. Pertzii exemplar cum Regestis collatum [1] contulimus cum altero exemplari, quod ibidem f. 67, n. 504 legitur [2]. Forma 2 etiam epistolae n. 271 inserta est. Potthast, Reg. 15263; Perlbach, Preuss. Reg. n. 446.

Petro Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali.

Cum venerabilis frater noster . . archiepiscopus Pruscie, cui episcopatum Lubicensem pro sui sustentatione iam dudum commendavimus, in loco idoneo[3], ubi et residere ac de proventibus archiepiscopalibus comode sustentari potest, erexerit, sicut accepimus, sedem suam: nos, volentes de ipso episcopatu venerabili fratri nostro I. de Diest[a] ordinis fratrum Minorum episcopo Sambiensi, pro quo ad instantiam carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris alias scripsimus, providere, [prout in litteris inde confectis dicitur plenius contineri][b] [4], mandamus, quatinus [huiusmodi commendationem seu concessionem factam ipsi archiepiscopo revocans et][c] eundem episcopum absolvens a vinculo, quo tenetur ecclesie Sambiensi, preficias ipsum auctoritate nostra Lubicensi ecclesie in episcopum et pastorem, plena sibi spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie amministratione commissa et concessa ei nichilominus licentia se ad ipsam ecclesiam transferendi, ac facias ei per te vel per alium a capitulo et clero civitatis et diocesis Lubicensis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc.

---

a) Dist 2; Diest *in n. 271.* b) prout — contineri *add. 2.* c) huiusmodi — revocans et *add. 2.*

1) *Iam Febr. 19 Romae erat: Fontes rer. Bernen. t. II, p. 375; Ladewig n. 1841; Febr. 20 etiam procurator episcopi ibi erat: cf. infra sub Iul. 14.* 2) *Alexander IV hanc concessionem a. 1255, Dec. 13 confirmavit: Lib. II, 100, cum nota chronol. 'Id. Dec. a. II', qui dies a. 1256, Dec. 13 nostrae computationis respondet; sed legas 'a. I', cum epistola inter alias mensium Ian. et Febr. a. 1256 reperiatur.* 3) *In civitate Rigensi.* 4) *N. 206.*

— non obstante[a] si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici aut conveniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Lateran., IIII Nonas Martii, anno XI°.

268.

Innocentius IV papa Iohanni electo Taurinensi indulget, ut rationem administrationis temporalium nulli reddere teneatur. *1254, Mart. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 66; Lib. XI, 501. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Iohanni electo Taurinensi.

Tuis gravaminibus occurrere cupientes, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut pro tempore preterito et futuro, quamdiu de nostra licentia Taurinensis ecclesie curam geres, rationem administrationis temporalium nulli reddere tenearis[1]. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., II Nonas Martii, anno XI°.

269.

Innocentius IV papa praeposito et capitulo S. Stephani de Fino Cumanae dioecesis confirmat quaedam statuta, quae pace demum in partibus eorum reformata ad ecclesiam suam redeuntes fecerint. *1254, Mart. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 73; Lib. XI, 533. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

.. preposito et capitulo ecclesie sancti Stephani de Fino[2] Cumane diocesis.

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod cum olim propter guerrarum discrimina omnes ecclesie vestre domus penitus destructe fuissent et bona ipsius ecclesie devastata, demum pace per Dei gratiam in illis partibus reformata[3], nonnulli vestrum ad ipsam ecclesiam redeuntes domos seu cameras ibidem a fundamentis de bonis propriis construxerunt. Procedente vero tempore unanimiter statuistis, ut cedentibus vel decedentibus illis, qui edificaverunt domos ipsas aut alias decetero edificabunt ibidem, prefate domus capitulo vestro cedant et capitulum eas canonicis ipsius ecclesie vendere pro competenti precio teneatur, de quarum precio emi debent[b] possessiones ad opus eiusdem ecclesie, ac de ipsarum fructibus pro animabus illorum, qui eas edifi-

a) obst' *1 et n. 271;* obstante 2. b) debe t *R.; locus rasus unius litterae inter litt.* e *et* t.

1) *Agitur ut videtur de controversia diutina inter eum et Thomam de Sabaudia vertente; cf. p. 103, not. 2 et p. 142, not. 3 et Potthast 14602, 14621, 14639, 14850—51, 14857, 14872. — 15231 ad a. 1210 pertinet.* 2) *Fino e mer. civ. Cumanae.* 3) *Cumani pacto cum Mediolanensibus inito a. 1249, Iul. 19 a Friderico II defecerant; Böhmer-Ficker 3784a. De monasterio S. Abundi Cumani, quod olim contra Fridericum II armata manu in subsidium Mediolanensium de mandato Gregorii de Montelongo tunc Tripolitani electi processit, cf. Lib. IX, 75 sub a. 1251, Nov. 13 = Potthast 14411 sub Nov. 1; cf. etiam Lib. IX, 74 et 76 et Potthast 13920, 14373, 14417, 14804.*

carunt, singulis annis per capitulum ecclesie vestre aniversarium fieri, duodecim denariis cuilibet canonico qui interfuerit huiusmodi officio distributis[a]; siquid vero superhabundaverit, debet piis operibus erogari; vosque iurastis servare statutum huiusmodi et etiam ordinastis, ut omnes tam recipiendi in ecclesiam vestram decetero quam sub expectatione prebendarum recepti similiter iurare debeant et servare nec contra statutum ipsum impetrare litteras a sede apostolica vel legatis ipsius. Statutum quoque ac ordinationem huiusmodi venerabilis frater noster . . Cumanus episcopus[1], loci diocesanus, auctoritate ordinaria confirmavit, prout in litteris inde confectis et eiusdem episcopi sigillo munitis plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis et eodem episcopo super hiis provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., V Idus Martii, anno XI°.

. . archidiaconus Cumanus datus est super hoc conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. ut supra.

270.

Innocentius IV papa praeposito S. Arbogasti extra muros Argentinenses mandat, ut Eberhardum, Cunradum et Octonem de Entringen canonicos Argentinenses, qui timeant, ne aliquam sententiarum olim a P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali et [Conrado] archiepiscopo Coloniensi legatis promulgatarum incurrerint, absolvat ad cautelam. *1254. Mart. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 85: Lib. XI, 611. Damus Pertzii exemplar.

. . preposito ecclesie sancti Arbogasti extra muros Argentinenses.

Eberhardus, Cunradus et Octo de Entrugen[2] canonici Argentinenses sua nobis petitione monstrarunt, quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis primo et postmodum venerabilis frater noster . . Coloniensis archiepiscopus, tunc in partibus Alamannie legationis fungentes officio, in prelatos et clericos earundem partium, qui aliquos in suis ecclesiis ad vacaturas prebendas proprio motu reciperent vel haberent pro suis canonicis sic receptos, et etiam quamplures executores super quorundam provisionibus ac subdelegati ab eis necnon conservatores a sede apostolica deputati in omnes, qui se illis quibus deputati erant opponerent, generaliter diversas interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias promulgarunt. Verum iidem canonici, timentes aliquam sententiarum huiusmodi incurrisse, nobis humiliter supplicarunt, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, recepta ab eisdem canonicis de parendo mandatis ecclesie idonea cautione, ipsos auctoritate nostra iuxta formam ecclesie absolvas ab huiusmodi sententiis ad cautelam, et dispenses cum eis super irregularitate, siquam contraxerunt exinde, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Aprilis, anno XI°.

---

a) *litt.* is *in loco raso.*

1) *Ubertunus.* 2) *Legas Entringen, ex sept. et occ. civ. Tübingen; cf. t. II, p. 305, n. 418.*

271.

Innocentius IV papa confirmat Iohannis de Dist episcopi Sambiensis translationem ad episcopatum Lubicensem, quam P[etrus] S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis de mandato papae, a. 1254. Mart. 4 dato, sub a. 1254. Mart. 9 fecit.

1254. Mart. 18.

Inn. IV Reg. Vol. II, 74–75; Lib. XI, 516. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15285.

Iohanni de Dist episcopo Lubicensi.

Licet ex illo generali privilegio, quod[a] beato Petro et per eum Dominus ecclesie Romane indulsit, episcoporum translatio ad Romanum pontificem de iure pertineat nec sit absque ipsius licentia facienda, hoc tamen tum demum fieri debet, cum urgens necessitas et evidens utilitas id exposcunt. Sane nos, intellecto quod venerabilis frater noster . . archiepiscopus Pruscie, cui episcopatum Lubicensem, tunc pastoris solatio destitutum, pro sustentatione sua iamdudum commendasse dicimur, in loco idoneo, ubi residere ac de proventibus archiepiscopalibus commode sustentari potest, erexerat sedem suam, et considerato per hoc prudenter quod locorum sollicitudines sunt certis imponende personis et locis personarum ministeria providenda, ut ex personarum industria locorum crescat utilitas et ex oportunitate locorum personis succrescat facultas uberior se in hiis que Dei sunt utilius exercendi: nuper dilecto filio nostro P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali nostras direximus litteras, continentes ut commendationem huiusmodi seu concessionem factam ipsi archiepiscopo revocans, te, tunc episcopum Sambiensem, de[b] cuius vite integritate, dono scientie ac honestate morum indubitatam fiduciam gerimus, absolveret a vinculo, quo tenebaris ecclesie[c] Sambiensi, ac auctoritate nostra preficeret Lubicensi ecclesie in episcopum et pastorem, plena tibi spiritualium et temporalium eiusdem amministratione commissa et concessa nichilominus te ad ipsam Lubicensem ecclesiam licentia transferendi, ac faceret tibi per se vel alium a capitulo et clero civitatis et diocesis Lubicensis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc. Cum autem idem cardinalis huiusmodi auctoritate mandati commendationem ipsam et quamlibet concessionem factam ipsi archiepiscopo revocans et te absolvens a vinculo eiusdem ecclesie Sambiensis, prefecerit te in pastorem et episcopum eidem ecclesie Lubicensi, prout in ipsius cardinalis litteris super hoc confectis plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est gratum et ratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, supplentes de plenitudine potestatis defectum, si quis extitit in hac parte, ac tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes. Qui talis est:

Venerabili in Christo patri fratri Iohanni de Diest ordinis Minorum Dei gratia episcopo Sambiensi Petrus miseratione divina Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis salutem in Domino. Precibus magnifici principis domini Willelmi regis Romanorum illustris sedis apostolice providentia condescendens, ac intendens consideratione ipsius se vobis exhibere munificam, direxit nobis litteras in hunc modum:

Innocentius etc. dilecto filio P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali salutem etc. Cum venerabilis frater noster *etc. ut in n. 267 usque:* Dat. Lateran., IIII Nonas Martii, anno XI°.

---

a) quo *R.* b) de — do *in loco raso,* no — preficeret *in marg. alia tinctura, eadem ut videtur manu.* c) sic *corr. ex* sia.

Nos igitur, huiusmodi auctoritate mandati commendationem seu concessionem de dicto episcopatu factam eidem archiepiscopo revocantes, absolvimus vos a vinculo, quo tenemini ecclesie Sambiensi, et preficimus Lubicensi ecclesie in episcopum et pastorem, plenam vobis spiritualium et temporalium amministrationem ipsius Lubicensis ecclesie committentes, transferendi vos ad eam vobis nichilominus licentiam concedendo. In cuius rei testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri munimine roborari.

Dat. Rome, VII Idus Martii, anno Domini M°CC°L°IIII° [a].

Nulli etc.

Dat. Lateran., XV Kalendas Aprilis, anno XI° [1].

272.

Innocentius IV papa Mariae relictae Ottonis IV imperatoris, amitae [Henrici III] ducis Brabantiae, confirmat concessionem W[illelmi] regis Romanorum, qua ipsa de fructibus bonorum, quae in Hollandia et Zelandia obtineat, testamentum condere valeat

1254, Mart. 28.

Inn. IV Reg. Vol. III, 74; Lib. XI, 540. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Marie quondam Romanorum imperatrici, relicte clare memorie Octonis imperatoris Romanorum illustris, dilecti filii nobilis viri ducis Brabantie amite.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris tibi de munificencia regali concesserit, ut de fructibus omnium bonorum, que in Hollandia et Zelandia obtines, testamentum condere ac disponere valeas, ut fructus bonorum ipsorum unius integri anni post obitum tuum in solutionem debitorum tuorum integre convertantur, ita quod illi, quibus eos duxeris obligandos, cum integritate per eundem annum [eos] [b] percipiant, ac si tu vivens illos perciperes possidendo: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem rege super hoc provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., V Kalendas Aprilis, anno XI°.

. . abbas monasterii de Fliderbeke [2] Leodiensis diocesis datus est super hoc conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici nequeant per litteras sedis eiusdem, que de indulto huiusmodi plenam et expressam seu de verbo ad verbum non fecerint mentionem.

Dat. Lateran., V Kalendas Aprilis, anno XI°.

a) *litt.* L°IIII° *et reliqua pars epistolae eam partem primae linea ep. sequentis occupant, quae rubro reservata fuit. Inscriptio ep. sequentis [Potthast 15288], quae ep. numero caret sed primam litteram colore caeruleo pictam habet, in margine posita est.* b) eos *deest R.*

1) *Eodem die Iohannem episcopum [Gerhardo II] archiepiscopo Bremensi metropolitano eius, capitulo Lubicensi, clero et populo civitatis et diocesis Lubicensis commendavit; Lib. XI, 549; Potthast 15286 et 15287; cf. 15288. A. 1254, Mai. 7 P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diac. card. legato mandavit, ut Henricum episcopum quondam Warmiensem ecclesiae Sambiensi praeficeret; Lib. XI, 622; cf. 736; Potthast 15349. 15421.* 2) *Prope civ. Löwen.*

273.

Innocentius IV papa praelatos et clerum Ungariae, Bohemiae, Austriae, Styriae et Moraviae monet, ut B[ernardum] electum Neapolitanum, quem cum legationis officio ad ipsos pro redintegrando inter [Belam IV] Ungariae et [Otakarum II] Bohemiae reges sinceritatis amore vel saltem treugis ineundis mittat, devote recipiant et mandatis eius obediant. *1254. Apr. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 77–78; Lib. XI, 570. Pertz exemplar contulimus cum illo, quod Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 183 edidit.

Potthast, Reg. 15313.

Archiepiscopis[a] et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis et capitulis per Ungariam, Boemiam, Austriam, Styriam et Moraviam constitutis.

Evidenti patet exemplo, quod affectum, quem carni Deus inseruit per naturam, impetere, immo potius evellere penitus nititur dissensionis auctor fraudibus assuetis. Idem enim malorum omnium veternosus incentor inter Caym et Abel primos fratres odii et rancoris suggestione dampnabili fomitem subministrans, alterum in exitium alterius violato germanitatis federe provocavit, et adhuc tam discriminosi dissidii continuo telam texens, inter carissimos in Christo filios nostros . . Ungarie et . . Boemie[1] reges illustres, consanguinitate coniunctos infestam admodum vobis[b] et infaustam iam pridem discordiam seminavit[2], ex qua deploranda rerum, animarum et corporum grandi merore discrimina assidue provenire noscuntur, quia desolantur ecclesie, opprimuntur orphani, pauperes et vidue prede patent et, quod gravius gerimus, fideles, quos Christus suo sanguine precioso liberos reddidit, diro gentilium[3] subduntur dominio, compedibus obnoxii, pro dolor! servitutis; propter quod est nobis super hiis saniori summopere providendum consilio, ut ad interitum deducatur dissensionis semen huiusmodi, antequam per negligentiam amplius coalescat, quia si nostra ipsum pullulare dissimulatio ultra permiserit, difficile poterit etiam providentie falce adhibita postmodum resecari, quam[c] ignis vorax ipsorum terras regum in solitudinem redigat et mucro deseviens eo plurium, si quod absit ipsorum perveniatur ad pugnam, stragem miserabilem ingerat et ruinam, quo congredientium de terris sue ditioni subiectis copiosior haberi dinoscitur numerus hinc et inde. Ne igitur huiusmodi pericula nostri dolorem animi, quem iam ex hiis que contigerunt ingentem concepimus, si eis prompto non resistatur remedio, exaggerent proventura, set ut nostra saltem infra Christianitatis viscera gratam sollicitudo pacis quietem recipiat, cuius corpus in suis extremitatibus non absque mentis amaritudine cotidie a paganis conspicimus graviter impugnari: pro reintegrando[d] inter eosdem reges discordiarum semota materia sinceritatis amore vel saltem ineundis treuguis, que solent esse paci preambule, ut per eorum interventum de compositione postmodum tractatus comodior habeatur, dilectum filium B. Neapolitanum electum, capellanum nostrum, virum dono scientie preditum, vite integritate[e] conspicuum ac nobis et fratribus nostris merito

a) . . archiepiscopis *R.* b) nobis *R.* c) *coniungas* postmodum quam = posteaquam. d) reintegranda *R.* e) integritatis *R.*

1) *Wenceslaus rex a. 1253, Sept. 22 mortuus erat.* 2) *Cf. n. 215.* 3) *Tartarorum Ungariam semper infestantium.*

sue probitatis acceptum, commisso ei legationis officio[1], ut edificet et plantet, evellat, disperdat et dissipet, prout secundum datam ei a Deo prudentiam expedire viderit, de consilio eorundem fratrum digne providimus destinandum, spe nobis proposita, quod auctore illo, qui velut pax nostra fecit utraque unum et duos in se ipso parietes copulavit Ephes. 2, 14, eosdem reges grato reconciliationis federe adinvicem uniet, quos inimicus humani generis per sue fraudis commenta nequiter ab invicem segregavit. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso, recipientes ylariter et honorifice pertractantes, salubribus monitis et mandatis ipsius intendatis fideliter et obediatis humiliter et devote, que pro reformatione pacis vel treuguarum huiusmodi seu alias facienda duxerit, inviolabiliter servaturi. Alioquin sententiam, quam rite tulerit in rebelles etc. usque: observari.

Dat. Lateran., IIII Nonas Aprilis, anno XI°.

274.

Innocentius IV papa I[ohanni] episcopo Lubicensi mandat, ut praedicationem crucis in subsidium W[illelmi] regis Romanorum et alia negotia ipsi ante translationem suam de Sambiensi ecclesia commissa fideliter exequatur. *1254, Apr. 5.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 80; Lib. XI, 585. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 174 edidit.

Potthast, Reg. 15319; Perlbach, Preuss. Reg. n. 455.

I. episcopo Lubicensi.

Cum, antequam te de Sambiensi ad Lubicensem ecclesiam transtulerimus[2], quedam tue sollicitudini super predicanda cruce in subsidium carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris et quibusdam aliis negotiis commiserimus expedienda[3], volumus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus ea, prout tibi tunc commissa fuerunt, exequaris fideliter et prudenter; contradictores [etc.][a] — non obstante si aliquibus de partibus illis, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, a sede apostolica sit indultum.

Dat. Lateran., Nonis Aprilis, anno XI°[4].

275.

Innocentius IV papa personis ecclesiasticis, ad quas litterae istae pervenerint, nuntiat se B[ernardum] electum Neapolitanum, capellanum suum, pro sedanda discordia inter

a) etc. *deest R.*

1) *'Plenae' legationis officium ei commissum non est [cf. n. 275], fortasse quia legatus a latere, scil. Petrus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, eodem tempore in Alamanniam missus est; cf. n. 279; propter quod procurationes Bernardo non debebantur; cf. n. 275 et t. II, p. 509, not. 2.* 2) *Cf. n. 271.* 3) *Cf. n. 259—261 et 265.* 4) *Mai. 17 papa obtentu [Ottonis IV] comitis de Binthem [Bentheim] consanguinei W[illelmi] regis, Mai. 28 obtentu Adulfi de Blankenheim [Blankenhain e mer. cir. Weimar vel potius Blankenheim in Prov. Rhenana, Kr. Schleiden], qui papae et regi obsequiosus diceretur contra inimicos eorum, gratiam fecit; Lib. XI, 883 et 863; Potthast 15370 [= Finke, Westf. U. B. t. V, p. 246, n. 538] et 15398; cf. Lib. XI, 839 et 875 = Potthast 15320 et 15324. Gratia obtentu regis et A[rnulfi V] comitis de Los facta Lib. XI, 720; Potthast 15415.*

Ungariae et Bohemiae reges suborta cum legationis officio destinare; mandat, ut ei de necessariis provideant. *1254, Apr. 6.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 133; Lib. XI, cur 30. Exemplar, quod Theiner, Mon. Hung. t. I, p. 227, n. 433 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15322.

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis[a] et aliis prelatis, capitulis et conventibus ecclesiarum, ad quos littere iste pervenerint.

Cum dilectum filium B. electum Neapolitanum, capellanum nostrum, quem nos et fratres nostri propter sue merita probitatis carum habemus plurimum et acceptum, pro sedanda discordia, que inter carissimos in Christo filios nostros[b] . . Ungarie et . . Boemie reges illustres suborta dinoscitur, ad partes illas, commisso sibi legationis[c] [1] officio, destinemus: universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus eundem electum, cum ad vos accesserit, pro apostolice sedis et nostra reverentia recipientes ac honorifice pertractantes, ei ac familie sue de necessariis et securo conductu liberaliter providere curetis, ita quod ipse, cum ad nos redierit, grata de vobis referre valeat, nosque devotionem vestram proinde dignis in Domino laudibus commendemus. Alioquin sententiam etc. usque: observari.

Dat. Lateran., VIII Idus Aprilis, anno XI°[2].

276.

Innocentius IV papa B[ernardo] electo Neapolitano legato mandat, ut Otakarum regem Bohemiae, si [Gerhardus] archiepiscopus Maguntinus, ut ab excommunicatione solvatur, satisfacere recusaverit, per aliquem ex suffraganeis ecclesiae Maguntinae coronari faciat. *1254, Apr. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 80; Lib. XI, 584. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Gudenus, Cod. dipl. Mog. t. I, p. 638 edidit quodque fortasse ex authentico sumptum est.

Potthast, Reg. 15327 et 15328; Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. t. II, p. 323, n. 83.

B. Neapolitano electo, apostolice sedis legato[3].

Cum carissimus in Christo filius noster Otacharus rex Boemie illustris, sicut eo insinuante accepimus, regni[d] diademate cupiat coronari, quia . . Maguntinus archiepiscopus, de cuius manibus deberet idem rex coronam suscipere, per dilectum filium nostrum H. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem, tunc legatum apostolice sedis, excommunicationis vinculo dicitur innodatus[4], volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus eidem archiepiscopo, ut libere ad eiusdem regis coronationem

a) archid. dec *R.* b) n. *superscr.* c) plene *non legitur in R.; cf. p. 239, not. 1.* d) regis *G.*

1) *Cf. n. 273.* 2) *Eodem die Bernardo absolvendi eos, qui pro violenta manuum iniectione excommunicationem incurrissent, et dispensandi cum clericis super irregularitate potestatem concessit; sub Apr. 4 eidem relaxandi sententias suspensionis et excommunicationis in quascumque personas et interdicti in loca Ungariae, Bohemiae et vicinarum partium occasione praefatae discordiae-latas facultatem concesserat; Lib. XI, cur. 31 et 32; Potthast —, 15318. Cf. infra sub Iul. 13.* 3) *Cf. n. 273 et 275.* 4) *Cf. supra p. 205, not. 6. Archiepiscopus igitur non multo post, quam a. 1253, Apr. 15 absolutus est [p. 206, not. 4], in excommunicationem recidisse videtur, fortasse iterum occasione controversiae, quam cum Henrico*

possit procedere, absolutionis beneficium, dummodo satisfaciat super hiis, pro quibus excommunicatus habetur, iuxta ecclesie formam exhiberi procures. Quod si recusaverit satisfacere, tu dilectis filiis capitulo Maguntino auctoritate nostra precipias, ut ipsi loco archiepiscopi et ecclesie Maguntine nomine per aliquem de suffraganeis sue[a] ecclesie regem eundem faciant coronari, et si prefati capitulum id noluerint efficere, tu hoc uni de suffraganeis ipsius vel alicui alii pontifici, quem ad id idoneum fore cognoveris, eadem auctoritate committas, qui eiusdem archiepiscopi vice coronationis ipsius officium seu ministerium exequatur.

Dat. Lateran., VI Idus Aprilis, anno XI°[b] [1].

277.

Innocentius IV papa [Widukindo] electo Mindensi mandat, ut controversiam inter [Henricum] episcopum Hildeshemensem et abbatem de Cella Maguntinae diocesis decidat.

1254, Apr. 8.

Inn. IV Reg. Vol. III, 81; Lib. XI, 591b. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 244, n. 534.

.. electo Mindensi[c] [2].

Venerabilis frater noster .. Ildesemensis episcopus sua nobis conquestione[d] monstravit, quod .. abbas de Cella[3] ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis in eum, in quem nullam habet iurisdictionem ordinariam vel etiam delegatam, temeritate propria excommunicationis sententiam promulgavit. Mandamus, quatinus partibus convocatis [etc.] — non[e] obstante si est eidem abbati ab apostolica sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut extra suam diocesim in causam trahi non possit per litteras etc.[f] usque: mentionem.

Dat. Lateran., VI Idus Aprilis, anno XI° [4].

---

a) suis *R.*: ipsius *G.* b) Dat. ut supra *R.* c) Eidem *R.* d) cō *R.* e) p cō non *R.*: *in ep. Lib. XI, 591a:* quatinus partibus convocatis etc. usque: perhibere, *id quod ita fere solvendum videtur:* convocatis et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione remota statuas *[ut t. I, p. XVI, n. 13]*; testes etc. *[ut ibid. n. 17]* usque: perhibere. f) *in n. 591a:* apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem.

marchione Misnensi de hereditate Henrici Raspe regis habuit; cf. Ilgen u. Vogel, Thür.-hess. Erbfolgestr. 1247—1264 in Zeitschr. d. Ver. f. Hess. Gesch. N. F. t. X, a. 1883, p. 315. Nihilominus papa ei a. 1253, Sept. 4 et 1254, Febr. 27 mandata direxit; Potthast 15116a et 15254; cf. etiam supra n. 231. Reconciliatus est cum papa et Willelmo rege circa Iun.—Iul. a. 1254; cf. infra sub Iul. 22 et Aug. 27.

1) *Mart. 16 papa eidem regi indulserat, ut in eum excommunicationis et interdicti sententiae ferri non possent absque speciali mandato apostolico; Lib. XI, 527; Potthast 15280.* 2) *De Widukindo cf. Böhmer-Ficker 5146 et 5187.* 3) *Zellerfeld ex sept. civ. Clausthal.* 4) *Apr. 9 papa Widukindum in causis, quas episcopus Hildeshemensis cum Hartmanno presbytero canonico Hildeshemensi et cum ecclesia SS. Simonis et Iudae Goslariensi haberet, iudicem constituit; Lib. XI, 591a et c; Finke, l. c. n. 535 et 536.*

278.

Innocentius IV papa Ezelinum de Romano, quem ecclesia saepe ad devotionem revocare studuerit, presente fidelium populo, qui coena Domini confluxerit, haereticum manifestum, excommunicatum et anathematizatum sententialiter iudicat.

1254, Apr. 9.

Inn. IV Reg. Vol. III, 130—131: Lib. XI, cur. 9. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 35—39, collatum cum illo, quod Pertz ex Cod. Trevisano f. 1, n. 2 descripsit quodque ex authentico manavit [T], contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15331 et 12899.

Ad memoriam rei geste in perpetuum.

Truculentam unius inhumani hominis rabiem sevamque barbariem, Ezilini[a] videlicet de Romano, quem dire malignitatis enormitas fecit insignem et mundo non incognita factorum atrocium multitudo spectabilem, humana societas ad elidendum improbas malepotentium tyrannides instituta indigne forsitan pertulisse videtur, set indignius proculdubio noscitur sustulisse. Hic siquidem, sub humani vultus effigie belualem animum retinens, christiani[b] sanguinis[c] sitibundus et viribus[d] rigidus alienis, impacabile adversus communia humanitatis federa bellum gerit. Non enim solum ferali hominum excidio debachatur in corpora, verum etiam supra omnem modum, mensuram et[e] numerum, exhausti cruoris profluvio non contentus, per catholice fidei corruptores spiritualis vite operatur exitium in[f] interitum animarum. Nimirum, si in suis attrocitatibus[g] propria contra infensos sibi exequeretur odia vel paterna iam deferbuisset in eo incalescens animi feritas, peracte ultionis refrigerio mitigata in his, quos habere videbatur exosos. Sed eius effera crudelitas sic in omnes excandet, ut nec fortune nec vite pepercerit etiam amicorum, nec sexum miseratus fuerit in quibuslibet vel etatem, nec alicuius religionis vel ordinis veneratus honorem, cecans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens diversis excogitatis in eos generibus tormentorum, et quod puderosum est cogitare vel eloqui, horrido sectionis impie cultro tam feminas, ut dicitur, eunuchizante quam mares, spem future prolis occidens in superstitibus occisorum, ut ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis natura non protulit, homicida. Quis ergo dubitet eum in hominibus non tantum personas persequi, set naturam? Quis ambigat illum, quasi non hominem, humani generis fore publicum inimicum? Hunc ex genere, cum publice damnati heretici[h] filius fuerit hereticorumque cognatus, hunc etiam ex moribus, cum eum perfidum esse contraria religioni christiane fidei opera manifestent, nos, cum publice opinionis concurrentes assensu, unam de subdolis presumpsimus esse
Cant. 2, 15. vulpeculis, que vineam Domini Sabaoth demoliri non cessant, testamentum eterni evangelii corrumpentes. Ad hunc autem nequissime intentionis effectum eo ingenii sui calle processit, quia in quos potuit vasa sceleratissime interfectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, que plerumque cadit in fortes, residuos regionis sue viros redegit in parvulos, ut eis, animorum confidentia, libertatis privilegio et veritatis oraculo destitutis, facile per magistros errorum, sub predicti E. presidio ad subvertendas fidelium mentes in marchie Tervisine[i] partibus emergentes in publicum, perversa infectionis heretice dogmata suggerantur. Execrans preterea commune omnibus gentibus et magnum in Christo et ecclesia matrimonii sacramentum, quod non humane voluntatis inventio statuit, set divine institutionis commendat auctoritas, quod tempora-

a) *ita R. et T.* b) Christi *T.* c) sanguine *T.* d) *ita R.;* iuribus *T.* e) et *deest T.* f) et in *T.* g) atroc. *T.* h) Henrici *T.* i) marchia Tervisina *T.*

liter orientis ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quodque cunctis fere[a] animantibus suggerit insitus eis ordo nature, dampnabili et de typo abhominationis heretice procedente presumptionis audacia separat contra legis evangelice interdictum legitime coniunctionis federe copulatos a Deo[b], inter complices suos feda conubia et adulterina contubernia coniungendo, ex quibus spuria vitulamina prodeunt, radices altas posteritatis prospere non datura.

Nos itaque, quos licet immeritos summus fidelium pastor ad arcendos a redempto sanguine Christi grege ferales impetus, salutem christiani populi ledentes et vitam, nec non ad huiusmodi investigandas assiduis vigiliis capiendasque vulpeculas ecclesie sue voluit presidere, valido clamore christiani sanguinis, quo idem E. terram operuit, nec minus evangelice fidei, quam molitur evertere, periculo excitati, per religiosos viros descendere curavimus et videre[1], an idem E. illud circa fidem catholicam naufragium pateretur, quod de ipso et detestanda nunciabant opera et vulgata infamia predicabat. Cum autem ipsi religiosi, super his[c] cum diligentia inquirentes, eundem, quod de fide Christi non recte sentiret, haberi debere suspectum veris indiciis comperissent, tandem[2] ipse ad sedem apostolicam nuncios destinavit, quibus bone memorie . . Sabinensem episcopum concessimus auditorem, coram quo ad iurandum in ipsius E. anima se obtulere paratos, quod idem de Deo et catholica fide credebat, secundum quod Romana tenet ecclesia et docet esse credendum. Set quoniam a dicto episcopo vel a nobis huiusmodi purgatio admissa non extitit, cum in tanto crimine non per nuncios set per propriam personam prestanda esset purgatio coram nobis, sibi prefiximus terminum, quo apostolico se aspectui presentaret, facturus super hiis quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate persone in veniendo et redeundo plenaria cautione. Unde quia nec in eodem termino nec post ipsum venire vel[d] mittere procuravit, ipsum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus et, quod de fide catholica male sentiret, certa ratione suspectus, anathematis duximus vinculo innodandum, alium ei terminum assignantes, quo in nostra compareret presentia super premissis mandatis ecclesie pariturus, denunciato publice quod nisi usque ad terminum ipsum id faceret, extunc procederemus gravius contra eum iuxta legitimas et canonicas sanctiones. Cum autem venire seu mittere licet ultra terminum diutius expectatus obstinatione dampnabili despexisset et non solum per annum set per biennium vilipensis ecclesie clavibus prefatum sustinuisset contemptibiliter anathema, nos, quia non debebamus ulterius canonicum contra eum differre iudicium, quem tam longum diffugium et tam dura pertinacia reum tanti criminis ostendebant, presertim quia huiusmodi iudicii tarditas periculosam forte aliquibus prebebat audaciam, et quos a malis festinata in unius personam[e] pena compesceret, protelata forsitan ad illa laxaret, eundem E. tamquam hereticum reputantes, decrevimus ipsum habito fratrum nostrorum consilio promulgatis adversus hereticos sanctionibus subiacere, nisi usque ad Kalendas Augusti tunc proximo secuturas[3] coram nobis comparere curaret[f], nostris et ecclesie pariturus precise beneplacitis et mandatis, quem siquidem terminum tunc sibi ex multa benignitate apostolice sedis indulsimus, cum eum salvari vellemus potius quam perire. Ipse[4] vero, contra Deum et homines collo rebellionis extento et ad omnem fidei christiane inobedientiam spiritu obfirmato[g], tamquam prolapsus in desperationis abyssum et humani pudoris, divini iudicii ac salutaris consilii pertinax aspernator imminentia sibi discrimina quecunque contempsit, et perire potius eligens quam parere, nec in termino sibi ex multa ecclesiastice miserationis lenitate concesso nec

a) ferre *T.* b) adeo *R et T.* c) hiis *T.* d) nec *T.* e) persona *T.* f) curet *T.* g) *ita T.;* confirmato *R.*

1) *Cf. p. 94, lin. 2.* 2) *Cf. t. II, p. 381, lin. 14.* 3) *Aug. 1 a. 1250.* 4) *Ep. n. 143 non commemoratur.*

postmodum diutius expectatus venire curavit. Nos autem, illius periculo condolentes, adhuc voluimus eius duriciam solita sedis apostolice benignitate mulcere, si forte ad suscipiendum salutis remedium aliqua in eo scintilla sanioris consilii remansisset, ipsumque non solum semel vel secundo, set pluries, immo multotiens ad misericordie iudicium edictis legitimis evocatum duximus prolixis ad convincendam inexcusabilem eius maliciam temporum spaciis expectandum; porro idem sicut aspidis surdissime filius ad omnem monitoris vocem obturans auditum iam per sex annos et amplius vocationis, longanimitatis et expectationis nostre patientia est abusus.

Nos igitur, ex hiis attendentes quod diuturnior erga eundem E. tolerantie pietas in communem multorum posset redundare perniciem et ulterior expectatio nil operaretur in eo nisi contumaciam et contemptum, ne tantum malum in medio christiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de predictorum fratrum nostrorum consilio, presente fidelium populo, qui in die Cene Domini ex diversis mundi partibus ad apostolorum limina de more confluxit, prefatum Ezilinum[a] sicut manifestum hereticum sententialiter iudicamus, ipsum excommunicatum et anathematizatum cum dampnatis hereticis deputando, ascripta illis dampnationis stipendia recepturum. Quem si forsan usque ad festum ascensionis Dominice proximo venturum[1] ad presentiam nostram personaliter venerit, audiemus: quod de habundantissima predicte sedis clementia duximus adiungendum[2].

Dat. Lateran., V Idus Aprilis[b], anno XI[o c 3].

In[d] eundem modum patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis et aliis ecclesiarum prelatis presentes litteras inspecturis usque: adiungendum. Quocirca universitati vestre districte precipiendo mandamus, quatinus sententiam ipsam tenoremque presentium subditis ac populis vestris singuli frequenter ac publice exponentes et per alios facientes diligenter exponi, prefatum E. tamquam dampnatum hereticum et omnes prestantes eidem consilium, auxilium vel favorem, sive principes fuerint sive duces, marchiones aut comites, barones vel milites seu alie conditionis cuiuscumque persone, tamquam fautores hominis heretici publice condempnati denuncietis sollempniter et denunciari ab hiis faciatis pulsatis campanis et candelis accensis singulis diebus Dominicis et festivis excommunicationis et anathematis sententie subiacere. Nos insuper omnes predictos et alios, qui eidem E. facto vel verbo favere vel adesse presumpserint[e], nisi moniti absque dilatione se ab ipso avertentes omnino ecclesie mandatis curaverint obedire, penis et constitutionibus tam canonicis quam civilibus contra hereticorum fautores prolatis decernimus subiacere, ac districte precipimus per singulos vestrum penas et constitutiones easdem in locis vestre iurisdictioni subiectis contra tales sine ulla exceptione persone executioni mandari; contradictores etc. Eosdem quoque predicti E. fautores et complices quoslibet nichilominus honoribus, officiis ac feudis, que ab ecclesiis obtinent, esse volumus ipso iure privatos, de quibus honoribus, officiis ac feudis hii, ad quos pertinent, disponendi liberam habeant — non obstante contradictione cuiuslibet — facultatem. Prelati vero vel domini ea omnino talibus

---

a) Ezelinum *T.* b) pontificatus nostri *add. T.* c) *'Bulla plumbea filo serico adpendens'* et *'Registratum a. 1318, Apr. 3' Pertz ex T. annotavit.* d) *Quae sequuntur, in T. non contenta, damus ex apographo Pertzii collato cum Regestis.* e) presumpserit *R.*

1) *Mai. 21.* 2) *A. 1253, Nov. 20 papa L. abbati SS. Ylarii et Benedicti Castellanae diocesis, cui I[ohannes] electus Paduanus de monasterio Candianae [e mer. et occ. civ. Patavii] providisset, cum propter tyrannidem Ezelini ad id accedere non posset, concessit, ut utrumque monasterium retinere posset; Lib. XI, 257.* 3) *Eodem die papa etiam Conradum 'regnum Apuliae adhuc in sua protervia detinentem' excommunicarit; Nicolai de Curbio V. Inn. IV cap. 36; Baluze, Misc. t. VII, p. 395; cf. supra n. 255.*

subtrahere non omittant et aliis fidelibus conferre personis aut ad ecclesiarum suarum vel sua comoda penitus revocare, si cupiunt reputari fideles et ecclesiasticam effugere disciplinam, que contra remissos, qui fautores et complices huiusmodi in hac parte palpaverint, attentius vigilabit.

Dat. ut supra.

279.

Innocentius IV papa P[etrum] S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem legatum in Alamanniam, Datiam et Poloniam destinat. *1254, Apr. 13–17.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 131–132; Lib. XI, cur. 10–21.

I.

Innocentius IV papa P[etro] cardinali legato concedit: a) ut ab ecclesiis regni Daciae procurationes recipiat, b) ut cum simoniacis legationis suae dispenset, c) ut cum clericis super defectu natalium dispenset, d) ut clerici, qui cum eo fuerint, beneficiorum suorum proventus integre percipiant, acsi residerent, e) ut a Cluniacensibus et Praemonstratensibus procurationes recipiat, f) ut cum clericis super pluralitate beneficiorum dispenset, g) mandat, ut indevotos gratiis sedis apostolicae privet, h) concedit, ut cum excommunicatis, qui ordines susceperint, dispenset, i) ut cum personis ecclesiasticis super defectu ordinum dispenset, k) ut de praebendis et beneficiis ecclesiasticis vacantibus provideat, non obstante quadam concessione episcopo Cameracensi facta.

1254, Apr. 13. 16, 17.

Inn. IV Reg. Vol. III, 131–132; Lib. XI, cur. 10–19. Damus Pertzii exemplaria. Potthast, Reg. 15334 = d.

a.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato[1].

Cum propter instantem necessitatem ecclesie oporteat te facere magnos sumptus nec ab ecclesiis Alamania, cum attrite sint propter guerras, tibi valeant ad expensas inevitabiles necessaria ministrari, presentium tibi auctoritate concedimus, ut ab ecclesiis regni Dacie procurationes recipere valeas — non obstantibus[a] quod nondum es idem regnum ingressus, vel quibuslibet indulgentiis ab apostolica sede obtentis vel etiam obtinendis, aut si aliquibus de regno ipso, quod excommunicari vel suspendi aut interdici nequeant, sit indultum —; contradictores —.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Maii, anno XI°.

b.

Eidem.

Cum[b] te ad partes Alamannie pro bono earum statu et ecclesie ac imperii negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, volentes aliqua tibi concedere,

a) obsti *R.* b) *cf. t. II, p. 227, n. 303 VII.*

1) *A. 1254, Mart. 14 papa [Waltero] episcopo et archidiacono Tornacensibus nunciaverat se ad sopiendam discordiam inter W[illelmum] regem et M[argaritam] comitissam Flandriae et Hanoniae exortam unum ex fratribus suis legatum in proximo destinaturum esse, eisque mandaverat, ut sententias ab abbate Fuldensi et de mandato eius latas [cf. p. 145, not. 2] protinus suspenderent; Mai. 2 Petro legato,*

per que saluti consulere valeas animarum, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut cum quibuslibet religiosis personis earundem partium[a], cuiuscumque sint ordinis, que dato aliquo pro acquirendis vel recepto pro exhibendis locis in monasteriis commiserint symoniacam pravitatem, possis, prout expedire videris, dispensare — non obstante constitutione concilii generalis.

Dat. ut supra.

c.

Eidem.

Cum[b] etc. usque: animarum, discretioni tue dispensandi cum clericis partium earundem defectum natalium patientibus, qui[c] non sint paterne incontinentie sectatores, set bone conversationis et vite ac scientie competentis existunt, quod — huiusmodi non obstante defectu — in susceptis ministrare ordinibus, ascendere ad maiores ac ecclesiastica beneficia[d], etiam si curam habeant animarum annexam, obtinere valeant, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. ut supra.

d.

Eidem.

Cum[e] te ad partes Alamannie, commisso tibi tam in illis quam in regno Datie ac Polonia plene legationis officio, dirigamus, clericis, qui tecum permanserint et quos pro agendis ecclesie duxeris destinandos, ut quamdiu tecum fuerint vel negotiis ipsius ecclesie de mandato tuo institerint peragendis, integre percipiant beneficiorum suorum proventus, distributionibus cotidianis exceptis, ac si personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, — privilegio, indulgentia, statuto et consuetudine iuramento seu quacumque alia firmitate vallatis nequaquam obstantibus —, auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., XV Kalendas Maii, anno XI°.

e.

Eidem.

Cum propter instantem necessitatem ecclesie oporteat te facere magnos sumptus sitque dignum et conveniens, ut[f] tam religiosi quam alii, cum ipsorum et totius ecclesie agatur negotium, quantumcumque privilegiati sint per sedem apostolicam de non solvendis legatis ipsius procurationibus pecuniariis, tibi debeant saltem in huiusmodi procurationibus subvenire: discretioni tue, ut a Cluniacensibus et Premonstratensibus tue legationis procurationes recipere valeas, auctoritate presentium duximus concedendum — non obstantibus predictis seu aliis privilegiis a sede obtentis vel obtinendis eadem, vel si eisdem indultum sit, ut non possint excommunicari vel suspendi aut etiam interdici —; contradictores —.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Maii, anno XI°.

---

a) tue legationis *ep. cit.*; *ita etiam in aliis ep. l. c.* b) *cf. l. c. n. 303 XII.* c) qui — existunt *deest ep. cit.* d) seu personatus vel dignitates, pontificali dumtaxat excepta *add. ep. cit.* e) *cf. l. c. n. 303 IX.* f) vel *R.*

ad reformanda inter regem et comitissam pacis foedera specialiter destinato, de terminanda controversia super natalibus Iohannis et Balduini de Avesnis vertente mandata dedit; Potthast 15276 et 15347; cf. 15418 et 12798; epp. non reg.

f.

Eidem.

Cum[a] te ad partes Alamanie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, discretioni tue dispensandi cum clericis tue legationis, quos huiusmodi gratia noveris esse dignos, quod eorum quilibet plura beneficia, personatus vel dignitates, etiam si curam habeant animarum annexam, licite recipere, si sibi canonice offerantur, ac libere retinere valeant — constitutione generalis concilii non obstante —, auctoritate presentium liberam concedimus facultatem.

Dat. Lateran., Idibus Aprilis, anno XI°.

g.

Eidem.

Cum[b] nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus de Alamanie partibus liberales nos exhibuerimus et benignos, eis tam super beneficiis quam aliis specialibus gratiis et indulgentiis nostras litteras concedendo, sperantes quod ipsi tamquam beneficiorum sedis apostolice non ingrati, nobis et ecclesie presertim oportunitatis tempore grata devotionis obsequia exhiberent et pro ipsius negociis promovendis diligenti studio laborarent: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus omnes illos, quos indevotos et ingratos reppereris in hac parte, privare penitus huiusmodi nostris gratiis non postponas, iniungens executoribus, quos eis super gratiis eisdem concessimus, ut per litteras apostolicas super hiis obtentas ad ipsos aliquatenus non procedant, et revocans omnem processum, si quis forte habitus est per eas; contradictores etc.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Maii, anno XI°.

h.

Eidem.

Presentium[c] tibi auctoritate concedimus, ut cum personis ecclesiasticis, tam religiosis quam secularibus, Alamanie, que vinculo excommunicationis astricte sacros susceperunt ordines vel ministrarunt in illis, possis super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare.

Dat. ut supra.

i.

Eidem.

Cum[d] te ad partes Alamanie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, nos, ut eo efficacius huiusmodi officium exequi valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tue dispensandi cum personis ecclesiasticis defectum ordinum patientibus[e] tue legationis, si ecclesie[f] negotio expedire videris, quod — huiusmodi non obstante defectu — licite ad pontificalem dignitatem eligi eamque libere suscipere ac retinere valeant, dummodo aliud canonicum non obsistat, plenam concedimus tenore presentium potestatem.

Dat. Lateran., Idibus Aprilis, anno XI°.

---

a) *cf. l. c. n. 303 XVIII.* b) *cf. l. c. n. 303 XIV.* c) *cf. l. c. n. 303 XIII.* d) *cf. l. c. n. 303 VI.* e) patientium *R.; idem mendum in ep. cit.* f) ac imperii *add. ep. cit.*

k.

Eidem.

Cum[a] te ad partes Alamannie pro bono earum statu et ecclesie ac imperii[b] negotio promovendo de fratrum nostrorum consilio destinemus, discretioni tue, ut generaliter per totam terram tue legationis de personatibus, canoniis, prebendis aliisque beneficiis ecclesiasticis, sive curam habeant sive non animarum annexam, personis idoneis, secundum quod expedire videris, providere, ac iniungere, quod recipiantur in ecclesiis eiusdem legationis in canonicos et de prebendis vel dignitatibus seu aliis beneficiis, si vacant, alioquin quam primo vacaverint, provideatur[c] eisdem, et contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam appellatione postposita cohercere libere valeas — statuto de certo canonicorum numero et quibuslibet aliis nec non quibuscumque consuetudinibus ecclesiarum, tam cathedralium quam aliarum, eiusdem legationis, iuramento vel quacumque alia firmitate vallatis, seu si eedem ecclesie sunt auctoritate sedis apostolice vel legatorum ipsius super aliorum provisione gravate, vel si forte ab eadem sede indulgentiam habeant, quod earum[d] prelati sive capitula minime teneantur seu compelli non possint ad aliquorum provisionem, quodque interdici, suspendi vel excommunicari non valeant absque speciali sedis predicte mandato plenam faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis apostolicis indulgentiis, per quas super hoc possent forsitan se tueri, aut si etiam prefate persone alias beneficiate fortassis existant, seu[e] litteris nostris venerabili fratri nostro . . episcopo Cameracensi directis [1], in quibus dicitur contineri, ut si quando in regno sive legatione Alamanie aut ducatu Brabantie vel vicinis partibus super aliquorum provisionibus direximus vel nos contigerit litteras destinare, nisi de civitate ac diocesi Cameracensi expressa fiat mentio in eisdem, nostre intentionis existit[f], ut huiusmodi littere nec non et providendi potestas a nobis concessa legatis sedis apostolice ad easdem civitatem et diocesim nullatenus se extendant, nequaquam obstantibus —, auctoritate presentium duximus concedendum.

Dat. Lateran., XV Kalendas Maii, anno XI°.

II.

Innocentius IV papa universis principibus, baronibus et nobilibus Alamanniae nuntiat se ad eos P[etrum] S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem transmittere cum plenae legationis officio et libera potestate relaxandi sententias, quas fautores quondam F[riderici II] incurrerint, et congregandi exercitum contra hostes ecclesiae; mandat, ut ei obediant. *1254, Apr. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 132; Lib. XI, cur. 20. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Raynaldus, l. c. a. 1254, § 34 proposuit, et cum altero, quod nos t. II, p. 232, n. 304 III edidimus.

Potthast, Reg. 15335.

Universis ducibus, marchionibus, comitibus aliisque principibus necnon baronibus et ceteris nobilibus per Alamanniam constitutis.

Salubrem et prosperum partium vestrarum statum, exaltationem ecclesie ac Romani honorem imperii totis desideriis affectantes, dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad

---

a) *cf. l. c. n. 303 XI.* b) ac imperii *deest ep. cit.* c) provideṫur *R.* d) eorum *R.; idem mendum t. II, p. 155, n. 204 I.* e) *verba* seu — se extendant *desunt epp. cit.* f) *ita R.; supra* quod si quando *corrigendum videtur.*

1) *A. 1253, Ian. 15; Lib. X, 344. Similis concessio a. 1253, Ian. 24; Lib. X, 378. A. 1253, Nov. 16 papa eidem episcopo indulserat, ut per litteras sedis apostolicae vel legatorum eius extra civitatem vel diocesim suam ad iudicium evocari non posset; Lib. XI, 469.*

Velum Aureum diaconum cardinalem, virum scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circumspectum, ad partes ipsas pro eiusdem ecclesie ipsiusque imperii promovendo negotio ac utilitate dictarum partium procuranda tamquam pacis angelum duximus transmittendum, sibi plene legationis officio ac libera potestate relaxandi excommunicationis sententiam, quam nonnulli partium earundem adherendo quondam F. olim Romanorum imperatori suisque fautoribus contra ecclesiam ipsam, et quascumque alias in eisdem existentes partibus incurrerunt vel incurrerint, et remittendi liberaliter iniurias et offensas, si quas eidem intulerunt ecclesie, ipsosque in nostram et ipsius ecclesie gratiam admittendi, congregandi quoque contra eiusdem ecclesie hostes exercitum et omnia faciendi tam in spiritualibus quam temporalibus, prout eiusdem ecclesie utilitati viderit expedire, concessis. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dilectionis brachiis amplexamur, universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus eum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tamquam apostolice sedis legato super predictis omnibus et aliis, que vobis ex parte nostra iniunxerit, humiliter et efficaciter intendatis. Quicquid enim super premissis faciendum duxerit, firmum habebimus et acceptum. Alioquin sententiam sive penam, quam spiritualiter vel temporaliter tulerit in rebelles, ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Lateran., XV Kalendas Maii, anno XI°[1].

III.

Innocentius IV papa eosdem hortatur, ut Petro legato firmiter credant, scituri se, quicquid ipsi cum legato de negotio ecclesiae et imperii disposuerint, acceptum habere. *1254, Apr. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 132; Lib. XI, cur. 21. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Eisdem.

Cum[2] dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, virum utique scientia preditum, honestate decorum et in consiliis circumspectum, ad partes Alamannie, commisso sibi plene legationis officio, pro ecclesie ac imperii negotio destinemus: nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ipsum, immo potius nos in ipso devote suscipientes et honorifice pertractantes, sibi super omnibus, que vobis ex parte nostra retulerit, credatis firmiter tamquam nobis. Presentium enim tenore promittimus, quod quicquid secum super omnibus negocium respicientibus memoratum disponendum seu ordinandum duxeritis, firmum una cum fratribus nostris habebimus et acceptum, et nos ei promittendi hoc vobis plenam concessimus potestatem.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Maii, anno XI°.

280.

Innocentius IV papa Nicholao pupillo confirmat quandam sententiam a Girardo Filocari iudice palatino et vicario senatoris Urbis promulgatam. *1254, Apr. 21.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 84; Lib. XI, 605. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

1) *Eodem die comitibus, baronibus aliisque nobilibus per Pomeraniam et Suetiam constitutis, et in eundem modum eisdem per Poloniam constitutis Petrum legatum sub forma t. II, p. 224, n. 301 data commendavit; Lib. XI, cur. 22; Potthast 15336.* 2) *Forma epistolae concordat cum t. II, p. 236, n. 310.*

Nicholao pupillo civi Romano, nato condam Nicholay Ilperini de Anagnia civis Romani.

Ex parte siquidem[a] tua fuit propositum coram nobis, quod cum inter Pandulfum fratrem tuum civem Romanum et Andream filium Rogerii scriniarii civem Anagninum super eo, quod idem P. legitimum, nominatus[b] vero A. se dativum tutorem tuum esse dicebant, coram Girardo Filocari iudice palatino et vicario dilecti filii nobilis viri . . senatoris Urbis[1] questio verteretur, idem iudex cognitis cause meritis et iuris ordine observato diffinitivam pro dicto Pandulfo sententiam promulgavit; a qua licet ex parte dicti Andree fuerit appellatum, tamen Bartholomeus Angeli de Romano iudex civis Romanus predictam sententiam, de ea legitime cognito, auctoritate predicti senatoris rationabiliter confirmavit, prout in instrumentis publicis super hoc confectis plenius dicitur contineri. Quare nobis humiliter supplicasti, ut dictam sententiam apostolico dignaremur munimine roborare. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, sententiam eandem, sicut est iusta, ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, defectum, qui in ea extitit, eo quod idem Andreas filius familias dicitur et in dictam questionem consensus patris eiusdem A. non intervenit, supplentes de plenitudine potestatis sine iuris preiudicio alieni. Nulli etc. nostre confirmationis et suppletionis[c] etc.

Dat. Lateran., XI Kalendas Maii, anno XI°.

281.

Innocentius IV papa Alberico de Romano, devoto ecclesiae, confirmat chartam suam a. 1250, Nov. 27 datam, cui instrumentum Willelmi regis Romanorum a. 1250, Oct. 2 datum insertum est, per quod idem omnia bona perfidi Ezelini Alberico adiudicaverat.

1254, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Vol. III, 86; Lib. XI, 624. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 40, suppletum ex illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 178 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15350.

Nobili viro Alberico de Romano, nostro et ecclesie Romane devoto.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, dum cunctorum merita sic iuxta[d] examinatione pensantur, ut obprobrii pena exiciosorum colla premat et fidelium obsequiis digna respondeat retributio premiorum. Sicut enim in obsequentium remuneratione plures ad merita virtutum erigimus, sic et in pravorum penis ceteris delinquendi audatiam prohibemus. Sane tue nobilitatis assertio continebat, quod nos olim Ezelinum de Romano, quod[e] de fide catholica male sentiret, habentes certa ratione suspectum ipsumque, qui pluries citatus legitime, ut compareret[f] propter hoc personaliter coram nobis, venire contempsit, tamquam hereticum reputantes ac decernentes ipsum promulgatis adversus hereticos sanctionibus subiacere, ipsius bona tibi adiudicavimus

a) *Ex verbo* siquidem *suspicari licet arengam antecessisse, quae registrata non est.* b) noĭat *R.* c) supple *R.* d) *i. e.* iusta. e) quod *p. 94, lin. 10 rectius;* qui *R.* f) *litt.* o *corr. ex* u.

1) *Brancaleonis; cf. p. 187, not. 2, Matthaei Paris. Chron. SS. t. XXVIII, p. 333 et Böhmer-Ficker 4602 et 4603.*

universa, et carissimus in Christo filius noster . . rex Romanorum illustris propter premissa, et quod idem E. sibi obstinata rebellare perfidia presumebat, diligenter attendens, ipsum castris, villis, terris, possessionibus, iurisdictionibus, vassallis, mancipiis et eorum peculiis ac universis bonis suis regali auctoritate privavit omnino ipsumque in ammissione eorum eadem auctoritate dampnavit, tibi hec adiudicans universa et ad te cum omni plenitudine iuris pertinere decernens. Nos quoque, quod per regem ipsum super hoc factum extitit, ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica duximus confirmandum. Cum igitur nuper prefatum E. sicut manifestum hereticum sententialiter duxerimus iudicandum, ipsum excommunicatum et anathematizatum cum dampnatis hereticis deputando, ascripta[a] illis dampnationis stipendia recepturum[1], nos, devotionis tue precibus inclinati, predictos ipsius regis processus ac nostros robur obtinere decernentes perpetue firmitatis, tibi denuo dictas ipsius E. villas et omnia supradicta ex habundantis cautele studio conferimus et adiudicamus ac alias collata et adiudicata auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, intrandi et apprehendendi corporalem possessionem omnium predictorum per te vel alios auctoritate propria — contrariis constitutionibus canonicis vel civilibus nequaquam obstantibus — plenam tibi concedentes ac liberam facultatem. Tenorem autem litterarum ipsarum presentibus ad cautelam duximus inserendum:

Innocentius[2] episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro Albrico de Romano salutem etc. Iustis petentium etc. usque: complere. Cum igitur, sicut petitio tua nobis exhibita continebat, carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris, attendens perfidiam et obstinatam rebellionem Ezelini fratris tui, quia contra ipsum rebellare presumit contempta excommunicationis sententia lata in ipsum E. a sede apostolica F. quondam imperatori contra ecclesiam dampnabiliter adherendo, quodque nos prefatum E. suis culpis exigentibus tamquam hereticum reputantes decrevimus latis adversus hereticos sanctionibus subiacere, ipsum castris, villis, terris, possessionibus, iurisdictionibus, vassallis, mancipiis et eorum peculiis ac universis bonis suis omnino privaverit ac tibi et tuis heredibus adiudicaverit omnia supradicta et ad te pertinere decreverit cum omni plenitudine rationis, prout in litteris dicti regis confectis exinde plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem rege super hiis factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri faciendo. Qui talis est:

Willelmus[3] Dei gratia Romanorum rex semper augustus nobili viro Albrico de Romano, dilecto fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Ineffabilis[b] divine dispositionis providentia, numero, pondere et mensura cuncta stabiliens et disponens, propter hoc ad regni regimen maiestatem regiam creditur ordinasse, ut regalis potentia dignitatis in quiete pacis populum dirigat et iustitie vigore conservet, ut subditorum suorum meritis provida deliberatione discussis bene quidem meritos condignis honoribus et amplioribus beneficiis amplexetur et rebellium protervam audaciam inconfusam et impunitam aliquatenus non relinquat. Hinc est, quod nos, diligentius attendentes preclaram fidem, devotionem sinceram et inconcussam[c] constantiam, quam[d] erga sanctam matrem ecclesiam ac sacrum Romanum imperium in prompta et iugi prosecutione negotiorum suorum non sine gravibus et dispendiosis laboribus, non sine magnis[e] persone et rerum tuarum periculis dinosceris habuisse, quem nulla tribulatio, nulla umquam potuit

a) ascriptis *R.* b) *corr. ex* Innefabilis. c) inconcussa *R.* d) *corr. ex* quia. e) *corr. ex* magne.

1) *Cf. n. 278.* 2) *Potthast 14115 = 14050.* 3) *Böhmer-Ficker 5023.*

angustia superare, ut te ab obsequio et devotione ecclesie separaret[a], considerantes etiam nephandam malitiam et obstinatam rebellionem Ezelini fratris tui, qui contemptor excellentie nostre ac conculcator ecclesiastice libertatis eo minus de fide habere connititur, quo in ipsius orthodoxe fidei zelatores crudelius et inhumanius[b] desevire probatur, qui etiam vilipensis ecclesie clavibus Friderico quondam imperatori patenter assistens ad ecclesie gremium pertinaciter redire contempsit, quem insuper dominus papa tamquam hereticum reputans decrevit latis adversus hereticos sanctionibus subiacere: prefatum Ezelinum suis culpis exigentibus castris, villis, terris, possessionibus, iurisdictionibus, iuribus, vassallis, mancipiis et eorum peculiis ac universis bonis, que occasione divisionis inter te et ipsum habite de bonis paternis, sive adhuc patre vivente et ipsius consensu sive iam mortuo, et omnibus aliis bonis, que postea iure hereditario ex parte patris vel aliunde, et insuper, que alias emptionis, donationis, permutationis aut quoquo alio iusto titulo undecumque ad ipsum Ezelinum usque ad presentem diem quocumque tempore pervenerunt, aut si quid iure ulterius pervenerit ad eundem, auctoritate regia privamus omnino et condempnamus eum in amissione omnium predictorum; tibique ac tuis heredibus adiudicamus[c] omnia supradicta et ad te pertinere decernimus cum omni plenitudine rationis. Quicquid autem ad imperium vel fiscum nostrum[1] in bonis memoratis pertinere dinoscitur seu possit et debeat de iure devolvi, pro eo quod hereticus reputatus idem E. debeat predictis sanctionibus subiacere, sive quod nostram leserit vel offenderit maiestatem, sive quod in dictum Fridericum de bonis suis aliquid duxerit transferendum, id tibi ac tuis heredibus pleno iure de speciali gratia liberaliter concedimus et donamus ipsorumque bonorum omnium predictorum intromissiones faciendi et possessiones apprehendendi auctoritate tua liberam tibi damus et concedimus facultatem [et][d] ea pro tuis amodo pacifice possidendi. Siquas autem venditiones, donationes, permutationes, obligationes seu quascumque alienationes dictus Ezelinus fecisse reperiatur ipsi F. aut familiaribus eius quandocumque de predictis aliquibus bonis suis aut alii cuicumque persone, te excepto, postquam eidem F. potenter adhesit, testamentum etiam et quamlibet ultimam voluntatem, in qua alteri quam tibi aliqua bona sua duxerit relinquenda, ea omnia et singula penitus irritamus et nullius momenti fore decernimus ac predictis nostris concessionibus non obstare. Set omnia prorsus ad te pertineant secundum formam superius nominatam, lege aliqua non obstante, siqua reperirietur supradictis aliquibus obviare; cui, quantum est in hac parte, volumus derogari. Preterea, siquas constitutiones vel banna seu alia quecumque gravamina contra personam tuam vel bona tua idem F. vel alius pro eo edidisse vel intulisse reperiatur, ipsa totaliter revocamus, et volumus, ut exinde tibi aut heredibus tuis nullum preiudicium generetur. Siquis autem contra huius pagine tenorem venire presumpserit, gravem nostre celsitudinis offensam se noverit incursurum. Et ut hec omnia rata et inconvulsa permaneant et sint perpetuo valitura, presentes litteras sigillo maiestatis nostre fecimus communiri. Dat. in castris ante Geylenhusen, VI Nonas Octobris, indictione IX[a], anno Domini M°CC°L°, regni vero nostri anno secundo.

Nulli etc. nostre confirmationis etc. Dat. Lugduni, V Kalendas Decembris, anno VIII°.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Asisii[2], VIII Idus Maii, anno XI°.

---

a) *corr. ex* spectaret. b) *litt.* in *superscr.* c) adiudicavimus *R.* d) et *deest R.*

1) *Cf. leges Friderici II contra haereticos a. 1239 editas; LL. t. II, p. 328, lin. 42.* 2) *Circa festum beati Marci [Apr. 25] papa Urbem egressus erat, Assisium reversurus; Nicolaus de Curbio cap. 37 ap. Baluze, Misc. t. VII, p. 396; Potthast sub 15346. Cf. etiam p. 244, not. 3.*

282.

Innocentius IV papa monasterio Lucelensi confirmat chartam Bertholdi episcopi Basiliensis, qua idem coenobium monialium de Michelenbach de consensu Ulrici comitis de Phirreto advocati eius, fratris episcopi, monasterio Lucelensi a. 1253, Nov. 22 subiecit.
1254, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Vol. III, 88; Lib. XI, 632. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati et conventui monasterii Lucelensis[1] Cisterciensis ordinis Basiliensis diocesis.

Solet annuere[a] etc. [usque][b]: impertiri. Lecta quidem [coram][c] nobis vestra petitio continebat, quod *etc.*[d] Nos itaque, ipsorum episcopi et capituli ac vestris precibus inclinati, quod super hoc per prefatos episcopum, capitulum et comitem provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est:

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Bertholdus Dei gratia Basiliensis episcopus universis Christi fidelibus presentem paginam intuentibus in perpetuum. Gratum pariter et acceptum arbitramur firmiter nos maiestati divine servitium impensuros, cum ad honorem eius et ad decus ecclesie matris nostre pro deformatis ecclesiis reformandis vel in melius transformandis diligenti studio vigilamus. Igitur cum ad cenobium de Michelenbach[2] quondam monialium ordinis sancti Benedicti nostre diocesis auctoritate tam summi pontificis quam et nostra visitationis exercentes officium venissemus et dictum locum manifeste pateret cum personis ibidem degentibus adeo deformatum, quod de ipso reparando in statum pristinum spes non erat: usi consilio sapientum, presertim Henrici prepositi, Willelmi decani et totius capituli nostri, quibusdam etiam ad idem religiosis ordinum Minorum fratrum et Predicatorum aliisque Deum timentibus adunatis, de consensu et libera voluntate Ulrici comitis de Phirreto fratris nostri et filiorum suorum, quos ad hoc induximus, nam eiusdem cenobii fuerant advocati, dictum cenobium cum omnibus que possidet, licet pauca possideat in presenti, monasterio de Lucela Cisterciensis ordinis nostre diocesis subiecimus pleno iure, statuentes ut de cetero persone degentes ibidem sub abbatis dicti monasterii de Lucela obedientia, qui pro tempore fuerit, et sub regula Cisterciensium Domino famulentur. Providimus etiam et provideri fecimus monialibus eiusdem cenobii in victu, vestitu et aliis ad earum sustentationem necessariis, quoad vixerint, competenter, si culpa sua a provisione non ceciderint antedicta. Eis autem viam universe carnis ingressis sepedictum cenobium ordinabitur tam per monachos quam per clericos, per quos divinum obsequium et Deo placens manifeste valeat augmentari. Et ut ex hac ordinatione nostra Basiliensi ecclesie, cui prefatum cenobium immediate suberat, minus preiudicium generetur, eorundem Henrici prepositi, Willelmi decani et capituli nostri requisito consensu nichilominus et obtento statuimus, quod abbas et conventus monasterii de Lucela maioris ecclesie Basiliensis decano XL solidos, ceteris canonicis LX, capelle vero, quam in curia in qua manemus Deo fundavimus annuente, cuius collationem ad decanum volumus pertinere, etiam LX persolvant in nativitate beate Marie virginis[3] annuatim. Ne autem super

a) *ita R.* b) usque *deest R.* c) coram *deest R.* d) *Narrantur ea, quae in charta infra data continentur.*

1) *Ex or. civ. Porrentruy.* 2) *Inter civitates Basel et Pfirt; cf. Böhmer-Ficker 4492.* 3) *Sept. 8.*

premissis in posterum valeat dubitationis scrupulus vel questionis materia suboriri, presentem cartam nostro nostrique capituli sigillis fecimus communiri. Actum anno Domini M°CC°L°III°, X Kalendas Decembris.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Asisii, VIII Idus Maii, anno XI°[1].

283.

Innocentius IV papa magistro Alberto canonico Pisano Parisius commoranti mandat, ut Margaretam comitissam Flandriae et filios eius excommunicet et terras eorum interdicto supponat, nisi infra XV dies post statutum terminum de quadam pecunia, quam nominati Florentini procuratoribus eorum apud sedem apostolicam mutuarint, eisdem satisfecerint. 1254, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Vol. III, 93; Lib. XI, 668. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Magistro Alberto canonico Pisano Parisius commoranti.

Sua nobis Iacobus de Scala, Iacobus Giberti[2] et eorum socii cives et mercatores Florentini petitione monstrarunt, quod ipsi magistro Thomasio Cameracensi et Arnoldo dicto Digant[3] Leodiensi canonicis, procuratoribus nobilis mulieris . . comitisse Flandrie et Hainonie[4], nomine ipsius comitisse, a qua habebant de mutuo contrahendo mandatum, quandam apud sedem apostolicam mutuarunt pecunie quantitatem, certis sibi loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico confecto exinde plenius dicitur contineri. Quocirca mandamus, quatinus eandem comitissam et filios suos successuros eidem, quos exnunc per dilectum filium Guillelmum magistrum scolarum[a] Parmensium vicecancellarium nostrum excommunicationis vinculo innodari fecimus et terras eorum supponi ecclesiastico interdicto, prout in litteris inde confectis sigillatis sigillo ipsius vicecancellarii plenius continetur, si eisdem mercatoribus infra XV dies post statutum terminum de pecunia ipsa iuxta eiusdem instrumenti tenorem non fuerit satisfactum, elapsis dictis XV diebus tamdiu excommunicatos publice nuncies et dictas terras ecclesiastico suppositas interdicto et facias ab aliis nunciari, donec dictis mercatoribus de pecunia ipsa cum iustis et moderatis expensis ac debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, plenarie fuerit satisfactum, contradictores [etc.][b] — non obstantibus[c] si est aliquibus ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia cuicumque persone vel loco sub quacumque forma verborum a dicta sede concessa, de cuius toto tenore oporteat in nostris litteris mentionem fieri et per quam effectus presentium impediri

a) scolarū *R.*; ū *in loco raso.* b) etc *deest R.* c) obst' *R.*

1) *Conservator huius confirmationis erat [Willelmus] archiepiscopus Bisuntinus. — A. 1254, Iun. 17 papa monasterio de Lucella aliam gratiam fecit, cum propter malitiam temporis in temporalibus valde diminutum esset; Lib. XI, 755.* 2) *De hoc cf. etiam Lib. XI, 246 et 397.* 3) *Cf. t. II, p. 507, n. 683.* 4) *A. 1253, Ian. 21 et Sept. 20 ad preces et consideratione comitissae gratias fecerat; Lib. X, 365 et XI, 802. A. 1254, Mai. 28 ad preces Guidonis comitis Flandriae indulsit, ut duo filii eius masculi vel feminae cum totidem aliis nobilibus in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu eis coniunctis matrimonium possent contrahere; Lib. XI, 722; cf. etiam t. II, p. 138, n. 182. De comitissa et Willelmo rege cf. p. 245, not. 1 et Böhmer-Ficker 5167a et sequ.*

valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Tenorem autem litterarum ipsius vicecancellarii de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus. Qui talis est.

Universis presentes litteras inspecturis Guillelmus magister scolarum Parmensium sacrosancte Romane ecclesie vicecancellarius salutem in Domino. Notum vobis facimus per presentes, quod[a] cum Iacobus de Scala, Iacobus Giberti et eorum socii cives et mercatores Florentini magistro Thomasio Cameracensi et Arnoldo dicto Digant Leodiensi canonicis, procuratoribus nobilis mulieris domine Margarete comitisse Flandrie et Haynonie, nomine ipsius domine comitisse, a qua habebant de mutuo contrahendo mandatum, quandam apud sedem apostolicam mutuarint pecunie quantitatem, certis loco et termino persolvendam, prout in instrumento publico confecto exinde plenius continetur, nos de speciali mandato sanctissimi patris domini Innocentii summi pontificis nobis viva voce facto, viso ac diligenter considerato tenore litterarum eiusdem domine comitisse confectarum super negocio memorato ac predicto publico instrumento, prefatam dominam comitissam et filios eius successuros eidem exnunc excommunicationis vinculo innodamus, terras eorum supponentes ecclesiastico interdicto, si eisdem mercatoribus infra XV dies post statutum terminum de pecunia ipsa iuxta eiusdem instrumenti tenorem non fuerit satisfactum. Quibus XV diebus elapsis de ipsius domini mandato statuendum presentibus duximus et mandandum [prefatos comitissam et filios][b] tamdiu ad requisitionem mercatorum eorundem excommunicatos publice nunciari, in locis videlicet quibus dictis mercatoribus placuerit, et ipsas terras eorum ecclesiastico suppositas interdicto, donec ipsis creditoribus de ipsa pecunia cum iustis et moderatis expensis et debita restauratione dampnorum, usuris omnino cessantibus, plenarie fuerit satisfactum. Nos enim sententiam ipsam et interdictum suspendimus usque ad terminum prelibatum XV dierum, ita videlicet quod interim domina comitissa, filii et terra prescripti interdicto et excommunicatione huiusmodi non ligentur. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillo nostro mandavimus roborari. Dat. Asisii, anno Dominice nativitatis M°CC°L°IIII°[c], pontificatus domini Innocentii pape IIII anno XI°, mense Maii, die V intrante.

Dat. Asisii, VIII Idus Maii, [anno XI°][d].

284.

Innocentius IV papa abbati et conventui de Scafusa confirmat ecclesiam parrochialem de Kilchperc et ecclesiam de Scafusa ab ea dependentem, quas eis in recompensationem damnorum, quae per Conradum natum Fr[iderici II] passi sint, ad preces comitum de Kiburc a. 1248, Febr. 8 concesserit; insertae sunt chartae concessionis papalis et ratihabitionis episcopi Constantiensis a. 1253, Febr. 27. 1254, Mai. 8.

Inn. IV Reg. Vol. III, 107—108; Lib. XI, 770. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Ladewig, Reg. episc. Constant. n. 1849.

.. abbati et conventui monasterii de Scafusa ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis.

Petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nos, dudum intellecto quod Conradus[1] natus quondam Fr. olim imperatoris, ex eo quod ipso mandante interdictis et

a) presentes quod *in loco raso.* b) *tale quid deest in R.* c) L°IIII° — Id. Maii *in margine add.* d) anno XI° *deest R.*

1) *Conradus rex a. 1246, Mart. 27 Schafusae fuerat ibique clericos omnes, qui assistere vellent in celebratione divinorum civibus Ratisponensibus, sub protectione sua receperat; Böhmer-Ficker 4504.*

excommunicatis noluistis celebrare divina, extendens ad bona monasterii vestri temerarie manus suas, vos non modica quantitate frumenti, quibusdam animalibus et bonis aliis fecerit spoliari, concessis ab eo nichilominus in feudum aliquibus monasterii vestri possessionibus nonnullis nobilibus Romane ecclesie inimicis et aliis ipsi monasterio dampnis gravibus et iniuriis irrogatis: retinendi in usus proprios parrochialem ecclesiam de Kilopert[a] [1], cuius eratis patroni, cedente vel decedente rectore ipsius, una cum ecclesia de Scafusa dependente ab ea vobis per nostras litteras concessimus liberam facultatem, et venerabilis frater noster . . Constantiensis episcopus loci diocesanus eiusque capitulum, concessionem huiusmodi gratam habentes, voluerunt et gratum habuerunt, ut iure vobis ex indulgentia nostra quesito uti libere valeatis, promittendo nichilominus idem ius vobis illesum relinquere nec in aliquo contraire ac renunciando iuri et consuetudini, litteris et indulgentiis habitis vel habendis, quibus vel quarum occasione possitis concessa vobis in hac parte gratia defraudari, prout in litteris inde confectis et eorundem episcopi et capituli sigillis munitis plenius continetur. Nos itaque, vestris precibus inclinati, quod super hiis ab eisdem episcopo et capitulo provide factum est, ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est:

E[berhardus] [2] Dei gratia Constantiensis episcopus dilectis in Christo sibi . . abbati et conventui monasterii Scafusensis ordinis sancti Benedicti salutem in Christo Iesu. Opus pietatis agitur, cum oppressis impiorum malitiis consolationis beneficio subvenitur. Igitur vestris doloribus et pressuris paterno compatientes affectu, indulgentiam sedis apostolice super retinenda ecclesia Killperh cum ecclesia[b] Scafusensi dependente ab ea ad usus vestros obtentam ratam et gratam habentes, de consilio capituli nostri ac consensu permittimus, quatinus iure vobis ex predicte sedis indulgentia seu concessionis gratia competenti uti libere valeatis iuxta continentiam litterarum domini pape, quas vidimus, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua parte viciatas, in hec verba:

Innocentius [3] etc. dilectis filiis . . abbati et conventui Scafusensis monasterii ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis salutem etc. Affectu paterno subditorum quorumlibet, quorum gravamur iniuriis et premimur[c] pressuris, sic avide statum querimus prosperum et tranquillum, quod eo nil magis inhereat cordi nostro, quoniam[d] in eorum quiete quiescimus et adversitatibus tribulamur[e]. Cum igitur, sicut dilecti filii H. senior et H. iunior comites de Kiburch in nostra proposuerunt presentia constituti [4], Conradus natus Fr. quondam imperatoris, ex eo quod ipso mandante excommunicatis et interdictis divina noluistis officia celebrare, ad bona vestri monasterii temerarias manus extendens, fecerit vos non modica quantitate frumenti, animalibus et bonis aliis pluribus spoliari, concessis nichilominus in feudum aliquibus vestris possessionibus quibusdam nobilibus Romane ecclesie inimicis aliasque vobis et prefato monasterio per eundem Conradum et eius fautores dampnis, iniuriis et pressuris tam enormibus et gravibus irrogatis, ut ipsius monasterii iactura irreparabilis timeatur: nos, moti erga vos pie compassionis affectu ac volentes vestra in hac parte gravamina nostre provisionis auxilio relevari, dictorum comitum precibus inclinati, retinendi in usus proprios ecclesiam parrochialem dictam Kilchperch, cuius estis patroni, ipsius cedente vel decedente rectore, cum ecclesia Scafusensi dependente ab ea, quarum redditus L marcharum argenti

a) *ita R.* b) Kilh. .cum eccl. *in marg. add.* c) premimur et *R.* d) quomodo *R.* e) *litt.* l *superscr.*

1) *Kirchberg ex or. civ. Schaffhausen, in territorio Badensi.* 2) *Ladewig, l. c. n. 1812.* 3) *Epistola in Lib. V Regestorum non reperitur.* 4) *Cf. t. II, p. 348, n. 493 et sequ.*

valentiam annis singulis deductis expensis vicarii non excedunt, liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen ut vicario in ea perpetuo servituro sufficientes redditus de bonis eius pro sustentatione sua et pro aliis ipsius ecclesie supportandis oneribus assignentur[a], — non obstante si pro aliorum provisione vobis direxerimus scripta nostra, nisi forsan mandaverimus specialiter alicui de eadem ecclesia provideri. Nulli etc. Si quis etc. Dat. Lugduni, VI Idus Februarii, pontificatus nostri anno V[1].

promittentes in posterum ius vestro monasterio in prefata ecclesia taliter acquisitum illesum, quantum in nobis est, relinquere nec in aliquo contravenire, renunciando iuri, consuetudini, litteris seu indulgentiis habitis vel habendis, quibus vel occasione quorum concessa vobis gratia[b] possetis defraudari. In cuius facti testimonium presentem litteram concedimus sigillis nostro et nostri capituli roboratam. Acta sunt hec anno Domini M°CC°L°III°, indictione XIa, III Kalendas Martii, in capitulo Constantiensi: presentibus . . preposito[2], . . decano, Waltero scolastico, Alberto de Bolle, R. de Hasenwiler[c] sacerdotibus, B. thesaurario Curiensi, L. de Schiltperch, H. de Straze, magistro Walterio de Walkensten, B. de Annewiler[d] canonicis Constantiensibus et aliis quampluribus. In Domino feliciter amen[3].

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Asisii, VIII Idus Maii, anno XI°[4].

285.

Innocentius IV papa Henrico episcopo Hildeshemensi ad preces Willelmi regis Romanorum facultatem concedit, ut redditus beneficiorum ecclesiasticorum, quae in diocesi sua usque ad triennium vacaverint, per annum percipiat, in solutionem debitorum, quae pro negotio imperii subierit, convertendos. 1254, Mai. 14.

Inn. IV Reg. Vol. III, 89; Lib. XI, 636. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman l. c. t. V, p. 182 edidit.

Potthast, Reg. 15362.

Henrico Hildesemensi episcopo[5].

Pro defensione iurium imperii et Hildesemensis ecclesie te oportuit prout asseris magna subire onera debitorum. Nos itaque, propter hoc et obtentu carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris pro te apostolicam gratiam implorantis volentes tibi gratiam facere specialem, percipiendi omnes redditus et proventus primi anni omnium beneficiorum ecclesiasticorum, que in Hildesemensi civitate ac diocesi usque ad triennium vacare contigerit, convertendos in solutionem[e] huiusmodi debitorum, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi

a) assignetur *R.* b) gratis *R.* c) Hasenwilē *R.* d) Annewilē *R.* e) solutione *R.*

1) *I. e. a. 1248, Febr. 8.* 2) *Peregrino. A. 1254, Oct. 18 Capuae papa Conrado de Bernhusen praeposituram Constantiensem, ab episcopo Const., cui id licebat [cf. t. II, p. 465, n. 651], collatam, confirmavit; Lib. XII, 293.* 3) *De eadem re cf. chartam Bertholdi abbatis S. Galli, datam a. 1254, Apr. 24; Wartmann, U. B. v. S. Gallen t. III, p. 705, n. 26.* 4) *Conservator datus est abbas de Gengenbac. — A. 1254, Mart. 29 papa Bertholdo dicto de Bwagir de Scafusa militi, familiari H. comitis de Kiburc, gratiam fecerat; Lib. XI, 548.* 5) *Cf. n. 277.*

fraternitati tue liberam concedimus auctoritate presentium facultatem — non obstante si est aliquibus ab apostolica sede indultum, quod interdici etc. —; proviso quod interim beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur.

Dat. Asisii, II Idus Maii, anno XI° [a] [1].

286.

Innocentius IV papa [Henrico IV] episcopo Eichstetensi mandat, ut Gothfridum dominum de Solzburch a quodam iuramento, quod W[altero] pincernae de Clingenburch praestiterit, postquam eum ad devotionem ecclesiae revocaverit, absolvat, cum idem pincerna denuo persecutor ecclesiae sit. *1254, Mai. 15.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 90; Lib. XI, 639. Damus Pertzii exemplar.

.. episcopo Eistetensi.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Gothfridi domini de Solzburch [2] tue diocesis fuit propositum coram nobis, quod cum ipse olim ad promotionem negocii generalis ecclesie contra C. natum condam Fr. olim imperatoris et ipsius fautores totis viribus elaborans, nobilem virum W. pincernam de Clingenburch [3] Herbipolensis diocesis ad devotionem ecclesie, cuius adversarius manifestus fuerat, revocasset, ut validius cum eodem pincerna posset hostes ecclesie impugnare, pro Ulrico nato suo adhuc in cunabulis constituto, quod iuniorem filiam eiusdem pincerne in uxorem reciperet, cum ad legitimam perveniret etatem, corporale prestitit iuramentum. Verum cum dictus pincerna, tamquam
Prov. 26, 11. canis ad vomitum rediens, factus sit, ut dicitur, publicus ecclesie persecutor, prioribus peiora committens, fautoribus dicti C. dampnabiliter adherendo, petebatur a nobis, ut prefatum G. ab huiusmodi iuramento, presertim cum dictus puer nondum attigerit quintum annum, absolvere curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, eundem G. auctoritate nostra per te vel alium ab eodem iuramento absolvens, ipsum ab eo denuncies absolutum.

Dat. Asisii, Idibus Maii, anno XI° [4].

287.

Innocentius IV papa Adenulpho de Luczenardo obtentu devotionis, quam pater eius Conradus circa sedem apostolicam a longis retroactis temporibus gesserit, gratiam facit. *1254, Mai. 19.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 95; Lib. XI, 673. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Adenulpho de Luczenardo.

Exposuit coram nobis dilectus filius nobilis vir Conradus de Luczenardo [5] pater tuus, quod cum ipse solutus te de soluta susceperit, Roccam de Camaranico diocesis

a) Dat. ut supra *R.*

1) *Cf. a. 1256, Ian. 28.* 2) *Sulzburg in prov. Oberpfalz, e mer. et or. civ. Freystadt; cf. Böhmer-Ficker 4482, 4883 et 5238.* 3) *Ad Moenum fl. infra civ. Miltenberg.* 4) *Gebehardo comiti de Hirsperc [advocato ecclesiae Eichstetensis, de quo cf. t. II, p. 388, n. 550 et p. 469, not. 3 et Böhmer-Ficker 4563] papa a. 1252, Sept. 7 et 1254, Aug. 31 gratias fecit; Lib. X, 97 et XII, 462. De [Elisabeth] comitissa de Hirsperg, cuius patrem [Albertum] comitem de Tyrol in excommunicatione mortuum papa ex cimiterio christianorum extumulari iussit, cf. Potthast 15278, cf. etiam 15196; epp. non reg.* 5) *Sine dubio e familia Conradi de Lucelinhart [Lützelhard in magnoducatu Badensi e mer. et or. civ. Lahr], qui sub Friderico I et Henrico VI variis officiis in Italia functus erat; cf. etiam t. I, p. 439, not. 6. Eidem gratia facta est a. 1253, Iul. 26; Lib. XI, 806.*

Theatine cum omnibus iuribus et pertinentiis suis ad se spectantem tibi concessit in feudum et donavit. Quare humiliter petebat a nobis, ut cum ipse nullam prolem legitimam habeat, dispensare tecum super huiusmodi tuorum defectu natalium misericorditer curaremus. Nos itaque, obtentu sincere devotionis, quam ipse circa sedem apostolicam a longis retroactis temporibus gerere studuit, eius supplicationi inclinati, ut Roccam ipsam, et quicquid dictus pater tuus tibi legitime concesserit seu donarit, — non obstante predicto defectu — licite ac libere valeas obtinere, tecum auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis —.

Dat. Asisii, XIIII Kalendas Iunii, anno XI°.

288.

Innocentius IV papa Basiliensibus ad preces [Bertholdi] episcopi Basiliensis indulget, ut cum pro negotio contra quondam Fr[idericum II] et Conradum natum eius laborantes multorum odia incurrerint, extra civitatem suam per litteras apostolicas in iudicium trahi non possint. *1254, Mai. 24.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 97; Lib. XI, 692. Damus Pertzii exemplar. U. B. der Stadt Basel t. I, p. 198, n. 272.

Communi civitatis Basiliensis.

Devotionis vestre sinceritas et fidei promptitudo meretur, ut vos favore apostolico prosequentes, vobis a gravaminibus, quantum cum Deo possumus, caveamus. Cum igitur, sicut venerabilis frater noster . . Basiliensis episcopus nobis significare curavit, vos sibi pro negotio universalis ecclesie ac imperii contra quondam Fr. imperatorem et C. natum eius ac fautores eorum indefesso studio laboranti totis viribus astiteritis et assistatis eidem huiusmodi negotium prosequenti, propter quod plurimorum noscimini odia incurrisse, ita quod a civitate vestra sine discrimine digredi longius non potestis: nos, volentes vobis a futuris gravaminibus precavere, ipsius episcopi precibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut extra civitatem Basiliensem communiter vel divisim trahi ad iudicium per apostolice sedis vel legatorum ipsius litteras non possitis, in devotione ecclesie persistendo, nisi huiusmodi apostolice littere specialem et expressam de verbo ad verbum fecerint de hac indulgentia mentionem. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Asisii, IX Kalendas Iunii, anno XI° [1].

. . episcopus Basiliensis datus est super hoc conservator; — non obstante si aliqui ex indulto apostolico excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi.

Dat. ut supra.

---

1) *A. 1254, Aug. 18 papa episcopo Basiliensi mandavit, ut Rudolfum comitem de Habesburch et nominatos socios eius quondam Friderico II et Conrado contra ecclesiam adhaerentes, qui noctis tempore monasterium monialium poenitentium b. Mariae Magdalenae Basiliense incendio devastassent, usque ad satisfactionem eorum excommunicatos nuntiet; Potthast 15489; non reg.*

289.

Innocentius IV papa [Bertholdo] episcopo Basiliensi mandata dirigit contra eos, qui de beneficiis ecclesiasticis, ad collationem suam spectantibus, praelatis et clericis provideant, quorum consanguinei devotos ecclesiae impugnent. *1254, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 100; Lib. XI, 715. Damus Pertzii exemplar.

. . episcopo Basiliensi.

Significasti nobis, quod de personatibus, dignitatibus et aliis ecclesiasticis beneficiis tue civitatis et diocesis interdum auctoritate sedis apostolice ac legatorum ipsius, nonnunquam vero ab hiis, ad quos ipsorum collatio pertinet, quibusdam prelatis et clericis provideri contingit, quorum consanguinei, eorundem prelatorum et clericorum consilio et auxilio vel favore suffulti, adversus devotos ecclesie validius invalescunt, propter quod negocium ecclesie in pluribus impeditur. Quare apostolico petiisti super hoc remedio provideri. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, huiusmodi prelatos et clericos auctoritate nostra per te vel alium dignitatibus, personatibus et beneficiis ecclesiasticis privare procurans, facias huiusmodi dignitates, personatus et beneficia personis idoneis et devotis ecclesie per eos, ad quos eorum collatio pertinet, si ecclesie sunt devoti, conferri. Si autem hii, ad quos eorum collatio pertinet, sunt ecclesie indevoti, tu de ipsis dignitatibus, personatibus et beneficiis auctoritate nostra procures personis idoneis et ecclesie Romane devotis per te vel alium providere, inducens eos in corporalem possessionem ipsorum ac defendens inductos, — non obstantibus[a] si aliquibus a sede apostostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint seu ad provisionem alicuius compelli sive de ipsorum dignitatibus, personatibus vel beneficiis ecclesiasticis alicui nequeat provideri per litteras dicte sedis, non facientes plenam et expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu qualibet indulgentia dicte sedis, per quam in presentibus non expressam vel totaliter non insertam id impediri valeat vel differri —; contradictores —.

Dat. Asisii, VIII Kalendas Iunii, anno XI°[1].

290.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Florentino nuntiat se communi Lucano terminum restitutionis terrae Garfagnanae usque ad festum s. Michaelis prorogasse. *1254, Mai. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 95; Lib. XI, 680. Exemplar, quod Garampi, Antico sigillo della Garfagnana p. 38 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 15389.

. . episcopo Florentino.

Licet tibi nostris dederimus litteris in mandatis, ut commune Lucanum ex parte nostra moneres, ut infra certum terminum in eisdem expressum litteris terram Garfagnanam restituere nobis et ecclesie Romane curarent[2], alioquin contra idem commune

a) obst' *R.*

1) *Cf. n. 205.* 2) *Cf. n. 51 et Potthast 14456, non reg.*

procedere non differres[a]: quia tamen huiusmodi terminum dicto communi usque ad festum sancti Michaelis[1] proximo futurum duximus prorogandum, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus huiusmodi negotio usque ad predictum prefixum eis terminum a nobis supersedere procures.

Dat. Asisii, VIII Kalendas Iunii, anno XI°[2].

291.

Innocentius IV papa omnes venditiones et alienationes factas ab Ezelino de Romano, postquam haereticus iudicatus fuerit, non valere decernit. 1254, Mai. 26.

Inn. IV Reg. Vol. III, 134: Lib. XI, cur. 36. Pertzii exemplar ex Regestis sumptum contulimus cum altero, quod idem ex Cod. Trevisano, f. 7, n. 18 descripsit, quodque ex authentico manavit.

Universis Christi fidelibus ad rei memoriam sempiternam[b].

Illorum facta, qui sunt ab ecclesiastica unitate[c] precisi, sunt ab ecclesia iuxta sanctiones canonicas non immerito reprobanda, cuius[c] fidem, quantum in eis est, dampnabiliter reprobarunt. Nos itaque, huiusmodi considerationem habentes, omnes venditiones, permutationes et alienationes factas ab Ezelino de Romano, postquam fuit a nobis sicut manifestus hereticus iudicatus[3], et quas faciet in futurum, non valere decernimus et nullius existere firmitatis. Nulli etc. nostre constitutionis —.

Dat. Asisii, VII Kalendas Iunii, anno XI°.

292.

Innocentius IV papa praeposito de Alsberch mandat, ut quosdam homines quondam de corpore ecclesiae Quedelinburgensis, quos abbatissa in saecularium personarum dominium venditionis et commutationis titulo transtulerit, ad ius ecclesiae eiusdem revocet. 1254, Mai. 28.

Inn. IV Reg. Vol. III, 107; Lib. XI, 765. Damus Pertzii exemplar.

.. preposito ecclesie de Alsberch[4] Hyldesemensis diocesis.

Ex parte Iohannis Meinradi Werneri[e] super curtem capelle Conradi de Langele[5] ac quorundam aliorum hominum quondam[f] de corpore ecclesie Quendeliraburgensis diocesis Alberstadensis fuit propositum coram nobis, quod .. abbatissa[6] et conventus eiusdem ecclesie, minus provide attendentes quod id, quod semel divinis obsequiis

a) differes *R.* b) *inscriptio rubra in R. litteris maioribus picta est, sicut in authenticis fieri solebat.* c) unit eccl. *T.* d) *ita T.*; cui *R.* e) *signa distinctionis inter haec verba in R. desunt.* f) quendam *R.*

1) *Sept. 29.* 2) *A. 1254, Iul. 21 B. abbatem beatae Mariae de Rugiano Lucanae diocesis a visitando sedem apostolicam, cum monasterium eius propter guerrarum discrimina damna non modica incurrisset, pro hoc anno absolvit; Lib. XII, 56.* 3) *Scil. ab a. 1250, Aug. 1; ab eo enim die Ezelinum, nisi resipisceret, sanctionibus contra haereticos promulgatis subiacere papa a. 1250, Iul. 3 decreverat; cf. Addit. et n. 113, 278 et 281.* 4) *Fortasse Asleburg, Asselburg ex or. civ. Hildesheim.* 5) *Langeln ex sept. civ. Wernigerode.* 6) *A. 1254, Febr. 5 papa cessionem Gertrudis abbatissae de Quedlinborch, ab ipsa petitam, recipi iusserat; Lib. XI, 442.*

deputatum esse dinoscitur, ad humanos usus transferri non debet iuxta canonicas sanctiones, homines supradictos, ipsius ecclesie servos, in secularium personarum dominium venditionis et commutationis titulo transtulerunt, contra promissum suum indebite venientes in eorundem hominum ac ipsius ecclesie non modicum preiudicium et gravamen; super quo apostolice providentie remedium dicti homines implorarunt. Volentes igitur tam ipsorum hominum statui quam indempnitati eiusdem ecclesie provideri, mandamus, quatinus homines ipsos, si eos temere alienatos inveneris vel illicite[a] distractos, ad[b] ius et proprietatem ipsius ecclesie studeas legitime revocare, contradictores [etc.][c] — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici nequeant vel suspendi.

Dat. Asisii, V Kalendas Iunii, anno XI°.

293.

Innocentius IV papa magistro Henrico de Nicasel canonico S. Germani Spirensis, debitis ob devotionem sedis apostolicae oppresso, obtentu Therici magistri Teutonicorum in Alamannia, qui pro ipso, socio suo, supplicaverit, gratiam facit. 1254, Iun. 15.

Inn. IV Lib. III, 104; Lib. XI, 750. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Magistro Henrico de Nicasel[1] canonico ecclesie sancti Germani Spirensis.

Constitutus in nostra presentia retulisti, quod tu pretextu devotionis et pure fidei, quam circa sedem apostolicam habuisti, graves labores et expensas virili animo et constanti perferens, non modica incurristi onera debitorum. Quare humiliter petebas a nobis, ut providere tibi super hoc misericorditer curaremus. Nos itaque, obtentu dilecti filii fratris Therici magistri hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Alamannia, qui pro te, socio suo, apostolicam gratiam affectuosis precibus imploravit, tuis supplicationibus annuentes, ut proventus prebende tue ecclesie sancti Germani Spirensis preter annum gratie, qui de antiqua et approbata consuetudine decedentibus canonicis ecclesie iamdicte debetur, possis per biennium taliter obligare, quod si cedere vel decedere te contingat, iidem proventus in solutionem ipsorum debitorum integre[d] interim convertantur, — non obstante contraria consuetudine vel statuto quacumque firmitate vallatis — auctoritate tibi presentium concedimus facultatem. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, XVII Kalendas Iulii, anno XI°.

. . prepositus ecclesie Warmaciensis datus est super hoc conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdici aut excommunicari non possint, nisi de indulto huiusmodi sibi concesso plena et expressa seu de verbo ad verbum in nostris litteris mentio habeatur.

Dat. ut supra[2].

---

a) illicite vel *R.* b) ipsos ad *R.* c) etc. *deest R.* d) *sequitur lacuna quattuor vel quinque litterarum in loco raso.*

1) *Ut videtur Nicastel, Neucastel ex occ. civ. Landau.* 2) *A. 1254, Mai. 15 papa personae non nominatae, ut videtur Bertholdo cantori Spirensi [cf. t. II, p. 105, n. 139], qui ecclesiae impugnavit indevotos et quosdam ipsorum animalibus et rebus aliis spoliavit, aliquos vero cepit et detinuit, donec se redimerent, carceri mancipatos, indulserat, ne per haec fama eius laedi valeret; conservatores abbas et prior de Bebenhusen et praepositus de Butelbac [quae ecclesiae cum comitibus de Friburc et de Wirtemberc rationes habebant]; Lib. XI, 650 b.*

294.

Innocentius IV papa [Martino] episcopo Mantuano mandat, ut ad singula loca Lombardiae accedens, pro pace in ea reformanda efficaciter laboret. 1254, Iun. 22.

Inn. IV Reg. Vol. III, 134; Lib. XI, cur. 37. Nonnullas partes exemplaris Pertzii denuo contulimus cum Regestis.

.. episcopo Mantuano[1].

In preminenti specula pastoralis sollicitudinis constituti circumspicientes[a] plerasque partes Italie laceris in se ipsis partibus fluctuare et mutuo populos eius furore collidi, infremuimus spiritu et super contritione provincie Lombardie, quam privata quadam affectione diligimus, ubi inimico dudum homine procurante bellorum plus quam[b] civilium tempestas invaluit, doloris aculeo vehementius pulsante cor nostrum ad excogitanda remedia nunc asperitate rigentia, nunc demulcentia lenitate, quibus mala ingruentia sopirentur, nos et fratres nostri apposuimus intentius mentes nostras. Set temporum prevalente malitia et hominum duritia renitente[c] illius provincie, contumax morbus, cuius materiam tyrampnice seductionis impietas nutriebat, hucusque cure apostolice salubria medicamenta reiecit. Nunc autem precipuis[d] huiusmodi operariis sublatis e medio[2] et Deo ex hoc ecclesie sue pacis commoda providente ac incipiente disponere in melius res humanas, circa recunciliationem[e] mutuam altercantium populorum eiusdem provincie et revocationem eorum, quos a Christi corpore culpe sue pena precidit, ad ecclesie unitatem spei confidentia nos hortatur, quod iam quasi principali mali sui causa submota non inefficaciter salutaria in eisdem populis pacis studia temptabuntur. De tua igitur nota nobis fide atque industria specialiter confidentes, te velut pacis angelum ad civitates, universitates atque personas eiusdem provincie decrevimus transmittendum, mandantes quatinus ad loca personaliter proficiscens iuxta datam tibi a Deo prudentiam ad reformanda pacis federa[f] inter discordes illarum partium efficaciter et diligenter intendas, et omnibus, set presertim illis, qui quondam Fr. olim imperatori et quondam C. nato eius contra ecclesiam adheserunt, ex parte nostra pacem in invicem et in omnes annunciare procures, et ipsis, preter eos qui sunt de hereseos[g] crimine condempnati, offerens gratiam et benivolentiam apostolice sedis et nostram, eos, ut ad nos tamquam filii ad patrem in omni fiducia convertantur, moneas attentius et inducas. Parati quippe sumus quoslibet filios de regione dissimilitudinis redeuntes paternis excipere amplexibus et ecclesiastice dilectionis visceribus continere, ita quod nunc, quando precipua generalis discordie causa cum suis auctoribus Domino disponente cessavit, illi, qui ab ecclesie Romane utero discesserunt, cum ubera misericordie ipsius resipiscendo gustaverint, agnoscere poterunt manifeste, quod in turbatione preterita, et quando in illos exercere videbatur invitos severe discipline rigorem, eadem ecclesia materne pietatis ad eos semper retinebat affectum, et si qua forte quibuslibet amaritudinis intulit verba, prout pastoralis officii necessitas exigebat, ea non ex odii fomite set ex fonte caritatis et

---

a) *cf. p. 135, lin. 18.* b) *ita R.* c) retinente *R.* d) precipiis *R.* e) recũciliationem *R.* f) federe *R.* g) *ita R.*

1) *Cf. n. 196.* 2) *Conradus rex a. 1254, Mai. 21 mortuus erat. Papa de hac re post Mai. 31 [Potthast 15416] certior factus videtur. Statim, initio mensis Iunii, Assisio se contulit Anagniam, ubi Iun. 9 reperitur; Potth. 15420. Epistolae ap. Potth. 15419 [Anagniae, Iun. 2] subscriptum est in Regestis Lib. XI, cur. 43:* VI Non. Iunii; *legas fortasse* VI Id. Iunii. *Cum Anagniae esset, papa, non requisitus, Willelmum regem rogavit, ut cum consilio Petri cardinalis legati, a ceteris se difficultatibus explicans, ad veniendum in Italiam accingeretur, apud apostolorum limina circa proximum festum nativitatis Domini recepturus imperii diadema; Potth. 15475; Kervyn de Lettenhove, Cod. Dunensis p. 250, n. 161; quae ep., non registrata, non multo post mortem Conradi regis scripta videtur; cf. p. 232, not. 3.*

iustitie processerunt. Cum enim in omnibus actionibus nostris, que tunc hiis qui parti persecutorum ecclesie adherebant videbantur adverse, ad conservationem[a] libertatis catholice ac status dicte provincie ne periret nostra dirigeretur intentio, ipsi de cetero redeuntes saniori consilio in se ipsos recognoscere debent cum gratiarum actione multiplici, etsi non voluntati, utilitati tamen sue nostra studia servivisse, quibus, sicut in ecclesie communione manentibus, sic et discedentibus ab eadem communis utrorumque preservabatur patria, ad cuius excidium persecutor ecclesie per seditiones et scismata conabatur. Verum quoniam iustitia et pax se invicem amplexantur, ita quod una nisi per reliquam defectum nesciat vel profectum, predicte provincie statum cultu iustitie in ecclesiasticis secularibusve personis reparare festina, restituens spoliatos in statum debitum, sacrilege usurpata reducens et circa violentiam passos ea, que per iniuriam, maxime super rebus Domino consecratis, reppereris attemptata, reformans, ut iurgiorum radicibus extirpatis tunc facilius pax omnium iocunda proveniat, cum quilibet reddita sibi iuris sui sorte letabitur, qua fuerat per ferale iudicium[b] destitutus. Vade igitur et age prudenter, ad eum, qui te mittit, uberes pii laboris manipulos relaturus, unde tibi accrescat in presenti gratia et gloria in futuro, et hec commissa tibi fultus auctoritatis nostre patrocinio exequaris; contradictores[c] [etc.] — non obstantibus aliquibus privilegiis, indulgentiis seu litteris apostolicis a quibuslibet prelatis, collegiis, universitatibus, ordinibus vel personis secularibus aut regularibus, de quibus specialem fieri mentionem oporteat, impetratis seu etiam impetrandis, per que, cuiuscunque roboris et tenoris existant, nullum tibi volumus obstaculum generari.

Dat. Anagnie, X Kalendas Iulii, anno XI°.

In eundem modum venerabilibus fratribus . . patriarche Gradensi[1], et . . Mediolanensi[2], . . Ravenati[3], . . Ianuensi[4] archiepiscopis et . . electo Aquilegensi[5] ac suffraganeis eorundem, necnon . . Papiensi[6], . . Placentino[7], . . Ariminensi[8] et . . Ferrariensi[9] episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, per eorum provincias et dioceses constitutis usque: destitutus. Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attentius, mandantes quatinus eundem episcopum, immo verius nos in ipso, studentes devote recipere ac honorifice pertractare, sibi in suis necessitatibus liberaliter providendo, favorabiliter ac fideliter in premissis assistatis eidem et super hiis salubria monita et mandata ipsius recipiatis humiliter et irrefragabiliter in omnibus observetis. Nos enim sententias, quas idem tulerit in rebelles, — non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis sedis eiusdem a quibuscumque prelatis, collegiis, universitatibus, ordinibus vel personis secularibus aut regularibus, etiam specialiter exprimendis, impetratis vel etiam impetrandis, que de presentibus [non][d] fecerint mentionem, ex quibus, cuiuscumque roboris et tenoris existant, nullum eisdem rebellibus volumus provenire munimen, — ratas habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari.

Dat. ut supra[10].

---

a) conversationem *R.* b) iustitium *R.* c) *Sequitur lacuna spacium 10 litterarum continens, per quam linea directa ducta est.* d) non *deest R.*

1) *Laurentio.* 2) *Leoni.* 3) *Philippo.* 4) *Gualtero.* 5) *Gregorio de Montelongo.* 6) *Rodobaldo.* 7) *Alberto.* 8) *Iacobo.* 9) *Iohanni.* 10) *Sequuntur in Regestis mandata, quae papa contra haereticos Italiae et inprimis Lombardiae hoc tempore dedit; Lib. XI, cur. 38—49; Potthast 15412, 15413, 15411, 15429, 15432, 15419, 15409, 15407, 15375, 15378, 15447, 15448.*

295.

Innocentius IV papa [Hartmanno] electo Augustensi mandat, ut [Henrico IV] episcopo Eichstetensi pro solutione debitorum occasione generalis negocii contractorum proventus primi anni beneficiorum in diocesi eius vacantium usque ad triennium concedat.

1254, Iun. 24.

Inn. IV Reg. Vol. III, 105; Lib. XI, 756. Exemplar nos inde descripsimus.

.. electo Augustensi.

Cum, sicut ex parte venerabilis fratris nostri .. episcopi Eistetensis[1] fuit propositum coram nobis, Eistetensis ecclesia tam per eum quam per predecessores ipsius pro devotione, quam habet ad Romanam ecclesiam, occasione generalis negocii multis sit debitis obligata, nos, volentes super hoc salubre prout convenit remedium adhibere, mandamus, quatinus, si rem inveneris ita esse, predicto episcopo auctoritate nostra concedas, ut proventus primi anni prebendarum et aliorum beneficiorum in sua civitate ac diocesi vacantium, vel que vacare contigerit usque ad triennium, in solutionem convertere valeat huiusmodi debitorum: contradictores [etc.][a]; — non obstante si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, a sede apostolica sit indultum.

Dat. Anagnie, VIII Kalendas Iulii, anno XI°[2].

296.

Innocentius IV papa [Iohanni] episcopo Lubicensi ad preces A[gnetis] ducissae Bawariae senioris committit, ut si W[illelmo] regi Romanorum placuerit, cum Gebehardo comite de Rothnech et relicta H. de Randech dispenset, ut in matrimonio contracto remaneant.

1254, Iul. 1.

Inn. IV Reg. Vol. III, 143; Lib. XII, 9. Exemplar nos inde descripsimus.
Potthast, Reg. 15436, falso sub Iun. 28.

.. episcopo Lubicensi.

Ex parte nobilis viri Gebehardi comitis de Rothnech[3] Ratisponensis diocesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse olim cum nobili muliere relicta quondam H. de Randech[4], ignorans quod idem H. sibi in quarta consanguinitatis linea attineret, matrimonium duxerit contrahendum et filios postmodum susceperit ex eadem, quod — impedimento consanguinitatis huiusmodi non obstante — in sic contracto matrimonio cum predicta nobili remanere licite valeat, presertim cum absque gravi multorum scandalo dictum matrimonium separari nequeat, dispensare de benignitate sedis apostolice curaremus. Nos itaque, de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipsius comitis et nobilis mulieris A. ducisse Bawarie senioris[5], cuius idem comes consi-

---

a) etc *deest R.*

1) *Frater Ulrici comitis de Wirtemberg erat.* 2) *A. 1253, Dec. 21 papa episcopo Eistetensi mandaverat, ut in monasterio Elwacensi Ottonem quondam abbatem de Wilzeburc, a decano et conventu postulatum, admitteret, si postulatio canonice celebrata esset; Lib. XI, 301. A. 1254, Febr. 9 episcopo Frisingensi mandaverat, ut de postulatione Otolfi quondam abbatis de Garsten in abbatem Medlicensem inquireret; Lib. XI, 440.* 3) *E mer. et or. civ. Ingolstadt.* 4) *Ex sept. civ. Kehlheim.* 5) *Uxoris quondam Ottonis II ducis, qui a. 1253, Nov. 29 mortuus erat et socer semperque fautor Conradi regis fuerat.*

liarius esse dicitur specialis, precibus inclinati, presentium tibi auctoritate committimus, ut super hoc, si carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri placuerit, auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum videris expedire.

Dat. Anagnie, Kalendis Iulii, anno XII°.

297.

Innocentius IV papa B[ernardo] electo Neapolitano legato mandat, ut cum [Bela] rex Ungariae, occasione discordiae inter ipsum et [Otakarum] regem Bohemiae exortae ad sedem apostolicam citatus, responsales idoneos destinaverit, legationis officio supersedeat. 1254, Iul. 13.

Inn. IV Reg. Vol. III, 209; Lib. XII, cur. 4. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. III, p. 188 edidit.

Potthast, Reg. 15460.

. . electo Neapolitano, apostolice sedis legato[1].

Venerabilis frater noster . . Zagrabiensis episcopus[2] et dilectus filius frater Ecce de ordine Minorum, postquam discessisti a nobis, ad sedem apostolicam accedentes, ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Ungarie illustris nobis exponere curaverunt, quod rex ipse occasione discordie inter eum et carissimum in Christo filium nostrum . . regem Boemie illustrem exorte auctoritate nostra citatus extiterat[3], ut in festo nativitatis beati Iohannis Baptiste proximo preterito[4] per responsalem idoneum in nostra compareret presentia, propter quod eosdem episcopum et fratrem ad predictam sedem in ipso termino destinarat, quodque rex idem nostre super hoc ordinationi stare volebat et ad firmitatem et securitatem maiorem paratus erat castra, munitiones et alia, que tenet in terris et locis, de quibus inter ipsum et prefatum regem Boemie predicta intervenit discordia, eiusdem sedis nunciis assignare, per ipsos interim retinenda, dummodo dictus rex Boemie de hiis, que ipse tenet, similem propter hoc assignationem duceret faciendam[5]. Et hec eadem frater Velascus de ordine Minorum, quem pro huiusmodi negotio in Ungariam olim transmisimus[6], similiter dixit nobis; super quibus iidem episcopus et frater Ecce patentes ab ipso rege habebant litteras et mandatum. Licet igitur te ad ipsius Ungarie partes, commisso in illis tibi legationis officio[7], pro eodem negotio duxerimus destinandum, quia tamen tunc ista ignorabamus, et quod ipse rex Ungarie talem in hiis gereret voluntatem, volumus et presentium tibi tenore mandamus, quatinus predicto legationis officio supersedere procures[8], et si eius pretextu circa premissa forsan in aliquo processisti, processum tuum studeas revocare.

Dat. Anagnie, III Idus Iulii, anno XII°.

---

1) *Cf. n. 273 et 275.* 2) *Philippus.* 3) *Ut videtur, per Velascum; v. infra.* 4) *Iun. 24.* 5) *A. 1254, Apr. 3 apud Budam inter reges pax reformata erat; Reg. Boh. t. II, p. 12, n. 24. Sine dubio legatio, quae Iun. 24 in Italia media esse volebat, aliquanto post Apr. 3 de Ungaria exiit.* 6) *Frater Velascus eo tempore in Hispaniam destinatus erat; Potthast 15437, 15440, 15442.* 7) *Etiam hoc loco legatio Bernardi 'plena' appellata non est; cf. p. 239, not. 1 et n. 275.* 8) *Legatus Iun. 20—Aug. 21 Pragae morabatur, legationis munere fungens; Canon. Prag. Contin. Cosmae a. 1254, SS. t. IX, p. 175.*

298.

Innocentius IV papa Bertholdo abbati S. Galli indulget, ut ei et monasterio eius ex ordinatione pacis facta inter eum et [Eberhardum] episcopum Constantiensem praeiudicium non generetur. *1254, Iul. 14.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 149–150; Lib. XII, 43. Pertzii exemplar contulimus cum authentico ap. Wartmann l. c. [A.].

Wartmann, U. B. d. Abt. S. Gallen t. III, p. 134, n. 928; Ladewig, Reg. episc. Constant. n. 1862.

Bertholdo abbati[a] Sancti Galli Constantiensis diocesis.

Cum in ordinatione pacis facta per nos[b] inter te ac venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Constantiensem[1] inter alia mandaverimus relaxari omnes suspensionis et excommunicationis sententias in te ab eodem episcopo auctoritate propria promulgatas[2], per quod times privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus tibi et monasterio tuo concessis a sede apostolica derogari, nos, tuis supplicationibus inclinati, volentes indempnitati tue ac ipsius monasterii paterna imposterum sollicitudine precavere, quod per relaxationem sententiarum huiusmodi nullum privilegiis, indulgentiis, libertatibus et immunitatibus ipsis preiudicium generetur et iuri eiusdem episcopi aliquid non accrescat, tibi et eidem monasterio auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, II Idus Iulii, anno XII°[3].

299.

Innocentius IV papa [Gerhardo] archiepiscopo Maguntino respondet litteras apostolicas de primiciis precum W[illelmi] regis Romanorum scriptas ad beneficia cum cura extendi non debere. *1254, Iul. 22.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 154; Lib. XII, 62. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15465; Böhmer-Will, Reg. archiep. Mag. t. II, p. 327, n. 107.

. . archiepiscopo Maguntino.

In manibus dilecti filii . . electi Spirensis quedam prout accepimus nostre [dicuntur esse][c] littere[4], inter alia continentes quod nonnulli prelati et capitula Alamannie, prout ab antiquo consuetum est, primicias precum carissimi in Christo filii nostri W.

---

a) monasterii *add. A.* b) *ita A.;* vos *R.* c) dicuntur esse *vel tale quid deest R.*

1) *Cf. n. 102, 146 et 266. A. 1254, Febr. 20 et Iun. 15 papa Hainrico de Meskilche acolito [clerico] et procuratori episcopi Constantiensis gratias fecerat; Lib. XII, secunda ep. sub n. 384 et Lib. XI, 873 = Ladewig n. 1859.* 2) *Mai. 13 [Iacobo] episcopo Metensi mandaverat, ut omnes sententias latas et processus habitos revocaret et episcopum et abbatem in eum statum, quo erant ante discordiam, reduceret, decernens ut abbas monasterium Renaugiense retineret usque ad beneplacitum apostolicum, ita tamen ut episcopo de iuribus episcopalibus responderet; Lib. XI, 763; Potthast 15361; Wartmann p. 130, n. 925 ex auth.; Ladewig n. 1851. Cf. Wartmann n. 926 et 927; Ladewig n. 1854 et 1860.* 3) *Eodem die eidem indulsit, ut episcopus Constantiensis sine speciali mandato apostolicae sedis in eum suspensionis, interdicti vel excommunicationis sententias ferre non posset; Iun. 27 eidem, ut per litteras apostolicae sedis vel legatorum alibi atque apud sedem apostolicam conveniri non posset; Lib. XII, 44 et 47.* 4) *Potthast 13115; cf. t. II, p. 440, not. 6.*

illustris regis Romanorum exaudientes, promiserunt se quibusdam clericis in beneficiis ecclesiasticis provisuros, propter quod nos, eiusdem supplicationibus inclinati, sibi concessimus, quod singuli clerici, quibus per huiusmodi precum primitias provideri promissum est aut etiam promittetur, in assecutione provisionum omnibus aliis, pro quibus nos seu legati nostri scripsimus, sine ipsorum preiudicio quo ad alia, preferantur, ita tamen quod sint prelationes huiusmodi singulares nec per hoc illis, qui iam sunt assecuti beneficia, derogetur. Tua itaque fraternitas propter concessionem istam petivit a nobis, quid in casu isto sit de beneficiis curam animarum habentibus faciendum. Verum, licet non recolamus nos predictas litteras concessisse [1], tamen ipsas [a] ad beneficia cum cura nolentes extendi, tibi ac prelatis et capitulis ecclesiarum seu monasteriorum tue civitatis et diocesis presentium auctoritate concedimus, quod — non obstantibus eisdem litteris — huiusmodi beneficia cum cura vacantia vel etiam vacatura, que ad collationem vestram [b] pertinent, libere personis ydoneis conferatis, dummodo illis, qui super provisione sua nostras seu legatorum nostrorum litteras impetrarunt, nullum propter hoc preiudicium generetur.

Dat. Anagnie, XI Kalendas Augusti, anno XII° [2].

300.

Innocentius IV papa [Hugoni] abbati Liessiensi pro obsequio W[illelmo] regi Romanorum impenso indulget, ut nullus ordinarius in eum sine manifesta causa excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgare valeat absque speciali mandato apostolico. *1254, Iul. 25.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 155; Lib. XII, 72 bis. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15469.

.. abbati monasterii Liessensis [3] ordinis sancti Benedicti Cameracensis diocesis.

Devotionis, qua Romanam ecclesiam venerari, et obsequialis promptitudinis, qua carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri sicut accepimus te reddere acceptum diceris, grata merita intercedunt, ut contra concussionum molestias, que interdum non ex caritate procedunt, favore apostolico muniaris. Hinc est, quod nos tibi auctoritate presentium indulgemus, ut nullus ordinarius in te absque manifesta et rationabili causa excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam valeat promulgare sine speciali mandato sedis apostolice, totum de verbo ad verbum tenorem huiusmodi indulgentie continente. Nos enim sententias et processus quoslibet, et quicquid aliud

---

a) ipsos *R.* b) nostram *R.*

1) *Registratae non erant.* 2) *Iul. 23 eundem monuit, ut Willelmum regem 'plantam nostram nostrisque manibus consitam' favorabiliter prosequens, ei in omnibus, quae ad exaltationem imperii pertinerent, potenter assisteret; Iul. 26 regem monuit, ut si quam indignationis molestiam contra archiepiscopum habeat, eam depellat, eumque in gratiam solitae benignitatis admitteret; Potthast 15465 et 15472; epp. non reg. — Iun. 22 Henrico episcopo Argentinensi significaverat se mandasse, ut pro subventione imperii Romaniae vicesima in Maguntina provincia colligeretur et archiepiscopo Maguntino ad opus eiusdem imperii assignaretur; eidem autem episcopo commiserat, ut in sua civitate et diocesi eam ipse colligeret et pro praefati imperii subsidio conservaret; Lib. XII, 24. Cf. etiam Böhmer-Ficker 5189 a.* 3) *Liessies in Hanonia ad Helpe fl. prope civ. Avesnes; de Hugone cf. t. II, p. 477, not. 3.*

contra presentis indulti continentiam seu mentem per quemcumque ordinarium vel delegatum seu subdelegatum aut executorem contigerit[a] attemptari, vires decernimus non habere. Nulli etc. nostre concessionis etc.; presentibus post decennium etc.[b]

Dat. Anagnie, VIII Kalendas Augusti, anno XII°[1].

. . prior Sancti Iacobi Leodiensis datus est super hoc conservator.

301.

Innocentius IV papa [Bertholdo] episcopo Basiliensi committit, ut si expedire viderit, monasterium monialium Vallis Masonis per malitiam advocatorum aliorumque deformatum abbatissae Seconiensi, nepti U[lrici] comitis de Phyrreto, committat.

1254, Aug. 4.

Inn. IV Reg. Vol. III, 156; Lib. XII, 83. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . episcopo Basiliensi.

Ex parte dilectarum in Christo filiarum conventus monasterii monialium Vallis Masonis[2] ordinis sancti Benedicti tue diocesis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum idem monasterium, quod ad Basiliensem ecclesiam pertinet[c] pleno iure, hactenus in spiritualibus floridum et in temporalibus opulentum, per advocatorum malitiam et quorundam adversariorum ecclesie tyrampnidem, qui bona ipsius diripiunt et consumunt, deformatum sit adeo in utrisque, quod nisi ei per apostolice sedis providentiam celeriter succurratur, vix adiciet, ut resurgat, curam et administrationem ipsius, nunc abbatisse regimine destituti, in temporalibus et spiritualibus dilecte in Christo filie . . abbatisse monasterii Seconiensis[3] ordinis sancti Augustini Constantiensis diocesis, nepti nobilis viri U. comitis de Phyrreto devoti nostri, per cuius industriam idem monasterium relevari et defensari ab incursibus malignorum posse speratur, committere, saltem quousque dictum monasterium reformatum fuerit, ac interim debitam sibi obedientiam et reverentiam a monialibus et aliis subditis eiusdem monasterii facere exhiberi de benignitate sedis apostolice curaremus — quod eadem abbatissa sancti Augustini est ordinis non obstante. Nos itaque, sepedicti monasterii desolationi occurrere paterno volentes affectu ac de tua circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, presentium tibi auctoritate committimus, ut super hoc auctoritate nostra per te vel alium facias, quod secundum Deum eiusdem monasterii reformationi et animarum saluti videris expedire; contradictores etc. — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, interdici nequeant vel suspendi.

Dat. Anagnie, II Nonas Augusti, anno XII°.

---

a) contigit *R.* b) *scil.* minime valituris. *Formula* presentibus *ante verba* Nulli etc. *ponenda erat; cf. t. II, p. 58, n. 345.* c) pertinens *R.*

1) *Aliae gratiae eidem sub Iul. 20, 25 et 26; Lib. XII, 72a, 73 et 75. Iul. 28 papa decano Tudiniensi [Thuin] et Symoni de Claromonte canonico Leodiensi mandavit, ut idem monasterium, quod correctionis consilio indigeret, visitarent et corrigerent; Lib. XII, 74.* 2) *Masmünster in Alsatia superiore, e mer. et occ. civ. Thann.* 3) *Annae.*

302.

Innocentius IV papa abbati et conventui de Alchingen providendi monasterio ipsorum, cum vacaverit, per electionem canonicam de abbate liberam potestatem concedit.
1254, Aug. 1.

Inn. IV Reg. Vol. III, 159; Lib. XII, 100. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . abbati et conventui monasterii de Alchingin[1] ordinis sancti Benedicti Augustensis diocesis.

Et[2] qualitas temporis, quod diebus preteritis potissime propter ipsorum malitiam fuit modis variis redimendum, et importuna instantia plurimorum extorsit, quod de archiepiscopatibus et episcopatibus seu abbatiis et prioratibus mandavimus per nostras litteras in diversis partibus provideri. Set sanius reputantes provideri ecclesiis, presertim cum de ipsarum regimine agitur, quam personis, vobis, filii conventus, providendi monasterio vestro per electionem canonicam de abbate, cum illud vacare contigerit, liberam concedimus auctoritate presentium potestatem — non obstantibus[a] quibuslibet litteris generalibus vel specialibus, cuiuscumque tenoris existant, super quorumcumque promotionibus vel provisionibus impetratis a sede apostolica vel legatis ipsius aut etiam impetrandis, seu reservationibus vel prohibitionibus aut nominationibus earundem litterarum auctoritate factis vel faciendis seu processibus per eas habitis vel habendis in posterum, que omnia volumus viribus[b] omnino carere. Nos enim, quicquid contra huiusmodi nostre concessionis tenorem et libertatem iuris seu potestatis vestre in hac parte a quoquam huiusmodi litterarum occasione factum aut presumptum est vel fuerit, decernimus irritum et inane, interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias, si que litterarum ipsarum pretextu late sunt hactenus, relaxantes, et quas deinceps promulgari contigerit, censentes penitus nullas esse. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Anagnie, II Nonas Augusti, anno XII°.

303.

Innocentius IV papa Adenulpho fratri [Matthaei] episcopi Troiani et heredibus eius ad preces episcopi castrum Airolae ad demanium curiae pertinens S. Agathensis diocesis in feudum concedit, ut ex eo more Francorum vivant. *1254, Aug. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 161; Lib. XII, 166 bis. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili viro Adenulpho[3], fratri venerabilis fratris nostri episcopi Troiani, Verulane diocesis.

Venerabilis fratris nostri . . episcopi Troiani fratris tui devotionis merita exigunt et affectus, quem ad nos et nostros habere dinoscitur, promeretur, ut eius votis favorabiliter annuentes, faciamus sibi et suis gratiam specialem[4]. Hinc est, quod nos, eiusdem episcopi precibus inclinati, castrum Airole[5] ad demanium curie pertinens Sancte

---

a) obst[t] *R.* b) iuribus *R.*

1) *Elchingen ex sept. et or. civ. Ulm.* 2) *Cf. n. 141.* 3) *De Babuco, cf. p. 28, not. 3.* 4) *A. 1254, Iul. 2 nepoti eius gratiam fecerat; Lib. XII, 448; cf. Lib. XII, 266 sub a. 1254, Oct. 22.* 5) *E mer. et or. civ. S. Agata de' Goti.*

Agathensis diocesis cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, honoribus, homagiis, redditibus, districtibus, villis et pertinentiis suis tibi tuisque heredibus et successoribus, ut ex eo vivatis more Francorum [1], in feudum in perpetuum concedimus liberum et exemptum, teque de ipso per anulum [a] investimus, concessiones, si que de predicto castro per nos vel nostra seu quavis auctoritate facte vel faciende sunt aliis, decernentes irritas et inanes; insuper quod si aliquis dixerit vel docuerit in eodem castro ius aliquod se habere, eidem faciemus alibi concambium competens assignari; — non obstantibus aliquibus privilegiis, confirmationibus, indulgentiis vel litteris apostolicis generalibus seu specialibus sub quacunque forma verborum obtentis et obtinendis, per que premissa vel eorum aliquid [b] impediri aut differri valeat et de quibus seu predictorum privilegiorum, confirmationum, indulgentiarum et litterarum totis tenoribus de verbo ad verbum plenam et expressam fieri oporteat in presentibus mentionem. Nulli etc. nostre concessionis, investiture, constitutionis et promissionis etc.

Dat. Anagnie, II Idus Augusti, anno XII°.

304.

Innocentius IV papa Albericum de Romano certiorem facit se cum Ezelino de Romano reconciliationis tractatum non habere neque eundem, etiamsi poenitentiam egerit, ad hoc unquam pervenire posse, ut ea, quae Alberico per papam vel Willelmum regem Romanorum concessa fuerint, mutentur. *1254, Aug. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 162; Lib. XII, 116. Exemplar, quod Verci, Storia degli Ecelini, t. III, p. 367 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15486 = 15479, falso sub Aug. 5.

Nobili viro Albrico de Romano.

Animi tui satagunt enervare virtutem et devotionis in te violare constantiam [c], qui tibi suggerunt vel in populo publicant nos cum Ezelino de Romano reconciliationis habere tractatum, per quam honori derogaretur catholice fidei, ecclesie honestati et profectibus devotorum [2]. Adverte igitur, fili, astutias hominum ad fidelium subversionem exercentium modos suos, et agnosce nos cum homine illo [d] vel cum alio pro eo huiusmodi non habere tractatum nec dante Domino habituros, et confide non dubius, quod si umquam ille, quod vix credimus, per condignam humilitatis penitentiam studuerit aliquam misericordiam promereri, numquam ad hoc per nostram clementiam seu aliquod sue calliditatis vel simulationis ingenium pervenire valebit, ut aliquatenus ea, que tibi per nos vel carissimum in Christo filium nostrum Willelmum regem Romanorum illustrem concessa sunt vel in tuum commodum constituta et per sedem apostolicam confirmata [3], mutentur. Que omnia presentium auctoritate decernimus — nullis contrariis concessionibus vel constitutionibus seu remissionibus obstantibus — perpetuo robore incommutabiliter valitura. Super quo has litteras in nostre constitutionis et pollicitationis indicium tibi duximus concedendas [e].

Dat. Anagnie, Idibus Augusti, anno XII°.

---

a) *ita R.* b) aliquod *R.* c) constantia *R.* d) illo homine *R.* e) concedenda *R.*

1) *De iure Francorum in iudiciis a Friderico II sublato cf. Constit. regni Sic. Lib. II. tit. 17 ap. Huillard-Breholles, t. IV, p. 89.* 2) *Cf. n. 294.* 3) *Cf. n. 281.*

305.

Innocentius IV papa Philippo de Acerno excommunicato, ad devotionem ecclesiae ut proponat redeunti, bona nominata confirmat. *1254, Aug. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 164; Lib. XII, 129. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Adhibuimus praeterea aliam epistolam Lib. XII, 314 registratam, in exordio et fine discrepantem, per quam papa eidem, non excommunicato, eadem bona confirmavit [2].

Nobili viro Phylippo de Acerno[1] spiritum[a] consilii sanioris.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, ad devotionem matris ecclesie redire proponas, nos, tuum laudabile propositum multipliciter commendantes ac volentes ex hoc statum tuum congruis munire favoribus et condignis gratiis adaugere, tuis supplicationibus inclinati, civitatem de Acerno[b] et roccam eius, ac de Rotunda[c], de Castro Novo, de Viario castra, medietatem Vetri[2] cum rocca ipsius ac feuda et possessiones, que in de Gifono[d 3] et de Campania[4] castris Consane, Salernitane et Acernensis diocesum cum omnibus iuribus, honoribus, hominibus et pertinentiis eorundem. et omnia alia bona, que ad presens tenes et possides, tibi ad devotionem ipsius ecclesie redeunti ac persistenti in ea tuisque heredibus in perpetuum auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, XVI Kalendas Septembris[e], anno XII°[f 5].

306.

Innocentius IV papa clero et populo Pontis Curvi ad preces eorum concessionem facit de non reaedificando castro ipsis damnoso, quod quondam Fr[idericus II] destruxerit. *1254, Aug. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 171—172; Lib. XII, 202. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis et cum illo, quod Borgia, Difesa del dom. temp. App. p. 101 edidit, sumptum ut videtur ex authentico [A.].
Potthast, Reg. 15493.

Clero et populo Pontis Curvi[6].

Per operis experientiam certi de puritate fidei ac devotione, quam ad matrem vestram Romanam ecclesiam geritis, vos merito speciali gratia prevenimus, que vobis ad honorem et terre vestre proveniat ad profectum. Cum igitur, sicut exhibita nobis vestra petitio continebat, condam Fr. olim Romanorum imperator quoddam castrum situm iuxta maiorem ecclesiam Pontis Curvi, eidem[g] ecclesie valde dampnosum, fecerit demoliri, nos, vestris devotis precibus inclinati, quieti vestre paterna sollicitudine provi-

---

a) spir. cons. san. *deest 2.* b) *2 incipit:* Devotionem tuam, quam ad nos et Romanam habes ecclesiam, propensius attendentes, civitatem Acerni. c) castrum Botunde 2. d) Gifōn *1*; Gifono *2*; Monte Cerumo *add. 2.* e) II Kal. Novembris 2. f) *conservator ep. 2 archiepiscopus Salernitanus fuit.* g) *ita A.;* ei'dem *R.*

1) *Ex sept. civ. Eboli.* 2) *Vietri di Salerno, ex occ. civ. Salerni? Alius locus dictus Vietri situs est ex occ. civ. Potenza.* 3) *Ex sept. et or. Salerni; cf. t. II, p. 224, n. 300. Sept. 17 papa hominibus castri Gifonis castrum et consuetudines confirmavit, et statuit, ut sicut hactenus de demanio essent; Lib. XII, 385 et 386; cf. etiam 345.* 4) *Cf. t. II, p. 224, n. 300.* 5) *Eodem die Sibiliae natae Philippi gratia; Lib. XII, 315.* 6) *Ex occ. monast. Montis Cassini.*

dere volentes, ne ibidem vel in alio loco eiusdem terre castrum vel aliqua munitio a quoquam de cetero construatur, auctoritate presentium districtius inhibemus. Nulli etc. nostre inhibitionis etc.

Dat. Anagnie, X Kalendas Septembris, anno XII° [1].

307.

Innocentius IV papa praeposito S. Mariae in Erfordia mandat, ut ad provisionem Wiggeri decani Halberstadensis iuxta litteras olim ad preces quondam Henrici regis Romanorum scriptas procedat. *1254, Aug. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 175; Lib. XII, 207. Exemplar nos inde descripsimus et cum illo, quod Finke l. c. edidit, contulimus.

Finke, Westf. U. B. t. V, p. 247, n. 540.

.. preposito ecclesie sancte Marie in Erfordia Maguntine diocesis.

Dilectus filius Wiggerus decanus[a] Alberstadensis[2] nobis exposuit, quod cum olim ad preces clare memorie Henrici regis Romanorum .. decano et .. scolastico ecclesie Padeburnensis direximus scripta nostra, ut eidem decano in aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis Alberstadensis, cathedrali vel alia, de aliqua dignitate vel personatu seu officio, si tunc vacabat vel quamcito se ad id offerret oportunitas, providerent, contradictores [etc.][b], idem decanus nullum adhuc de huiusmodi gratia commodum est adeptus. Nolentes igitur, ut dictus decanus concepta de ipsa gratia spe frustretur[c], mandamus, quatinus, si est ita, in mandati nostri super hoc executione procedas per te vel per alium iuxta directarum ad dictos decanum et scolasticum continentiam litterarum. Nos enim decernimus irritum et inane, siquid super hiis contra mandati nostri tenorem contigerit attemptari.

Dat. Anagnie, X Kalendas Septembris, anno XII° [3].

308.

Innocentius IV papa Volrado electo Halberstadensi, cuius redditus per intrusionem Ludolfi de Sladen valde diminuti sint, facultatem concedit, ut proventus beneficiorum ecclesiasticorum diocesis suae, quae usque ad triennium vacaverint, postquam episcopatus sui pacificam possessionem adeptus sit, per annum percipiat. *1254, Aug. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 176; Lib. XII, 224. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

a) decanus *superscr.* b) etc *deest R.* c) frustetur *R.*

1) *Eodem die eisdem confirmavit libertates a Roffrido cardinali et abbate Casinensi a. 1190, Febr. 22 et a Friderico II apud S. Germanum a. 1229, Oct. [deest ap. Böhmer-Ficker] concessas, tenorem instrumentorum inserens; Potthast 15494; non reg.* 2) *Aug. 31 papa eidem Wiggero et Sifrido clerico procuratoribus Volradi electi Halberstadensis permisit, ut pro expediendis negotiis electi mutuum usque ad summam quingentarum marcarum sterlingorum contrahere possent; Lib. XII, 223.* 3) *Eodem die praeposito et scolastico S. Mariae in Erfordia mandavit, ut bona ecclesiae Halberstadensis illicite alienata ad ius ipsius ecclesiae revocare studerent; Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberst. t. II, p. 150, n. 888; non reg.; cf. infra n. 308 et 309.*

Volrado electo Halberstadensi.

Cum, sicut tua nobis devotio intimavit, redditus et proventus ad mensam tuam spectantes, presertim nuper propter intrusionem factam de Lundulfo de Sladen canonico ecclesie Halberstadensis in episcopum ipsius ecclesie [1] [et][a] multiplices guerrarum incursus, adeo redditi sint tenues et exiles, quod secundum terre consuetudinem ac statum persone tue decenter ferre nequeas onera expensarum: nos, tibi super hoc paterno compatientes affectu et volentes propter hoc alicuius relevationis solatio te gaudere, tuis supplicationibus inclinati, retinendi ad manus tuas per annum et percipiendi redditus et proventus beneficiorum, que usque ad triennium in civitate ac diocesi Halberstadensi, postquam episcopatus Halberstadensis[b] fueris pacificam possessionem adeptus, vacaverint, nec non et compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, proviso quod interim in eisdem beneficiis facias per idoneos vicarios deserviri; — non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu extra certa loca citari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Anagnie, X Kalendas Septembris, anno XII°.

309.

Innocentius IV papa capitulo Halberstadensi scribit inter duas electiones in ecclesia eorum celebratas se eam, quae de Ludolfo de Sladen praesumpta fuerit, irritam fecisse, et eam, quae de Volrado postmodum celebrata fuerit, confirmasse; mandat, ut Volrado ut pastori suo obediant. *1254, Aug. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 178; Lib. XII, 239. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Capitulo Halberstadensi.

Cum in[c] ecclesia vestra fuissent electiones due, videlicet de Lundulfo de Sladen canonico et de dilecto filio Volrado tunc scolastico ipsius ecclesie, celebrate [2], procuratoribus partium [3] in nostra presentia constitutis et auditis que hinc inde fuere proposita coram nobis, quia, venerabili fratre nostro M. episcopo condam Halberstadensi [4] nondum obtinente cedendi licentiam, licet eam cum instantia postulasset a dilecto filio nostro H[ugone] tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus Alamanie apostolice sedis legato, post generalem etiam inhibitionem ab ipso legato emissam, ut nulla electio in regno Alamannie fieret eius irrequisito assensu, super quibus a nobis idem cardinalis speciale mandatum habebat, invenimus electionem de ipso L., qui postmodum a venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Maguntino munus sibi obtinuit confirmationis et consecrationis [5] impendi, utpote adhuc non vacante dicta ecclesia, fore presumptam[d], eam denunciavimus penitus irritam, electionem de ipso V. postmodum celebratam cano-

---

a) et *deest R.* b) episcopatū Halberstadeñ *R.* c) in *superscr.* d) presumptum *R.*

1) *Cf. n. 240, 307 et 309.* 2) *Electio Volradi in n. 240 nondum commemoratur.* 3) *Cf. p. 273, not. 2.* 4) *Ergo annus mortis Meinhardi, cuius dies, Ian. 23, constat, a. 1254 non fuit, ut Schmidt, l. c. t. II, p. 148, n. 885 coniecit.* 5) *Ludolfus adhuc a. 1254, Febr. 10 electum et in episcopum confirmatum se appellavit; ibid. t. II, p. 149, n. 886. Gerardus archiepiscopus initio mensis Iunii a. 1254 in civitate Halberstadensi morabatur; ibid. t. II, p. 149, not. 1; excommunicatus tum fuisse videtur; cf. supra p. 240, not. 4 et p. 268, not. 2.*

nice de fratrum nostrorum consilio confirmantes, spe nobis proposita quod auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit et gratiam gratie superaddit, prefata ecclesia per eiusdem V. diligentie studium in spiritualibus et temporalibus grata suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem V. electo vestro tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam, ipsius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam etc. usque: observari.

Dat. Anagnie, VI Kalendas Septembris, anno XII°.

In eundem modum populo civitatis et diocesis Halberstadensis usque: observari.

Dat. ut supra.

In eundem modum ministerialibus ecclesie Halberstadensis usque: incrementa. Quocirca universitatem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus etc. usque: intendentes et exhibentes honorificentiam debitam et devotam, prestetis sibi fidelitatis solite iuramenta — non obstantibus iuramentis, que supradicto L. prestitisse dicimini, a quibus vos reddimus auctoritate presentium absolutos, — ac ipsius salubria monita et mandata suscipiatis devote ac inviolabiliter observetis.

Dat. ut supra.

In eundem modum W. regi Romanorum illustri usque: incrementa. Quocirca serenitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus eundem V. electum et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos ac ipsum sereno vultu respiciens, regalia, prout moris est, sibi assignes vel facias assignari, eidem in recipiendis ipsis impendendo consilium et auxilium ac eum favore regio prosequendo, ita quod idem electus regio favore fulcitus iurium eiusdem ecclesie recuperatione letetur, nosque id gratum et acceptum habentes sinceritatis tue zelum dignis in Domino laudibus commendemus.

Dat. ut supra.

In eundem modum Volrado electo Halberstadensi usque: incrementa, verbis competenter mutatis. Quocirca discretionem tuam monemus et hortamur attente, mandantes quatinus ad ecclesiam accedens eandem, ita prudenter et fideliter studeas gerere curam eius, quod tibi per vite meritum et familie tibi credite proficias per exemplum, nosque favore nostre gratie te prosequi debeamus.

Dat. ut supra.

310.

Innocentius IV papa homines castri Laureti Pennensis diocesis, damna per C[onradum IV] et F[ridericum] de Antiochia fratrem eius passos, sub protectione sua suscipit iisque eas libertates concedit, quas civitates demanii papalis de regno Siciliae habeant. *1254, Aug. 29.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 168; Lib. XII, 160. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Dilectis filiis et fidelibus nostris hominibus castri Laureti Pennensis diocesis.

Meritis vestre devotionis et puritatis fidei exigentibus, votis vestris libenter annuimus etc.[a] usque: exaudimus. Attendentes igitur fidelitatis constantiam et sincere devo-

---

[a]) *ut t. II, p. XVIII, n. 4.*

tionis affectum, quas ad nos et Romanam ecclesiam sicut accepimus habuistis hactenus et habetis, quodque propter hoc[a] dampna plurima et pericula in personis et rebus sustinuisse dicimini[b] a quondam C. nato quondam Fr. olim imperatoris et Fr. de Antiochia[1] fratre eius, ac per hoc dignum arbitrantes, ut qui diversarum tunsionibus sunt persecutionum gravati, se in nostre gratie consolatione gaudeant respirare, personas vestras cum castro, possessionibus, iuribus, pertinentiis et aliis bonis vestris sub protectione apostolice sedis et nostra suscipimus etc. usque: communimus, eas[c] et castrum ipsum ad manus nostras in nostro semper demanio retinentes et concedentes vobis auctoritate presentium, ut gaudeatis universis illis libertatibus et immunitatibus, quas civitates et castra nostri demanii de regno Sicilie habere noscuntur. Nulli etc. nostre protectionis et concessionis —.

Dat. Anagnie, IIII Kalendas Septembris, anno XII°.

311.

Innocentius IV papa G[uillelmo] S. Eustachii diacono cardinali, legato in regnum Siciliae destinato, mandata et potestates committit: ep. cur. 11 = infra n. I; — cur. 12 facultatem concedit providendi per terram legationis suae de personatibus et praebendis personis idoneis; — cur. 13 amovendi archiepiscopos et episcopos et praelatos; — cur. 14 dispensandi cum personis ecclesiasticis defectum ordinum patientibus; — cur. 15 privandi fratres domus Templi, S. Iohannis Ierosolimitani et S. Mariae Teutonicorum et omnes alios religiosos privilegiis concessis; — cur. 16 indulget, ut clerici, qui cum ipso fuerint, proventus beneficiorum suorum integre percipiant; — cur. 17 facultatem concedit exercendi censuram ecclesiasticam; — cur. 18 dispensandi cum clericis defectum natalium patientibus; — cur. 19 dispensandi cum clericis defectum aetatis patientibus; — cur. 20 dispensandi cum symoniacis; — cur. 21 dispensandi cum eis, qui excommunicati sacros ordines susceperint; — cur. 22 providendi ecclesiis cathedralibus et aliis vacantibus, quarum provisio ad sedem apostolicam devoluta sit, de pastoribus et praelatis; — cur. 23 recipiendi cessiones archiepiscoporum et praelatorum; — cur. 24 = infra n. II; — cur. 25 dispensandi cum clericis, qui, ab ordinariis non obtenta licentia, ordines ab alienis episcopis receperint, ita ut in eis ministrare et promoveri valeant; — cur. 26 et 27 = infra n. III et IV; — cur. 28 mandat, ut universis capitulis et conventibus inhibeat, ne ecclesiis suis vacantibus de pastoribus seu praelatis provideant; — cur. 29 potestatem concedit dispensandi cum nobilibus et aliis de matrimoniis prohibitis; — cur. 30 recipiendi praelatos ad mandatum ecclesiae redire volentes; — cur. 31 dispensandi cum clericis, nobilibus et aliis, de plura-

---

a) h', *contra usum Reg. ita scriptum, in loco raso.* b) cā *sequitur R.; fortasse in minuta legebatur* devotionis causa, *quod propter correcturam not.* a *delendum erat.* c) eos *R.; forsan* vos *legendum est; cf. t. II, p. XII, not. 10.*

1) *Cf. p. 64, not. 2 et infra n. 337. Oct. 7 papa Thomasio de Aquino comiti Acerrarum et Iacobo fratri eius Consanam et Bisaciensem civitates et castra Atini, Vairani [cf. t. II, p. 512, n. 689] et Castri Coeli [cf. n. 338] in feudum ac insuper castra Cicalae et Montis Sarculi in concambium pro comitatu Loreti [cf. p. 95, not. 9], quem Fridericus de Antiochia obtineret, sub debitis servitiis concessit, ita ut ea immediate ab ecclesia Romana teneret; Ricca, Nobilità delle due Sicilie, parte prima, t. V, p. 8. Ibidem p. 7 legitur charta alibi non edita Conradi regis pro eodem Thomasio, data in castris in depopulatione Neapolis a. 1253, Iun.*

litate beneficiorum; — cur. 32—34 = infra n. V—VII; — cur. 35 mandat, ut inderotos gratiis a sede apostolica concessis privet; — cur. 36—39 = infra VIII, 315, IX, X.
1254, Sept. 2.

Inn. IV Reg. Vol. III, 210—212; Lib. XII, cur. 11—39. Sequentes harum epistolarum, quia mutatis mutandis cum illis concordant, quas t. II, n. 303 proposuimus, integras iterum non damus.

cur. 12 = 303 XI	*cur. 18 = 303 XIIa*	*cur. 28 = 303 XX*
„ 13 = „ IV	*„ 19 = „ XIIb*	*„ 29 = „ XXI*
„ 14 = „ VI	*„ 20 = „ VII*	*„ 30 = „ XIX*
„ 15 = „ III	*„ 21 = „ XIII*	*„ 31 = „ XVIII*
„ 16 = „ IX	*„ 22 = „ XV*	*„ 35 = „ XIV*
„ 17 = „ X	*„ 23 = „ XVI*	

I.

Innocentius IV papa eidem varias potestates ad temporalem regni Siciliae administrationem spectantes concedit. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 210—211; Lib. XII, cur. 11. Pertzii exemplar, suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1254, § 48, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15506; Capasso, Hist. dipl. regni Siciliae a. 1250—1266, n. 148.

G. Sancti Eustachii diacono cardinali, apostolice sedis legato[1].

Votivum cunctis ecclesie filiis instans Sicilie regni negocium precipue residet cordi nostro, quo sic ab aliorum undique nobis incumbentium cura subducimur, ut apostolice vigilantie in ceteris sollicitudine intermissa nostris illud affectibus inter cuncta nos urgentia[a] singulariter comendemus, tanto ad preconceptam promotionem et prosecutionem ipsius continuam promptiores effectu, quanto ex hoc ipsi regno reparationis solamina, pacis comoda et libertatis provenire speramus gaudia potiora. Tantus autem profectus dum in pectore nostro iugi meditatione revolvitur, dumque infra nos ipsos imminentis negocii eminentia cogitatione sedula circumfertur, indagamus attente, cui tante rei curam confidenter committere cuiusque humeris tam grandis sarcinam oneris secure imponere valeamus. Quia igitur te in ecclesie firmamento claritate morum, scientie lumine, limpiditate consilii et insingnis[b] splendore prudentie novimus prefulgere, tibi tamquam inter alios preelecto huius tam ardui executionem negocii tota duximus fiducia committendam, ut illud tue magne providentie studio adiutore Christo et preduce prospere ac salubriter dirigatur[2]. Verum quia eo tutius et efficatius ipsum prosequi poteris, quo de auxilio securus ecclesie pleniori circa illud fueris potestate munitus, nos discretioni tue, quam firmiter et pro certo tenere volumus, quod nos et fratres nostri te ac predictum negocium in omni eventu constanter manutenebimus tibique pro eo auxilia continua impendemus, presentium tenore concedimus, ut possis pro eodem negotio nostro et ecclesie Romane nomine contrahere mutuum quantumcunque a mercatoribus Romanis vel aliis et obligare propter hoc Romanam ecclesiam et castra et possessiones ecclesiarum Urbis, Campanie ac Maritime[3], nec non castra et possessiones circumadiacentium locorum et regni Sicilie supradicti; possis etiam pro ipsius promotione negocii fructus et proventus omnes ecclesiarum, tam cathedralium quam aliarum, in eodem regno vacantium libere

---

a) vergentia *R.* b) *ita R.*

1) *Hic nepos papae erat.* 2) *Epistola ipsa, qua ei legationis officium commissum est, non superest.* 3) *Fortasse legatus simul rector harum partium erat, ut Petrus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis legatus a. 1249; cf. t. II, n. 681.*

accipere ac etiam non vacantium, si earum prelati negotium ipsum non iuverint iuxta tuum beneplacitum et mandatum. Imponendi quoque ac exigendi collectas in eodem regno, si expedire videris, et novam ibi cudi faciendi monetam[1] ac exheredandi omnes de regno ipso quondam Fr. olim Romanorum imperatoris vel natorum suorum fautores, qui ad mandatum ecclesie post denuntiationem eis super hoc auctoritate nostra factam minime redierunt, et cunctos alios, qui postquam ipsis denunciaveris, redire contempserint, omnia insuper curie demania, et quecunque sive in comitatibus sive baroniis seu feudis vel scadentiis[2] aut quibuslibet aliis sunt in eodem regno concessa, libere revocandi, privandi preterea universos ipsius regni, quos ecclesie proditores esse constiterit, si ad eius mandatum redire noluerint, omnibus suis feudis et illa concedendi fidelibus, ac accipiendi rebellium de regno ipso deposita, ubicumque sunt vel fuerint, et faciendi reddi in eodem regno, cum necesse fuerit, per illius pares iudicia tribuimus tibi plenariam potestatem. Ideoque prudentie tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ad eiusdem prosecutionem negotii de divino et apostolico confisus suffragio forti assurgens animo, circa illud cunctis invigiles studiis, et ut optate[a] promotionis favente Deo incrementa suscipiat, instanti sollicitudine ac sollicita instantia elabores.

Dat. Anagnie, IIII Nonas Septembris, anno XII°.

II.

Innocentius IV papa eidem concedit, ut extra regnum Siciliae constitutus legationis ibidem officium exerceat. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 24. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Eidem.

Cum te etc.[b] usque: destinemus, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si forte regnum ipsum aliquo impedimento nequiveris vel certa ratione distuleris[c] introire, aut si exinde te pro aliqua causa exire vel secedere ad alias partes contigerit, possis existendo taliter extra illud legationis officium nichilominus exercere.

Dat. ut supra.

III.

Innocentius IV papa eidem concedit, ut eis, qui pontificales seu alias dignitates vel beneficia per quondam Fr[idericum II] vel C[onradum IV] adepti sint, eadem, postquam ea resignaverint, libere concedere valeat. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 26. Exemplar nos inde descripsimus.

Eidem.

Quia, sicut intelleximus, nonnulli pontificales seu alias dignitates ecclesiasticas, seculares vel regulares, aut alia ecclesiastica beneficia per intrusionem[d] vel occupationem aut per condam Fr. olim Romanorum imperatorem vel C. natum eius seu mandato vel favore [eorum][e] seu suorum familiarium vel officialium aut alias per secularem poten-

---

a) *litt.* e *corr. ex* a. b) *scil.* ad partes regni Sicilie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus. c) *verba* vel c. r. dist. *desunt in simili ep. t. II, p. 501, n. 681 XXIIIh.* d) intrasionem *R.* e) eorum *deest R.*

1) *Iam haec res probat papam novum regem in regno instituere noluisse; cf. infra sub n. 314 et 319.*
2) *Idem quod 'excadentiae', de quibus cf. Ducange et Winkelmann, Acta t. I, p. 875. Etiam 'discadentiae' vel 'discagentiae' idem significasse videntur, propter quod corrigas t. II, p. 306, not. 1.*

tiam in regno Sicilie sunt adepti. nos discretioni tue, ut talibus huiusmodi dignitates et beneficia, postquam ea resignaverint, libere concedere ac dimittere valeas et super proventibus perceptis ex illis benigne agere cum eisdem, si ecclesie ac ipsius regni negotio expedire videris, dummodo dignitates et beneficia ipsa per nos vel de mandato nostro aliis minime sint[a] collata, tenore presentium duximus concedendum.

Dat. ut supra.

IV.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut eos praelatos regni Siciliae, qui feuda et beneficia, quae ab eis fautores quondam Fr[iderici II] et C[onradi IV] et Manfredi et Fr[iderici de Antiochia] et [Bertholdi] marchionis de Hohemburch teneant, eisdem non abstulerint, compellat, ut id faciant. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 27. Exemplar nos inde descripsimus.

Eidem.

Cum nos venerabilibus fratribus nostris universis archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Sicilie constitutis nostris districte precipiendo litteris iniungamus[1], ut feuda et beneficia ecclesiastica clericis et laicis, ab ipsis et eorum ecclesiis illa obtinentibus, qui condam Fr. olim Romanorum imperatori et C. nato eius dampnabiliter adheserunt et adhuc Manfredo[2] ac Fr. natis eiusdem Fr. olim imperatoris et . . marchioni de Houmburch et ipsius fratribus ac aliis eorum complicibus et fautoribus adherere presumunt, auferre ac eadem aliis fidelibus ecclesie de consilio et beneplacito tuo conferre procurent: mandamus, quatinus, si prelati huiusmodi preceptum nostrum in hac parte neglexerint adimplere, tu eos ad id auctoritate nostra appellatione remota compellas, vel tu ipsemet ea conferas, prout tibi videbitur expedire.

Dat. ut supra.

V.

Innocentius IV papa eidem concedit, ut eos, qui contra statuta, quae G[regorius IX] papa nonnullis monasteriis legationis suae praeceperit observare, venerint, ab excommunicatione absolvere possit. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 32. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Eidem.

Cum, sicut accepimus, felicis recordationis G. papa predecessor noster nonnullis monasteriis tue legationis statuta quedam preceperit observare, decernens eos qui contra venire presumerent excommunicationis vinculo subiacere, auctoritate presentium tibi concedimus, ut si quas religiosas personas inveneris huiusmodi sententiam incurrisse, ipsis absolutionis beneficium impertiri valeas, et si forsitan sic ligate sacros susceperunt ordines vel ministrarunt in illis, cum eisdem super irregularitate huiusmodi, prout animarum suarum saluti expedire videris, dispensare.

Dat. ut supra.

---

a) fuit *R.*

1) *N. VI.* 2) *Cum papa huic locum primum concedat, Sept. 2 baiulatus regni ad eum a marchione de Hohemburg iam transiisse videtur: cf. Böhmer-Ficker 4643 f et infra n. 314.*

VI.

Innocentius IV papa archiepiscopis et aliis praelatis regni Siciliae mandat, ut feuda et beneficia ecclesiastica indevotis auferant et de consilio G[uillelmi] legati devotis conferant. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 33. Pertzii exemplar contulimus cum epp. t. II, n. 308 et 681, XXX, cum hac epistola concordantibus [1, 2].

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum prelatis per regnum Sicilie constitutis.

Recte considerationis examine libra presidentis appenditur, cum subditorum merita sic iusta extimatione pensantur, ut devotorum obsequiis retributio digna respondeat et obprobrii pena perpetua[a] infidelium colla premat. Sic enim in bonorum beneficiis plures ad virtutum merita eriguntur et in pravorum penis ceteris delinquendi audacia prohibetur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli clerici et laici a vobis et vestris ecclesiis feuda et ecclesiastica beneficia obtinentes quondam F. olim Romanorum imperatori et C. nato eius adheserint et adhuc Manfredo et Friderico natis eiusdem Fr. olim imperatoris ac . . marchioni de Houmburgh et fratribus ac aliis eorum complicibus et fautoribus adherere presumant, volumus et presentium vobis auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus feuda et beneficia ipsa eis auferre ac eadem aliis fidelibus[b] ecclesie de consilio et beneplacito[c] dilecti filii nostri G. Sancti Eustachii diaconi cardinalis, apostolice sedis legati, conferre curetis; contradictores [etc][d]. Alioquin eidem legato litteris nostris iniungimus, ut[e] vos ad id per censuram eandem appellatione remota compellat vel ipsemet ea conferat, prout sibi videbitur expedire[1].

Dat. ut supra.

VII.

Innocentius IV papa G[uillelmo] legato potestatem concedit providendi ecclesiis regni vacantibus de praelatis, inhibendi capitulis et conventibus, ne sibi provideant, et removendi et transferendi praesules et praelatos. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 34. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

G. Sancti Eustachii diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Cum te ad partes regni Sicilie, commisso tibi plene legationis officio, destinemus, discretioni tue providendi ecclesiis eiusdem regni, tam cathedralibus quam aliis, que nunc vacant vel quas vacare continget pastoribus, de prelatis idoneis, ac inhibendi capitulis et conventibus ecclesiarum, tam secularium quam regularium, ibidem vacantium vel que deinceps vacabunt, ne sibi de pastoribus vel prelatis per electionem vel alio modo absque tuo consilio et assensu providere presumant, ac decernendi, si secus egerint, irritum et inane, nec non removendi perpetuo presules aliosque prelatos eiusdem regni ab ipsorum ecclesiis ac eos ad alias transferendi, cum expedire videris, et contradictores et rebelles quoslibet super hiis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem[2].

Dat. ut supra.

---

a) perpetui *1 et 2.* b) devotis *add. 1 et 2.* c) et beneplacito *deest 2.* d) etc *deest R.* e) *reliqua discordant ab 1 et 2.*

1) *Cf. n. IV.* 2) *Cf. similes potestates in epp. cur. 12, 22 et 28.*

VIII.

Innocentius IV papa eidem potestates ad diversas res spectantes concedit.

1254, Sept. 2.

Inn. IV Reg. Vol. III, 211; Lib. XII, cur. 36. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke

Eidem.

Cum te etc. usque: destinemus, discretioni tue, ut licentiam nobilibus mulieribus tue legationis, quod cum certo mulierum numero, prout expedire videris, monasteria Cisterciensis seu cuiuscumque alterius ordinis causa devotionis intrare valeant, — statuto contrario eorundem ordinum, iuramento seu quacumque alia firmitate vallato, nequaquam obstante — concedere; ac cum personis ecclesiasticis, prelatis et aliis, predicte legationis, que contra tenorem nostre constitutionis excommunicationis proferendo sententiam[1] et divina postmodum celebrando irregularitatem incurrisse noscuntur, super ea dispensare; nec non et evectiones ac personas tecum ducere quot volueris — constitutione Lateranensis concilii non obstante[2] —; ac indulgere illis de legatione ipsa, qui per usurariam pravitatem vel alias nequiter aut illicite acquisiverunt vel habuerunt aliqua et iuxta tuum arbitrium voluerint de bonis suis pro ecclesie Romane subsidio seu instanti negocio exhibere, quod non teneantur ad restitutionem eorum, que taliter acquisivisse vel habuisse noscuntur, dummodo ab ipsis persone, quibus ea deberent restitui, ignorentur; et causas a sede apostolica delegatas ad te, cum negotio ecclesie expedire videris, revocare; ac omnibus eiusdem legationis, qui per delegatos eiusdem sedis vel subdelegatos eorum excommunicati sunt et absolvi non possunt pro eo, quod iidem iudices viam sunt universe carnis ingressi vel eorum copia de facili haberi non potest, absolutionis beneficium, dummodo satisfaciant super hiis, pro quibus excommunicati fuerunt, iuxta formam ecclesie impertiri; et universis, qui iuxta tuum consilium et arbitrium servierint ecclesie, illam indulgentiam illudque privilegium et eandem immunitatem, que subvenientibus Sancte Terre in generali concilio sunt concessa, tribuere valeas, auctoritate presentium duximus concedendum.

Dat. ut supra.

IX.

Innocentius IV papa eidem potestatem concedit dispensandi cum quattuor clericis legationis suae defectum natalium patientibus, ut ad pontificalem dignitatem eligi valeant.

1254, Sept. 2.

Inn. IV Reg. Vol. III, 212; Lib. XII, cur. 38. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Eidem.

Cum te etc. usque: discretioni tue dispensandi cum quattuor clericis tue legationis defectum natalium patientibus, quod — huiusmodi non obstante defectu — licite ad pontificalem dignitatem eligi eamque libere suscipere ac retinere valeant, dummodo scientia et vite merita suffragentur aliudque canonicum non obsistat, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem[3].

Dat. ut supra[4].

---

1) *Scil. iniustam; cf. constitutiones ab Innocentio in concilio Lugdunensi a. 1245 editas c. 36; cf. c. 1 de sent. exc. in 6, Lib. V, tit. XI.* 2) *Cf. p. 231, not. 2.* 3) *Cf. ep. cur. 18, quam papa hac ep. moderatur; N. A. t. X, p. 564.* 4) *Antecedit quidem ep. n. 315, sed hanc ep. ex errore registratoris aliis mandatis interpositam et verba* Dat. ut supra *ad ep. n. VIII referenda esse credimus; cf. t. II, p. 230, not. d et N. A. t. X, p. 558.*

X.

Innocentius IV papa eidem idem scribit de quattuor clericis defectum aetatis patientibus. *1254, Sept. 2.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 212; Lib. XII, cur. 39. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Eidem.

Cum te etc. usque: tue legationis defectum etatis patientibus etc. ut in alia usque in finem [1].

Dat. ut supra.

312.

Innocentius IV papa communitati civitatis Monasteriensis ad preces ipsius et [Ottonis] episcopi indulget, ut cives extra districtum civitatis per litteras apostolicas in iudicium evocari non possint. *1254, Sept. 8.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 176; Lib. XII, 225. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis et cum editione, quam Finke, l. c. praebuit.

Finke, Westf. U. B. t. V, p. 247, n. 541.

Communitati civitatis Monasteriensis.

Exigentibus vestre devotionis meritis etc. usque: exaudimus. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, propter discrimina guerrarum et incursus predonum et hostium vobis ad partes remotas a civitate vestra absque personarum et rerum periculo accedere non sit tutum, nos, vestris ac venerabilis fratris nostri . . episcopi Monasteriensis devotis supplicationibus inclinati, quieti vestre in hac parte salubriter providere volentes, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut extra districtum civitatis Monasteriensis non possitis communiter vel divisim durante huiusmodi discrimine per litteras apostolice sedis vel legatorum ipsius impetratas seu etiam impetrandas a quoquam in iudicium evocari, nisi dicte littere impetrande plenam et expressam fecerint de hac indulgentia mentionem. Nulli etc. nostre concessionis etc.[a]

Dat. Anagnie, VI Idus Septembris, anno XII.

. . prepositus ecclesie Monasteriensis datus est super hiis conservator; — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici etc. usque: mentionem.

313.

Innocentius IV papa [Caesareo] archiepiscopo Salernitano mandat, ut Benedictum, quem ipse ob favorem quondam Conradi IV monasterio S. Leonardi in abbatem praefecerit, amoveat et ei Raonem priorem S. Stephani de Ventuterra subroget. *1254, Sept. 11.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 171; Lib. XII, 193. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

a) *Sequitur parvus locus rasus vacuus, per quem linea ducta est.*

1) *Cf. ep. cur. 19 et p. 281, not. 3.*

.. archiepiscopo Salernitano[1].

Cum, sicut accepimus, ob favorem seu mandatum condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris Benedictum, qui pro abbate monasterii sancti Leonardi Salernitane diocesis ordinis sancti Benedicti se gerit, eidem monasterio prefeceris in abbatem, mandamus, quatinus, si est ita, dicto Benedicto ab eodem monasterio prorsus amoto, dilectum filium fratrem Raonem priorem monasterii sancti Stephani de parva insula Ventuterre[2], virum utique providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, prefato monasterio sancti Leonardi auctoritate nostra in abbatem preficias et pastorem, faciens sibi a priore, conventu et subditis ipsius monasterii tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi: contradictores —.

Dat. Anagnie, III Idus Septembris, anno XII°[3].

314.

Innocentius IV papa Willelmo regi Romanorum notum facit se festo assumptionis beatae Mariae proxime praeterito marchionem de Houmburch, Manfredum, Fridericum de Antiochia, fratres marchionis et alios de Teutonia monuisse, ut regnum Siciliae ecclesiae Romanae libere dimitterent; cum autem praedicti monita contempserint, se eos festo nativitatis beatae Mariae anathematizasse; mandat regi, ut nobilibus Alamanniae iniungat, ut feuda, quae praedicti ab eis teneant, ad se capiant. — [Henrico II] electo Spirensi idem fere scribit. *1254, Sept. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 212; Lib. XII, cur. 41 et 42. Primam epistolam damus ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1254, § 52, alteram ex apographo Pertzii, utroque exemplari collato cum Regestis.

Potthast, Reg. 15514; Capasso, l. c. n. 149.

I.

Willelmo regi Romanorum illustri.

Excellentie tue notum esse volumus, quod nos in festo assumptionis beate Marie Virginis proxime preterito[4] .. marchionem de Houmburch[5], Manfredum, qui se nominat et vocari facit principem Tarentinum, Fredericum de Antiochia et fratres marchionis eiusdem ac alios de Theutonia ac partibus aliis extra regnum Sicilie presente copiosa fidelium multitudine publice ac sollempniter monuimus eisque auctoritate apostolica districte precepimus[a], ut usque ad proximum sequens festum nativitatis ipsius Virginis[6], quod iam preteriit quodque ipsis pro peremptorio prefiximus termino, regnum predictum et civitates, castra, villas, roccas et alia ipsius loca Romane ecclesie, ad quam regnum

a) precipimus *R.*

1) *Cf. n. 107 et p. 123, lin. 41. Iam a. 1254, Aug. 25 papa quandam confirmationem archiepiscopi ratam habuerat; Lib. XII, 147.* 2) *Vandotena; cf. t. II, p. 517, not. 3. Iul. 1 eidem priori et fratribus eius indulserat, ut ab iis, ad quos dudum [a. 1241] per captionem praelatorum nonnulla de bonis eorundem pervenissent, si eis, quibus restitui deberent, inveniri non possent, usque ad centum uncias auri reciperent; Lib. XII, 30. De absolutione eorum, qui captioni praelatorum in galeis interfuerunt, cf. etiam Potthast, Reg. 14785.* 3) *Archiepiscopus id executus est, nam a. 1255, Mart. 11 Alexander IV papa processum eius confirmarit; Al. Lib. I, 209.* 4) *Aug. 15. Hoc fere tempore papa scire potuit tractatum de regno Siciliae Edmundo filio regis Angliae conferendo paene ad finem iam deductum ab Alberto legato consummatum non esse; cf. infra sub a. 1256, Oct. 23.* 5) *Cum marchio Manfredo antecedat, concludimus Manfredum Aug. 15 balivum regni nondum fuisse; cf. Böhmer-Ficker 4643 f. Ordo nominum, licet Sept. 12 rebus iam non conveniret [cf. n. 311 IV], ex instrumento priore in hanc ep. transiisse videtur.* 6) *Sept. 8.*

ipsum cum districtu et pertinentiis suis totaliter pertinere dinoscitur, libera et expedita dimitterent[1], per ipsius rectores, balivos, officiales et nuncios iuxta suum beneplacitum gubernanda, nullum impedimentum nullamque turbationem, offensam seu molestiam eisdem rectoribus, officialibus et nunciis seu aliis eidem ecclesie adherentibus aut hiis, quos pro ipsius regni negotio vel eius gubernatione illuc destinaverimus, inferentes. Illis etiam, qui de regno ipso non existentes comitatus, baronias, feuda seu alia huiusmodi iura in regno eodem obtinent, eadem auctoritate iniunximus, ut infra eundem terminum ad nostram accederent presentiam, investituram seu concessionem aut confirmationem de hiis a nobis seu de nostris manibus, sicut iustum existeret, recepturi: et si nostris super hiis non parerent monitis et preceptis, set horum existerent potius contemptores, ex tunc ipsos universos et singulos propter hunc contemptum tam temerarium et superbum, ac principaliter predictos marchionem, Manfredum, Fredericum et marchionis fratres, anathematis vinculo innodantes, eos comitatibus, baroniis, feudis cunctisque dignitatibus et honoribus, iure patronatus, advocatiis et quibuslibet aliis iuribus, que habent in eodem regno vel alibi, tamquam rebelles et hostes predicte Romane ecclesie suorumque iurium invasores, occupatores et detentores sacrilegos, ac insuper eorum filios et fratres omnibus dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis duximus predicta apostolica auctoritate privandos, statuentes ut nullus ipsorum deinceps ad huiusmodi dignitates et beneficia promoveri valeret[2], et concedentes illis, a quibus iidem rebelles et hostes comitatus, baronias, feuda et alia premissa tenent, resumendi et retinendi ea propria auctoritate ac disponendi, prout ad ipsos pertinent, de eisdem, et illis, ad quos sive sua ordinaria sive nostra speciali seu legatorum sedis apostolice auctoritate dignitatum et beneficiorum ipsorum ecclesiasticorum collatio pertinet, conferendi ea personis idoneis liberam facultatem, ac omnes, qui prefatis marchioni, Manfredo, Frederico et ipsius marchionis fratribus et aliis de regno ipso non existentibus fidelitate, homagio vel iuramento seu pactis aut promissionibus vel quibuscumque obligationibus, sive quoad fidelitatem sive quoad sponsalia sive quoad alia, sunt adstricti, ab huiusmodi vinculis et obligationibus penitus absolventes.

Unde, quia prefati marchio, Manfredus, Fredericus et ipsius marchionis fratres ac alii predicti tamquam in sua malitia obfirmati contempserunt huiusmodi apostolica monita et precepta, nolentes a sua tanta temeritate cessare, nos in predicto festo nativitatis eiusdem Virginis ipsos universos et singulos, astante multo fidelium populo, declaravimus et denunciavimus premissis penis et sententiis subiacere, ac illos, a quibus ipsi comitatus, baronias, feuda et alia predicta tenent, et eos, ad quos dignitatum et beneficiorum eorundem collatio pertinet, habere disponendi de hiis liberam potestatem, ac omnes qualitercunque predictis modis ipsis astrictos ab omni esse vinculo et obligatione penitus absolutos. Ideoque celsitudinem tuam sollicitamus et requirimus, monentes et hortantes attente, quatinus comites, duces, marchiones, barones aliosque principes et nobiles de Alamannia, a quibus prefati marchio et ipsius fratres et alii deTheutonia in regno existentes predicto baronias, feuda vel alia huiusmodi tenent, moneas eisque districte iniungas, insinuato ipsis huiusmodi nostro processu, quod infra certum terminum, quem eis prefixeris, baronias, feuda et alia predicta omnino ad se capiant et resumant, illa predictis prefato marchioni et aliis auferentes, disponendo alias de hiis, prout pertinet ad eosdem. Quod si forte non fecerint, tu, ex tunc hec regia potestate capiens, ordines de illis, prout videris expedire. In hoc autem promptum te ac studiosum exhibeas et sollertem, cum in hiis omnibus et ecclesie honor et tuus communiter procuretur.

Dat. Anagnie, II Idus Septembris, anno XII°,

1) *Siculos a dominis externis, scilicet Teutonicis, quasi subiugatos esse papa his verbis proposuit.*
2) *Cf. etiam n. 205.*

II.

.. episcopo[a] Spirensi[1].

Notum etc. usque: penitus absolutos. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus archiepiscopos, episcopos, abbates, priores, aliosque prelatos ecclesiarum et ceteras personas ecclesiasticos, a quibus prefati marchio et ipsius fratres ac alii de Theutonia in regno existentes predicto baronias, feuda vel alia huiusmodi tenent, efficaciter per te vel per alium seu alios moneas, ipsis ex parte nostra in virtute obedientie districtius iniungendo, insinuato eis huiusmodi nostro processu, quod infra certum terminum, quem eis prefixeris, baronias, feuda et alia predicta omnia ad se capiant et resumant, illaque predictis marchioni et aliis, ac ipsorum filiis et fratribus dignitates et beneficia ecclesiastica, que habent ab eis vel eorum ecclesiis, penitus auferentes, disponant de hiis, prout ad eos pertinet [et][b] viderint expedire. Quod si forte non fecerint, ex tunc ab officio et beneficio ac administratione spiritualium et temporalium auctoritate nostra suspendens eosdem, certum ipsis prefigas terminum, infra quem sic suspensi nostro se conspectui personaliter representent, pro meritis recepturi; rescribens nobis, quicquid super hiis duxeris faciendum.

Dat. Anagnie, II Idus Septembris, anno XII°.

315.

Innocentius IV papa G[uillelmo] S. Eustachii diacono cardinali in regno Siciliae cum plenae legationis officio vices suas committit, ita ut ibi de spiritualibus et temporalibus disponere valeat, sicut papa ipse posset, si personaliter adesset. 1254, Sept. 17.

Inn. IV Reg. Vol. III, 211–212; Lib. XII, cur. 37. Exemplar nos inde descripsimus.

G. Sancti Eustachii diacono cardinali, apostolice sedis legato[c].

Quia negocium regni Sicilie tamquam precordiale ac precipuum prudentie tue duximus imponendum, preeligentes tuos robustos humeros ad ferendam tante sarcine gravitatem, nos, ut eo liberius et efficatius negotium ipsum exequi valeas, quo ampliori circa illud fueris auctoritate munitus, tibi in eodem regno committimus cum plene legationis officio vices nostras[2], ut ibi super dicto negotio et aliis omnibus tam spiritualibus quam temporalibus velut noster vicarius et apostolice sedis legatus agere, disponere, ordinare, statuere ac precipere, prout expedire videris, sicut possemus nos ipsi, si essemus ibidem personaliter, plene possis[3] et contradictores et rebelles quoslibet spirituali et temporali districtione — quibuscumque privilegiis seu indulgentiis apostolicis, per que nullum cuiquam in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus — appellatione postposita cohibere. Tu itaque in eiusdem executione negocii sic vigil, sic efficax, sic studiosus existas, quod per tuam diligentiam indefessam, cooperante tibi Altissimo, successibus votivis proficiat et fine prospero concludatur, et exinde grande in celo premium et honorem ab ecclesia universali multiplicem ac a fidelibus populis sublimis laudis preconia merearis.

Dat. Anagnie, XV Kalendas Octobris, anno XII°.

a) *ita R.; leg.* electo; *cf. a. 1255, Dec. 8.* b) et *deest R.* c) Eidem *R.; antecedit n. 311 VIII.*

1) *Cancellario Willelmi regis.* 2) *Hac re legato etiam summa potestas temporalis in regno commissa est, quae ad papam iure feudali pertinebat; cf. t. II, p. 561, n. 758 et supra p. 29, lin. 31 'rector seu vicarius'.* 3) *Hanc formulam alibi hucusque non invenimus.*

316.

Innocentius IV papa eidem mandat, ut postulationem de Iohanne Castellomata in ecclesia Policastrensi celebratam admittat, vel si id fieri non debeat, eum eidem ecclesiae praeficiat, cum per eum et suos negotium in Salernitana civitate specialiter promoveri posse speretur. *1254, Sept. 18.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 171; Lib. XII, 198. Exemplar nos inde descripsimus.

G. Sancti Eustachii diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Dilectus filius magister Iohannes Castellomata canonicus Salernitanus nobis exposuit, quod dudum Policastrensi ecclesia pastoris solatio destituta, capitulum ipsius ecclesie die ad eligendum prefixa convenientes in unum eundem magistrum concorditer ac unanimiter in eorum episcopum postularunt. Unde nobis humiliter supplicavit, ut admittere postulationem huiusmodi de benignitate apostolica curaremus. Cum igitur eundem magistrum sue probitatis exigentibus meritis paterna benivolentia prosequamur, mandamus, quatinus si postulationem huiusmodi inveneris canonice celebratam, illam auctoritate nostra admittere sublata qualibet difficultate procures. Si vero processus postulationis eiusdem gratia indigere noscatur, cum idem magister et sui nobis et Romane ecclesie plurimum sint devoti ac speremus ipsius ecclesie negocium in Salernitana civitate [1] per ipsos specialiter promoveri, agas cum eodem magistro in predicte postulationis negotio gratiose [2], preficiendo eum prefate ecclesie in episcopum et pastorem et faciendo sibi a capitulo et subditis ipsius ecclesie tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi: contradictores —.

Dat. Anagnie, XIIII Kalendas Octobris, anno XIII°[a] [3].

---

a) Dat. ut supra *R.*

1) *De hac civitate cf. Böhmer-Ficker 4572, 4573, 4601 et Capasso n. 165**; de archiepiscopo cf. n. 313.* 2) *Cf. n. 311 VII.* 3) *Legatus id executus est Capuae a. 1254, Oct. 8, id quod papa Oct. 23 confirmavit; eodem die papa Iohannem capitulo Policastrensi commendavit; Lib. XII, 340 et 328. — Annotamus, quos episcopos a. 1254 post deditionem Manfredi papa ecclesiis regni Siciliae praefecerit, quaedam alia adicientes. Sept. 25 episcopo Cathacensi praesenti, qui ob temporis malitiam de proventibus episcopii sui nihil percepit, contrahendi mutuum octoginta unciarum auri facultatem concedit; Lib. XII, 213. — Sept. 27 capitulo Tricaricensi mandat, ut Palmerio, quem ecclesiae Tric. praefecerit de fratrum consilio [cf. p. 160, lin. 32], cum Rogerio, qui a capitulo Tricaricensi electum se asserat, silentium imposuerit, obediant; Palmerium Manfredo principi Tarentino commendat; Lib. XII, 231; Sept. 27 episcopo Anglonensi mandat, ut Palmerium in possessionem episcopatus inducat; Sept. 28 Palmerio contrahendi mutuum centum unciarum auri facultatem concedit; Lib. XII, 236 et 237 et iterum 436 et 439. — Sept. 30 Guillelmo legato mandat, ut Donadeum capellanum electi Capuani ecclesiae Civitatensi Beneventanae provinciae praeficiat; Lib. XII, 234. — Bisaciensi ecclesiae diu vacanti Nicolaus electus Consanus Laudatum tunc primicerium Gaietanae ecclesiae praefecerat Anagniae a. 1254, Aug. 30; id quod papa memor devotionis, quam ipse et quondam Adenulphus episcopus Gaietanus avunculus eius semper gesserint, et quod episcopus et germani eius post domus suae irreparabilem desolationem diu exulantes in exilio mortui sunt, confirmavit Sept. 30; Lib. XII, 242. — Oct. 1 capitulo Cassanensi Iohannem Fortisbrachii episcopum eorum [cf. p. 115, not. 2] commendat; Lib. XII, 247. — Oct. 6 suffraganeis ecclesiae Ydrontinae Matthaeum archiepiscopum [cf. p. 160, lin. 36] commendat; Lib. XII, 254; Potth. 15555 falso sub Nov. 8. — Oct. 8 Samueli episcopo Neucastrensi [cf. p. 123, lin. 42] mutuum contrahendi facultatem concedit; Lib. XII, 226; Potth. 15539. — Oct. 16 Theani Valentinum electum Termulanum, canonice electum, confirmat, Larinensi, Guardiensi et Florentino episcopis mandans, ut eum consecrent; Lib. XII, 250. — Oct. 18 Capuae G. Siracusano et T. Marturano episcopis mandat, ut Barsanufium in Giracensi ecclesia Graecorum per favorem Friderici II intrusum amoveant et magistrum Leonem archidiaconum eiusdem ecclesiae eidem praeficiant; Lib. XII, 260. — Oct. 23 episcopo Laudensi mandat, ut ecclesiae Amalfitanae vacanti Gualterum episcopum Larinensem praeficiat; hic Capuae Sept. 23 [leg. Oct. 24] id exequitur, quod papa Nov. 8 confirmat; Lib. XII, 258 et 317; cf. 316; Potth. 15547. — Oct. 23 capitulo Brundusino commendat Peregrinum, quem translatum de ecclesia Castrensi ecclesiae eorum vacanti praefecerit; Lib. XII, 273; Potth. 15546. — Oct. 23 archiepiscopo Sipontino mandat, ut ecclesiae Lesinae vacanti Nicolaum clericum clarae*

317.

Innocentius IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut G[iloni] electo Tullensi, qui [Arnoldum] archiepiscopum Treverensem metropolitanum suum suspectum habeat, de consecratione provideat. 1254, Sept. 21.

Inn. IV Reg. Vol. III, 175; Lib. XII, 210. Damus Pertzii exemplar.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte dilecti filii G. electi Tullensis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse cupiat consecrari et venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Treverensem metropolitanum suum habeat certa ratione suspectum[1], consecrationem eius alteri committere curaremus. Quocirca mandamus, quatinus super hoc ei provideas, prout videris expedire, ita tamen ut per hoc eidem archiepiscopo et ecclesie Treverensi nullum in posterum preiudicium generetur.

Dat. Anagnie, XI Kalendas Octobris, anno XII°.

318.

Innocentius IV papa Manfredo principi Tarentino, fideli suo, principatum Tarentinum cum Gravinae et Tricarici comitatibus et honorem Montis Sancti Angeli, a quondam F[riderico II] ei concessos, confirmat, et ei pro comitatu Montis Careosi comitatum Andrensem in concambium concedit, statuens ut ea omnia, de quibus Galvanus Lancea avunculus eius pro eo investitus sit, immediate ab ecclesia Romana teneat.

1254, Sept. 27.

Inn. IV Reg. Vol. III, 172; Lib. XII, 205a. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 57, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15527; Capasso, l. c. n. 153.

Nobili viro Manfredo principi Tarentino, fideli nostro.

Clemens semper et mitis in suis actibus mater ecclesia illum benignitatis circa suos filios et subditos tenet modum, ut tamquam vehementer in operibus pietatis exul-

---

memoriae Burrelli de Anglone comitis Lesinensis praeficiat; Lib. XII, 263; Potth. 15545 = 15495. — Nov. 3 electo Beneventano mandat, ut ecclesiae Frequentinae vacanti donnum Iacobum de Aquaputrida praeficiat; Lib. XII, 299. — Nov. 4 Bartholomaeo electo Cusentino, de Amalfia translato, mandat, ut ad ecclesiam suam accedat; eidem et capitulo Cusentino libertates et privilegia confirmat; Lib. XII, 303, 311; Potth. 15553, —. — Nov. 7 Iohannem ecclesiae Capritanae praeficit; Lib. XII, 321. — Nov. 8 episcopo Asisinati mandat, ut ecclesiae Bisinianensi vacanti fratrem Raynucium ord. Minorum praeficiat; Lib. XII, 304; Potth. 15556. — Nov. 9 magistrum Nicolaum de S. Germano clericum Iohannis Mori camerarii regni Siciliae, quem archiepiscopus Amalfitanus ecclesiae S. Severinae praefecit, capitulo eiusdem ecclesiae commendat; Lib. XII, 376; Potth. 15557. — Nov. 11 episcopo Alifano mandat, ut Hugonem electum Theanensem cum duobus episcopis consecret, Capuanae ecclesiae iure salvo; Oct. 31 eidem electo gratia; Lib. XII, 332, 298. — Nov. 12 capitulo et clero Reginis Vernacium archiepiscopum, quem ipse eis praefecit, commendat; Lib. XII, 387, ut videtur = Potth. 14771 sub a. 1252, Nov. 13; cf. p. 123, lin. 27. — Nov. 16 fratrem Stephanum de Ferentino, quem electus Beneventanus ecclesiae Turtibulensi praefecit, confirmat; Lib. XII, 381. — Nov. 17 electo Cusentino mandat, ut ecclesiae Liciensi vacanti magistrum Gualterum canonicum Idrontinum praeficiat; electus id exequitur Nov. 22; papa id confirmat Nov. 27; Lib, XII, 371 et 408; cf. 401 sub Nov. 24; Potth. 15542, falso sub Oct. 18. — Nov. 24 Angelum Cachavulpe nepotem Adenulfi domini de Aquino, quem ecclesiae Sarnensi praefecit, capitulo Sarnensi commendat; Lib. XII, 396. Cf. n. 233.

1) *A. 1255, Mart. 20 Alexander IV eundem electum confirmavit, quem post electionem duplicem H[ugo] tituli S. Sabinae presb. cardinalis, tunc legatus, ad quem causa per appellationem ab audientia archiepiscopi Treverensis delata fuisset, confirmasset; Lib. I, 253. Cf. Inn. IV Lib. XI, 772 et supra n. 175 et 220 et Böhmer-Ficker 5127b et 5213a.*

tans, et quasi amenas sibi delicias extimans misereri, eligat magis servare mansuetudinem quam rigorem et ignoscere potius quam sevire. Verumtamen[a] si culpam in quoquam repperiat vel offensam, quia delectabile ac iocundum est sibi dimittere delinquentem in pene dimissione vel moderatione iocundum, libentius parcit, quam feriat, et plus se illi propitiam exhibet quam severam. Nam et agnoscit, quod revera tunc egregie de aliquo vindicta sumitur, cum ei magnanimiter indulgetur; id enim in suis precipue querit et optat ecclesia, quod in suo benigno collecti gremio amore ac devotione proficiant et in suorum dulcedine uberum continue delectentur, quibus sponte nos in donis et gratiis largifluos exhibemus, ut benivolentia et liberalitate nostra percepta in nostris et eiusdem ecclesie beneplacitis fortius roborentur. Quia igitur ipsius ecclesie brachiis te totaliter commisisti, eam matrem et dominam recognoscens, tua firmata salubriter ad ipsius mandata et obsequia voluntate [1], nos de hoc multo concepto gaudio, recipientes te in nostram et apostolice sedis gratiam — patris et fratrum tuorum ac tuis culpis nequaquam obstantibus — tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remittentes, quoniam per te, in quo generis claritas, potentia, industria et alia plura digna laude concurrunt, honor, commodum et exaltatio ecclesie poterunt efficaciter et multipliciter procurari, providimus personam tuam muneribus sublimare magnificis eiusque statum insignibus honoribus illustrare, ut tu, de tot effusorum circa te beneficiorum affluentia corde letus et ecclesie valde gratus, ad dilectionem et devotionem eius vehementius inardescas.

Hinc est, quod cum regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad apostolicam sedem plene pertineat sitque ad eius dominium totaliter devolutum, nos, volentes te in illo principaliter et amplifice honorare, concessiones de principatu Tarentino [2] cum Gravine [b] et Tricarici comitatibus ac de honore Montis Sancti Angeli [3] dudum tibi factas a condam Fr. olim Romanorum imperatore ac rege Sicilie patre tuo, prout in eius litteris seu privilegiis confectis exinde continetur [4], nobilitati tue de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Ac insuper apostolicum circa te ampliando favorem premissa omnia ab eodem Fr. concessa de novo tibi et heredibus tuis in perpetuum de fratrum consilio eorundem plene conferimus ex gratia speciali. Comitatum etiam Andrensem [5] pro comitatu Montis Caveosi [6], quem nunc tenet nobilis vir B[ertoldus] marchio de Houmburch, tibi gratiose in concambium duximus concedendum, ita quod et principatum et honorem et comitatus predictos cum civitatibus, castris, villis, portubus, baroniis, hominibus infeudatis et non infeudatis, terris cultis et incultis, silvis, aquis aquarumque decursibus et pascuis, cum honoribus, dignitatibus et hiis, que ad merum et mixtum imperium pertinent, et cum iuribus, rationibus et pertinentiis omnibus eorundem tu et iidem heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscendo in hiis superiorem vel dominum, perpetuo teneatis [c]. De quibus omnibus dilectum filium nobilem virum Galvanum Lanceam, avunculum tuum [7], tuo nomine in eorundem fratrum nostrorum presentia curavimus per anulum investire — non obstantibus quibuscumque excommunicationum seu privationum aut depositionis sententiis in personam memorati Fr. auctoritate apostolica promulgatis seu aliis circa ipsum impedimentis et quibuslibet statutis seu legibus editis vel edendis, per que predicte ipsius Fr. concessiones infringi vel irritari seu vacuari possent aut etiam revocari, et qualibet alia in te privationis dignitatis et honorum aliorumque iurium sententia per nos lata.

a) Unde *in ep. a. 1255, Febr. 9, in qua eadem verba occurrunt.* b) Graviñ *R.* c) ten. perpet. *R.*

1) *Cf. n. 314 et infra sub n. 321.* 2) *Cf. n. 120 I et 131.* 3) *Montis Gargani; cf. etiam Böhmer-Ficker 4577b.* 4) *Scil. in testamento.* 5) *E mer. civ. Barletta; cf. sub a. 1255, Apr. 13.* 6) *Ex sept. Metaponti. De comitatu Montisscaiosi Acherontinae dioc. cf. Berger 3148.* 7) *Cf. n. 321.*

Volumus autem, ut quotienscumque ipsa catholica ecclesia pro defensione regni prefati generalem exercitum congregaverit vel indixerit, tu dictique heredes teneamini pro predictis quinquaginta milites equis et armis bene munitos ad serviendum per quadraginta dies in vestris sumptibus eidem ecclesie infra regni confinia exhibere. Nos quoque ac ipsa ecclesia te ac ipsos heredes in predictorum principatus et aliorum omnium possessione manutenebimus et contra omnes, qui vos molestaverint, impetierint vel turbaverint super illis, defensione vobis assistere curabimus oportuna. Et si aliquem ius in eis vel ipsorum aliquo habere constiterit, de condigno illi concambio in eodem regno studebimus providere. Ad hec pro terris aliis, quas predictus marchio et Gualterus de Ocra[1] in eisdem principatu et comitatibus tuis tenent, equivalens in ipso regno tibi concambium concedemus. Nulli etc. nostre confirmationis, collationis et concessionis etc.

Dat. Anagnie per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, V Kalendas Octobris, indictione XIII[a], incarnationis Dominice[a] M°CC°LIIII°, pontificatus vero domini Innocentii pape IIII, anno XII°[2].

319.

Innocentius IV papa eundem vicarium suum in regno Siciliae a Pharo usque ad flumen Silaris et ab eodem flumine infra per terram Beneventanam et comitatum Molisii usque Trignium excepto iustitiariatu Aprutii constituit, ordinans ut de proventibus ipsius vicariae octo milia unciarum auri percipiat annuatim. *1254, Sept. 27.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 172—173; Lib. XII, 205b. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 60, quod Pertz suppleverat, denuo cum Regestis contulimus.

Potthast, Reg. 15528; Capasso, l. c. n. 153.

Eidem.

Clemens etc. usque: amplifice honorare[b], nostrum te ibi vicarium a Faro usque ad flumen Sileris[3] et ab eodem flumine infra per terram Beneventanam et comitatum Molisii usque Trignium[4], excepto iustitiariatu Aprutii, duximus in temporalibus et hiis que ad merum et mixtum imperium pertinent de fratrum nostrorum consilio statuendum, ita quod vicariam huiusmodi ab apostolica sede immediate teneas et in vita tua, quamdiu fidelis, obediens et devotus ecclesie Romane fueris, eandem exerceas vicariam: ordinantes et precipientes quod de proventibus ex terris, locis et universis districtibus[c] ipsius vicarie obvenientibus, deductis exinde prius sumptibus, qui fient in custodia munitionum, castrorum aliarumque terrarum infra terminos eiusdem vicarie consistentium, et expensis officialium, qui ad colligendum proventus huiusmodi fuerint deputati[5], octo milia unciarum auri habeas et percipias annuatim, ita quod tertia pars horum octo milium in Kalendis Decembris et alia tertia in Kalendis Aprilis et reliqua tertia in Kalendis Augusti tibi annis singulis integre persolvatur. Officiales autem ipsos statues de consilio et assensu illius, quem ad hoc sedes apostolica duxerit deputandum. Iustitiarios vero ordinabis libere per te ipsum. Iidem quoque officiales non tibi set nobis et eidem sedi

---

a) anno *recte addendum erat, sed in sequentibus quoque privilegiis notae chronologicae minus accurate adscriptae sunt.* b) *p. 288, lin. 23.* c) districtu *R.*

1) *De hoc cf. Böhmer-Ficker 4628, 4643c, 4644n.* 2) *Eodem fere tempore papa Ianuensibus gaudium suum exposuit, quod Manfredus aliique conversi essent in devotionis filios; Potthast 15571; non reg.* 3) *Sele, ex sept. Paesti.* 4) *Trigno flumen, quod influit in mare Adriaticum ex sept. civ. Termoli.* 5) *Qui usque eo 'camerarii' vocabantur.*

vel ei, quem ad id deputaverimus, de predictis proventibus respondebunt. Nulli etc. nostre constitutionis, ordinationis et precepti etc.

Dat. ut supra[1].

320.

Innocentius IV papa universis Christi fidelibus notum facit se Conrado filio quondam Conradi IV regnum Ierosolimitanum et ducatum Sueviae et alia iura, sive in regno Siciliae sive alibi ea habeat, illaesa conservare velle et permittere, ut universi de regno in iuramentis fidelitatis papae praestandis adicere possint: 'Conradi pueri iure salvo'.

1254, Sept. 27.

Inn. IV Reg. Vol. III, 173; Lib. XII, 205c. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 47, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15438; Capasso, l. c. n. 150; falso sub Sept. 12.

Universis Christi fidelibus.

Benigna mater ecclesia, circa devotos et humiles filios sollicite[a] vigilans, eorum profectibus et saluti pietatis oculo instanter prospicit et attente. Sed cum semper misericordie beneficiis affluat habundanter, illud precipue inter clementie opera ipsam reddit conspicuam et insignem, quod de pupillorum statu et suffragio indigentium alieno propensius meditans, in oportunum patrocinium ad illorum munimen inundanter exuberat et ad tutelam et preservationem ipsorum manus extendens propitias brachiaque favorabilia explicans ministerium circa eos constantis exequitur adiutricis. Quia igitur competit ecclesie congruis pupillos fulcire favoribus piisque presidiis communire, nos, circa carissimum in Christo filium nostrum Conradum regem Ierosolimitanum illustrem[2], ducem Suevie[3], filium condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris, nunc in annis teneris et pupillari constitutum etate, apostolice benivolentie gratiam effundentes, ut sue propitiationis salubre munimen magnumque comodum per effectum sentiat et agnoscat, ac nostra et apostolice sedis benigne sibi largientes iuvamina, regnum Ierosolimitanum et ducatum Suevie ac alia iura sua, ubicunque illa sive in regno Sicilie[4] sive alibi habeat, integra et illesa sibi deliberatione cum fratribus nostris habita proponimus et volumus conservare, ac permittimus, quod universi de ipso regno Sicilie in serie iuramenti fidelitatis, quod nobis et ecclesie Romane prestabunt[5], possint adicere: 'Conradi pueri iure salvo'. Ideo autem hec vobis insinuamus et scribimus, ut ex tenore presentium notitia et certitudo de hiis in posterum habeatur[6].

Dat. ut supra.

---

a) sollice *R.*

1) *Hac ep. et antecedente papa publice renuntiavit consilio regnum Siciliae Edmundo filio regis Angliae conferendi vel alium regem ibi instituendi; cf. p. 278, not. 1 et p. 283, not. 4 et sub a. 1256, Oct. 23. Sed Nov. 17 regem Angliae hortatus est, ut festinanter aliquem mitteret ad custodiendam Apuliam, alioquin ecclesiam de concedendo eam alteri aliter provisuram esse; Potthast 15558; non reg.* 2) *Cf. t. II, p. 482, n. 675.* 3) *Revocavit ergo papa ep. n. 186.* 4) *Hoc loco primo Conradum IV regem quoddam ius in regno Siciliae habuisse papa non omnino negavit.* 5) *Cf. n. 319 et Nicolai de Iamsilla Gesta ap. Muratori, SS. rer. It. t. VIII, p. 512.* 6) *Cum haec ep. cum aliis, quae ad pacem inter papam et Manfredum initam spectant, sub eodem n. 205 registrata sit, liquet hanc concessionem in favorem Conradini factam inter condiciones pacis eiusdem extitisse. Sed verba satis ambigua sunt, cum Conradinus 'rex Siciliae' appellatus non sit.*

321.

Innocentius IV papa Galvano Langeae, fideli suo, possessiones, quas ipsi et matri eius Beatrici quondam Fr[idericus II] et Conradus IV concesserint sed postea abstulerint, restituit et alias insuper confert, statuens ut idem haec omnia bona, de quibus a papa ipso investitus sit, immediate ab ecclesia Romana teneat. 1254, [Sept. 27].

Inn. IV Reg. Vol. III, 173; Lib. XII, 205 d. Exemplar Pertzii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Galvano Lancea[a], fideli nostro[1].

Quia inter devotos apostolice sedis aliquos propter maiora ipsorum merita uberiori complecti dilectione tenemur, digne illis, cum et aliis benigni et propitii existamus, benivoli magis et favorabiles invenimur. Immo, ne noster circa tales fecundus affectus defectum aliquem in effectu[b] contineat, set in illo exuberet ad profectum, convenit, ut congruis ipsos honoribus studeamus attollere, gratie nostre gremium eis manu munifica explicando. Attendentes itaque devotionis ardorem, quo erga nos et Romanam ecclesiam fervere dinosceris, considerantes etiam quod pro instanti eius negotio[2] sollicite laborasti, ac volentes ut ex hoc sedem apostolicam favorabilem tibi sentias et benignam, tuis supplicationibus inclinati, castra Paternionis[3] et Sancti Phylippi[4] et omnia alia castra, casalia, villas et cetera bona a condam Fr. olim Romanorum imperatore et Conrado nato ipsius in Calabria et Sicilia tibi et nobili mulieri Beatrici matri tue concessa, quibus iidem Fr.[5] et Conradus te et eandem matrem postmodum spoliasse dicuntur, tibi et heredibus tuis — non obstantibus[c] si post latas in eundem Fr. anathematis et depositionis et in predictum Conradum excommunicationis sententias huiusmodi castra, casalia, ville et alia bona tibi et predicte matri concessa fuerint, vel si ipsi Fr. et Conradus illa vel illorum aliquod quibuscumque personis postmodum contulerunt, et qualibet alia in te privationis dignitatis et honorum aliorumque iurium sententia per nos lata — de fratrum nostrorum consilio restituimus, illa tibi eisdemque heredibus auctoritate apostolica in perpetuum confirmantes. Et cum regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinentiis suis sit ad nos ac predictam ecclesiam totaliter devolutum, ut tua devotio maius erga nos et ecclesiam ipsam suscipiat incrementum, predicta omnia et singula de novo, nec non et comitatum Butere[6] ac prefatum castrum Sancti Phylippi[7] tibi et eisdem heredibus de fratrum eorundem assensu conferimus de apostolice sedis munificentia speciali, Castrum Vetus[8] Giracensis diocesis pro castro Cuculi[9], quod olim in

---

a) *ita R.* b) effectum *R.* c) obst' *R.*

1) *Sicut initium huius ep. et n. 323 indicat, Galvanus Lancea et Ricardus Filangerius, cum legati Manfredi ad papam accederent, ecclesiae diutius conciliati iam erant [cf. Böhmer-Ficker 4569 b, 4643 a et 4644 c et supra n. 119 IV]; Henricus de Rivello [n. 322] aliique, qui et ipsi Sept. 27 apud curiam erant, tum ad ecclesiam redierunt. Ergo magnates Siculi, qui exulabant, et ii, qui domi erant, sese coniunxerant, ut inter ecclesiam et Manfredum pacem reformarent, et per eos quoque dominium regni a marchione de Hohemburg et Teutonicis ad Manfredum translatum esse par est; cf. p. 283, not. 5.* 2) *Pro pace facienda.* 3) *Paterno ex occ. civ. Cataneae.* 4) *S. Filippo d'Argiro ex occ. Paternionis.* 5) *Cf. Nicolai de Iamsilla Gesta ap. Muratori, SS. rer. It. t. VIII, p. 547. Neque vero gens eius imperatori tum adversabatur; nam Manfredus marchio Lancea adhuc a. 1250, Apr. vicarius imperialis et a. 1251, Nov. 23 apud Conradum regem erat; cf. Ann. Plac. Gib. a. 1250, SS. t. XVIII, p. 499 et Böhmer-Ficker 4564. Galvanus autem a. 1250, Dec. 31 capitaneus generalis erat; Ficker, Urk. Italiens, p. 427, n. 416.* 6) *In Sicilia meridionali, ex sept. civ. Terranova; cf. Iamsilla, l. c.* 7) *Id falso exaratum videtur; S. Philippi et Paternionis castra ei non solum restituta sed etiam de novo collata sunt, insuper ei confertur comitatus Buterae; cf. verba ep. n. 322 et 323.* 8) *Ex sept. et or. civ. Gerace.* 9) *Cf. p. 96, not. 5. A. 1254, Nov. 19 hominibus castri de Cuculo Capudaquensis diocesis bona confirmavit eosque in demanio retinuit, sicut fuissent tempore Guillelmi et aliorum regum Siciliae; Lib. XII, 384.*

Principatu dinosceris tenuisse, vobis in concambium concedentes, ita quod tam comitatum ipsum quam omnia alia supradicta, de quibus te in eorundem fratrum nostrorum presentia per nostrum anulum investivimus, cum omnibus honoribus, dignitatibus, castris, villis, pascuis, silvis, terris cultis et incultis, baronibus et aliis hominibus infeudatis et non infeudatis, iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis aliis eorundem tu et heredes ipsi immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem vel dominum [1], teneatis. Volumus autem, ut quotienscumque eadem ecclesia pro defensione regni predicti generalem exercitum congregaverit vel indixerit, tu et heredes ipsi teneamini pro comitatu et aliis predictis duodecim milites armis et equis decenter munitos ad serviendum per XL dies in vestris sumptibus eidem ecclesie infra dicti regni confinia exhibere. Ceterum, ut huiusmodi gratias tibi factas a nobis reputes gratiores, scire te volumus, quod nos et eadem ecclesia te et heredes ipsos in possessione dicti comitatus et aliorum omnium predictorum manutenebimus et contra omnes, qui vos super premissis molestaverint, impetierint vel turbaverint, defensione vobis adesse curabimus oportuna. Et si aliquem ius in predictis vel predictorum aliquo habere constiterit, sibi de convenienti concambio in eodem regno studebimus providere. Nulli etc. nostre restitutionis, confirmationis, collationis et concessionis etc.

Dat. Anagnie [a], anno Dominice incarnationis M°CC°LIIII°, anno XII° [2].

In eundem modum nobili viro Fr[ederico] Lancee, fideli nostro, usque: fervere dinosceris, ac volentes ut ex hoc etc. usque: inclinati [3], comitatum Squillacensem [4] tibi et heredibus tuis in perpetuum, cum regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinentiis suis sit ad nos et predictam ecclesiam totaliter devolutum, in feudum sub debitis et consuetis servitiis de fratrum nostrorum consilio concedimus de gratia speciali, ita quod comitatum ipsum, de quo nobilem virum Galvanum Lanceam fratrem tuum tuo nomine per nostrum anulum investivimus, cum omnibus honoribus etc. usque: teneatis. Et ut huiusmodi gratiam tibi factam a nobis etc. usque: providere, verbis competenter mutatis. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra [5].

322.

Innocentius IV papa Henrico de Rivello, fideli suo, qui ad devotionem ecclesiae redierit, concessiones, a quondam F[riderico II], Manfredo et quondam Conrado IV ipsi factas, confirmat eique insuper alia bona confert, statuens ut idem ea omnia, de quibus a papa ipso investitus sit, immediate a Romana ecclesia teneat. 1254, [Sept. 27].

Inn. IV Reg. Vol. III, 173; Lib. XII, 205e. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis, ex quibus quandam partem deletam supplevimus.

---

a) Anagnie — XII° *altera manus addidit; pergit manus prima; cf. n. 322 et 323. Saepius in Lib. XII notae chronologicae privilegiorum minus diligenter scriptae sunt.*

1) *Castrum Vetus in vicariatu Manfredi situm erat; cf. n. 319.* 2) *Ex epp. n. 318 et 322 et Böhmer-Ficker 4644c apparet hanc ep. circa Sept. 27 scriptam esse.* 3) *Hic ergo pro pace cum Manfredo facta non laboraverat.* 4) *In vicariatu Manfredi; de comitatu cf. Iamsilla, l. c.* 5) *Cf. Winkelmann, Acta t. II, p. 727, lin. 39. — A. 1254, Sept. 25 Conrado dicto Saxo militi et socio Galvani Lanceae, cuius devotionem laudavit, Castrum Spicafurni Siracusanae diocesis in concambium pro Burgi et Maugini casalibus, quae olim in Sicilia ex concessione Friderici II obtinuit, contulerat, ita ut castrum, de quo papa eum praesentialiter investivit, immediate ab apostolica sede teneret; Lib. XII, 205h.*

Nobili viro Henrico de Rivello[a] [1], fideli nostro.

Matris ecclesie multa benignitas illum circa filios servat pietatis affectum, ut et hiis, qui eam devotione continua reverentur ut matrem, beneficia grandia largiatur et alios etiam, qui post indevotionem et inobedientiam ad ipsius beneplacitum redeunt et mandatum, a sua gratia non repellat, illis quidem beneficientie dexteram libenter extendens et ab istis manum misericordie non avertens, illos benivolentie sinu sedulo confovens et pie istos ad gremium propitiationis admittens, digne illos dulcedinis mamilla reficiens et clementer consolationis ubera hiis propinans. Attendentes igitur quod ad devotionem ipsius ecclesie de tua salute sollicitus rediisti, dulci ac suavi eiusdem dominio humiliter te submittens, ac propter hoc recipientes te in nostram et apostolice sedis gratiam tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remittentes, quia volumus te in huiusmodi devotione congruis firmare favoribus et condignis gratiis confovere, tuis supplicationibus inclinati*, concessiones de baronia Claromontis[2], qua condam Fr. olim Romanorum imperator condam Riccardum de Claromonte et Hugonem ipsius filium privasse dicitur, nec non et de castro Colobrati[3] a nobili viro Manfredo principe Tarentino, tunc pro regni Sicilie balio se gerente[4], et a condam Conrado dicti Fr. filio, concessionem quoque de castris Stillan.[b] [5], Bigianell.[c] [6], et Sancti Archangeli[7] a dicto Fr. tibi factas et privationem huiusmodi, etiam si post latas in eundem Fr. anathematis et depositionis sententias facta fuerit, ratas habentes, illas — non obstantibus[d] quod dicti Fr., Manfredus et Conradus erant tunc temporis vinculo excommunicationis astricti, vel quod alias facultatem conferendi vel concedendi taliter non habebant, et qualibet in te privationis dignitatis et honorum aliorumque iurium sententia per nos lata — |tibi et heredibus tuis|[e] de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et quia predictum regnum cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad nos et Romanam ecclesiam esse[f] dinoscitur totaliter devolutum, ut tua devotio maius erga nos et eandem ecclesiam suscipiat incrementum, prefatam baroniam et dicta castra a predictis concessa de novo nec

* *Sequitur in R. locus linea perducta deletus, in cuius exordio* Va, *in fine* cat *scriptum est:* baroniam Sorracen.[g] [8], quam ex concessione condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris obtinere dinosceris, — non obstantibus[h] quod idem Conradus tempore concessionis huiusmodi erat vinculo excommunicationis astrictus, et quod alias facultatem conferendi vel concedendi taliter non habebat, et qualibet in te privationis dignitatis et honorum aliorumque iurium sententia per nos lata — de fratrum nostrorum consilio tibi auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et ut tua devotio maius erga nos et eandem ecclesiam suscipiat incrementum, prefatam baroniam cum honoribus, dignitatibus, castris, villis, terris cultis et incultis, baronibus et aliis hominibus infeudatis et non infeudatis ac ceteris iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis ad dictam baroniam spectantibus in feudum tibi tuisque heredibus sub debitis et consuetis servitiis de fratrum eorundem consilio in perpetuum concedimus de gratia speciali. Ut autem[i] baroniam et alia omnia supradicta[k], de quibus te in eorundem fratrum nostrorum presentia per anulum investimus[l], tu et iidem heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem |vel|[m] dominum. *Pergit eadem manus:* concessiones de baronia Claromontis *etc. ut supra.*

a) Rivell' *R.* b) Stillañ *R.* c) Bigianell' *R.* d) obst' *R.* e) *deest R.* f) esse *superscr.* g) Sorraceñ *R.* h) obsts *R.* i) *sub verbis* Ut autem *linea reperitur.* k) šuprad. õmnia *R.* l) *ita R.* m) vel *deest R.*

1) *Ex or. civ. Policastri; de eodem cf. Huillard-Bréholles, l. c. introduction p. CXLIX. Cf. p. 291, not. 1; eum apud papam fuisse apparet infra ex verbo 'investimus'.* 2) *Aliquantum ex or. castri Rivelli.* 3) *Colobraro, inter civ. Chiaromonte et Tursi.* 4) *A morte Friderici II a. 1250, Dec. 13 usque ad adventum Conradi regis a. 1252, Ian. [8].* 5) *Stigliano e mer. civ. Tricarico.* 6) *Ut videtur Viggianello e mer. et occ. Stillani.* 7) *Ex sept. civ. Chiaromonte.* 8) *Fortasse Saracena in dioc. Cassanensi; cf. p. 294, not. 7.*

non et castrum Layni[1] Cassanensis diocesis ad demanium curie pertinens cum omnibus honoribus, dignitatibus, castris et villis, terris cultis et incultis, baronibus et aliis hominibus infeudatis et non infeudatis ac ceteris iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis ad dictam baroniam et prefata castra spectantibus in feudum tibi et heredibus tuis de fratrum eorundem consilio concedimus de gratia speciali, ita quod baroniam et alia omnia supradicta, de quibus te in eorundem fratrum nostrorum presentia per anulum investimus[a], tu et iidem heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem[b] vel dominum, excepta terra si quam ab eodem habetis principe[2], teneatis. Volumus autem, ut quotienscumque Romana ecclesia generalem exercitum pro defensione regni predicti congregaverit vel indixerit, tu et heredes ipsi teneamini sex milites armis et equis decenter munitos pro baronia et aliis predictis ad serviendum per quadraginta dies in vestris sumptibus eidem ecclesie infra dicti regni confinia exhibere. Ut[c] autem huiusmodi gratiam tibi ab eadem sede factam reputes gratiorem, scire te volumus, quod nos et eadem sedes te et heredes ipsos in possessione dicte baronie et aliorum omnium predictorum manutenebimus etc. usque: oportuna. Et si aliquem ius in predictis baronia et aliis vel eorum aliquo etc. usque: Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Anagnie[d] per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, V Kalendas Septembris[3], indictione XIII[a], anno Domini M°C°C°LIIII°, anno XII°.

In eundem modum Leoneto de Rivello[e] usque: tuis supplicationibus inclinati, castra de Morano[4] et de Circlaro[5] Cassinensis[f] diocesis, que ex concessione condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris obtinere dignosceris[f], — non obstantibus[g] quod idem Conradus tempore concessionis huiusmodi erat vinculo excommunicationis astrictus, vel quod alias facultatem conferendi vel concedendi taliter non habebat, et qualibet in te privationis dignitatis et honorum aliorumque iurium sententia per nos lata — tibi tuisque heredibus, cum Sicilie regnum cum districtu et pertinentiis suis sit ad nos et apostolicam sedem totaliter devolutum, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et ut tua devotio maius erga nos et eandem sedem suscipiat incrementum, predicta castra, de quibus nobilem virum Henricum de Rivello[e] patruum tuum tuo nomine in predictorum fratrum presentia per nostrum anulum investivimus, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis eorundem in feudum tibi eisdemque heredibus de novo sub debitis et consuetis servitiis de predictorum fratrum consilio in perpetuum concedimus de gratia speciali. Ut autem huiusmodi gratiam tibi ab eadem sede factam reputes gratiorem, scire te volumus, quod nos et predicta sedes te et heredes ipsos in possessione dictorum castrorum manutenebimus etc. usque: oportuna, et si aliquem ius in eisdem castris vel eorum aliquo etc. ut in alia[6].

Dat. ut supra[h][7].

---

a) *ita R.* b) superiorem *parvis litteris superscr.* c) ut *in loco raso verbi longioris.* d) Anagnie — XII° *altera manus addidit: pergit manus prima; cf. p. 292, not. a.* e) Rivell' *R.* f) *ita R.* g) obst[s] *R.* h) Dat. ut supra *eadem manu.*

1) *Ex sept. et occ. civ. Cassano.* 2) *Scil. si quae de terris ipsi concessis ad feuda Manfredo in n. 318 collata pertinent. Omnia loca illa in vicariatu Manfredi sita erant; cf. n. 319.* 3) *Legas 'Octobris', nam Aug. 28 papa Manfredum 'principem Tarentinum' vocare non potuit. Ep. sicut antecedentes Sept. 27 scripta est; cf. p. 293, not. 1.* 4) *Ex sept. et occ. civ. Cassano.* 5) *Ex sept. civ. Cassano.* 6) *A. 1254, Oct. 31 Stephano nato nobilis viri Nicolai Frecza [cf. Böhmer-Ficker 4587] de Ravell. bona quondam Leonis Bovis de Rivell., a Manfredo tunc regni Siciliae balio ipsi concessa, confirmavit; Lib. XII, 309.* 7) *Tres aliae epp. incipientes:* Matris ecclesie *sub Lib. XII, 205 (i, k, l) registratae sunt: Sept. 22 magistro Iohanni de Brundisio [cf. Böhmer-Ficker 4568, 4569] bona, quae in Iuve-*

323.

Innocentius IV papa Riccardo Filangerio, fideli suo, concessiones a quondam Fr[iderico II] ipsi et a Constantia imperatrice socero ipsius factas confirmat eique insuper alia bona confert, statuens ut idem ea omnia, de quibus a papa ipso investitus sit, immediate ab ecclesia Romana teneat. *1254, Oct. 7.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 174; Lib. XII, 205f. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili viro Riccardo Filangerio, fideli nostro[1].

Quia inter devotos etc.[a] usque: pro instanti eius negotio indefessa sollicitudine laborasti, pensantes insuper quod multa et gravia dampna pro eadem ecclesia incurristi, ac volentes ut ex hoc predictam sedem tibi sentias favorabilem et benignam, tuis supplicationibus inclinati, totam baroniam et alia bona, que ex concessione condam Fr. olim Romanorum imperatoris vel quocumque alio titulo in terra Laboris vel alibi obtines, concessionem quoque civitatis et castri Graniani[2] a clare memorie Constantia Romanorum imperatrice et regina Sicilie condam comiti Petro Cocton.[b] socero tuo dudum factam, cuius sicut asseris nobilis mulier Iacoba uxor tua heres existit, tibi et heredibus tuis in perpetuum de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et quia dictum regnum cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad nos etc. usque: ipsam suscipiat incrementum, predicta omnia et singula a predictis concessa de novo et insuper civitatem Calvensem[3], Castellum Maris[4] et castrum Scaphati[5] tibi eisdemque heredibus de fratrum eorundem consilio in feudum concedimus de apostolice sedis munificentia liberali, ita quod predicta omnia, de quibus te etc. usque: et pertinentiis ad dictam baroniam et alia predicta spectantibus tu et iidem heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes[c] exinde superiorem vel dominum, teneatis. Volumus autem, quod quotienscumque Romana ecclesia generalem exercitum pro defensione regni predicti congregaverit vel indixerit, tu et heredes ipsi teneamini XII milites armis et equis decenter munitos pro predictis omnibus ad serviendum per XL dies in vestris sumptibus etc. usque: gratiores, scire te volumus, quod nos et eadem ecclesia te et heredes ipsos in possessione dicte baronie ac aliorum omnium predictorum manutenebimus etc. usque: oportuna. Et si aliquem ius in eis vel eorum aliquo habere constiterit, sibi de convenienti concambio in eodem regno studebimus providere. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Anagnie[d] per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, Nonis Octobris, indictione XIII[a] anno Dominice incarnationis M°CC°LIIII°, anno XII°[6].

---

a) *ut n. 321.* b) Coctoñ *R.* c) ″recognoscentes ′preter ipsam *R.* d) *verba* Anagnie — XII°, *altera manu scripta, arte compressa, una linea continentur; pergit manus prima.*

natiensi et Botontina civitatibus ex concessione Conradi obtineret, confirmavit, eum praesentialiter investiens; Sept. 25 Tranardo dicto de Pisis castrum Albidon. destructum, ad ipsum ex successione pertinens, non obstante quod Fridericus II amoto quondam Tancredo avo ipsius illud ad demanium revocasset, in feudum sub debito servitio concessit [de investitura nihil dicitur; in nota chron. altera manus in loco raso verba addidit: incarn. dom. M°CC°LIIII°, anno XII°*]; Sept. 25 ignoto baroniam Sarracen., quam idem ex concessione Conradi obtineret, confirmavit; cf. p. 293, not. 8.*

1) *Cf. n. 119 IV, p. 208, not. 4 et p. 291, not. 1.* 2) *Ex or. civ. Castellamare.* 3) *E mer. et or. civ. Teano.* 4) *Castellamare; cf. n. 114.* 5) *Scafati ex or. Pompeiorum; cf. n. 114.* 6) *De eodem cf. Winkelmann, Acta t. II, p. 727, lin. 46.*

In eundem modum nobili viro Rogerio Filangerio usque: tuis supplicationibus inclinati, concessionem de castro Ryardi[1] Theanensis diocesis a condam Fr. Romanorum imperatore tibi factam, etiam si illam post latas in ipsum anathematis et depositionis sententias tibi fecerit, tibi et heredibus tuis in perpetuum auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et quia etc. usque: incrementum, predictum castrum ab eodem Fr. concessum de novo ac insuper castrum Nucerie[2] Salernitane diocesis, in quo terciam partem obtines, de fratrum nostrorum consilio in feudum tibi eisdemque heredibus sub debitis et consuetis servitiis conferimus gratiose, de quibus nobilem virum Riccardum Filangerium patruum tuum tuo nomine curavimus investire, ita quod predicta castra cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes superiorem vel dominum, teneatis. Ceterum etc. usque in finem. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. ut supra[a] [3].

324.

Innocentius IV papa Petro Ruffo de Calabria comiti Catanzarii omnes offensas remittit, eum sub protectione sua suscipit eique bona, a quondam F[riderico II] et Conrado IV concessa, confirmat et de novo confert, statuens ut idem ea omnia, de quibus Fulco nepos eius a papa ipso investitus sit, immediate ab ecclesia Romana teneat.

1254, Oct. 7.

Inn. IV Reg. Vol. III, 198—199; Lib. XII, 434. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Petro Ruffo de Calabria comiti Catanzarii[4].

Matris[b] ecclesie multa benignitas illum circa filios servat pietatis affectum, ut et hiis, qui eam devocione congrua reverentur ut matrem, beneficia grandia largiatur et alios ecciam[c], qui post indevocionem et inhobedientiam ad ipsius beneplacitum reddeunt et mandatum, a sua gratia non repellat, illis quidem benificentie dexteram libenter extendens et ab istis manum misericordie non avertens, illos benivolencie sinu sedulo confovens et pie istos ad gremium propiciationis admittens, digne illos dulcedinis mamilla reficiens et clementer consolationis ubera hiis propinans. Quia igitur ipsius ecclesie brachiis te totaliter commisisti, eam matrem et Dominam recognoscens, tua firmata salubriter ad ipsius mandata et obsequia voluntate: nos de hoc multo concepto gaudio, recipientes te in nostram et apostolice sedis gratiam tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remictentes, personam tuam et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem uxorem tuam comitissam Catanzarii ac omnes nepotes tuos cum universis consanguineis et affinibus tuis, ipsorum ecciam cum omnibus bonis, que in presenciarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis

a) ut supra *in loco raso.* b) *cf. n. 322.* c) *ita R.; infra quoque registrator a communi ratione scribendi discedit.*

1) *Riardo prope Teanum.* 2) *Nocera ex sept. et occ. Salerni.* 3) *Iam a. 1253, Ian. 31 precibus Rogerii Filangarii annuerat; Lib. X, 437. — A. 1254, Sept. 26 papa Riccardo Filangerio nato Guidonis Fil., cum multa damna pro ecclesia incurrisset, civitatem Satiriani [cf. Berger 2901] a Friderico II post depositionem ipsi concessam confirmaverat, de qua papa Ricardum Fil. patruum ipsius nomine eius investivisset, ita ut eam immediate ab ecclesia teneret; Lib. XII, 205g.* 4) *Ex sept. civ. Squillace; de Petro, qui sub Friderico II et Conrado IV marescalcus regni fuerat, cf. Böhmer-Ficker 3835, 4569c, 4588 et Nicolai de Iamsilla Gesta ap. Muratori, SS. t. VIII, p. 511 et 547.*

prestante Domino poteritis adipisci, sub nostra et eiusdem sedis protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, districcius inhibentes, ne quevis persona ecclesiastica vel secularis vobis in personis vel rebus iniuriam, molestiam vel gravamen inferre presumat. Et quia regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinenciis suis ad predictam sedem plenarie pertinet et est ad eius dominium totaliter devolutum, nos, volentes te in illo multipliciter honorare, tuis supplicationibus inclinati, concessiones et donationes tam de comitatu Catanzarii quam de castro Mesurace[1] et pheudo Rende[2] a quondam Frederico olim Romanorum imperatore ac rege Sicilie et a Corrado nato ipsius tibi factas ratas habendo, illas — non obstantibus quacumque privationis vel deposicionis sententia in prefatum Fre. actoritate[a] apostolica promulgata, et quod predicti Fre. et Cor. erant tunc temporis vinculo excommunicacionis astricti, et quod alias facultatem donandi vel concedendi taliter[b] non habebant — de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmandas duximus et huius scripti presidio muniendas. Ac insuper, ut erga nos et predictam sedem tua devotio magis crescat, comitatum, castrum et pheudum predicta ab eisdem Fre. et Cor. concessa, et siqua ecciam desunt tibi ad eundem comitatum spectancia, de novo tibi et heredibus tuis in perpetuum de fratrum eorundem consilio in pheudum conferimus de gratia speciali, ita quod comitatum, castrum et pheudum predicta, de quibus nobilem virum Fulconem nepotem tuum[3] tuo nomine investivimus, cum castris, villis, baroniis, terris cultis et incultis, hominibus infeudatis et non infeudatis, silvis, aquis et aquarum decursibus et pascuis, cum honoribus, dignitatibus et cum hiis, que ad merum et mixtum imperium[4] pertinent, cum iuribus, iurisdictionibus ac aliis pertinenciis eorundem tu et hiidem heredes inmediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam exinde recognoscentes superiorem vel dominum, perpetuo teneatis, tibi nichilominus concedentes ut aliquos de nepotibus tuis vel ipsorum filiis, si prolem legitimam non habueris, heredes tibi legitimos ac[c] libere instituere valeas in premissis. Volumus autem, [ut][d] quocienscumque ipsa ecclesia pro defensione regni prefati generalem exercitum congregaverit vel indixerit, tu dictique heredes teneamini pro predictis octo milites equis et armis bene munitos ad serviendum per quatraginta[e] dies in vestris sumptibus eidem ecclesie infra Calabrie et Sicilie confinia exhibere. Nos quoque ac ipsa ecclesia te ac ipsos heredes in predictorum comitatus, castri et feudi possessione manutenebimus et contra omnes, qui vos molestaverint, impecierint vel turbaverint super illis, defensione vobis adsistere curabimus oportuna. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Anagnie per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, Nonis Octubris, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LIIII°, anno XII°[5].

325.

Innocentius IV papa archiepiscopos et praelatos, comites, officiales, milites, burgenses, commune Messanense et universos Siciliae et Calabriae sub protectione sua suscipit, eis

---

a) *ita R.* b) totaliter *R.* c) *ita R.* d) ut *deest R.* e) *ita R.*

1) *Ex sept. cir. Cotrone.* 2) *Ex sept. et occ. cir. Cosenza.* 3) *De hoc cf. etiam Böhmer-Ficker 3835 et 4567 — 4569.* 4) *Haec verba in n. 321 et 322, ad quarum similitudinem haec ep. exarata est, non leguntur. 'Merum et mixtum imperium' harum partium papa Sept. 27 Manfredo concesserat; n. 319; cf. etiam n. 325 et p. 301, l. 37 et Iamsilla; l. c. Oct. 11 papa cum Manfredo congressum amicabilem habuit; Böhmer-Ficker 4644e.* 5) *Nov. 13 eidem [qui 'marescalcus' non vocatur; cf. infra sub n. 330] mandatum direxit in favorem notarii Iohannis de Monte; Lib. XII, 361.*

libertates et laudabiles consuetudines confirmat et statuit, ut Sicilia et Calabria de demanio ecclesiae Romanae perpetuo sint. *1254, Oct. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 182; Lib. XII, 276. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 63, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15543; Capasso, l. c. n. 163.

Archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus, baronibus, iustitiariis, vicariis et ceteris officialibus, militibus, burgensibus, communi Messanensi et universis per Siciliam[1] et Calabriam[2] constitutis, nostris et ecclesie Romane fidelibus.

Communi suorum fidelium voto libenter ecclesia benevola mater concurrit, digne illos, qui sincera se fide ac obsequiosa[a] ei devotione prosternunt, apostolicis attolens favoribus et largifluis beneficiorum magnificans donativis. Ut igitur vobis exultationis et gaudii de peroptato ipsius regimine, pro quo diuturna sunt tracta suspiria, grata proveniat plenitudo, vos, ecclesias insuper universas et loca religiosa Sicilie et Calabrie et cuncta vestra et ipsorum bona sub beati Petri et nostra protectione ac defensione suscipimus speciali. Libertates vero et immunitates, usus et laudabiles consuetudines a priscis temporibus vobis et ecclesiis ac locis predictis regali vel alia quorumcunque fidelium munifica largitione concessas illibatas semper servare volentes, illas vobis ac eisdem ecclesiis et locis auctoritate apostolica de speciali gratia confirmamus. Statuimus preterea, ut predicte Sycilia et Calabria perpetuo sint de demanio ecclesie Romane atque nostro eedemque cum pertinentiis, districtibus et iuribus suis et cum universis hominibus sub dominio semper apostolice sedis consistant, nec cuiquam aliquid concedere, quominus verum dominium apud ecclesiam Romanam remaneat, vel quomodolibet alienare vel transferre sive in illustres seu in alias quascumque personas liceat, eisdem semper hominibus cum bonis suis permansuris sub potestate, iurisdictione ac presidio dicte sedis et habituris optate solatia libertatis. Nulli etc. nostre protectionis, confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Capue, XIII Kalendas Novembris, anno XII°.

326.

Innocentius IV papa eisdem [praeter officiales] scribit se ecclesias, nobiles et universos Siciliae et Calabriae ad omnia bona et iura, eis a quondam Fr[iderico II] et Conrado IV ablata, restituere et censum insolitum a quondam Matthaeo Marchafava secreto curiae Messanensibus olim impositum revocare. *1254, Oct. 20.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 182; Lib. XII, 279. Damus Pertzii exemplar.

---

a) obsequia *R.*

1) *I. e. 'insulam Siciliae'.* 2) *Calabria ad vicariatum Manfredi pertinebat [cf. n. 319], cuius iura papa hac ep. violavit; cf. p. 297, not. 4 et n. 330. Oct. 18 Manfredus post mortem Burelli de Anglone a curia papali illicentiatus recesserat; cf. infra sub a. 1255, Febr. 15 et Böhmer-Ficker 4644 f. Vicaria sua a. 1255, Mart. 25 demum ab Alexandro IV privatus est; Winkelmann, Acta t. II, p. 726, n. 1044; non reg.*

Archiepiscopis[a] et episcopis ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, ac nobilibus viris comitibus et baronibus et comuni Messanensi ac universis per Siciliam et Calabriam constitutis, nostris et ecclesie Romane fidelibus.

Communi suorum fidelium etc. usque: donativis. Sane intelleximus, quod nonnulle ecclesie, monasteria et alia loca religiosa, nobilium etiam plurimi Sicilie et Calabrie possessionibus et iuribus suis per condam Fr. olim Romanorum imperatorem et Conradum natum eius contra iustitiam spoliata fuere, quodque civibus Messanensibus per condam Matheum Marchafava secretum curie[1] in augmentatione censuum et terragiorum domorum et prediorum suorum gravamina fuerunt intolerabilia irrogata. Volentes igitur super hiis predictis ecclesiis, monasteriis, locis, nobilibus et civibus oportuna provisionis remedia per sedem apostolicam provenire, prefatas ecclesias ac monasteria, loca et nobiles ipsos ac universos de predictis Sicilia et Calabria ad omnia bona et iura sua eis olim per predictos Fr. et C. ablata taliter integre restituimus, id, quod per memoratum Matheum secretum in huiusmodi censuum et terragiorum augmentatione contra antiquam consuetudinem factum extitit, penitus revocantes. Nulli etc. nostre restitutionis et revocationis etc.

Dat. Capue, XIII Kalendas Novembris, anno XII°.

327.

Innocentius IV papa magistro Iacobo Vulturo iuris civilis professori protoiudicatus officium in Salerno et per totum principatum Salerni et terram Beneventanam, sicut per quondam Conradum IV ei concessum fuerit, confirmat. 1254, Oct. 22.

Inn. IV Reg. Vol. III, 183; Lib. XII, 287. Exemplar nos inde descripsimus.

Magistro Iacobo Vulturo iuris civilis professori, civi Salernitano.

Ob tue devotionis merita, quibus pollere dinosceris, personam tuam favorabiliter prosequentes, libenter que tibi commodum et honorem addiciant elargimur, firma credulitate tenentes, quod quanto potiorem gratiam ab apostolica sede perceperis, tanto sibi ferventius super hiis, que ipsius decus aspiciunt, oportuno tempore complacebis. Hinc est, quod nos, huiusmodi meritis tue probitatis inducti, prothoiudicatus officium in Salerno et per totum principatum Salerni et terram Beneventanam cum omnibus iuribus, honoribus et proventibus suis, prout idem officium tibi per quondam Conradum pro rege Sicilie se gerentem concessum fuerat et exerceri antiquis temporibus consuevit, tibi auctoritate apostolica confirmamus et[b] de speciali gratia duximus concedendum. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Capue, XI Kalendas Novembris, anno XII°[2].

---

a) . . archiepiscopis *R.* b) et — gratia *in loco raso.*

1) *Cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 634, n. 817, not. 3, Böhmer-Ficker 2039 et 3265 et Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1307.* 2) *A. 1254, Oct. 30 magistris Guillelmo de Wlturo et Iacobo nato ipsius, fidelibus suis, bona a Friderico II et Conrado IV concessa confirmavit et de novo concessit; Lib. XII, 280.*

328.

Innocentius IV papa Melfiensibus supplicantibus statuit, ut devoti permanentes de demanio ecclesiae, sicut fuerint temporibus omnium regum Siciliae, semper existant. — Eosdem ab omnibus collectis et exactionibus indebitis eximit, praeter quatenus regum temporibus obligati fuerint. *1254, Oct. 23 et Nov. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 182; Lib. XII, 267; — Vol. III, 188; Lib. XII, 339. Primam epistolam damus ex editione Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 62, suppletam ex Regestis; alteram nos inde descripsimus.

Potthast, Reg. 15544; Capasso, l. c. n. 164 = I.

I.

Universitati civitatis Melfiensis.

Devotionis augmentum circa nos et Romanam ecclesiam vobis providere confidimus, si super hiis que digne cupitis nos benignos ad gratiam habeatis. Sane, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos et civitas vestra temporibus clare memorie omnium regum Sicilie semper de demanio extitistis. Cum autem per speciales nuncios propter hoc ad nostram presentiam destinatos nobis fidelitatis debite prestiteritis iuramentum, nos, vestris supplicationibus annuentes, presentium auctoritate statuimus, ut vos et predicta civitas in devotione sedis apostolice permanentes de nostro et ecclesie Romane demanio, sicut fuistis temporibus eorundem regum, in perpetuum existatis. Nulli etc. nostre constitutionis etc.

Dat. Capue, X Kalendas Novembris, anno XII° [1].

II.

Universitati civitatis Melfiensis.

Devotionis augmentum *etc. usque*[a]: annuentes, vos in devotione sedis apostolice manentes ab omnibus collectis generalibus seu specialibus et exactionibus indebitis auctoritate presentium eximentes, decernimus vos ad eas aliquatenus non teneri, nisi quatenus tenebamini regum temporibus eorundem. Nulli etc. nostre exemptionis et constitutionis etc.

Dat. Neapoli, V Idus Novembris, anno XII°.

---

a) *in Reg. haec pars iterum integra scripta est.*

1) *Cf. Iamsilla, l. c. p. 525. Eodem die Lib. XII, 268 eisdem omnes exemptiones saecularium exactionum a regibus gratiam sedis apostolicae obtinentibus indultas confirmavit; 269 indulsit, ut statuta a Friderico II contra libertates eorum edita non observarent; 270, ut secundum antiquas consuetudines viverent; 271 cantori Melfiensi commisit, ut notariis a Friderico II creatis concederet de novo officium notariae, recepto iuramento fidelitatis. — Praeterea papa hoc tempore statuit, ut essent de demanio ecclesiae: Oct. 23 S. Agathensis civitas sicut tempore regum Siciliae; Lib. XII, 264. — Nov. 2 populus Alifanus ad preces episcopi Viterbiensis et Tuscanensis; 295. — Nov. 2 civitas Ravellensis; 306. — Nov. 2 homines Scalae; 307. — Nov. 2 homines Montisfusculi; 330. — Nov. 3 homines de Traiecto, qui a comitatu Fondano eximuntur; 290. — Nov. 3 civitas Theanensis sicut tempore clarae memoriae regum Siciliae; 301. — Nov. 4 homines Magdalonis sicut tempore Willelmi et aliorum regum; 305. — Nov. 9 populus civitatis Potentiae; 323. — Nov. 27 commune civitatis Policastri sicut hactenus; 416. — Nov. 23 Iohanni Malono civi Ianuensi duas petias terrae in territorio Neapolitano, videlicet in Camponoro et Ecle, quas regalis curia semper in demanio tenuit, concessit; 398.*

329.

Innocentius IV papa Iohanni Moro, fideli suo, qui ad devotionem ecclesiae redierit, castra et bona a quondam Conrado IV concessa confirmat, statuens ut idem ea omnia, de quibus papa Iohannem de Rocca Imperiali notarium investivit, immediate ab ecclesia Romana teneat. *1254, Nov. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 183; Lib. XII, 284. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili[a] viro Iohanni Mero[b], fideli nostro[1].

Matris ecclesie etc. ut in privilegio Henrici de Rivellis[c] usque: inclinati, donationes et concessiones de Calatamauri, Thermarum, Colatabaturi[d], Gulisan.[e], Biccari et Calatabian.[f] castris[2] factas tibi per condam Conradum natum condam Fr. olim Romanorum imperatoris gratas habendo, illas necnon et casale Carbonarie, quod te possidere proponis, tibi tuisque heredibus — non obstantibus[g] quod dictus Conradus erat tunc temporis vinculo excommunicationis astrictus, quodque alias facultatem donandi vel concedendi taliter non habebat, et qualibet in te privationis etc. ut in eodem usque: devolutum, ut tua devotio erga nos et eandem ecclesiam magis crescat, castra et casale predicta tibi eisdemque heredibus in feudum de fratrum eorundem consilio et assensu de novo concedimus de gratia speciali, ita quod castra et casale predicta cum hominibus infeudatis et non infeudatis, pascuis, silvis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus et cum hiis, que ad mixtum et merum imperium pertinent[3], de quibus dilectum filium notarium Iohannem de Rocca Imperiali[4] familiarem tuum tuo nomine investivimus, tam tu quam dicti heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem vel dominum, perpetuo teneatis. Volumus autem, ut quotienscumque prefata ecclesia pro defensione ipsius regni generalem exercitum congregaverit vel indixerit, tu dictique heredes teneamini pro predictis septem milites armis et equis decenter munitos ad serviendum per XL dies in vestris sumptibus etc. usque: providere, verbis competenter mutatis. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Neapoli per[h] manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III Nonas Novembris, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LIIII, pontificatus vero domini Innocentii pape IIII anno XII°[5].

In eundem modum pro dilecto filio Iohanne de Rocca Imperiali pro terra Canteabi cum servitio unius militis et pro quadam domo cum pomerio sita in civitate Panormi, excepto quod non apponatur[i] hoc verbum: cum hiis, que ad mixtum et merum imperium pertinent.

330.

Innocentius IV papa Petrum Ruffum de Calabria comitem Cathacensem, regni Siciliae marescalcum et eiusdem Siciliae et Calabriae generalem et civitatis Messanae

a) . . nobili *R.* b) *ita R.; leg.* Moro. c) *ita R.; cf. n. 322.* d) *ita R.* e) Gulisañ *R.* f) Calatabiañ *R.* g) obst[t] *R.* h) per m. Guill. *in loco raso.* i) *ita R.; cf. p. 139, not. a.*

1) *Hic, qui, ortu servus niger, a Friderico II ad magnos honores productus et a Conrado IV civitati Sarracenorum Luceriae praepositus erat, paulo ante Manfredo auxilium promiserat; Iamsilla, l. c. p. 522 et 527.* 2) *Castra prope Luceriam sita fuisse videntur ob verbum arabicum 'calata' i. e. castrum. Biccari ex sept. et occ. civ. Trojae.* 3) *Cf. p. 297, not. 4.* 4) *E mer. et occ. Policori in prov. Basilicatae. Pro eodem Lib. XII, 338 et 362—364 sub Oct. 29 et Nov. 13.* 5) *Interim, Nov. 2, Manfredus civitate Luceriae potitus est; Böhmer-Ficker 4644 q.*

vicarium, et consilium et commune Messanenses, fideles suos, sub protectione sua suscipit, statuens ut de demanio ecclesiae Romanae sint et sub simili regimine vivant sicut Neapolitani et Capuani. *1254, Nov. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 183; Lib. XII, 289. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1254, § 64, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15551.

Nobili viro Petro Ruffo de Calabria, comiti Cathacensi[a], regni Sicilie marescalco[1] et eiusdem Sicilie ac tocius Calabrie generali[2] nec non et Messanensis civitatis vicario, ac consilio et communi Messanensibus, fidelibus nostris.

Apostolica sedes, que semper equitatis statera librat merita singulorum, non sine discretionis deliberato iudicio propria per suos distribuit munera gratiarum, oculo debite providentie ac lance considerationis diiudicans, quos, quando et quibus beneficiorum suorum letificet donativis. Dignum igitur et congruum sedes eadem arbitratur se circa civitatem Messanensem eiusque cives impendere gratiosam et eam, que inter civitates regni Sicilie potentie ac nobilitatis antique fama prefulget, privilegiis efferre conspicuis et precipue prerogativa gratie honorare, presertim cum per ipsam dictosque cives grata sacrosancte Romane ecclesie et grandia possint commoda provenire. Vestris itaque supplicationibus affectu benivolo concurrentes, ut illa insignis fidei et fidelitatis devotio, qua vos ei, cuius estis regenerationis lavacro filii, eiusque[b] ditionis dominio vos reverenter prosternitis, nova pariat gaudia vobis et desiderate premia libertatis producat, vos et civitatem eandem sub beati Petri et nostra protectione suscipimus speciali. Et ut ex cumulata matris ad filios gratia eorum semper ad ipsam fides et devotio augeatur, presentium auctoritate statuimus, ut vos et dicta Messanensis civitas de demanio sitis Romane ecclesie, libertatum honorumque privilegiis, que a priscis habuistis temporibus, de cetero gavisuri, auctoritate vobis eadem nichilominus concedentes, ut sub simili regimine vivatis et maneatis deinceps, sicut Neapolitani et Capuani[3] manere et vivere dinoscuntur. Nulli etc. nostre protectionis, constitutionis et concessionis etc.

Dat. Neapoli, III Nonas Novembris, anno XII°[4].

331.

Innocentius IV papa Rogerio de Parisio, fideli suo, qui ad devotionem ecclesiae redierit, civitatem Florentinam in Capitanata sitam sub consuetis servitiis in feudum concedit, ita ut eam immediate ab ecclesia Romana teneat. *1254, Nov. 3.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 191; Lib. XII, 375. Exemplar nos inde descripsimus.

---

a) Cathaceñ *R.* b) cuiusque *R.*

1) *Cf. n. 324; eidem ergo interim officium marescalci restitutum est.* 2) *Cf. n. 325.* 3) *Cf. n. 116, 125 et 160.* 4) *Oct. 11 'Anagniae' monasterio S. Pancratii de Silla, ad monasterium S. Salvatoris de Lingua Messanense ut dicitur pertinenti, praefecerat Theodosium monachum S. Salvatoris de Lingua, qui olim ad preces Conradi IV ad regimen abbatiae eiusdem assumptus erat, sed postea devote resignaverat; Nov. 18 Gualtero de Magistro Nigro civi Messanensi pro damnis a Friderico II passis casale Ocdogrilli situm in Valle Nothe Siracusanae dioc. ad demanium curiae pertinens, XXX unciarum auri proventus annuatim habens, concessit; Lib. XII, 255 et 422; cf. etiam 200 et Lib. IX, 208.*

Nobili viro Rogerio de Parisio[1], fideli nostro.

Matris ecclesie etc.[a] usque: non repellat. Attendentes igitur etc. usque: inclinati, civitatem Florentinam[2] sitam in Capitinata, cuius proventus ut asseris XXV unciarum auri summam annis singulis non excedunt, tibi tuisque heredibus sub debitis et consuetis servitiis in feudum concedimus de gratia speciali, ita quod civitatem ipsam cum hominibus infeudatis et non infeudatis, silvis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus et cum omnibus iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis suis tu dictique heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium etc. usque: teneatis. Ut autem huiusmodi gratiam etc. usque: oportuna. Et si aliquem[b] ius etc. usque: providere. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, III Nonas Novembris, anno XII°[3].

332.

Innocentius IV papa [Petro] episcopo Gaietano scribit monasterium Fossae Novae supplicasse, ut ipsi a balivis papalibus in Gaieta ducenti annui tareni persolverentur, quos olim Constantia imperatrix monasterio in baiulatu Gaietae contulisset quique sub Fr[iderico II] et Conrado IV ipsi exhibiti essent; ei causam committit. 1254, Nov. 4.

Inn. IV Reg. Vol. III, 185: Lib. XII, 308. Exemplar nos inde descripsimus.

.. episcopo Gaietano.

Sicut ex parte dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Fosse Nove Cisterciensis ordinis[4] fuit propositum coram nobis, bone memorie Constantia imperatrix[5] pro anime sue remedio ducentos annuos tarenos aureos in baiulatu Gaiete eis in perpetuum duxit[c] liberalitate provida conferendos, et iidem huiusmodi tarenos tempore condam Fr. imperatoris perceperunt integre et quiete; condam quoque Conradus natus ipsius F. pro Sicilie rege se gerens, collationem huiusmodi ratam habens, tarenos ipsos eisdem abbati et conventui exhiberi fecit iuxta concessionis premisse tenorem. Quare ex parte ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut balivos nostros in Gaieta, tam eos qui nunc sunt, quam qui ibidem pro tempore fuerint, quod sepedictos tarenos dictis abbati et conventui annuatim ut tenentur sine difficultate persolvant, ex parte nostra diligentius moneri et induci eosque ad id, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compelli de consueta misericordia faceremus. Ideoque mandamus[6], quatinus super hoc per te vel alium statuas, quod suadente iustitia videris expedire.

Dat. Neapoli, II Nonas Novembris, anno XII°.

---

a) *ut n. 322.* b) *litt.* ali *superscr.* c) dux'it *R.; signum, ut videtur, eradi coeptum est.*

1) *Cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 771, lin. 25.* 2) *Ex sept. cir. Luceriae.* 3) *De alia concessione ei Nov. 13 facta, Lib. XII, 350, cf. infra sub a. 1255, Apr. 24.* 4) *In dioc. Terracinensi; cf. n. 4.* 5) *In simili ep. a. 1254, Nov. 24 eidem episcopo directa [Lib. XII, 409] 'Henricus imperator' is vocatur, qui donationem fecit.* 6) *In Lib. XII, 409 mandavit, ut baiulos papales moneret, ut tarenos solverent.*

333.

Innocentius IV papa Thomasio curiae suae marescalco, comiti Romaniolae, et Alberto et Guidoni et Hugolino de Foliano iura quorundam territoriorum diocesis Reginae percipienda concedit, ut roccam de Carpeneto melius custodire possint. 1254, Nov. 7.

Inn. IV Reg. Vol. III, 212; Lib. XII, cur. 47. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 15554.

Nobilibus viris Thomasio nostre curie marescalco, comiti Romaniole[1], et Alberto ac Guidoni[2] et Hugolino de Foliano[a][3].

Cum nos dudum vobis roccam de Carpeneto[4] ad Romanam ecclesiam spectantem, ereptam olim per vos de manibus hostium ipsius ecclesie, sub certa forma dederimus cum omnibus pertinentiis suis[5]: ut rocca ipsa eiusdem ecclesie nomine possit a vobis melius custodiri, terras, possessiones, vassallos, iurisdictiones et iura omnia, que Romana ecclesia in territorio Bibianelli, Fani, Fonsdundi et Mozule[6] ac aliis locis Regine diocesis obtinet, vobis percipienda pro ipsius rocce custodia duximus auctoritate presentium concedenda — non obstantibus quibuslibet donationibus[b], infeudationibus, concessionibus aut locationibus factis super hiis condam Salinguerre de Ferraria vel eius heredibus aut aliis quibuscumque personis, specialiter autem filiis P. de Baisio[7] de villis Sancti Cassiani[8] et Guiligue[9], a nobis vel predecessoribus nostris, quas et omnes etiam litteras vel indulgentias apostolice sedis contra presentem concessionem obtentas auctoritate apostolica penitus revocamus. Nulli etc. nostre concessionis et revocationis.

Dat. Neapoli, VII Idus Novembris, anno XII°.

334.

Innocentius IV papa Helyae domino de Gisvaldi, in devotione persistenti, civitatem Frequentinam et alias terras, quas possideat, confirmat. 1254, Nov. 9.

Inn. IV Reg. Vol. III, 187; Lib. XII, 335. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili viro Helye domino de Gisvaldi[10].

Devotionis tue meretur affectus[c], ut personam tuam favorabiliter prosequentes, tuis petitionibus, quantum cum Deo possumus, benignius annuamus. Hinc est, quod nos, tuis supplicationibus inclinati, terras tuas, videlicet Gisvaldam, Aquam Putridam[d],

---

a) Eisdem *R.* b) *sequitur in R.;* etc. ut in alia usque in finem. c) effectus *R.* d) Putidam *R.*

1) *Nepoti papae, cf. Potthast 13882 et Böhmer-Ficker 5157 et 5158.* 2) *Guidoni de Monte de Foliano papa a. 1252, Apr. 8 castrum de Querzola confirmaverat, quod per Reginos fautores quondam Friderici II dirutum [Guillelmus] electus Reginus ipsi, fratri suo, de mandato papali in feudum concesserat; Lib. IX, 173; Potthast 14550.* 3) *E mer. civ. Regini.* 4) *E mer. Foliani.* 5) *Custodiendam 'in vita vestra' Romanae ecclesiae nomine; Lib. XII, cur. 46.* 6) *Loca in meridionali parte territorii Regini sita; cf. t. I, p. 23, n. 28 et Böhmer-Ficker 3476.* 7) *In territorio Mutinensi, ex sept. et or. Carpineti. A. 1255, Febr. 22 Alexander IV militibus et universis hominibus Pigugnagiae mandavit, ut Guidoni de Baysio capellano O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diac. cardinalis, rectori eorum, fidelitatis iuramenta praestarent; Lib. I, 139c. Febr. 18 idem Mantuanis, qui terram Pigugnagiae, ad Romanam ecclesiam spiritualiter et temporaliter pertinentem, usurpaverant, mandavit, ne de ordinatione ipsius terrae se intromitterent; Febr. 20 Reginis simili modo de terra Pigugnagiae Reginae diocesis scripsit; Lib. I, 139a et b; cf. supra n. 51.* 8) *In territorio Regino prope Carpinetum.* 9) *Prope S. Cassianum iuxta finem territorii Mutinensis.* 10) *In terra Beneventana, e mer. et occ. civ. Frigento.*

civitatem Frequentinam[1], Paternum, Sanctum Magnum, Villam Magnam, Torellam, Girofalcum, Bonetum et Sanctum Barbatum cum tota baronia ipsius Guisvaldi[a], honoribus et pertinentiis suis, prout ea omnia iuste possides et quiete, tibi et successoribus tuis, in devotione sedis apostolice persistentibus, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus — resignatione[b], quam de dicta civitate Frequenti et prefata terra Boneti in manibus condam Conradi nati condam Fr. olim imperatoris ad mandatum ipsius C. fecisse diceris[2], non obstante. Nulli etc. nostre confirmationis et revocationis etc.

Dat. Neapoli, V Idus Novembris, anno XII°.

G. Sancti Eustachii diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus[3], datus est super hiis conservator: quod per se vel per alium non permittat etc.[c] — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod absque speciali mandato sedis eiusdem excommunicari aut interdici nequeant vel suspendi.

Dat. ut supra.

335.

Innocentius IV papa universis Christi fidelibus mandat, ut Iohannem Morum, quem ad devotionem ecclesiae reversum sub protectione sua suscipiat, cum ad ipsos venerit, benigne recipiant. *1254, Nov. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 187—188; Lib. XII, 337. Damus Pertzii exemplar.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Matris ecclesie etc.[d] usque: non repellat. Attendentes igitur, quod dilectus filius nobilis vir Iohannes Morus ad devotionem ipsius ecclesie de sua salute sollicitus rediit, dulci ac suavi eiusdem dominio humiliter se submittens, ac propter hoc recipientes ipsum in nostram et apostolice sedis gratiam sibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulit, totaliter remittentes: quia volumus eum in huiusmodi devotione congruis firmare favoribus et condignis gratiis confovere, ipsius supplicationibus inclinati, personam eius cum familia et omnibus bonis suis, que inpresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, prout in litteris apostolicis super hoc obtentis plenius continetur. Ideoque mandamus, quatinus eundem Iohannem et familiam suam ob reverentiam apostolice sedis et nostram, cum eos ad vos declinare contigerit, benigne recipientes et honeste tractantes, nullam eis in personis vel rebus molestiam vel iniuriam inferatis.

Dat. Neapoli, V Idus Novembris, anno XII°.

336.

Innocentius IV papa G[uillelmo] S. Eustachii diacono cardinali legato mandat, ut Sergio nato quondam Andreae dicti Capuani, civi Neapolitano, consulatum Tunisii concedat. *1254, Nov. 9.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 190—191; Lib. XII, 370. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

a) *ita R.* b) resignationem *R.* c) *scil. 'eum super praemissis molestari'.* d) *cf. n. 329.*

1) *Frigento. De reliquis locis cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 772, lin. 46 et p. 777. Cf. Capasso, l. c. p. 350.* 2) *Ob timorem eam factam esse addit confirmatio Alexandri IV a. 1255, Ian. 9 data; Alex. Lib. I, 123.* 3) *Hic legatus circa Oct. 27 Ariani erat; Iamsilla, l. c. p. 524; Nov. 5 et Nov. 12 Troiae erat; Alex. Reg. Lib. I, 184 et IV, 86.*

G. Sancti Eustachii diacono cardinali, apostolice sedis legato[a].

Sua nobis dilectus filius Sergius natus condam Andree dicti Capuani civis Neapolitan.[b] petitione monstravit, quod consulatus officium in Tunisy civitate Sarracenorum[1] ad hoc institui a regibus Sicilie consuevit, ut omnibus regnicolis illuc accedentibus et ibidem negociantibus exhibeat, cum oportunum fuerit, iustitie complementum. Cum igitur pater ipsius S. propter ecclesiam dampna non modica pertulisse dicatur, mandamus, quatinus eidem S. in recompensatione dampnorum huiusmodi predictum consulatus officium cum omnibus iuribus suis, prout exerceri hactenus consuevit, sicut expedire videris, auctoritate nostra concedas; contradictores —.

Dat. Neapoli, V Idus Novembris, anno XII°[2].

337.

Innocentius IV papa Gualtero de Monte laico, fideli suo, obtentu Frederici de Antiochia, Albae, Celani et Laureti comitis, medietatem castri Civitatis Quanae a quondam Fr[iderico II] et C[onrado IV] concessam confirmat. — Perono de Aversa laico, fideli suo, simili modo castra Sculculae et Ponti confirmat. *1254, Nov. 12.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 188; Lib. XII, 343 et 344. Exemplaria nos inde descripsimus.

I.

Gualtero de Monte laico, fideli nostro.

Obtentu dilecti filii nobilis viri Frederici de Antiochia, Albe, Celani et Laureti comitis[3], fidelis nostri, favore te prosequi benivolo intendentes, medietatem castri Civitatis Quane[4], quam te ex concessione Fr. condam Romanorum imperatoris et C. nati eius habuisse ac tenuisse et ad presens possidere proponis, cum iuribus et pertinentiis suis, fidelitate ac servitio Romane ecclesie debitis semper salvis, — non obstante quod ab eisdem Fr. et C. nato eius vinculo excommunicationis astrictis eadem medietas predicti castri tibi concessa dicitur — auctoritate tibi apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, II Idus Novembris, anno XII°.

II.

Perono de Aversa laico, fideli nostro.

Obtentu etc. usque: intendentes, castra Sculcule[5] et Ponti[6], que condam pater tuus, cuius heres existis, ex concessione condam Conradi habuisse ac tenuisse dicitur, cum iuribus et pertinentiis suis, fidelitate ac servitio Romane ecclesie debitis semper salvis, — non obstante quod ab eodem C. vinculo excommunicationis astricto eadem

---

a) Eidem *R.* b) Neapolitan̄ *R.*

1) *Cf. Böhmer-Ficker 3282.* 2) *Nov. 3 Helyae nato quondam Helyae militi Capuano gratia; Lib. XII, 331.* 3) *Cf. p. 64, not. 2 et n. 310 et 314 et Böhmer-Ficker 4644 g; ap. Winkelmann, Acta t. II, p. 727, n. 1044 nomen eius non vocatur.* 4) *Ut videtur 'Civitatis Aquanae', e mer. et occ. civ. Penne.* 5) *Scurcola, ex occ. civ. Albae.* 6) *Prope Scurcolam.*

dicto patri tuo castra concessa fuisse dicuntur — auctoritate tibi apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. ut supra [1].

338.

Innocentius IV papa hominibus de Castro Coeli, fidelibus suis, I) bonas consuetudines, quibus tempore Guillelmi II usi sint, confirmat eosque cum mercimoniis eorum per regnum a plateaticis et pedagiis eximit; II) indulget, ut ab omnibus datiis, collectis et exactionibus sicut tempore regis eiusdem liberi sint; III) ut terra et rocca eorum semper in demanio ecclesiae teneantur. *1254, Nov. 12 et 9.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 212; Lib. XII, cur. 43—45. Damus Pertzii exemplaria.

I.

Hominibus de Castro Celi [2], fidelibus nostris, Aquinatis diocesis.

Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, bonos usus et laudabiles consuetudines, quibus tempore clare memorie Guillelmi secundi regis Sicilie homines terre vestre usi noscuntur, vobis auctoritate presentium confirmamus, eadem auctoritate vobis etiam concedentes, ut quotienscumque per regnum Sicilie cum mercimoniis vel aliis rebus vestris vos ire seu transire contigerit, a plateaticis et pedagiis sitis liberi et exempti. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis —.

Dat. Neapoli, II Idus Novembris, anno XII° [3].

II.

Eisdem.

Devotionis vestre precibus benignum impertientes assensum, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut ab omnibus datiis, collectis, exactionibus, angariis et parangariis sitis, sicut fuistis tempore clare memorie Guillelmi secundi regis Sicilie, liberi et exempti. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, V Idus Novembris, anno XII°.

III.

Eisdem.

Devotionis vestre precibus benignum impertientes [a] assensum, ut terra et rocca vestra semper in demanium [b] ecclesie teneantur nec ponantur ibi castellani, comites vel barones seu alii viri potentes neque ipsius rocce castellani, qui fuerint ibidem pro tem-

a) impertientes *superscr.* b) *ita R.*

1) *Oct. 31 Bartholomaeo de Rebursa militi Aversano, ad ecclesiam reverso, bona confirmaverat; in eund. m. Bartholomaeo comestabulo Aversano sub Oct. 23; Lib. XII, 342. — Aug. 31 Eustachio militi Aversano [cf. p. 208, not. 4] ob gravia damna, quae Conradus IV ei in destructione domorum et aliarum possessionum intulit, domos quondam Petri de Vinea sitas in civitate Aversana retinendas concesserat, quousque domus dirutae per ipsum reaedificatae essent; Lib. XII, 172; cf. Potthast 15515. Fratri Angelo abbati S. Laurentii de Aversa gratia sub Oct. 31; Lib. XII, 277.* 2) *Ex sept. Aquini.* 3) *Nov. 3 hominibus de Traiecto concessit, ut a solutione passagii portus Gariliani sicut tempore Guillelmi II regis liberi essent; Nov. 22 communi castri Montisfusculi, ut per unam dietam a dicto castro plateaticum vel pedagium non solverent; Lib. XII, 291 et 406.*

pore, de aliquo negotio terre vel ville eiusque hominum palam vel occulte se aliquatenus intromittere valeant, vobis auctoritate presentium indulgemus[1]. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. ut supra.

339.

Innocentius IV papa Philippo Cynardi, fideli suo, civitatem Cupersani et quaedam castra, bona et iura a quondam Fr[iderico II] et Conrado IV concessa confirmat.

1254, Nov. 13.

Inn. IV Reg. Vol. III, 188; Lib. XII, 348. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili viro Phylippo Cynardi, fideli nostro[2].

Matris ecclesie etc.[a] usque: inclinati, concessiones de civitate Cupersani[3] et castris Retiliani[b 4] et Terlizii et de tinimento Campuli, concessionem quoque de iure dominii, quod super dominos casalium Turi et Casamaxime ratione dominii predicte civitatis Cupersani et prefati castri Rotiliani te habere proponis, a condam Fr. olim Romanorum imperatore et Conrado nato ipsius tibi factas, prout in ipsorum privilegiis dicitur contineri, necnon ius banci[5], placzie[c 6], banni, herbatici et glandatici ac redditum quarteriorum[7] animalium silvestrium, que in castro Pecinian.[d] ratione dicti dominii Cupersani et ex concessione predicti C. obtinere te asseris, tibi tuisque heredibus — non obstantibus[e] si dicti Fr. et C. tempore etc. usque: crescat[f], civitatem et castra predicta a prefatis Fr. et C. concessa necnon et[g] iura prefata tibi eisdemque heredibus in feudum de novo sub debitis et consuetis servitiis de fratrum eorundem consilio concedimus gratiose, ita quod civitatem, castra et iura predicta cum baronibus, hominibus infeudatis et non infeudatis etc. ut in alia per totum usque in finem.

Dat. Neapoli, per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, Idibus Novembris, indictione XIII[a] etc. anno XII°[8].

---

a) *ut in n. 322.* b) Retiliañ *R.* c) plac | zie *R.* d) Peciniañ *R.* e) obst' *R.* f) *scil. ubi in n. 322 legitur:* suscipiat incrementum; *p. 293, lin. 27.* g) et *superscr.*

1) *Cf. p. 276, not. 1.* 2) *Cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 689, n. 916, not. 12 et p. 697 et 716; et t. II, p. 727, lin. 44; cf. Böhmer-Ficker 4568 et 4569.* 3) *Conversano; cf. n. 81.* 4) *I. e. Rutiliani; loca ap. Winkelmann, t. I, p. 773; cf. etiam infra sub a. 1257, Iun. 22.* 5) *Ad iurisdictionem pertinens; v. 'bancus' ap. Ducange.* 6) *Italice 'piaggia', ora maritima.* 7) *I. e. 'quartarum partium'; v. quarterium cerri, bovis etc. sub verbo 'quarterium 1' ap. Ducange.* 8) *Simili modo Nov. 12 confirmavit Guillelmo Cynardi casale Arricarri [cf. a. 1257, Iun. 22] a Friderico II et Conrado IV concessum; Lib. XII, 347; Hugoni de Abomat. [cf. Böhmer-Ficker 4568 et 4569] civitatem Rubensem a Conrado IV concessam, 349; Adae de Laspissa de Cypro concessiones Manfredi tunc balii regni et Friderici II, 351; Aymerico Sevatino concessiones Conradi IV, 354; Hugoni Chabot concessiones a Friderico II et de casali Grumi et bonis immobilibus, quae fuerunt quondam Iohannis de Iordano comestabuli Barensis, ad demanium curiae per excadentiam devoluta, a Manfredo tunc balio regni et Conrado IV factas, 355. Cf. Winkelmann, Acta t. II, p. 727. — Annotamus nomina aliorum nobilium regni Siciliae, quibus papa eo tempore gratias fecit: Sept. 19 Guillelmo fratri quondam iudicis Taddaei de Suessa, Lib. XII, 206. — Sept. 30 Willelmo de Venafro laico, 245. — Oct. 7 Mameto Palmenter. et Basilio et Andreae de Pulchella, quibus baronia Palactiolis in Valle Noti in feudum conceditur, 262. — Oct. 23 Pagano notario de Nicosia, 282. — Oct. 30 Henrico Fragevulpe de Nicosia, 281. — Oct. 30 Bartholomaeo de Sparnara, 283. — Oct. 30 Oddoni de Abbamundo de Rocca Roman., 327. — Oct. 31 Petro Bulcan. et Iohanni fratribus, 318. — Oct. 31 magistro Nicolao de Rocca Guillelmi Aquinatis dioc., cui quasdam terras sitas in territorio Suessano circa portus Gariliani et Sugii et quasdam excadentias Roccae Guillelmi et medietatem feudi quondam Iohannis de Camera in Miniano a Friderico II et Conrado IV ipsi concessas de novo concedit, 292. — Nov. 4 notario Thomae de Rocca Pimontis, cui concessiones de bonis burgesaticis in castro S. Severini et Rocca*

340.

Innocentius IV papa universos Christi fideles provinciae Coloniensis rogat, ut ad restaurationem ecclesiae cathedralis, quae cum tota civitate Osnaburgensi cremata sit, manum adiutricem porrigant. *1254, Nov. 13.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 191; Lib. XII, 378. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Finke, Westf. U. B. t. V, p. 249, n. 545.

Universis Christi fidelibus per Coloniensem provinciam constitutis.

Quoniam ut ait apostolus etc.[a] usque: vitam eternam. Cum igitur dilecti filii . . decanus et capitulum Osnaburgensis ecclesie cathedralis, sicut sua nobis petitione monstrarunt, ecclesiam ipsam, que cum tota Osnaburgensi civitate casu miserabili est cremata, de novo reparare cupiant opere sumptuoso, ad quod fidelium subsidium esse dinoscitur plurimum oportunum, universitatem vestram rogamus et hortamur in Domino etc.[b] usque: pervenire. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia etc.[c] usque: adiutricem unum annum et XL dies etc. usque: relaxamus; presentibus post consumationem ipsius operis minime valituris; quas mitti etc.[d]

Dat. Neapoli, Idibus Novembris, anno XII°.

341.

Innocentius IV papa Iohanni Moro magno regni Siciliae camerario, fideli suo, comitatus Consae et Principatus, quos Clementiae uxoris eius pater Henricus de Principatu ei donavit et cessit, confirmat et de novo in feudum confert, statuens ut idem eos immediate ab ecclesia Romana teneat. *1254, Nov. 16.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 189; Lib. XII, 353. Exemplar Pertzii contulimus cum Regestis.

---

a) *cf. t. I, p. XV, n. 5.* b) *scil.* in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatinus eis de bonis vobis a Deo collatis pias elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram dictum opus valeat consumari et vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire; *ita in indulgentia in favorem monast. de Vrendeberge ab Alexandro IV a. 1257, Iun. 13 concessa; Reg. Lib. III, 372; Finke, l. c. p. 274, n. 589.* c) *scil.* et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad hoc eidem ecclesie manum porrexerint adiutricem, unum annum et XL dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus; *ex ep. Inn. IV pro fabrica ecclesiae Magdeburg. a. 1254, Febr. 4, Reg. Lib. XI, 447, et Finke, l. c. p. 194, n. 412.* d) *scil.* quas mitti per questuarios firmiter inhibemus, eas, si secus actum fuerit, carere viribus decernentes; *cf. Finke, l. c.*

Pimontis a Friderico II et Conrado IV ipsi factas confirmat, 312. — Nov. 4 Aminado de Baro, 313. — Nov. 4 Bivianae comitissae, relictae quondam Berardi comitis Manopelli, et Mathiae natae eius, quibus bona nominata confirmantur, 320. — Nov. 9 iudici Petro de Potencia, cui concessionem de demanio et excadentiis curiae a Manfredo tunc balio regni factam confirmat, 324, cf. 325. — Nov. 12 Guillelmo Philippi comestabulo Potentino, cui concessionem de castro Balii sito in Basilicata, quod tenuit quondam Iohannes de Balio, a Conrado IV ipsi factam confirmat, 326. — Nov. 13 Matthaeo nato quondam Iohannis de Laluzi, 382. — Nov. 18 Constantiae natae quondam Andreae de Cicala, cui castra Politii et Golizan. in Sicilia, ad eam ex paterna hereditate spectantia, confirmat, 383. — Nov. 26 iudici Iohanni Carbono de Piscaria, 417. — Nov. 27 Iohanni de S. Helya familiari suo domine [leg. domino] Torellae Aquinatis dioc., 414. — Nov. 20 monasterio Cavensi confirmat portum Dareteri concessum a Rogerio duce Salerni, filio quondam Roberti ducis, a. 1086, ducatus a. primo, mense Mai., ind. IX; et portum Dafonti a Willelmo duce Salerni, filio et herede Rogerii ducis, concessum a. 1117, ducatus a. VII, mense Apr., ind. X; conservator episcopus Agrigentinus sub Nov. 25; 391—393; cf. Guillaume, L'abbaye de Cava, app. p. XII et p. 103, not. 2.

Nobili viro Iohanni Moro magno regni Sicilie camerario, fideli nostro[1].

Cum tu dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Clementiam, natam nobilis viri Henrici de Principatu[2], de nostro et fratrum nostrorum beneplacito receperis in uxorem, idemque Henricus omne ius, quod in Conse[3] et Principatus comitatibus habuit, tibi tuisque heredibus donaverit et cesserit, ita quod si contigerit te prolem ex predicta Clementia non habere, predictos comitatus cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem tu iidemque heredes nichilominus habeatis, prout in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Henrico factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et ut tua devotio erga nos et Romanam ecclesiam magis crescat, comitatus prefatos tibi et predictis heredibus in feudum de novo sub debitis et consuetis servitiis de fratrum eorundem consilio et assensu concedimus de gratia speciali, ita quod comitatus ipsos cum baronibus et aliis hominibus infeudatis et non infeudatis, silvis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus et cum omnibus iuribus, iustitiis, iurisdictionibus et pertinentiis eorundem tu dictique heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem vel dominum, perpetuo teneatis. Ut autem huiusmodi gratiam reputes gratiorem, scire te volumus, quod nos et predicta ecclesia te et heredes ipsos in possessione predictorum comitatuum manutenebimus et contra omnes, qui vos super ipsis molestaverint, impetierint vel turbarint, defensione vobis adesse curabimus oportuna: et si [que][a] de castris seu aliis terris ipsorum comitatuum per nos vel per condam Fr. olim Romanorum imperatorem vel per C. natum eius alicui vel aliquibus in ipsius Henrici preiudicium fuere concessa, nos, concessiones huiusmodi revocantes, studebimus illis de convenienti concambio in regno Sicilie providere. Nulli etc. nostre confirmationis, concessionis et revocationis —.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XVI Kalendas Decembris, indictione XIII[a] etc. anno XII°[4].

342.

Innocentius IV papa Iohanni Moro, fideli suo, omnes offensas remittit eique officium camerariatus regni Siciliae, prout illud tempore C[onradi IV] habuerit, confirmat et de novo concedit, ita ut illud, de quo a papa ipso investitus sit, cum omnibus iuribus exerceat. *1254, Nov. 17.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 189; Lib. XII, 352. Damus Pertzii exemplar.

Nobili viro Iohanni Moro, fideli nostro.

Clemens semper et mitis etc. usque[b]: indulgetur. Quia igitur ipsius ecclesie brachiis te totaliter commisisti, eam matrem et dominam recognoscens, tua firmata salubriter ad ipsius mandata et obsequia voluntate, nos, de hoc multo concepto[c] gaudio recipientes te in nostram et apostolice sedis gratiam tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remittentes, providimus personam tuam donis honorare condignis eiusque statum gratiis magnificis adaugere. Hinc est,

a) que *deest R.* b) *cf. p. 288, lin. 6.* c) conceptoque *R.*

1) *Cf. n. 329, 335 et 342.* 2) *Etiam Ricardo Filangerio marescalco imperiali cognomen 'de Principatu' fuerat.* 3) *De comitatu Consano cf. Berger 2903. De civitate Consana cf. p. 276, not. 1.* 4) *Etiam Nov. 11 precibus Iohannis Mauri annuerat; Lib. XII, 360.*

quod cum[a] regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad apostolicam sedem plene pertineat sitque ad eius dominium totaliter devolutum, nos, volentes te in illo prerogativa beneficiorum efferre, officium camerariatus ipsius regni, prout illud tempore condam C. nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris habuisti et exercuisti, tibi de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, ac insuper, ut ipsum iure obtineas pinguiori, de novo concedimus de gratia speciali, ita quod illud cum proventibus et expensis consuetis tibi tribuendis a nobis necnon cum solitis iurisdictionibus, honoribus, dignitatibus cunctisque iuribus ad idem officium pertinentibus, de quo te in eorundem fratrum nostrorum presentia investivimus[1], plene habeas et exerceas vita tua. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, XV Kalendas Decembris etc. anno XII°[2].

343.

Innocentius IV papa communi S. Flaviani Aprutinae dioecesis concedit, ut ipsi et terra eorum in demanio ecclesiae Romanae maneant, sicut temporibus regum Siciliae fuerint; revocat insuper concessiones communibus Aesculi, Firmi vel quarumlibet civitatum marchiae Anconitanae per P[etrum] S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem tunc legatum de praefata terra factas. 1254, Nov. 17.

Inn. IV Reg. Vol. III, 190; Lib. XII, 366. Exemplar nos inde descripsimus.

Communi Sancti Flaviani[3] Aprutine diocesis.

Ratio postulat et equitas persuadet, ut nostrorum devotionem fidelium apostolice benignitatis favoribus et gratiarum indulgentiis prosequamur. Ut igitur felicia vobis gaudeatis ingenue conditionis tempora illuxisse ac in libertatem filiorum educti probetis amodo, quam suave, quam leve sit onus cui fideles ecclesie sua colla summittunt, nos, vestre devotionis precibus benignius[b] annuentes, presentium vobis auctoritate concedimus atque statuimus, ut vos et terra vestra Sancti Flaviani, tam burgi novi quam veteris, cum tenisiis, possessionibus et pertinentiis suis omnibus in demanio et proprietate ac regimine Romane ecclesie immediate ac perpetuo maneatis, sicut temporibus regum Sicilie eadem terra in eorum noscitur fuisse demanio, ab eadem ecclesia tamquam purum et merum ipsius demanium a quibuslibet oppressoribus seu molestatoribus salubriter defensandi et in alterius dominium nullis umquam temporibus transferendi. Revocamus insuper concessiones, donationes et summissiones quaslibet communi civitatis[c] Esculi[4] et Firmi[5] [seu][d] quarumlibet civitatum vel locorum marchie Anconitane vel aliunde per dilectum filium nostrum P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinalem, tunc in partibus illis apostolice sedis legatum[6], de prefata terra totaliter vel particulariter olim factas, decernentes vos nichilominus et ipsam terram vestram ab omni sumissione, transactione, pacto et conventione necnon et societatibus a vobis

---

a) cum *superscr.* b) benius *R.; in marg. corr.* benignius. c) *ita R.* d) Firmi | quaruml. *R.*

1) *Iam Nov. 16 et Nov. 9 idem camerarius vocatus est; cf. n. 341 et p. 286, not. 3. Quomodo id fieri potuerit, cf. N. A. t. X, p. 550.* 2) *Iohannes circa finem a. 1254 a Sarracenis interfectus est; Böhmer-Ficker 4647d.* 3) *Ad mare Adriaticum, non multo a finibus Marchiae.* 4) *Hoc a. 1251 inter Sept. 22 et Dec. 13 factum videtur, cum legatus se in provincia Aprutina nihil amplius proficere posse crederet; cf. p. 114, not. 2 et n. 152.* 5) *Cf. instrumentum in Reg. Firmanis p. 394, n. 185 sub a. 1251.* 6) *A. 1253, Mai. 28 papa cum Thomasio de Castro Veteri Aprutinae dioc. et uxore eius Anfilisa, filia Tancredi de Cellino [cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 578, n. 731], obtentu eiusdem, qui Petro tunc legato*

cum communibus vel hominibus civitatum Esculi vel Firmi vel aliunde initis, per que fuerit libertati vestre detractum vel alicuius servitii seu subiectionis onus vobis impositum, liberos et exemptos. Nulli etc. nostre concessionis, revocationis et constitutionis etc.

Dat. Neapoli, XV Kalendas Decembris, anno XII° [1].

344.

Innocentius IV papa hominibus Amalfiae et Atrani concedit, ut in demanio ecclesiae Romanae maneant, ab exactionibus liberi sint et ubique in regno Siciliae curiam habeant, in qua per Amalfitanos dumtaxat sicut temporibus Rogerii et Guillelmi secundi regum iudicentur; insuper quosdam homines ditioni eorum restituit et antiquas consuetudines et privilegia eis confirmat. *1254, Nov. 23.*

Inn. IV Reg. Vol. III, 196; Lib. XII, 419. Exemplar nos inde descripsimus.
Potthast, Reg. 15563; Capasso, l. c. n. 181.

Universis hominibus Amalfie et Atrani [2].

Ratio postulat et equitas persuadet, ut nostrorum devotionem fidelium apostolice benignitatis favoribus et gratiarum indulgentiis prosequamur. Ut igitur felicia vobis gaudeatis ingenue conditionis tempora illuxisse, ac in libertatem filiorum educti probetis amodo, quam suave, quam leve sit onus cui fideles ecclesie sua colla summittunt, nos, vestre devotionis precibus inclinati, ut vos, civitates vestre ac loca iurisdictioni vestre subiecta in demanio et proprietate ac regimine Romane ecclesie immediate ac perpetuo maneatis, in alterius dominium nullis umquam temporibus transferendi, et ut a doana, comertio et exactionibus sitis liberi penitus et immunes, necnon et curiam ubique in regno Sicilie, in qua in civilibus, sicut olim clare memorie Rogerii et Guillelmi secundi regum Sicilie ipsius regni temporibus noscitur ut proponitis observatum, per Amalfitanos dumtaxat iudicemini, habeatis [3], auctoritate vobis presentium indulgemus. Preterea cum, sicut nobis exponere curavistis, de Tramonto [4] et Agerolo [5] homines Amalfitane diocesis sub vestro districtu ac ditione fore consueverint ab antiquo, [quando] [a] condam Fr. olim imperator [b] imperii diadema suscepit [6]: in illum vos statum, quo ad ipsos homines, reducimus, in quo predictorum regum temporibus noscimini extitisse, decernentes nichilominus vobis supplicantibus, ut — non obstante consuetudine, qua proponitis apud vos hactenus fuisse servatum, quod minor maiore gravius pro pari iniuria puniretur [7], — in iniuriarum actionibus iudicialiter dirimendis iuris communis equitas debeat apud vos predicta sublata consuetudine prevalere. Insuper autem consuetudines vestras laudabiles et antiquas necnon et libertates et privilegia, quibus hactenus in Romanie ac ultramarinis partibus ex concessione regum et principum illarum partium usi estis, privilegia quoque a nominatis regibus universitati vestre rationabiliter indulta vobis et per vos vestris successoribus auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre concessionis, constitutionis et confirmationis etc.

Dat. Neapoli, IX Kalendas Decembris, anno XII° [8].

---

a) quando *deest R.* b) impr *R.*

adhaerendo gratiam meruisset, de matrimonio contracto dispensaverat; Lib. X, 707. De quondam Raynaldo comite de Aprucio cf. Lib. X, 44; Berger 5902.

1) *Conradus IV eisdem concesserat, ut homines Monticuli, Petacian. et Podii Morelli castrorum Aprutinae diocesis in terra S. Flaviani, ad quam prius propter guerrarum insultus domicilia sponte transtulerant, retinerent perpetuum incolatum; papa id eodem Nov. 17 confirmavit; Lib. XII, 367; cf. etiam Böhmer-Ficker 4619.* 2) *Ex or. civ. Amalfi.* 3) *Cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 58.* 4) *Ex sept. et or. civ. Amalfi.* 5) *Ex occ. civ. Amalfi.* 6) *A. 1220, Nov. 22.* 7) *Cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. IV, p. 147—149.* 8) *A. 1254, Aug. 5 cum Pandulfo nato Pisani civis Amalphitani ecclesiae devoti in causa matrimoniali dispensaverat; Lib. XII, 114. Nov. 3 Andreae iudicis Riccardi de*

345.

Innocentius IV papa [Gregorio de Montelongo] electo Aquilegiensi excommunicato scribit de electione in ecclesia Tergestina de Arlongo de Woisperch celebrata; mandat ei, ut si interim absolutus fuerit, electionem confirmet et electum consecrari faciat; alioquin tribus episcopis nominatis se iniungere, ut ipsi id exequantur. 1254, Nov. 24.

Inn. IV Reg. Vol. III, 195; Lib. XII, 410. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . electo Aquilegensi spiritum consilii sanioris.

Exposuerunt nobis dilecti filii . . decanus et capitulum ecclesie Tergestine, quod ipsi, eadem ecclesia pastoris solatio destituta, convenientes in unum, vocatis qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, ac sancti Spiritus gratia invocata, dilectum filium Arlongum de Woisperch concanonicum suum, virum utique litteratum, scientia preditum et morum honestate preclarum, elegerunt canonice in episcopum ipsius ecclesie ac pastorem, a nobis humiliter postulantes, ut cum rectis dispositionibus nil debeat difficultatis afferri, electionem huiusmodi confirmare de benignitate sedis apostolice curaremus. Licet igitur Aquilegensi ecclesie prefata ecclesia lege metropolitana sit subiecta, quia tamen vinculo dinosceris excommunicationis astrictus, ne contingat eandem ecclesiam detrimentum ex vacatione diutina substinere, venerabilibus fratribus nostris . . Polensi[1], . . Petenensi[2] et . . Iustinopolitano[3] episcopis nostris dedimus litteris in mandatis[4], ut nisi ab huiusmodi vinculo interim absolvaris, inquisita de modo electionis, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritate, si electionem eandem invenerint de persona idonea canonice celebratam, illam auctoritate nostra confirmare curantes faciant eidem electo a suis subditis debitam obedientiam et reverentiam exhiberi ac unus eorum, reliquis sibi astantibus, munus consecrationis impendat, recepto ab eo nostro et Aquilegensis ecclesie nomine fidelitatis solite iuramento, ita quod per hoc prefate Aquilegensi ecclesie nullum inposterum preiudicium generetur. Quocirca mandamus, quatinus si a prefato vinculo interim te absolvi contingat, electionem ipsam, si est canonica, infra octo dies, postquam super hoc fueris requisitus, sine aliqua difficultate confirmes ac ex tunc oportuno tempore sibi facias munus consecrationis impendi, nisi rationabile quid obsistat. Alioquin prefatis episcopis per litteras nostras iniungimus, ut ipsi absque more dispendio post dictorum dierum lapsum ad huiusmodi confirmationem procedant iuxta directarum eis priorum continentiam litterarum[5].

Dat. Neapoli, VIII Kalendas Decembris, anno XII°.

Illis scribatur[a]: Quod si non omnes etc.

---

a) *ita R.; cf. p. 139, not. a et p. 301, not. i.*

Amalfia pro servitiis in instanti negotio regni Siciliae impensis tenimentum in dioc. Amalfitana situm, ad demanium pertinens, concesserat; Lib. XII, 322.

1) *Guillelmo.* 2) *Ottoni.* 3) *Conrado.* 4) *Sub Nov. 17; Lib. XII, 390; Potthast 15560.*
5) *A. 1255, Mart. 3 Gregorius de Montelongo excommunicatus non erat; Al. Reg. Lib. I, 190; Potthast 15715.*

EX ALEXANDRI IV REGISTRO.

346.

Alexander IV papa O[ttobono] S. Adriani diacono cardinali domos et alia bona quondam Petri de Vinea, quae Granata mulier soror Petri liberaliter ipsi donaverit, confirmat, supplens defectum, si quis in donatione illa fuerit. *1254, Dec. 21.*

Al. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. I, 631. Damus Pertzii exemplar. Epistola non ante medium mensem Sept. a. 1255 registrata est.

O. Sancti Adriani diacono cardinali[1].

Convenit, ut nos, qui generaliter omnibus pro suorum conservatione iurium certa providemus remedia et extraneis etiam interdum apostolice gratie ianuam aperimus, exhibeamus liberalitatem[a] nostram fratribus nostris, qui in apostolatus officio seduli nostri cooperatores et coadiutores existunt, in talibus promptiores. Cum igitur dilecta in Christo filia Granata mulier, soror condam iudicis Petri de Vinea[2], domos et alia bona ipsius Petri, ad ipsam ex testamento vel ab intestato seu quocumque iure spectantia, mera et spontanea tibi liberalitate donarit, nos, tuis providere profectibus cupientes, donationem huiusmodi ratam et gratam habemus, eamque — non obstante quacumque sententia contra mulierem eandem seu dictum Petrum super eisdem domibus et bonis a condam Fr. olim Romanorum imperatore ac rege Sicilie, excommunicationis innodato vinculo et imperio ac regno sententialiter destituto, seu a quocumque alio de ipsius mandato prolata — auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus etc. usque: communimus, defectum, si quis in donatione ipsa vel ex eo, quod legitimam quantitatem excessit, vel quia sine insinuatione[3] legitima facta fuit, aut alias extitit, supplentes de apostolice plenitudine potestatis, et si quod ius Romane ecclesie in rebus predictis competit, ex eadem potestate de novo conferimus et donamus, concedentes tibi intrandi et apprehendendi per te vel per alium auctoritate propria possessionem domorum et bonorum ipsorum liberam facultatem, ac decernentes eos, qui domos et bona prefata tenent vel possident, exinde fore penitus admovendos[b] ipsosque nullum omnino ius per detentionem vel possessionem huiusmodi acquisisse seu posse acquirere vel habere ac nullum tibi per hoc vel iuri tuo super hiis factum esse preiudicium vel posse in aliquo generari. Nulli etc. nostre confirmationis, concessionis et constitutionis etc.

Dat. Neapoli, XII Kalendas Ianuarii, anno I°.

---

a) libertatem *R.* b) *ita R.*

1) *Ottobono de Flisco, nepoti quondam Innocentii IV papae.* 2) *Cf. n. 123, p. 307, not. 1 et p. 315, not. 1.* 3) *I. e. relatione scripta in acta publica; cf. Ducange sub verbo 'insinuare 2'.*

347.

Alexander IV papa [Giberto de Gente] potestati et communi Parmensibus notum facit Innocentium IV papam VII Id. Dec. apud Neapolim per universae carnis viam de nequitia huius saeculi evasisse et se speculam apostolici culminis conscendisse.

1254, Dec. 22.

Al. IV Reg. Vol. I in fol. primo. Primae duae epistolae huius voluminis, quibus papa electionem de se factam promulgavit [haec ep. et Potthast 15600], numeris carent. Numeri epistolarum et foliorum incipiunt in fol. sequente cum ep. n. 348. — Exemplar, quod regi Angliae directum, non registratum, Rymer, Foedera, ed. Londini a. 1816, t. I, pars I, p. 312 edidit [A.], contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15596—15599.

.. potestati et communi Parmensibus.

Cathedra preminentie pastoralis in hac militanti ecclesia per plurimos pontifices frequenti successionis vicissitudine variatur, pro eo quod illos manere diutius nature mortalis conditio non permittit. In ecclesia siquidem triumphanti, que superne patrie regionem inconcussa[a] possessione iam obtinet, salvator noster, Dei filius, summus est pontifex, qui sempiterno fungitur sacerdotio, manens in eternum et subacto mortis imperio semper vivens. In hac autem, quam exemplarium instar celestium in consumationem sanctorum super terram Dei sapientia fabricavit, pontifices[b] mortalitatis infirmitate circumdati, ut constituantur pro hominibus apud Deum, ex hominibus assumuntur. Hinc est, quod illa, indeficienti eterni sponsi gaudio et immortalitate beata, luctum viduitatis ignorat, hec autem, dum peregrinatur in terris, corporum carceribus obligata frequenter cogitur viduitatis sue lamenta resumere ac tedia experiri. Hiis lamentis et tediis, sicut Domino placuit, qui aufert spiritum principum, ecclesie sancte nuper con- Ps. 75, 13. cussa sunt viscera eiusque maxille perfuse amaro profluvio lacrimarum, felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro VII Idus Decembris apud Neapolim[1] per universe carnis viam de nequitia huius seculi evadente; qui cum adhuc necessarius esset et admodum utilis populo Christiano, forsitan ideo vocatus est a Domino ante tempus, ut mundus in maligno positus presentia eius agnosceretur indignus, et ipse de iniquita- 1. Ioh. 5, 19. tum medio, que animam eius diu cruciaverant, tolleretur[2]. Die itaque sequenti iuxta morem exequiarum sollempnitate premissa eiusque corpore in Neapolitana ecclesia tumulato, nos et fratres nostri ad substituendum convenimus successorem, et missarum sollempniis in honore sancti Spiritus devote ac humiliter celebratis, post aliquantulum de futuri pastoris substitutione tractatum iidem fratres nostri oculos suos ad imbecillitatem nostram communiter et concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam apostolici culminis et subeundam gravissimam orbis sarcinam eligendo[3]. Verum nos, ea re supra quam dici valeat stupefacti, et que ac qualis esset illa dispositionis divine vocatio anxie cogi-

---

a) *A.;* incussa *R.* b) *A.;* pontifex *R.*

1) *In palatio quondam Petri de Vinea; Nicol. de Curbio c. 43 ap. Baluze, Misc. t. VII, p. 404.* 2) *Sed cf. visionem Alexandri papae, quam narrat Matthaeus Paris. a. 1255; SS. t. XXVIII, p. 350; cf. similem visionem ibid. p. 347.* 3) *Dec. 11, die Veneris, mane cardinales de electione papae tractare coeperunt; sequente die Sabbati, Dec. 12, hora quasi tertia in Raynaldum episcopum Ostiensem convenerunt; Nicol. de Curbio c. 43. Salimbene, ed. Parm. p. 232 narrat: '[cardinales], quia per voces concordare non poterant, elegerunt per compromissum et dominus Octavianus [S. Mariae in Via Lata] diaconus cardinalis imposuit manum meliori homini de curia, ut dixit, scil. domino Raynaldo'. Cui rei verba Nicolai non contradicunt; cf. etiam Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 438, not. 1. Alexander inter familiares et amicos Innocentii fuisse non videtur et de iis, quae ad officium et curam ecclesiae pertinerent, aliud aliquatenus ac praedecessor suus cogitavit; cf. Potthast 15602 et infra sub a. 1255, Apr. 5 et Aug. 18; cf. etiam not. 2 et Schirrmacher p. 439, not. 5.*

tationis examine revolventes intra nos ipsos, quantum in illa potuimus fraterne instantie pressura, resedimus meditando negocii gravitatem, metiendo vires, ponderando prudentiam, comparando merita et ad perficiendum sumptus virtutum necessarios computando. Denique, videntes hec nobis non habundanter adesse, quin potius advertentes quod niehil nobis de nostris meritis revelabat proprie considerationis attentio, unde constitui mereremur in mundi vertice super gentes et regna et universalem in orbe terrarum evellendi atque plantandi accipere potestatem, in spiritu, non contumacie vel contemptus, sed timoris, de nostrorum defectuum conscientia procedentis, non sequenda iudicavimus vota fratrum, sed manus ab opere ac humeros ab onere cohibendos. Consideratio enim gradus casus nobis formidinem ingerebat, quia de tam alto culmine dignitatis, terribili videlicet loco apostolorum principis, quisnam animus, quantumlibet magnus, inspecta iacentis deorsum abyssi facie non paveret? Quis nempe iugum publice servitutis, sub quo probata gigantum virtus et fortitudo virorum a seculo laudatorum hactenus gemuit, audeat scienter et prudenter appetere, quod spiritum memoribus torquet, mentem eviscerat, dies laboribus obsidet et noctes producit insompnes? O quam sani consilii et quam consulte deliberationis electio abiectum esse in domo Dei magis quam loci eminentioris celsitudine preminere! In convivio Christi locum tenere novissimum quam cum pacate quietis dispendio superius promoveri! Deficit nimirum spiritus considerantibus nobis undique, quanta tunc ager mundi huius malorum densitate silvescit, et spem de viribus[a] circa eius cultum difficultas operis vix relinquit, cumque invalescens malignitas dissidentium corda populorum durasse videatur in lapides, ita ut manum
Matth. 3. 9. Domini pauci sentiant in flagellis, cui dabitur filios Habrae de lapidibus suscitare et
Tit. 2. 14. reddere Domino populum acceptabilem, bonorum operum sectatorem. Propterea excusavimus [nos][b] cum lacrimis et usque ad contristationis et indignationis offensam eisdem fratribus, importabilem nobis ingerentibus apostolatus sarcinam, duximus resistendum, orantes eos et per obtestationem divini iudicii obsecrantes, ut a nobis calicem hunc transferrent et traderent alteri fortiori. Set ipsi, utinam non ob nostrorum exigentiam peccatorum! irrevincibilis importunitatis instantia nostram resistentiam evicerunt, cogentes nos invitos suis desideriis consentire; et sic cum dolore cordis ac tremore quam plurimo infirmitatis nostre colla summisimus iugo apostolice servitutis, confidentes in Deo, qui dat omnibus affluenter, quod insufficientiam nostram, quam humiliter recognoscimus et libere profitemur, ex se ipso misericorditer adimplebit. Sollicitudine igitur ecclesiastice administrationis assumpta [1], divine propitiationis misericordiam imploramus, ut per sue voluntatis beneplacita in viam pacis dirigens gressus nostros, in hiis, que sunt ad ipsum pro populo, favorem nobis auxilii celestis aspiret, et, eo nobis incrementum desuper largiente, sub sacerdotio nostro proveniat quies regnis, pax ecclesiis[c], concordia plebibus et moribus disciplina. Vos autem[d], filii, Deum timete et mandata eius in spe mercedis immarcessibilis custodite, in hiis que secundum Deum sunt de nostra et apostolice sedis benivolentia confidentes, quoniam vos tamquam devotos filios intendimus prosequi gratia et favore.

Dat. Neapoli, XI Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri[e] anno primo [2].

---

a) *A.;* iuribus *R.* b) nos *deest R. et A.* c) *A.;* ecclesi *R.; foramen parvum in membrana.* d) *Inde ab his verbis ep. regi Angliae directa discrepat.* e) pont. n. *contra usum Regestorum additum est.*

1) *Eum Dec. 20 consecratum esse conicimus ex eo, quod annus pontificatus eius a Dec. 20—Dec. 19 cucurrit; cf. n. 421 et n. 422.* 2) *Sequuntur in Reg., numeris carentes, epp. Potthast 15600 et 15601.*

348.

Alexander IV papa Alberico de Romano scribit se ad relevandum statum eius et civitatis Tervisinae aliorumque fidelium marchiae Tervisinae intendere et decernere, ut si forsan Ezelinum aliquam reconciliationem ab ecclesia obtinere contigerit, concessionibus de bonis eius a W[illelmo] Romanorum rege ipsi Alberico factis praeiudicium non generetur. *1254, Dec. 22.*

Al. IV Reg. Vol. I, 1; Lib. I, 1. Exemplar, quod Verci, Storia degli Ecelini t. III, p. 368 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15603.

Nobili viro Alberico de Romano.

Fidei tue constantia, qua sedis apostolice specialem inter ceteros Italie proceres benivolentiam meruisti, in auribus nostris publice pro te clamat laudabilibus operum testimoniis, quibus hactenus claruit, non patientibus in oblivionem apud nos tui nominis venire memoriam, qui felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, sicut in apostolatus ministerio, sic et in caritatis officio licet alias immeriti succedentes, in persequendo condigne gratie premiis merita devotorum ipsius proponimus equare virtutem et propositum adimplere. Nos enim latere non possunt iacture multiplices et pressure, quas tu et Tervisina civitas tuo commissa regimini propter Deum cum ecclesia ab ipsius adversariis longo tempore usque ad amissionem bonorum et usque ad vite discrimina pertulistis. Stat assidue ante oculos nostros, quod tu, malitiam fraterne impietatis abhorrens, hostem ei te constituere calcato nature federe decrevisti, quem Deo et ipsius sponse, catholice videlicet ecclesie, fecit operum suorum perversitas inimicum. Certus ergo, fili, quod merita tua apud nos habentur libro illabilis memorie commendata, age constanter, nec in bonorum tuorum perseverantia fatigeris, sciens quod ad relevandum statum tuum et civitatis predicte aliorumque marchie Tervisine fidelium intendimus in brevi favente Domino intendere[a] studiose, ut saniori consilio cogatur acquiescere pertinacia malignorum et devotorum persistentia oportuno presidio convalescat. Nos autem cum Ezilino de Romano, quem tamquam hereticum olim iustum ecclesie iudicium reprobavit, nullum reconciliationis intendimus movere tractatum, per quem status catholice fidei et publice salutis utilitas lederetur[1]. Quod si aliquando forsan possibile fuerit eum condigne penitentie remedio aliquam veniam promereri, nullum ex hoc volumus concessionibus a carissimo in Christo filio nostro W. rege Romanorum illustre[b] de bonis eiusdem E. tibi factis et per sedem apostolicam confirmatis preiudicium generari, quin potius eas, quas ratas et gratas habentes auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, decernimus — non obstante reconciliatione qualibet, si quam ab ecclesia eum obtinere contigerit, — perpetuo robore valituras. Nulli etc. nostre confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Neapoli, XI Kalendas Ianuarii, anno primo[2].

349.

Alexander IV papa Gregorium abbatem S. Theodori Gaietani, qui olim de assensu Fr[iderici II], tunc nondum depositi sed iam excommunicati, electus fuit, confirmat, inserto tenore epistolae Aegidii poenitentiarii papae, qui cum Gregorio a. 1254, Nov. 2 dispensaverat. *1255, Ian. 2.*

Al. IV Reg. Vol. I, 4; Lib. I, 21. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

a) *ita R.* b) *ita R.*

1) *Cf. n. 304.* 2) *Cf. Lib. I, 557 = Potthast 15758, Capasso, l. c. n. 206** et Böhmer-Ficker 5213.*

Gregorio abbati monasterii sancti Theodori Gaietani.

Exigentibus tue devotionis meritis votis[a] tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur dilectus filius frater Egidius penitentiarius noster super eo, quod de assensu condam Fr. dudum imperatoris in monasterio tuo electus fuisse dinosceris, tecum de speciali mandato felicis recordationis I. pape predecessoris nostri duxerit dispensandum, prout in eiusdem penitentiarii litteris super hoc confectis plenius continetur, nos, tuis supplicationibus inclinati, dispensationem eandem ratam et gratam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est:

Venerabili in Christo patri Dei gratia . . episcopo Gaietano[1] frater Egidius domini pape penitentiarius salutem in Domino. Ad notitiam paternitatis vestre volumus pervenire religiosum virum dominum Gregorium abbatem monasterii sancti Theodori Gaietani, latorem presentium, sua nobis confessione monstrasse, quod, vacante olim dicto monasterio per mortem bone memorie Oderisii ipsius monasterii abbatis, conventus eiusdem monasterii de assensu condam Fr. imperatoris, nondum depositi sed excommunicationis tamen vinculo innodati[2], ipsum in eorum abbatem concorditer elegerunt, et canonicis ecclesie Gaietane, ad quos confirmatio electionis huiusmodi tunc spectabat[3], confirmantibus electionem eandem, idem G. sicut[b] electus et confirmatus tamquam abbas ipsius monasterii curam gessit [et][c] in spiritualibus et temporalibus ministravit; qui tandem infirmitate gravatus de predicta electione habens conscientiam remordentem, per consilium confessoris sui fere per sex annos eiusdem monasterii administrationem dimisit[4]. Super quo apostolice sedis clementiam adiit, humiliter supplicans sibi misericorditer provideri. Nos igitur de speciali mandato domini pape, per venerabilem patrem dominum R[aynaldum] Ostiensem et Velletrensem episcopum[5] nobis facto, cum predicto abbate dispensamus, quod in suis ordinibus ministrare et dictum monasterium tamquam abbas secundum datam sibi a Deo gratiam valeat gubernare — non obstante quod de assensu dicti Fr. fuit electus et ratione huiusmodi electionis gessit se pro abbate monasterii sepedicti. Dat. Neapoli, IIII Nonas Novembris, pontificatus domini Innocentii pape IIII anno XII°.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, IIII Nonas Ianuarii, anno primo[6].

---

a) votis *superscr. alia tinctura.* b) sit *R.* c) et *deest R.*

1) *Petro.* 2) *I. e. inter a. 1239, Mart. 20 et a. 1245, Iul. 17.* 3) *Quia ecclesia vacabat; cf. p. 215, not. 2.* 4) *Ergo circa finem a. 1248 resignasse videtur, cum papa, ut regno Siciliae bellum inferret, primo intenderet; cf. t. II, p. 413, n. 585 et p. 434, n. 613.* 5) *Nunc Alexandrum IV papam.* 6) *Annotamus, quos episcopos Alexander IV papa usque ad finem a. 1255 ecclesiis regni Siciliae praefecerit, quaedam alia adicientes: a. 1254, Dec. 23 fratrem Helyam archimandritam monasterii Carbonensis a capitulo Rossanensi in archiepiscopum electum confirmat; Lib. I, 3 et 4; Potth. 15606. — Dec. 23 [Nicolao] electo Lexinensi, in praesentia sua constituto, quem archiepiscopus Sipontinus instituit [cf. p. 286, lin. 50], indulget, ut beneficia, quae tempore promotionis suae habuerit, retineat, donec episcopatus sui pacificam possessionem habeat; Lib. I, 7. — A. 1255, Ian. 5 capitulo Treventino commendat Nicolaum episcopum, olim monachum Sublacensem, quem Alexander olim de mandato Innocentii IV ecclesiae eorum praefecerit et consecraverit; Lib. I, 25; cf. 33. — Ian. 7 capitulo et clero Reginis commendat Vernacium archiepiscopum, olim capellanum papae, quem Innocentius IV ecclesiae eorum praefecerit et consecraverit [cf. p. 123, lin. 27 et p. 287, lin. 38]; Ian. 12 decano Londoniensi committit gratiam eidem faciendam, quousque archiepiscopatus sui pacificam possessionem obtineat; Lib. I, 23 et 50; epitome ap. Potth. 15623 minus diligenter facta videtur. — Ian. 11 B[enevenuto] electo Squillacensi concedit beneficia tempore promotionis suae habita, quousque ecclesiae suae quietam possessionem habuerit, qua asserat se spoliatum [cf. n. 233]; Lib. I, 41; Potth. 15631 minus*

350.

Alexander IV papa [Algisio] episcopo Pergamensi et priori provinciali Praedicatorum in Lombardia ad preces Pergamensium potestatem concedit, ut eosdem ab excommunicationis et interdicti sententiis, quas Innocentius IV et legati eius in eos tulerint, quia F[riderico II] et Conrado IV adhaeserint, absolvat, iniuncto eis, ut W[illelmo] regi Romanorum sicut Mediolanenses fidelitatis iuramentum exhibeant. 1255, Ian. 4.

Al. IV Reg. Vol. I, 4; Lib. I, 20. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15618.

.. episcopo Pergamensi et .. priori provinciali fratrum Predicatorum in Lombardia.

Exhibita nobis .. potestatis et communis Pergamensium[1] petitio continebat, quod felicis recordationis I. papa predecessor noster nec non quidam apostolice sedis legati eorumque[a] delegati in eos[b], specialiter pro eo quod ipsi potestas et commune condam Fr. olim imperatori et C. nato eius ipsorumque officialibus et sequacibus contra ecclesiam adheserunt, excommunicationis et in civitatem et dioecesim Pergamensem interdicti sententias promulgarunt et incurrerunt iidem sententias huiusmodi in predictos et eorum sequaces generaliter promulgatas; quos ad cor reversi petierunt humiliter per sedem apostolicam relaxari. Quamvis igitur excessus huiusmodi eo esset puniendus severius, quo diutius in huiusmodi sententiis perstiterunt, nos tamen exemplum imitantes ipsius, cuius Ps. 144, 9.
miserationes super omnia opera sunt eiusdem, ac volentes mansuetudine temperare rigorem, relaxandi iuxta formam ecclesie circa excommunicatos et interdictos ipsos.

a) eorumque *alia tinctura in loco raso.* b) deleg. i. eos *superscr. alia tinctura.*

accurate. — Ian. 30 Petrum episcopum Strongiulensem, quem S. Severinae electus ecclesiae Strongiulensi vacanti praefecerit, confirmat; Lib. I, 99. — Ian. 31 Arturo canonico Yserniensi ad preces episcopi Yserniensis mandat, ut Sophiam, quae in abbatissam S. Mariae Yserniensis tempore interdicti in Sicilia eligi et per quondam Conradum IV confirmari se procuraverit, amoveat; Lib. I, 105. — Febr. 1 Samueli episcopo Neucastrensi ad instar Innocentii IV [cf. p. 286, lin. 41] mutuum contrahendi facultatem concedit; Lib. I, 110; Potth. 15666. — Febr. 13 capitulo Marturano magistrum Raynaldum de Aquino, tunc R[icardi] S. Angeli diaconi cardinalis capellanum, quem ecclesiae eorum in episcopum praefecerit de fratrum consilio et plenitudine potestatis, commendat; Lib. I, 133; Potth. 15688. — Mart. 7 capitulo Marsicano scribit, Caesario episcopo apud sedem apostolicam mortuo, Innocentium praesentibus canonicis mandasse, ut ecclesiae suae providerent, et Nicolaum, tunc praepositum S. Iohannis Celanensis, ab iis postulatum, confirmasse; mandat, ut ei oboediant; Lib. I, 218; Potthast 15723. — Mart. 15 P[almerio] episcopo Tricaricensi [cf. p. 160, lin. 32 et 286, lin. 28], qui propter guerrarum discrimina ad archiepiscopum Acherontinum [cf. Inn. Lib. XII, 334], metropolitanum suum, adire non possit, indulget, ut id ad culpam ipsi imputari non valeat; Lib. I, 211. — Mart. 18 capitulo Cusentino mandat, ut Bar[tholomaeo] electo Cusentino, quem Innocentius IV de Amalfia transtulerit [cf. p. 287, lin. 26], obediant; Lib. I, 308. — Apr. 17 capitulo Pactensi scribit se B[artholomaeo], quem Innocentius IV ecclesiae eorum praefecerit [cf. p. 218, lin. 30], consecrationis munus impendisse et Philippo, qui pro episcopo Pactensi se gesserit, silentium imposuisse; mandat, ut B[artholomaeo] oboediant; Lib. I, 329; cf. 579 = Potth. 16001, in qua ep. papa praedictum Philippum mortuum dixit. — Aug. 3 episcopo Vicano scribit ecclesiae Lucerinae per octo annos et amplius vacanti C. Beneventanum electum metropolitanum Alferium, tunc decanum monasterii S. Sophiae de Benevento, in episcopum praefecisse et consecrasse, quamquam provisio ad sedem apostolicam devoluta fuisset; mandat nihilominus, ut Alferium propter laudabile testimonium de eo exhibitum eidem ecclesiae praeficiat; Lib. I, 553. — Dec. 9 capitulo Anglonensi commendat D[eodatum] de Squillaco [cf. n. 238], quem ipse in minori statu constitutus consecrari fecerit; Lib. I, 755; Potth. 16113. — Dec. 13 I[acobi] electi Arianensis consecrationem differt propter labores plurimos, quos de mandato papali pro servitio ecclesiae Romanae ipsum subire oporteat; a. 1256, Oct. 16 Iacobum, quamquam eius postulatio reprobari de iure potuerit, ecclesiae Arianensi praeficit; Lib. I, 793; Lib. II, 410.

1) *Pergamenses ab initio discordiae a parte imperiali steterant; cf. n. 52, 56, 94; sed cf. etiam Potthast 15071.*

prestito iuramento de parendo mandatis eiusdem, huiusmodi excommunicationis et interdicti sententias discretioni vestre, de qua plenam fiduciam obtinemus, liberam auctoritate presentium concedimus potestatem, iniuncto eis precipue a vobis in virtute prestiti iuramenti, quod persecutoribus ecclesie non adherebunt nec prestabunt auxilium vel favorem de cetero contra eam, et quod carissimo in Christo filio nostro W. regi Romanorum illustri sicut dilecti filii cives Mediolanenses debite fidelitatis exhibeant iuramenta [1].

Dat. Neapoli, II Nonas Ianuarii, anno I° [2].

351.

Alexander IV papa Ansaldo Malono civi Ianuensi officium generalis admirati regni Siciliae, ad quod Innocentius IV papa ipsum vocaverit, usque ad beneplacitum apostolicum concedit. *1255, Ian. 8.*

Al. IV Reg. Vol. I, 5; Lib. I, 35. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Ansaldo Malono civi Ianuensi.

Dignum est, ut hiis, qui apostolice sedi per grata devotionis studia placuisse noscuntur, favorem et gratiam impendamus. Cum igitur, sicut ex tenore tue petitionis accepimus, nuper felicis recordationis I. papa predecessor noster te in generalem admiratum regni Sicilie vocari mandaverit et assumi [3], tuque de civitate Ianuensi ad eius presentiam accesseris assumptus ad officium supradictum, ac idem tibi tamquam [a] admirato necessarios sumptus ad officium huiusmodi fecerit in civitate Neapoli exhiberi: nos, personam tuam ob sincere devotionis affectum, quem erga nos et sedem eandem habere dinosceris, specialis prerogativa favoris et gratie prosequentes, prefatum officium cum omnibus iuribus ac honoribus ad ipsum spectantibus [4] usque ad beneplacitum nostrum auctoritate presentium tibi duximus concedendum. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, VI Idus Ianuarii, anno I°.

352.

Alexander IV papa Ianuensibus confirmat concessionem Innocentii IV papae, qua in regno Siciliae, ducatu Spoleti, marchia Anconitana, patrimonio beati Petri in

a) tamquam tibi *R.*

1) *Non legimus Mediolanenses ante haec tempora regi fidelitatem iurasse vel ad iurandum paratos se declarasse. Cum Innocentius Willelmum ad recipiendam coronam imperii invitaret [cf. p. 263, not. 2], eum monuit, ut aliquos viros auctoritate praesignes in partes Italiae praemitteret, qui in recipiendis fidelitatis et aliis iuramentis interim vicem eius exequerentur. Cf. etiam foedus inter Gibellinos Lombardiae a. 1254, Oct. 19 factum; Böhmer, Acta Imp. p. 676, n. 971.* 2) *A. 1255, Apr. 27 papa [Ubertuno] episcopo Cumano mandavit, ut si Pergamenses, ad devotionem redire cupientes, praecise et sine condicione de parendo mandatis ecclesiae iuramentum in manibus eiusdem episcopi praestitissent, eos absolveret; Lib. I, 327. Sed cf. Rolandini Patav. Chron. Lib. X, 3; SS. t. XIX, p. 119, lin. 30.* 3) *A. 1254, Nov. 3 Innocentius Ansaldo de Mari officium magnae ammiratiae regni Siciliae, prout illud tempore quondam Friderici II exercuisset, confirmaverat; Potthast 15551a; Capasso, l. c. n. 173; non reg.* 4) *Cf. Winkelmann, Friedr. II ed. I, t. I, p. 364.*

Tuscia et omnibus terris ecclesiae Romanae ab exactionibus et pedagiis in perpetuum liberi sint. *1255, Ian. 8.*

Al. IV Reg. Vol. I, 8; Lib. I, 51a. Exemplar Bullarii Rom. ed. Taurin. t. III, p. 595, n. 3 contulimus cum Regestis et cum authentico in Libro iurium reip. Genuens. [Hist. patr. monum. t. I], p. 1215, n. 868 [A.].

Potthast, Reg. 15622 et 15624.

.. potestati, consilio et universis Ianuensibus in civitate ac districtu Ianue constitutis.

Ecclesia Dei persecutiones multiplices et gravissimas patiente, vos in fide ac devotione ipsius constantiam firmissimam[a] et clarissimam habuistis, ita quod omni virtute resistendo[b] eius hostibus plurima rerum incurristis dispendia et discrimina personarum, multis materiam ammirationis habentibus, quod infra tot adversionum[c] fulmina tanta fuistis animi firmitate conspicui et tandem per Dei gratiam victoria preclara famosi. Hiis etenim magnis meritis quedam alia magnifica indefesso spiritu adiecistis, quod videlicet in transmarinis partibus illa, que honorem ecclesie ac robur ecclesiastice libertatis necnon defensionem et ampliationem catholice fidei respicere videbantur, sub innumeris expensis et laboribus grandi studio et vigilanti sollicitudine promovistis. Meritorum siquidem premissorum cumulus, quasi quoddam sidus in conspectu sedis apostolice refulgens, eam reddidit sepe sollicitam, ut vos talibus extollat[d] honoribus et gratiarum ubertate confoveat, quod exinde vobis et posteris vestris perpetue iocunditatis materia producatur. Cum itaque felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster cum fratribus suis per civitatem vestram personaliter transiens auditu et visu fuerit[e] in multis de premissis meritis informatus et gavisus per evidentiam operis agnovisse, quam sincera et obsequiosa devotio circa dictam sedem haberetur in vobis, dignum esse providit, ut iuxta vestrum desiderium vos illius gratie privilegio muniret, per quam in vobis eandem reverendi sedem semper excrescat affectio et in generalem deducatur notitiam, quod inter caros vos ecclesia memorata reputat sibi carissimos, et quod eidem sit in affectu potissimum, ut afflictis pro ipsa votivam retribueret[f] magnitudinem premiorum. Unde idem predecessor vobis per suas concessit litteras[1] et nos, vestris inclinati precibus[2], quas dignas plenitudine reputamus favoris, universitati vestre ad instar predecessoris ipsius auctoritate presentium indulgemus, quod in regno Sicilie, pertinente ad ius et proprietatem sedis eiusdem, ac ducatu Spoleti, marchia Anconitana, patrimonio beati Petri in Tuscia et omnibus terris ecclesie Romane a datis, exactionibus et collectis seu pedagiis ad nos pertinentibus et cuiuslibet onere servitutis sitis in perpetuum liberi penitus et immunes. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, VI Idus Ianuarii, anno primo[3].

---

a) firmissam *R.* b) resistentes *A.* c) adversitatum *A.* d) attollat *A.* e) fuit *R. et A.* f) retribuat *A.*

1) *A. 1251, Iun. 8; Potthast 14317.* 2) *Ianuenses legatos sollemnes ad Innocentium IV ordinaverunt, qui in Urbe de morte eius certiores facti sunt; qua de causa minori fiducia Neapolim accesserunt; Ann. Ian. a. 1254; SS. t. XVIII, p. 233.* 3) *Eodem die praelatis regni Siciliae mandavit, ut Ianuensibus hanc indulgentiam inconcussam conservarent; Lib. I, 51b; Potthast 15625. — Aliae confirmationes gratiarum ab Innocentio factarum ap. Potthast 15626, 15628, 15629; cf. etiam Lib. I, 173 = Potthast 15718. De ep. Potthast 15717 cf. t. II, p. 404, n. 573.*

353.

Alexander IV papa monasterio Casaemarii concedit, ut instrumenta, quae tabelliones pro favore F[riderico II] ante et post eius depositionem praestito excommunicati confecerint, legitima sint. *1255, Ian. 11.*

Al. IV Reg. Vol. I, 5; Lib. I, 30. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Conventui monasterii Casemari Cisterciensis ordinis Verulane diocesis.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli tabelliones et iudices, tunc pro favore condam Fr. olim Romanorum imperatori ante et post depositionem eius prestito excommunicationis vinculo innodati, pro monasterio vestro et membris ipsius super donationibus, emptionibus, legatis aliisque diversis contractibus instrumenta publica confecerunt. Unde, ne propter excommunicationem predictam eadem instrumenta vacillent, provideri eisdem monasterio et membris per nostram sollicitudinem postulastis. Vestris itaque supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus, ut — excommunicatione huiusmodi non obstante — instrumenta ipsa, dummodo alias sint concepta legitime, inconcussam obtineant firmitatem. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, III Idus Ianuarii, anno I°.

354.

Alexander IV papa Philippo de Gaudio, Iacobo et Iohanni fratribus de Caleno comestabuliam militarem in Caleno et rocca Montis Draconis et res alias, quas progenitores eorum tempore Guillelmi regis possederint et quondam Fr[idericus II] patri eorum concesserit, confirmat. *1255, Ian. 11.*

Al. IV Reg. Vol. I, 7; Lib. I, 45. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobilibus viris Phylippo de Gaudio, Iacobo et Iohanni fratribus de Caleno.

Ex tenore vestre petitionis accepimus, quod cum progenitores vestri diu et etiam tempore clare memorie Guillelmi regis Sycilie omnes silvas, paludes et montes districtus Calini[a] et rocce Montis Draconis[1] Calinensis diocesis ac etiam comestabuliam militarem in Caleno et rocca predictis tenuissent et pacifice possedissent, tandem condam Fr. imperator obtentu bone memorie P[etri] de Capua Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis[2] Iohanni Capice[b] patri vestro, fratri suo, cuius filii et heredes existitis, premissa dextera liberali concessit et nichilominus confirmavit, prout in privilegio ipsius Fr. confecto exinde et suo sigillo signato plenius dicitur contineri. Quia vero vos propter supervenientem postmodum malitiam temporis iure vestro super premissis nedum uti libere potuistis, verum etiam extra natale solum fuistis exulare coacti[3], propter

a) Calin̄ *R.* b) *vel* Capite *vel* Capue.

1) *Ex sept. ostii fluminis Vulturni.* 2) *Hic a. 1220—1236 in privilegiis papalibus testis invenitur.* 3) *A. 1247, Oct. 15 Innocentius IV praedicto Philippo roccam Montis Draconis et castrum Baytan. in feudum concesserat, dummodo non pertinerent ad alium in devotione ecclesiae persistentem; Berger 3343.*

quod petiistis vobis super hiis paterna benivolentia subveniri, nos, vestris supplicationibus inclinati, silvas, paludes, montes et comestabuliam eosdem, sicut eos prefati progenitores rationabiliter et paciffice[a] possederunt et in privilegio dicti Fr. etiam continetur ac sicut ad vos premissa de iure pertinere noscuntur, vobis et heredibus vestris in devotione sedis apostolice persistentibus auctoritate apostolica concedimus et etiam confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc. nostre concessionis et confirmationis etc.

Dat. Neapoli, III Idus Ianuarii, anno I°.

355.

Alexander IV papa [Hartmanno] electo Augustensi mandat, ut Volkmarium de Kemenate et Svekerum dominum de Mindelberch compellat, ut Rodegero de Ehenheim bona occupata restituant, non obstante quod idem quondam C[onrado IV] adhaeserit. — Universorum praelatorum et ceterorum Christi fidelium protectioni eundem Rodegerum, qui de regno Siciliae in Alamanniam revertatur, commendat. *1255, Ian. 13.*

Al. IV Reg. Vol. I, 13: Lib. I, 99 et 100. Exemplaria Pertzii contulimus cum Regestis.

I.

.. electo Augustensi.

Cum dilectum filium Rodegerium de Ehenheim[1] sue devotionis exigentibus meritis speciali benivolentia prosequamur, mandamus, quatinus nobiles viros Volkmarium de Kemenate[2] et Svekerum dominum de Mindelberch[3], qui bona predicti R. occupata detinent, moneas efficaciter et inducas, ut bona predicta sibi restituere sublata qualibet difficultate procurent, ipsos ad id veritate cognita, sicut iustum fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita ratione previa compellendo, — non obstante quod idem R. olim Conrado nato condam Fr. olim imperatoris adheserit, cum nos super hoc specialem sibi gratiam facientes offensam huiusmodi ei duxerimus remittendam.

Dat. Neapoli, Idibus Ianuarii, anno primo.

II.

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, tam exemptis quam non exemptis, et nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, nec non et potestatibus, rectoribus, consulibus et consiliis tam civitatum quam castrorum et aliorum locorum ceterisque Christi fidelibus, ad quos littere iste pervenerint.

Cum dilectus filius nobilis vir Rodegerus de Ehenheim in Alamaniam cum nostra et apostolice sedis gratia de regno Sicilie revertatur, universitatem vestram rogamus.

---

a) *ita R.*

1) *Fortasse Enheim in prov. Unterfranken, Landger. Markbreit. De Conrado de Ehenheim cf. Böhmer-Ficker 4396.* 2) *Ex sept. et occ. civ. Kaufbeuern.* 3) *Ex sept. et or. civ. Memmingen. Fautores quondam Conradi regis fuerant: Böhmer-Ficker 4426, 4427, 4430, 4514, 4563: cf. etiam Monum. Boica t. VIII, p. 29, n. 21 et sequ.*

monemus et hortamur attente, mandantes quatinus tam ipsum quam omnes de familia sua, quos secum duxerit, ob reverentiam[a] ipsius sedis et nostram habentes propensius commendatos, eos illuc ire libere permittatis nec aliquam eis in personis vel rebus inferatis molestiam nec inferri ab aliis permittatis, immo cum per vos transitum fecerint et vos requisierint de securo conductu, liberaliter provideatis eisdem[b], ita quod devotionem vestram dignis in Domino exinde possimus laudibus commendare. Si qui vero nobilem vel alios predictos in personis aut rebus offendere seu detinere forte presumpserint, vos, fratres archiepiscopi et episcopi ac abbates, priores, decani, archidiaconi et prelati, in presumptores huiusmodi auctoritate nostra excommunicationis sententiam proferentes, tamdiu eos singulis diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videritis, nunciari, donec eos libertati et ipsis ablata restituant universa et de dampnis et iniuriis satisfaciant competenter, — non obstante si est aliquibus ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem.

Dat. ut supra.

356.

Alexander IV papa B[ertholdo] marchioni de Hohenburch, comiti Montis Caveosi, magno regni Siciliae senescalco, fideli suo in praesentia sua constituto, confirmat ad instar I[nnocentii IV] papae concessiones bonorum a quondam Conrado IV ei factas.

1255, Ian. 16.

Al. IV Reg. Vol. I, 8; Lib. I, 53. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobili viro B. marchioni de Hohemburch, comiti Montis Caveosi, magno regni Sicilie senescalco[1], fideli nostro.

Clara tue fidelitatis obsequia, quibus te reddis in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum, nostro instanter suggerunt animo, ut non solum tua tibi iura integra et illesa servemus, immo potius augeamus. Cum itaque, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, felicis recordationis I. papa predecessor noster[c] concessiones de comitatu Montis Caveosi[2] et de Castri et honoris eius baronia[3] et de Policorii[4], Montispilosi[5], Caurati[6] et Cilii de Gualdo castris, factas olim tibi a condam C. nato condam Fr. olim Romanorum imperatoris, tibi tuisque heredibus — non obstantibus[d] quod idem Conradus erat tunc temporis vinculo excommunicationis astrictus, quod[que][e] alias potestatem conferendi vel concedendi taliter non habebat, et qualibet in te privationis dignitatis, honorum aliorumque iurium sententia per eundem predecessorem lata — de fratrum suorum confirmaverit consilio et assensu, supplens defectum, si quis alias in ipsis concessionibus extitit, de apostolice plenitudine potestatis, ac insuper comitatum, baroniam et alia predicta cum civitatibus, castris, villis, casalibus, hominibus, honoribus[f], iuribus, iurisdictionibus, iure patronatus conventualium [et non conventualium][g] ecclesiarum,

---

a) re *R.* b) eidem *R.* c) *Innocentii ep., a. 1254, Nov. 3 data, incipiens* Clemens semper, *ut n. 318, legitur ap. Rymer, Foedera ed. Londini a. 1816, t. I, pars 1, p. 311; Capasso, Hist. dipl. regni Sic. 1250—1266, n. 171; non reg.* d) obst' *R.* e) *ita ep.Inn.;* quod *R.* f) *reliqua desunt ap. Rymer.* g) et non conventualium *deest R.; cf. n. 359.*

1) *Cf. n. 357.* 2) *Cf. n. 318.* 3) *Cf. n. 379.* 4) *Ad sinum Tarentinum, e mer. et occ. Metaponti.* 5) *E mer. et or. civ. Acerenza.* 6) *Corato ex or. Andriae.*

pascuis, nemoribus, venationibus, pratis, possessionibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, iustitiis et cum omnibus rationibus et pertinentiis suis et cum hiis, que ad merum et mixtum imperium pertinent[1], ea videlicet que sunt de demanio in demanium et que sunt de servitio in servitium, tibi dictisque heredibus in perpetuum de fratrum eorundem consilio et assensu de novo sub certis servitiis[2] concesserit et donaverit ex certa scientia et gratia speciali, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id de nostrorum fratrum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, XVII Kalendas Februarii, anno I[o a 3].

357.

Alexander IV papa eidem confirmat ad instar I[nnocentii IV] papae officium magnae senescalciae regni Siciliae, prout illud tempore Conradi IV habuerit.

1255, Ian. 16.

Al. IV Reg. Vol. I, 25: Lib. I, 198 a. Manus altera huic epistolae [2] litteris parvis et alia tinctura superscripsit: Vacat quia est alibi in cod. R. *Altera eiusdem tenoris epistola legitur f. 8, n. 54 [1]. Exemplar ep. 2, quod Pertz descripsit, contulimus cum ep. 1.*

Potthast, Reg. 15639.

Nobili viro B. marchioni de Hohemburch, comiti Montis Caveosi, magno regni Sicilie senescalco, fideli nostro[b].

Clara tue fidelitatis obsequia, quibus te reddis in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum, nostro instanter suggerunt animo, ut non solum tua tibi iura integra et illesa servemus, immo potius augeamus. Cum itaque, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, felicis recordationis I. papa predecessor noster[c] officium magne senescalcie regni Sicilie, prout illud tempore condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris habuisti et exercuisti[4], tibi confirmarit de fratrum suorum consilio et assensu ac insuper de novo concesserit de gratia speciali, ita quod illud cum proventibus unius uncie auri ad pondus curie, cotidie tibi ab apostolica sede pro expensis, ubicumque in regno ipso fueris, persolvende, et cum consuetis ferculis ac panibus[d] et vini mensuris diebus tibi singulis, cum personaliter apud eandem sedem fueris, tribuendis nec non et cum solitis iurisdictionibus, quantum ad cognitionem appellationum et alia[5], et cum omnibus honoribus, dignitatibus cunctisque iuribus ad idem officium pertinentibus,

a) *Ep. Innocentii, quam Rymer praebuit, plena nota chronologica privilegiorum et subscriptionibus papae et cardinalium, sed sigillo plumbeo Alexandri IV pendente a filo canabeo munita erat. Hoc instrumentum et alia ab Innocentio IV marchionibus de Hohemburg concessa ab Alexandro sub sigillo suo regi Angliae, cum regnum Siciliae Edmundo filio eius a. 1255, Apr. 9 collatum esset [Potthast 15784; Capasso l. c. n. 210, § 12; non reg.], transmissa sunt, ut a rege confirmarentur; Potthast 15811; non reg.* b) Eidem *1; antecedit n. 356.* c) *Instrumentum Innocentii, a. 1254, Nov. 3 datum, incipiens* Clemens semper, *etc. ut in not. a, legitur ap. Rymer, l. c. p. 311; Capasso, l. c. n. 171; non reg.* d) ferculis panis *ap. Inn.*

1) *Cf. p. 297, not. 4.* 2) *Quanta servitia postulata sint, in instrumento Innocentii circumscriptum esse putamus; cf. similes epp. 318, 321–323 et infra sub n. 360.* 3) *Sub Ian. 23 papa cum Ulrico clerico Bertholdi super defectu natalium dispensarit; Lib. I, 55.* 4) *Bertholdum sub Conrado rege officium senescalciae obtinuisse alibi non reperitur.* 5) *Cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 760, n. 1000.*

de quo te per virgam rubeam in eorundem fratrum presentia investivit[1], plene habeas et exerceas vita tua, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore factum est in hac parte, ratum habentes et gratum, id de nostrorum fratrum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, XVII Kalendas Februarii, anno I°[a] [2].

358.

Alexander IV papa eidem confirmat mille et quingentas uncias auri, quas ei I[nnocentius IV] papa de proventibus doanarum Baroli, Trani et Bari, quoad vixerit, annuatim percipiendas concesserit. *1255, Ian. 18.*

Al. IV Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 198b. Damus Pertzii exemplar.

Eidem.

Clara tue fidelitatis etc. usque: predecessor noster[b] mille et quingentas uncias auri de proventibus doanarum Baroli, Trani et Bari percipiendas a te, quoad vixeris, annuatim per doanarios[c] seu eorundem proventuum collectores[d] inibi constitutos persone tue de fratrum suorum consilio et assensu concesserit ex gratia liberali, ita quod tercia pars unciarum ipsarum in Kalendis Decembris et alia tertia in Kalendis Aprilis et reliqua in Kalendis Augusti tibi annis singulis a doanariis et collectoribus ipsis integre persolvatur, et si forte doanarum earundem proventus ad plenam unciarum ipsarum solutionem non sufficerent[e], defectus huiusmodi de proventibus sicle Brundusii suppleatur, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur, nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem etc. ut in alia usque:

Dat. Neapoli, XV Kalendas Februarii, anno I°[3].

359.

Alexander IV papa eidem confirmat venditionem, de baronia Flumari a Ricardo de Flumari ipsi factam, quam I[nnocentius IV] papa ipsi confirmaverit. *1255, Ian. 18.*

Al. IV Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 198c. Damus Pertzii exemplar.

Eidem.

Clara etc. usque: predecessor noster[4] venditionem, de baronia Flumari[5] a nobili viro Riccardo de Flumari tibi factam, tibi tuisque heredibus — non obstante qualibet in

---

a) Dat. ut supra *1.* b) *Instrumentum Innocentii, a. 1254, Nov. 3 datum, incipiens* Clemens semper, *subscriptionibus papae et cardinalium et plena nota chronologica privilegiorum [in qua desunt verba* per manum — vicecancellarii*], sed sigillo plumbeo Alexandri IV pendente a filo canabeo munitum, legitur ap. Rymer, l. c. p. 311; Capasso, l. c. n. 171; non reg.; cf. sub n. 356 et 357.* c) nostros *add. Inn.* d) a nobis *add. Inn.* e) sufficere *R.;* suffecerint *Inn.*

1) *Hoc ante a. 1254, Nov. 3 factum est; nam Nov. 2 Bertholdus Fogiae erat; Iamsilla, l. c. p. 533.* 2) *A. 1255, Apr. 9 papa Bertholdum regnorum Ierusalem et Siciliae senescalcum appellavit; Lib. I, 275.* 3) *Cf. etiam Potthast 15814 et 16431; non reg.* 4) *Haec ep. Innocentii non superest.* 5) *Ex sept. cir. Frigento.*

te privationis dignitatis, honorum aliorumque iurium sententia per ipsum predecessorem lata — confirmarit de fratrum suorum consilio et assensu, supplens defectum, si quis alias in ipsa venditione extitit, de apostolice plenitudine potestatis, ac insuper baroniam ipsam cum castris, villis, casalibus, hominibus, iuribus, iurisdictionibus, iure patronatus conventualium et non conventualium ecclesiarum, pascuis, nemoribus, venationibus, pratis, possessionibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, iustitiis et cum omnibus rationibus et pertinentiis suis et cum hiis, que ad merum et mixtum imperium pertinent, ea videlicet que sunt de demanio in demanium et que sunt de servitio in servitium, tibi dictisque heredibus in perpetuum de fratrum eorundem consilio et assensu sub certis servitiis concesserit et donarit ex certa scientia et gratia speciali, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore factum est in hac parte, ratum habentes et gratum, id de nostrorum fratrum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. ut supra.

360.

Alexander IV papa Lodovico comiti Cotronensi, germano B[ertholdi] marchionis de Hohenburch, confirmat comitatum Cotronensem, quem Innocentius IV papa ipsi in concambium pro baronia Argentiae et Montisfortis, quam a Conrado IV obtinuerit, concesserit.
1255, Ian. 18.

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198 l. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobili viro Lodoico comiti Cotronensi, germano dilecti filii nobilis viri B. marchionis de Hohemburch, comitis Montis Caveosi, magni regni Sicilie senescalci, fideli nostro.

Clara tue fidelitatis etc. ut supra usque: predecessor noster[a] comitatum Cotronensem[1] cum civitatibus, castris, villis, casalibus, hominibus, honoribus, iuribus, iurisdictionibus, iure patronatus conventualium et non conventualium ecclesiarum, pascuis, nemoribus, venationibus, pratis, possessionibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, iustitiis et cum omnibus rationibus et pertinentiis suis, et cum hiis, que ad merum et mixtum imperium pertinent, ea videlicet que sunt de demanio in demanium et que sunt de servitio in servitium, tibi tuisque heredibus in perpetuum de fratrum suorum consilio et consensu in concambium pro baronia Argentie[2] et Montisfortis[3], quam ex concessione condam Conradi nati condam Fr. olim Romanorum imperatoris obtinebas, concesserit et donarit ex certa scientia et gratia liberali[b], prout in

a) *Instrumentum Innocentii, a. 1254, Nov. 3 datum, etc. ut p. 326, not. b, legitur ap. Rymer, l. c. p. 311; Capasso, l. c. n. 172; non reg.* b) *Sequitur in ep. Inn.:* qualibet constitutione . . . . aliquatenus non obstante, ita quod nullus iusticiarius nec quisquam alius officialis curie, maior aut minor, excepto legato sedis apostolice, in comitatu ipso aliquid querere vel exigere aut ordinare vel statuere seu potestate sive iurisdictione aliqua uti possit; *sed Ludowicus et heredes eius ea omnia, de quibus Innocentius eum per annulum investiverit, immediate a Romana ecclesia teneant, cui si exercitum congregaverit, sex milites per quadraginta dies infra regni confinia exhibeant; si vero aliquis ius in comitatu illo habeat, papam de concambio provisurum esse; de forma verborum cf. n. 318 et sequ. et n. 373.*

1) *Cotrone in Calabria.* 2) *Arienzo in valle Caudina, ex or. civ. Maddaloni. Cf. Berger 2906.* 3) *Ex sept. et or. civ. Sarno. Hanc baroniam a. 1238 et 1251 Bertholdus marchio tenuerat; Capasso, l. c. p. 82, not. 1 et n. 5*; cf. Iamsilla, l. c. 517 E et 522 E.*

apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur: nos, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore factum est in hac parte, ratum habentes et gratum, id de nostrorum fratrum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, XV Kalendas Februarii, anno I°.

361.

Alexander IV papa Odoni comiti Theatino, germano B[ertholdi] marchionis de Hohenburch, confirmat comitatum Theatinum, quem, concessum a Conrado IV, Innocentius IV papa ipsi confirmaverit. *1255, Ian. 18.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198m. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobili viro Odoni comiti Theatino, germano etc. ut in alia.

Clara etc. usque: predecessor noster[a] concessionem de comitatu Theatino[1] et aliis quibuscumque bonis, factam olim[b] tibi a condam Conrado nato condam Fr. olim Romanorum imperatoris, tibi tuisque heredibus — non obstantibus[c] quod idem Conradus erat tunc temporis vinculo excommunicationis astrictus, quodque alias potestatem conferendi vel concedendi taliter non habebat, et qualibet in te privationis dignitatis, honorum aliorumque iurium sententia per eundem predecessorem lata — de fratrum suorum confirmarit consilio et assensu, supplens defectum, si quis alias in ipsa concessione extitit, de apostolice plenitudine potestatis, ac insuper comitatum et alia bona predicta cum civitatibus, castris, villis, casalibus, hominibus, iuribus, iurisdictionibus, iure patronatus etc. ut in alia[d] usque: de fratrum eorundem consilio et assensu sub certis servitiis concesserit et donarit ex certa scientia et gratia speciali[e], prout in apostolico privilegio etc. usque in finem[2].

362.

Alexander IV papa fratri Rufino poenitentiario et capellano suo mandatum de concedendis bonis ad demanium curiae pertinentibus dirigit. *1255, Ian. 25.*

Al. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. I, cur. 5. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, Bull. Franc. t. II, p. 12, n. 13 edidit.

Potthast, Reg. 15650.

Fratri Rufino penitentiario et capellano nostro[3].

Licet tibi concedendi de bonis ad demanium curie[4] pertinentibus personis ecclesie Romane fidelibus et devotis, si utilitati eiusdem ecclesie expedire videris, plenam et liberam concesserimus per alias nostras litteras facultatem, volumus tamen, quod valentia

a) *Instrumentum Innocentii, a. 1254, Dec. 3 datum, etc. ut p. 326, not. b, legitur ap. Rymer, l. c. p. 312; Capasso l. c. n. 180; non reg.* b) olim *deest ap. Inn.* c) obst[t] *R.* d) *cf. n. 360.* e) *sequitur in ep. Inn. idem, quod p. 327, not. b annotavimus; servitium: sex milites per quadraginta dies.*

1) *Chieti in prov. Abruzzo.* 2) *Odo ante Dec. 3 a. 1254 ab Innocentio investitus erat; Dec. 2 prope Fogiam a Manfredo victus est; Capasso, l. c. n. 179. — A. 1254, Dec. 30 papa abbati et capitulo saecularis ecclesiae sanctae Ierusalem et hominibus de Piscaria tam burgi novi quam veteris, fidelibus suis, bonas consuetudines observatas tempore Rogerii et Guillelmi I et II et iura et concessiones a Friderico II et Conrado seu aliis dominis, qui in regno Siciliae pro tempore fuissent, data confirmaverat et quasdam exemptiones concesserat; Lib. I, 16; Posse, Anal. Vat. p. 5, n. 64.* 3) *De eodem cf. supra n. 142, Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 447, not. 37 et infra n. 366.* 4) *A. 1255, Ian. 8 papa homines castri Laurini Capudaquensis diocesis [cf. Berger 2896], qui omnium regum Siciliae temporibus de regum demanio*

proventuum omnium bonorum huiusmodi, que concedere te continget, annuatim summam mille et quingentarum unciarum auri aliquatenus non excedat.

Dat. Neapoli, VIII Kalendas Februarii, anno I°.

363.

Alexander IV papa Tiubuldo de Dragone, fideli suo, concedit, ut castrum et proventus curiae in civitate Alifana teneat, donec ipsi de pecunia Conrado IV mutuata satisfactum fuerit. *1255, Ian. 28.*

Al. IV Reg. Vol. I, 11; Lib. I, 85. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobili viro Tiubuldo de Dragone[a1], fideli nostro.

Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, condam Gerardo[b] nato condam Fr. olim Romanorum imperatoris mille uncias auri ad pondus regni Sicilie mutuaveris ac propter hoc castrum, demania, redditus et proventus, que curia habet in civitate Alifana, tenere noscaris, volumus, quod castrum et predicta alia pro satisfactione huiusmodi pecunie teneas, sicut hactenus ea dinosceris tenuisse, donec tibi fuerit de predicta pecunia integre satisfactum.

Dat. Neapoli, V Kalendas Februarii, anno I°[2].

364.

Alexander IV papa consilio et communi Lucanis confirmat privilegium Henrici VI imperatoris, quo eis idem ius, quod Pisani in theloneo per omnes portus regni Siciliae obtinerent, a. 1197, Sept. 27 concessit. *1255, Ian. 28.*

Al. IV Reg. Vol. I, 9; Lib. I, 67. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

---

a) Dragoñ *R.* b) *ita R.*

fuisse asseruissent, cum fidelitatis debitae iuramentum papae praestitissent, de demanio ecclesiae esse statuerat; Lib. I, 32. Febr. 4 commune civitatis Insulanae, ut magis eorum devotio ferveret, ad suam et sedis apostolicae demanium recepit; Lib. I, 117. Oct. 18 communi Pennae de Luce Theatinae diocesis [cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 475 et 956] scripsit Fridericum II, cum gratiam ecclesiae obtineret, terram eorum construxisse et tam de imperii quam de quorundam demaniorum suorum terris hominibus convocatis ipsos, quoad vixisset, in suo demanio speciali tenuisset; propter quod papa eos in suo et ecclesiae demanio retinuit; Lib. I, 699. Cf. etiam Winkelmann, Acta t. I, p. 197, sub n. 215. Dec. 2 Bartholomaeo Tavernerio civi Parmensi [nepoti Innocentii IV, qui potestas Neapolitana fuerat, cum Alexander eligeretur; Salimbene p. 358] confirmavit quosdam redditus, quos in territoriis et pertinentiis civitatis Puteolanae, de castro de Mignano et platea Aversana ecclesia Romana ratione demanii obtineret; Lib. I, 722. A. 1263, Nov. 17, cum idem 'Bertolinus' in praesentia Urbani IV retulisset se ex provisione Alexandri commodum non habuisse, quia Manfredus regnum occupasset, papa ei centum librarum imperialium annuum redditum in castro Carpi usque ad beneplacitum apostolicum concessit; Nov. 20 Bertolinus se obligavit ad dimittendum hunc censum ad beneplacitum papae; Urb. IV Reg. beneficia [tom. 29], f. 80 et 81, n. 27 et 30.

1) *E mer. civ. Alife.* 2) *Eidem Diobuldo Innocentius IV castrum Dragoni cum baronia et donationem de castro Morton. [ut videtur Morcone e mer. et or. Boiani] a Friderico II ipsi et Diamuti uxori eius factam, non obstante depositionis sententia, confirmaverat; id quod Alexander IV ei, in praesentia sua constituto, a. 1255, Mart. 1 confirmavit; Lib. I, 159. Diobuldus a. 1248 exactor provinciae Aprucii erat; Böhmer-Ficker 3676; cf. Huillard-Bréholles, l. c. t. V, p. 1294.*

Consilio et communitati Lucanis.

Et ratio postulat et equitas persuadet, ut eos apostolice benignitatis favoribus prosequamur, quos fideles ecclesie invenimus et devotos. Cum igitur clare memorie Henricus Romanorum imperator et Sicilie rex et Constantia uxor eius idem ius, quod Pisani in tholoneo per omnes portus regni Sicilie obtinent, id vobis in tholoneo per omnes portus eosdem imperiali liberalitate duxerit concedendum, prout in privilegio imperatoris ipsius eius sigilli munimine roborato dinoscitur contineri: nos, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, collationem huiusmodi provide factam ratam et gratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Tenor autem ipsius privilegii talis est[1]:

In[a] nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie. Imperialis liberalitatis indeficiens gratia fidelibus suis benemeritis consuevit impertiri condigna meritorum stipendia, eis tamen huberius, qui a[b] fidelitatis tramite numquam oberrasse noscuntur, sed frequenter iacturis rerum, periculis corporum expositi circa obsequia nostra semper extiterunt devoti. Hac itaque ex causa est, quod nos, attendentes et pre oculis habentes multimoda obsequia, que fideles nostri Lucani et universi homines totius Tuscie maiestati nostre studiose et frequenter exhibuerunt, et specialiter plures ex eis in regno Sicilie, ex consueta benignitatis nostre gratia una cum clarissima consorte nostra Constantia illustri Romanorum imperatrice augusta et regina Sicilie concedimus ipsis hominibus Luce et aliis hominibus Tuscie, nostris fidelibus, idem ius in tholoneo per omnes portus nostri regni in introitu et exitu, quod habent Pisani[2]. Statuimus igitur et districte precipimus, ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis predictos fideles nostros in hac nostra concessione gravare audeat vel aliquatenus perturbare. Quod qui fecerit, XL libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis iniuriam[c]. Ad cuius rei memoriam presentem paginam inde conscribi iussimus et nostre maiestatis sigillo communiri. Huius rei testes sunt: Matheus Capuanus archiepiscopus, Guillelmus Reginus archiepiscopus, Bernardus[3] Messanensis archiepiscopus, Iohannes Cephaludensis episcopus, Guillelmus Montisferri marchio, Conradus dux Spoleti, Marquardus senescalcus marchio Ancone et dux Ravenne, comes Albertus de Spanheim et alii quamplures. Ego Conradus Hildeneshemensis episcopus, imperialis aule cancellarius, una cum domino Waltero Troiano episcopo et regni Sicilie cancellario recognovi. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M°CC°XC°VII°[d], indictione prima, regnante domino Henrico sexto Romanorum imperatore gloriosissimo et rege Sicilie potentissimo, anno regni eius XX°VIII, imperii vero VII°, et regni Sicilie III°. Datum Messane per manus Alberti imperialis aule protonotarii, vicesimo VII° die, mense Septembri[e 4].

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, V Kalendas Februarii, anno primo.

365.

Alexander IV papa Thomasio militi Anagnino, devoto ecclesiae, feudum Iohannis Obtinelli proditoris cum bonis eius in castro de Fummone sitis, quae ipse papa in minori

---

a) *antecedit litt.* C. b) quia *[sigla consueta] R.* c) in. pass. *R.* d) *ita R.* e) Sept' *R.*

1) *Epitomen praebuit Stumpf, Reichskanzler n. 5080.* 2) *Cf. Stumpf n. 4660 et 4745.* 3) *Leg. Berardus.* 4) *Postero die Henricus VI obiit.*

officio constitutus, S[tephanus] tituli S. Mariae Transtiberim presbyter et R[icardus] S. Angeli diaconus cardinales, in Campania et Maritima papales vicarii, eidem Thomasio a. 1245, Sept. 3 concesserunt, confirmat. *1255, Ian. 28.*

Al. IV Reg. Vol. I, 92; Lib. I, 611. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Thomasio militi Anagnino.

Prompte fidei et prone devotionis affectus, quem olim in fideli custodia castri nostri de Fummone[1] erga Romanam exhibuisti ecclesiam laudabiliter per effectum, digne meretur, ut personam tuam speciali benivolentia prosequentes, tuis supplicationibus favorabiliter annuamus. Cum itaque nos olim, dum in minori eramus officio constituti, et bone memorie[a] S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbyter et dilectus filius noster R. Sancti Angeli diaconus cardinales, in Campania et Maritima auctoritate apostolice sedis vicarii[2], pensatis omnibus sumptibus, laboribus et expensis, que dilectus filius S[tephanus] frater tuus, capellanus noster, et tu pro dicti castri et rocce subieras subsidio, feudum sive tenutam Iohannis Obtinelli proditoris cum hiis, que tenuit et habuit de bonis Riccardi soceri sui in castro Fummoni[b] et eius territorio, quibus idem Iohannes Obtinelli privatus extiterat exigentibus culpis suis[c], cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate felicis recordationis I. pape predecessoris nostri, qua[d] tunc temporis fungebamur, tibi et heredibus tuis in perpetuum libere ac cum integritate concesserimus ad habendum, sicut alii milites ipsius castri habere noscuntur, prout in nostris et dictorum cardinalium litteris inde confectis plenius continetur: humiliter supplicasti, ut concessionem huiusmodi auctoritate apostolica confirmare de benignitate solita curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, concessionem eandem gratam habentes et ratam, ipsam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes; qui talis est:

Miseratione divina R. Ostiensis et Velletrensis episcopus, S. tituli Sancte Marie Transtiberim presbyter et R. Sancti Angeli diaconus cardinales, in Campania et Maritima apostolice sedis vicarii, dilecto in Christo . . archipresbytero Sancte Marie de Fummone salutem in Domino. Cum gratia tribuenda sit meritis et retributione condigna carere non debeat sedulitas obsequentis, dignum est et consonum rationi, ut qui ecclesie Romane obsequiis totis viribus, toto mentis affectu se tribuunt, eis premiorum vicissitudo debita rependatur. Proinde discreti viri dilecti nostri Stephani de Anagnia, domini pape capellani, puritatis[e] constantiam nec non eius et germani sui Thomasii militis Anagnini studium, sollicitudinem et diligentiam, que prompta devotione impenderunt hactenus et impendunt pro custodia castri et arcis Fummonis, consideratione qua convenit attendentes, pensatis etiam et inspectis oneribus, sumptibus, laboribus et expensis, que pro predictorum castri et arcis subsidio et obsequio subierunt, dicto Thomasio militi et eius heredibus in perpetuum feudum sive tenutam Iohannis Obtinelli proditoris, vel alio quocumque nomine censeatur, cum hiis, que tenuit et habuit de bonis Riccardi condam soceri sui in castro predicto et territorio eius, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate domini pape, qua fungimur, libere ac cum integritate de conscientia certa concedimus ad habendum, sicut alii milites ipsius castri habere noscuntur. Quocirca presentium tibi auctoritate precipimus et mandamus, quatinus visis litteris eundem

a) et bōe bo *R.* b) *ita R.* c) suis *superscr. alia tinctura.* d) q̄ *R.* e) puritas *R.*

1) *Ex or. civ. Anagni.* 2) *Ex his compleas ea, quae t. II, p. 64, not. 1 et 3 annotavimus; cf. etiam Berger 2045. Ab a. 1248 papa Ricardum cardinalem rectorem Campaniae et Maritimae appellavit: Berger 3670, 3833, 3879, 3910, 4029; Potthast 13060; cf. t. II, p. 492, n. 681 VIII. Ei antea rectoris titulus adscriptus non erat; Berger 3076, 3275, 3290, 3324.*

Thomasium de feudo predicto sive tenuta, sicut dictum est, cum sollempnitate qua convenit studeas investire, in corporalem possessionem ipsius inducendo eundem. Dat. Anagnie, anno Domini M°CC°XLV, pontificatus domini I. pape IIII anno III, indictione III[a], mense Septembri, die tertio intrante.

Ut autem tu, Stephanus et Iacobus, filii tui legitimi, quos nunc habes, plenius ius in feudo seu tenuta predictis possitis vobis in posterum vendicare, ea cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de novo tibi et eisdem Stephano et Iacobo ac eorum heredibus in perpetuum concedimus de gratia speciali. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Neapoli, V Kalendas Februarii, anno I°[1].

366.

Alexander IV papa fratri Rufino ordinis Minorum, capellano et poenitentiario suo, quem O[ctavianus] S. Mariae in Via Lata diaconus cardinalis, in regno Siciliae legatus, suum in Sicilia et Calabria vicarium generalem constituerit, quaedam super hac commissione concedit. *1255, Ian. 29.*

Al. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. I, cur. 4. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Sbaralea, Bull. Franc. t. II, p. 12, n. 14 edidit.

Potthast, Reg. 15658; Capasso, l. c. n. 196.

Fratri Rufino de ordine fratrum Minorum, capellano et penitentiario nostro[2].

Cum dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, in regno Sicilie apostolice sedis legatus[3], tibi, quem tamquam virum magni consilii ad partes Sicilie ac Calabrie ad presens transmittimus, vices suas in partibus eisdem commiserit, constituendo te ibidem suum vicarium generalem, nos, commissionem huiusmodi velut per nos factam ratam et gratam habentes, discretioni tue presentium auctoritate concedimus, ut si te aliquando occasione aliquorum negotiorum contigerit occupari, ea, que tibi pretextu huiusmodi commissionis incumberent, possis[a] iuxta tue discretionis arbitrium committere personis idoneis exequenda.

Dat. Neapoli, IIII Kalendas Februarii, anno I°[4].

---

a) possīt *R.*

1) *De civitate Anagnina cf. Lib. I, 704; Potthast 16057 et 16080; cf. etiam 15284. A. 1255, Nov. 30 Petro, Iohanni et Paulo Pirontis fratribus civibus Terracinensibus, nepotibus magistri Iordani subdiaconi et notarii papae, quasdem terras in territorio Roccae Aquaeputridae sitas concessit; Lib. I, 723a et b. Pro Iordano nato Fusci Muscetula cive Brundusino [cf. Böhmer-Ficker 4708], consanguineo eiusdem Iordani, scripsit a. 1256, Ian. 7; Lib. II, 37. Iordanus subdiaconus rector Campaniae et Maritimae sub Innocentio fuerat; n. 216.* 2) *Cf. n. 362.* 3) *Electo Alexandro papa Guillelmus diaconus cardinalis [cf. n. 311] legationem suam resignavit, et eius loco subrogatus est Octavianus; Ann. Ianuen. a. 1254; SS. t. XVIII, p. 233. Sed nescimus, an Octavianus a. 1255 demum inter Ian. 25 et 29 legatus factus sit; nam cum papae placeret, ut Rufinus pro quodam negotio graviore in Siciliam et Calabriam mitteretur, vicarius legati nondum erat; cf. infra et n. 362. Legato contra Manfredum et Sarracenos praedicandi verbum crucis potestatem traditam esse, ut Saba Malaspina Lib. I, 5, Muratori, SS. t. VIII, col. 794 narrat, probabile nobis non est. Sed contra eosdem in Anglia verbum crucis proponi papa Mai. 15 iussit; Potthast 15864; cf. 15836, 15841, 15847, 15865, 15878, 15879; non reg.* 4) *Rufinum Siculis commendatum esse credimus per ep. Potthast 15507; non reg. Haec ep. non ante Aug. 1254 scripta est; cf. n. 314. Sed non*

367.

Alexander IV papa hominibus civitatis Caleni mandat, ut Ricardo comiti Casertano, cui ipse civitatem Caleni, qua a Conrado IV destitutus sit, restituerit, iuramenta fidelitatis praestent. *1255, Ian. 29.*

Al. IV Reg. Vol. I, 11; Lib. I, 84. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Universis hominibus civitatis Caleni[a].

Cum nos dilecto filio nobili viro Riccardo comiti Casertano[1], fideli nostro, possessionem civitatis Caleni[a], qua condam Conradus natus condam Fr. olim Romanorum imperatoris ipsum pro suo libito destituisse dicitur, de fratrum nostrorum consilio et assensu plenarie restituerimus ac insuper civitatem eandem, sicut eam ipse suique progenitores habuisse noscuntur, ei et heredibus eius de novo concesserimus de gratia speciali, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur: universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem comiti iuramenta fidelitatis prestare, fidelitate Romane ecclesie semper salva, ac de omnibus iuribus, redditibus et proventibus, que inibi curia consuevit habere, integre respondere curetis. Alioquin dilecto filio Stephano Surdo canonico Arien.[b][2] litteris nostris iniungimus, ut vos[c] ad id monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellat.

Dat. Neapoli, IIII Kalendas Februarii, anno I°.

368.

Alexander IV papa abbati Uterinae Vallis scribit cum auctoritate litterarum Innocentii IV [Henrico II] electo Spirensi de episcopatu Herbipolensi providere voluisse, capitulum autem Herbipolense, cum ecclesia vacaverit, Iringum canonicum in episcopum elegisse; mandat, ut quicquid ob id contra eosdem episcopum et capitulum attemptaverit, revocet. *1255, Ian. 30.*

Al. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 92. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. abbati Uterine Vallis Cisterciensis ordinis Spirensis diocesis.

Impressus felicis recordationis I. papa predecessor noster procacis importunitatis instantia, quam sibi ecclesie universalis necessitas et pertinax dierum malitia ingerere videbantur, nonnullis clericis, tam religiosis quam secularibus, de archiepiscopatu vel episcopatu mandavit per generales et interdum per speciales litteras provideri: ex quo aliquando preter mandatoris intentionem ecclesiis et earum personis difficultates et scandala emerserunt. Accepimus sane, quod cum dudum dilectus filius .. Spirensis electus super provisione sua de aliquo archiepiscopatu vel episcopatu, quem duceret in regno Alamannie acceptandum, ad te sub certa forma ipsius predecessoris litteras impetrasset[3].

---

a) Caleñ *R.* b) Arien *R.* c) vos *superscr.*

Guillelmus cardinalis legatus per eam commendatur sed rector, ut Capasso n. 197 recte monuit; cf. ep. t. II, p. 488, n. 681 III aliquot locis similem; cf. etiam supra n. 39. Praeterea ep. non incolis 'regni Siciliae' sed 'Siciliae' directa est; propter quod fortasse Mart.—Apr. demum exarata est, cum Rufinus vicarius solius insulae Siciliae esset; cf. sub Apr. 1.

1) *Cf. n. 114 et p. 143, not. 2. Iam Innocentio IV denuo se subiecerat; cf. concessionem regni Siciliae Edmundo filio Henrici regis Angliae a. 1255, Apr. 9 factam; Potthast 15784; Capasso, l. c. n. 210, § 13; non reg. A. 1257, Sept. Manfredo adhaerebat; Böhmer-Ficker 4665.* 2) *Fortasse Arienzo; cf. p. 327, not. 2; sed fortasse* Arianensi *legendum est.* 3) *Ante a. 1252, Mai. 23; cf. p. 203, not. 8 et n. 178.*

tu vivente bone memorie Herbipolensi episcopo[1] dilectis filiis . . preposito, . . decano et capitulo Herbipolensis ecclesie huiusmodi litterarum auctoritate mandasti, ne si ecclesiam ipsam pastore vacare contingeret, ad electionem alicuius procederent, cum ad eandem ecclesiam prefatum electum iuxta mandatum apostolicum tibi directum intenderes promovere. Cumque, interim a predicto predecessore huiusmodi litteris et processibus per eas habitis generaliter revocatis et capitulis et aliis collegiis ecclesiarum preficiendi sibi prelatos per electionem canonicam reddita libera facultate[2], idem electus tibi ab eodem predecessore per alias obtinuerit litteras demandari, ut — revocatione huiusmodi non obstante — in provisione ipsius procederes iuxta priorum continentiam litterarum[3]; prepositus, decanus et capitulum supradicti postmodum ab eodem predecessore per apostolicam indulgentiam sibi obtinuere concedi, ut quando eorum ecclesia destitueretur pastore, libere possent ad electionem procedere — non obstantibus[a] aliquibus litteris a sede apostolica impetratis seu etiam impetrandis et factis eis inhibitionibus vel reservationibus per easdem, nec non sententiis[b], si que late essent, vel processu habito[c] contra eos, [que omnia idem predecessor voluit][d] in irritum revocari[4]. Demum vero, eadem ecclesia pastore vacante[5], iidem prepositus, decanus et capitulum venerabilem fratrem nostrum Iringum Herbipolensem episcopum, tunc eorum concanonicum[6], in suum episcopum et pastorem canonice ac concorditer elegerunt, ac loci metropolitanus presentatam sibi electionem huiusmodi, de ea legitime cognito ac inspecta prefata indulgentia, confirmavit et electo munus consecrationis impendit[7]. Set nichilominus prefatus electus[8] memoratos episcopum, prepositum et capitulum super episcopatu Herbipolensi pretextu predictarum litterarum pro sue voluntatis libito inquietat in gravem ipsius ecclesie lesionem. Nos igitur, attendentes quod reservationes et inhibitiones huiusmodi, dum facultatem adipiscendi preveniunt, notabilem videntur[e] maxime in archiepiscopatibus et episcopatibus assequendis ambitum continere, mandamus, quatinus si est ita, in executione mandati predicti, quo ad predictum episcopatum, penitus supersedens, revoces, quicquid hac occasione contra sepedictos episcopum, prepositum, decanum et capitulum attemptasti. Alioquin dilecto filio . . abbati de Eberach[9] Cisterciensis ordinis Herbipolensis diocesis nostris damus litteris in mandatis, ut ipse super hoc mandatum apostolicum exequatur; contradictores [etc.][f]; — non obstante si aliquibus, quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, a sede apostolica sit indultum.

Dat. Neapoli, III Kalendas Februarii, anno I°.

369.

Alexander IV papa Nicolaum et fratres eius, filios et heredes quondam Iohannis Morenae de Siracusio, cum de officiis patris eorum Manfredo principi Tarentino, tunc

a) ob—stantibus *R.; spatium 6 litt. circiter vacuum.* b) sententias *R.* c) habiti *R.* d) *tale quid deest R.; cf. n. 302. Sed fortasse ita corrigendum est:* essent [occasione] processu[s] habiti contra eos, [quas idem *etc.*]. *Formulae in minuta integrae scriptae esse non videntur.* e) videretur *R.* f) etc *deest R.*

1) *Hermanno.* 2) *A. 1252, Mai. 23; n. 141.* 3) *A. 1253, Apr. 9 et Nov. 13; cf. n. 237.* 4) *Cf. a. 1253, Aug. 29; cf. n. 227.* 5) *Hermannus episcopus a. 1254, Mart. 2 obiit; Ussermann, Episc. Wirceb. p. 88.* 6) *Et canonicum S. Kiliani; Chron. Sampetr. ed Stübel p. 85. Cf. t. II, p. 557, n. 753.* 7) *Gerhardus archiepiscopus Maguntinus Iringum a. 1254, Apr. 11 in Monte S. Petri [Erfordiae] in presbyterum consecravit, Apr. 12 in ecclesia S. Mariae episcopum ordinavit; Chron. Sampetr. p. 85. Archiepiscopus excommunicatus tum erat; cf. n. 276.* 8) *Henricus a. 1254, Dec. 31 'Spirensem electum'; a. 1255, Apr. 4 apud Spiram et Apr. 12 et 23 apud Kestenburg 'Spirensem et Herbipolensem electum'; a. 1256, Ian. 18 'Spirensem electum' se appellarit; Wirtemb. U. B. t. V, p. 83, n. 1316 et p. 105, n. 1341; Remling, U. B. d. Bisch. zu Speyer p. 263, n. 285; p. 264, n. 287; p. 267, n. 292. Cf. infra sub Dec. 11 et a. 1256, Ian. 23 et Mart. 17.* 9) *Bertholdo.*

pro balio regni se gerente, ratio reddita sit et curiae satisfactum, ab omni onere rationis absolutos declarat. *1255, Ian. 31.*

Al. IV Reg. Vol. I, 13; Lib. I, 102. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nicolao, Petrucio, Iacobo et Frorino pupillis, filiis et heredibus condam Iohannis Morene de Siracusio, fidelibus nostris[a].

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, Nicolaus Traversa de Siracusio plenariam et debitam reddiderit rationem pro parte vestra nobili viro Manfredo principi Tarantino[b], tunc pro regni Sicilie balio se gerente[1], de officiis, que condam Iohannes Morena pater vester[2] exercuit tempore condam Fr. olim Romanorum imperatoris, et ad plenum curie satisfecerit, idemque princeps vos in perpetuum ab omni onere huiusmodi rationis[c] pro predictis officiis duxerit absolvendos, prout in ipsius litteris exinde confectis plenius dicitur contineri: nos, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem principe provide factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, II Kalendas Februarii, anno I°.

370.

Alexander IV papa per patrimonium sedis apostolicae et regnum Siciliae mandat, ne a nominatis Iudaeis, qui curiam papalem cum mercibus suis sequantur, passagia vel pedagia exigantur. *1255, Febr. 1.*

Al. IV Reg. Vol. I, 12; Lib. I, 91. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Potestatibus, baronibus et communitatibus in patrimonio sedis apostolice et regno Sicilie constitutis.

Nolentes ut Angelus Sabbatinus, Museus, Salamon[d] et Angelus Iudei ac eorum socii mercatores, cives Romani, cum suis mercibus curiam nostram sequentes, in terra ecclesie exactionibus aggraventur, universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ab eisdem mercatoribus, cum ad curiam nostram cum mercibus suis veniunt vel recedunt ab ipsa, nichil penitus ratione passagii vel pedagii exigatis.

Dat. Neapoli, Kalendis Februarii, anno I°.

In eundem modum pro Consiliolo Iudeo et sociis eius mercatoribus, civibus Romanis[3].

---

a) fi n *R.* b) *ita R.* c) rationi *R.* d) *ita R.*

1) *Cf. p. 293, not. 4.* 2) *Magister procurator curiae in Principatu et Terra Laboris fuerat; Winkelmann, Acta t. I, p. 683, n. 904 et p. 716, n. 943.* 3) *Mart. 5 cives et mercatores Romanos [nominibus non expressis] in regno Siciliae et patrimonio ecclesiae a pedagiis, teloneis et exactionibus liberavit; Lib. I, 178 et 179; Posse, Anal. Vat. p. 2, n. 13 et 14. Apr. 6 Iacobo Nepuleonis Iohannis Gaietani civi Romano confirmavit terras, quae fuissent quondam Bartholomaei de Taliacoza, videlicet arcem de Taliacocza, quae diceretur civitas, et ipsum castrum, castrum quoque Maranum [cf. n. 184], ad Nepuleonem natum ipsius uxoris ipsius nomine pertinentes, et castrum S. Donati, quae ab ecclesia Romana se tenere coram Innocentio IV recognovisset et de quibus idem papa eum investivisset; Lib. I, 261; cf. 242 et Lib. III, 312.*

371.

Alexander IV papa Bertholdo, Oddoni et Lodovico fratribus marchionibus de Hohenburch concedit, ut civitatem Avellini et castrum Summae per quoddam tempus retineant.
1255, Febr. 3.

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198k. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobilibus viris Bertholdo et Oddoni ac Lodoico fratribus, marchionibus de Hohemburch, fidelibus nostris[a].

Nobilitati vestre de fratrum nostrorum consilio presentium auctoritate concedimus, ut civitatem Avellini[1] et castrum Summe[2] tamdiu licite ac libere retinere possitis, donec in terris, quarum proventus ducentas uncias auri valeant annuatim, vobis in regno Sicilie per sedem apostolicam sit provisum. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Neapoli, III Nonas Februarii, anno I°.

372.

Alexander IV papa episcopos, abbates et principes Sueviae hortatur, ut [Alfonso] regi Castellae et Legionis ad acquirendum ducatum Sueviae, ei ex materna successione competentem, potenter assistant.
1255, Febr. 4.

Alex. IV Reg. Vol. I, 16; Lib. I, 127. Pertzii exemplar, suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1255, § 53, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15570; Würtemb. Vierteljahrsh. t. VII, a. 1884, Heft 2, p. 141.

Episcopis, abbatibus et principibus per ducatum Suevie constitutis.

Ea carissimus in Christo filius noster . . rex Castelle et Legionis illustris ac progenitores sui sinceritate devotionis et fidei erga Romanam ecclesiam inter alios catholicos principes preteritis claruisse temporibus dinoscuntur, ut eundem suis et suorum exigentibus meritis specialis dilectionis brachiis amplectentes, plenis desideriis exoptemus ipsum continuis honoris et gratie proficere incrementis, eique in hiis, que ipsius profectum respiciunt, nostri favoris exhibeamus plenitudinem liberaliter et libenter. Cum igitur, sicut intelleximus, idem rex ad acquirendum ducatum Suevie et quedam alia iura sibi in illis partibus ex materna successione competentia ea qua convenit circumspectione et potentia desideranter intendat, nos, vestrum in hoc procurari honorem et eiusdem ducatus statum prosperum attendentes, devotionem vestram rogamus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta mandantes, quatinus dicto regi et eius nunciis ob reverentiam apostolice sedis et nostram in eisdem ducatu et iuribus obtinendis potenter et patenter pro viribus assistentes, eis in tam utilis vobis et ipsi ducatui prosecutione negocii fidele consilium et efficax auxilium impendatis, ita quod idem rex vestre potentie ope fultus obtinere valeat quod intendit, et vos eos, qui ecclesiam diligunt, per effectum operis diligere comprobantes, nostram uberius exinde mereamini gratiam et favorem[3].

Dat. Neapoli, II Nonas Februarii, anno I°[4].

---

a) Eisdem *R.; antecedit n. 383.*

1) *Cf. Berger 3172 et 3182.* 2) *Somma ex sept. Vesuvii.* 3) *Innocentius Alfonso de eadem re a. 1246, Mai. 3 aliud scripserat; t. II, p. 136, n. 180. Alexander ipse a. 1255, Ian. 23 Conradum puerum 'ducem Sueviae' appellaverat et omnia iura eius integra se servaturum esse promiserat; Potthast 15649; non reg.; cf. n. 320 et infra sub n. 382.* 4) *Aliae epp. benignae eidem regi scriptae Lib. I, 240, 344 [Potthast 15795, sed in Reg. sub Apr. 11], 478, 653, 691 [Potth. 16065], 692, 700—703 [Potth. 16066].*

In eundem modum nobilibus viris comitibus, baronibus, militibus et ministerialibus per ducatum Suevie constitutis.

In eundem modum rectoribus et castellanis ac communitatibus civitatum et castrorum per ducatum Suevie constitutis.

373.

Alexander IV papa Bertholdo, Odoni et Lodowico fratribus marchionibus de Hohenburg, fidelibus suis, ducatum Amalfiae cum nominatis civitatibus, castris et villis in feudum concedit, ita ut ea omnia, de quibus a papa ipso investiti sint, immediate ab ecclesia Romana teneant. *1255, Febr. 9.*

Al. IV Reg. Vol. I, 25; Lib. I, 198d. Pertzii exemplar contulimus cum authentico ap. Rymer, l. c. t. I, pars I, p. 314 [A.].

Potthast, Reg. 15677; Capasso, l. c. n. 201.

Nobilibus viris Bertholdo et Odoni ac Lodowico fratribus marchionibus de Hohemburch, fidelibus nostris, salutem etc.

Clemens[a] semper et mitis in suis actibus mater ecclesia illum benignitatis circa suos filios et subditos tenet modum, ut tamquam vehementer in operibus pietatis exultans et quasi amenas sibi delicias extimans misereri, eligat magis servare mansuetudinem quam rigorem et ignoscere potius quam sevire. Unde, si culpam in quoquam repperiat vel offensam, quia delectabile ac iocundum est sibi dimittere delinquentem in pene dimissione vel moderatione[b] iocundum, libentius parcit, quam feriat, et plus se illi propiciam exhibet quam severam; nam et agnoscit, quod re vera tunc egregie[c] de aliquo vindicta sumitur, cum ei magnanimiter indulgetur. Id enim in suis precipue querit et optat ecclesia, quod in suo benigno collecti gremio amore ac devotione proficiant et in suorum dulcedine uberum continue delectentur, quibus sponte nos in donis et gratiis largifluos exhibemus, ut benivolentia et liberalitate nostra percepta[d] in nostris et eiusdem ecclesie beneplacitis fortius roborentur[e]. Quia igitur ipsius ecclesie brachiis vos totaliter commisistis, eam matrem recognoscentes et dominam, vestra firmata salubriter ad ipsius mandata et obsequia voluntate, nos de hoc multo concepto gaudio, quoniam per vos, in quibus nobilitas generis, potentia, industria et alia plura digna laude concurrunt, honor, commodum et exaltatio ecclesie poterunt efficaciter procurari, providimus personas vestras, presertim[1] cum dudum diligenter et multipliciter laboraveritis condam Fr. Romanorum imperatorem et C. natum eius ad ipsius[f] devotionem attrahere ac inter eos et ecclesiam pacis federa reformare, donis honorare condignis vestrumque statum gratiis magnificis adaugere. Hinc est, quod cum regnum Sicilie cum omnibus districtibus et pertinentiis suis ad apostolicam sedem plene pertineat sitque ad eius dominium totaliter devolutum, nos, volentes vos in illo prerogativa beneficiorum efferre, ducatum Amalfie cum civitatibus, castris, villis, casalibus, videlicet Amalfia[g], Plaiano[2], Vetita maiore[3], Vetita minore[4], Rufforore, Casanova, Laureto, Toboli, Scala[5], Ravello[6],

---

a) *cf. n. 318.* b) *A.*; meditatione *R.* c) *A.*; egregia *R.* d) *A.*; precepta *R.* e) *A.*; roboretur *R.* f) sedis *add. A.* g) *A.*; Amalfiā *R.*

1) *Verba* presertim — reformare *leguntur etiam in ep. Innocentii, qua a. 1254, Nov. 3 Bertholdum senescalcum regni constituit; Rymer, l. c. p. 311.* 2) *Prajano ex occ. Amalfiae.* 3) *Vettica maggiore ex occ. Plaiani.* 4) *Vettica minore ex or. Plaiani.* 5) *Ex sept. Amalfiae.* 6) *Ex sept. et or. Amalfiae.*

Tramonte [1], Agerula [2], Pogerula [3], Pino [4], Pigmonte [5], Atrano [6], Maiori [7], Minori [8], insula Crapitana et Pasitana, necnon cum hominibus eorundem, honoribus, iuribus, iurisdictionibus, iure patronatus conventualium et non conventualium ecclesiarum, pascuis, nemoribus, pratis, possessionibus, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, iustitiis et cum omnibus rationibus et pertinentiis suis, et cum hiis que ad merum et mixtum imperium pertinent, ea videlicet que sunt de demanio in demanium et que sunt de servitio in servitium, civitate Licterensi [a] [9] et castro Graniani [b] [10] dumtaxat exceptis, vobis vestrisque heredibus in perpetuum de fratrum nostrorum consilio et assensu in feudum concedimus et donamus ex certa scientia et gratia speciali — non obstante [c] qualibet constitutione generaliter vel specialiter edita vel edenda, per quam infringi vel vacuari posset hec nostra concessio seu donatio aut ei quomodolibet derogari —, ita quod nullus iustitiarius nec quisquam alius officialis curie maior aut minor, excepto legato sedis apostolice, in ducatu, civitatibus, castris, villis, casalibus et aliis predictis aliquid querere vel exigere aut ordinare vel statuere seu potestate sive iurisdictione aliqua uti possit, set vos iidemque heredes ea omnia, de quibus vos in predictorum fratrum presentia per anulum investivimus, in feudum immediate a Romana ecclesia integre habeatis et teneatis, nullum alium preter ipsam exinde superiorem vel dominum cognoscendo. Volumus autem, ut quotienscumque ipsa Romana ecclesia generalem exercitum pro defensione regni prefati congregaverit vel indixerit, vos dictique heredes teneamini pro ducatu predicto XX[ti] milites equis et armis decenter munitos ad serviendum per XL dies in vestris sumptibus eidem ecclesie infra dicti regni confinia exhibere. Nos quoque et [d] eadem ecclesia vos ac ipsos heredes in ducatus et aliorum predictorum omnium possessione manutenebimus et contra omnes, qui vos molestaverint, impetierint vel turbaverint super illis, defensione vobis assistere curabimus oportuna. Et si aliquem ius in eis vel ipsorum aliquo ex successione, donatione, emptione, permutatione aut quocumque alio modo vel titulo habere constiterit, nos de condigno [e] illi concambio vel vobis, priusquam predicta vel aliquid dimittatis eorum, in eodem regno studebimus providere. Nulli etc. nostre concessionis et donationis etc.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, V Idus Februarii, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LIIII° [11], pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno I° [f].

374.

Alexander IV papa eisdem in praesentia sua constitutis confirmationes, concessiones et donationes comitatuum, baroniarum, civitatum et aliorum bonorum ab Innocentio IV papa eis in regno Siciliae factas confirmat. *1255, Febr. 10.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198n. Pertzii exemplar contulimus cum authentico ap. Rymer, l. c. p. 314 [A.].

Potthast, Reg. 15678; Capasso, l. c. n. 202.

a) Littan' *A.* b) Gravian' *A.* c) obstantibus *A.* d) *A.;* et *deest R.* e) *A.;* concambio *R.* f) *A. subscriptionibus papae et cardinalium et plumbeo sigillo pendente a filo canabeo munitum erat.*

1) *Ex sept. loci Minori.* 2) *Ex occ. Amalfiae.* 3) *Ex occ. Amalfiae.* 4) *E mer. et or. civ. Gragnano; cf. Berger 2897.* 5) *E mer. et or. civ. Castellamare.* 6) *E mer. Ravelli.* 7) *Ex or. Atrani.* 8) *Inter Atranum et Maiorem.* 9) *Lettere ex or. Graniani.* 10) *Gragnano ex or. civ. Castellamare.* 11) *Annus secundum calculum Florentinum computatus est, a. 1254, Mart. 25—1255, Mart. 24.*

Nobilibus viris Bertholdo, Odoni et Lodoico fratribus marchionibus de Hohemburch, fidelibus nostris.

Decet et expedit devotorum et subditorum merita debita consideratione pensari, ut digni ab indignis et singulorum acta, qualiter quisque se gesserit, provide discernantur, et quoniam diversi et varii promerendi sunt modi, qui amplius et melius serviverit, liquido agnoscatur, quatenus unicuique secundum quod meruit[a] retributio condigna proveniat, et quia ubi magnum procedit obsequium, merces non modica sequi debet, ei, qui plus famulando impendit, maius premium impendatur. Sane, quanta sinceritate erga nos et Romanam ecclesiam fulgeatis, non oportet multa verborum congerie aut prolixi stili oraculo explicare, cum satis manifestum existat et plus id facta notificent, quam posset narratibus reserari; propter quod digne proponimus et apostolicos circa vos multiplicare favores et statum vestrum condignis munificentiis ampliare. Cum itaque, sicut in nostra proposuistis presentia constituti, felicis recordationis I. papa predecessor noster nonnullos comitatus et quasdam baronias et civitates ac quamplura castra, casalia et bona alia vobis vestrisque heredibus in regno Sycilie de fratrum suorum consilio[b] confirmaverit, concesserit et donarit ex certa scientia et gratia speciali, prout in apostolicis privilegiis et litteris super hoc obtentis plenius continetur, nos, vestris supplicationibus inclinati, confirmationes, concessiones et donationes huiusmodi ratas habentes et gratas, illas de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli[c], IIII Idus Februarii, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LIIII°, pontificatus vero domni Alexandri pape IIII anno I°[d].

375.

Alexander IV papa eisdem concedit, ut in bonis ab Innocentio IV eis in regno Siciliae confirmatis vel concessis, si aliquis vel aliqui eorum sine legitimis decesserint liberis, reliquus vel reliqui succedant, exceptis officio senescalciae et mille quingentis unciis auri annuis Bertholdo quoad vixerit concessis. 1255, Febr. 10.

Al. IV Reg. Vol. I, 26: Lib. I, 198 a. Pertzii exemplar contulimus cum authentico sub Febr. 15 dato ap. Rymer, l. c. p. 315 [A.].

Potthast, Reg. 15693 sub Febr. 15; Capasso, l. c. n. 205.

Eisdem.

Eximia devotionis et constantie vestre merita sic preminent et prefulgent, quod dum precellentiam et claritatem ipsorum attendimus, tot illa digna gratiis et beneficiis arbitramur, quod vix aliquis[e] modus retributionis occurrit, per quem eorum altitudinem condigno possimus[f] premio compensare; propter quod attenti sedulo sumus et vigiles et circa hoc iugis cogitatio nostra versatur, ut pro talibus tantisque meritis personas vestras et oportunis fulciamus gratiis et congruis honoribus exaltemus. Cum igitur, sicut in nostra proposuistis presentia constituti, nonnulla bona vobis tam a felicis recordationis I. papa predecessore nostro quam a nobis etiam de fratrum nostrorum consilio et assensu in regno Sicilie sint confirmata, concessa et donata, prout in apostolicis pri-

a) meruerit A. b) et assensu *add.* A. c) per manum — vicecancellarii *deest etiam* A. d) A. *subscriptionibus papae etc. ut p. 338, not. f.* e) nobis *add.* A. f) possumus A.

vilegiis super hoc obtentis plenius continetur, volumus et de predictorum fratrum consilio et assensu presentium vobis auctoritate concedimus, ut si aliquis vel aliqui vestrum sine legitimis decesserint liberis, reliquus vel reliqui in huiusmodi bonis succedant et illa habeant, sicut ea vobis a sede apostolica confirmata, concessa et donata esse noscuntur, exceptis officio senescalcie ipsius regni[1] ac mille quingentis unciis auri annuis[2], que ibidem tibi, fili Bertholde, ab eadem sede quoad vixeris sunt concessa. Nulli ergo etc. nostre confirmationis etc.

Dat. ut supra[a].

376.

Alexander IV papa advocato, consulibus et universitati Turicensibus confirmat sententiam [Bertholdi] episcopi Basiliensis, qua eos auctoritate litterarum Innocentii IV papae ab omnibus poenis absolverit, quas ex culpis praeteritis, et inprimis propter damna monasterio Lucernensi illata incurrerint. *1255, Febr. 12.*

Al. IV Reg. Vol. I, 16; Lib. I, 130. Damus Pertzii exemplar.

.. advocato, consulibus et universitati Turricensibus Constantiensis diocesis.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum vos una cum aliis adherentibus condam Fr. se tunc pro imperatore gerenti Lucernense opidum eiusdem diocesis obsideretis, monasterio loci eiusdem multa fuerunt dampna occasione huiusmodi obsidionis illata, et quamvis tam a venerabili fratre nostro .. Basiliensi episcopo[3] quam a dilecto filio fratre Warnero converso Cisterciensis ordinis[4] vobis promissum fuerit, dum ad obsequium ecclesie rediistis, ut vobis pro hiis ab eadem ecclesia remissionis et absolutionis gratiam obtinerent, nichilominus tamen .. prepositus et conventus eiusdem monasterii Lucernensis ordinis sancti Benedicti vos super dampnis huiusmodi coram venerabili fratre nostro .. Constantiensi episcopo auctoritate ordinaria convenerunt. Quare felicis recordationis I. pape predecessori nostro supplicastis humiliter, ut cum plura dampna vobis irrogata fuerint per ecclesie inimicos, postquam pro ecclesie Romane devotione ipsorum consortium declinastis, mandaret vos iuxta predictorum promissum aliquatenus non teneri de talibus dampnis monasterio eidem[b] illatis nec permitteret vos[c] de cetero predictorum occasione vexari, set excommunicationis vel interdicti sententiam in vos vel terram vestram prolatam occasione huiusmodi mandaret per apostolice sedis providentiam relaxari. Unde predecessor ipse dicto Basiliensi episcopo suis dedit litteris in mandatis, ut super hiis vobiscum ageret apostolice sedis auctoritate, prout secundum Deum videret ecclesie negotio expedire; contradictores —. Propter

a) Dat. Neapoli, XV Kal. Martii, indictione XIII, incarnationis Dominice anno MCCLIIII, pontificatus domini Alexandri pape IIII anno primo *A.; cf. N. A. t. X, p. 556 et sequ. A. subscriptionibus papae etc. ut p. 338, not. f.* b) moñ eiusdem *R.* c) ipsos *R.; quod verbum convenit formae epistolae, 'conservatori' huius confirmationis directae; cf. t. II, p. XII, not. 10.*

1) *Cf. n. 357.* 2) *Cf. n. 358.* 3) *Bertholdus episcopus sedit ab a. 1249 vel initio a. 1250. Interdictum, cui civitas Turicensis supposita erat, pro eo quod eius homines Friderico II faverent, primo commemoratum invenimus in ep. Petri S. Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis legati a. 1247, Aug. 12; v. Wyss, Gesch. d. Abt. Zürich in Mitth. d. antiqu. Ges. in Zürich t. VIII, Beil. p. 98, n. 112; cf. ibid. n. 107. A. 1249, Nov. 27 interdictum adhuc duravit; ibid. n. 122; cf. Ann. Colmar. a. 1247, SS. t. XVII, p. 190. A. 1254, Mai. 10 iam relaxatum fuisse videtur; Potthast 15359 et Addenda.* 4) *Ut videtur Wernero converso monasterii de Wettingen; de quo cf. t. II.*

quod idem Basiliensis episcopus, diligenter attendens quod vos fide sinceri, ac devotione ferventes studebatis patenter inimicos ecclesie impugnare, vos, ecclesias et terras vestras ab omni actione, impetitione, pena, satisfactione, excommunicatione, interdicto, quarum ex premissis culpis noscebamini constituisse vos reos, auctoritate litterarum huiusmodi[a] absolvit. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, absolutionem et impunitatem per dictum Basiliensem episcopum vobis provide traditas in hac parte ratas habentes et gratas, ipsas auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, II Idus Februarii, anno primo.

377.

***A**lexander IV papa nominatis militibus et ceteris de Turego impunitates, de postsequela quondam Friderici II ipsis auctoritate apostolica ab [Eberhardo] episcopo Constantiensi concessas, confirmat.* *1255, Febr. 12.*

Al. IV Reg. Vol. I, 18; Lib. I, 145. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Nobilibus viris I. Molendinario, V. Sculteto, B. de Hottingen, H. Brunoni, C. Wellensi, C. Wicensi militibus ceterisque de Turego, ecclesie Romane devotis, Constantiensis diocesis[1].

Cum, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, venerabilis frater noster .. Constantiensis episcopus, vobis[b] ad ecclesie reconciliatis[c] gremium, de postsequela[d] condam Fr. tunc se pro imperatore gerentis quasdam vobis impunitates auctoritate litterarum felicis recordationis I. pape predecessoris nostri ac dilecti filii nostri H. tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, tunc in illis partibus apostolice sedis legati[2], duxerit concedendas, prout in litteris inde confectis ipsius episcopi munitis sigillo plenius dicitur contineri: nos reconciliationem et impunitates huiusmodi provide factas ratas et gratas habentes, eas auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, II Idus Februarii, anno I°.

378.

***A**lexander IV papa [Sigeberto] episcopo Novariensi scribit [Bonifatium] electum Astensem petiisse, ut quasdam possessiones et iura ecclesiae suae a civibus Astensibus per vim occupata eisdem vendere sibi liceret; mandat, ut si expedire viderit, electo licentiam postulatam tribuat.* *1255, Febr. 13.*

Al. IV Reg. Vol. I, 18; Lib. I, 140. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. episcopo Novariensi.

Petitio dilecti filii .. electi Astensis nobis exhibita continebat[3], quod temporalis iurisdictio, contile[4], dominium, vassallagium et alia iura, que Astensis ecclesia in castris,

a) *sequitur iterum* vos *R.* b) vos *R.* c) *ult. litt.* i *in loco raso.* d) post sequelam *R.*

1) *Cf. n. 376.* 2) *Hugo legatus erat ab a. 1251, Apr. — 1253, Aug.; cf. p. 81, not. 2 et p. 205, not. 6.* 3) *Cf. n. 112.* 4) *I. e. comitatus.*

villis ac hominibus Astensis episcopatus habere dinoscitur, a communitatibus quarundam civitatum et castrorum aliisque nobilibus circumstantibus et, quod nephandius est, a communi civitatis Astensis, qui ecclesiam ipsam velut matrem honorare ac ab aliorum oppressionibus defensare deberent, adeo per iniuriam et violentiam occupata[a] noscuntur, ut multum dispendii et laboris et parum vel nichil utilitatis percipiat ex eisdem. Quare dictus electus nobis humiliter supplicavit, ut cum eadem ecclesia ad recuperationem predictorum contra tales insufficiens penitus dinoscatur, cum iam propter hoc multarum perdiderit impendia expensarum, vendendi premissa eisdem Astensibus, maxime cum ipsi velint ut asserunt sibi et eidem ecclesie de Govono[1], de Vicia[2] et de Rocha castra ipsius episcopatus libera dimittere ac quieta, nec non et amplas possessiones vicinas civitati predicte propriis sumptibus emere, ita quod tam ex possessionibus castrorum dictorum eis[b] pacifice remanentibus quam etiam ex emendis eadem ecclesia percipere valeat pares vel pinguiores redditus hiis, quos antea, dum haberet in pace omnia, percipere consuevit, licentiam sibi concedere curaremus. Gerentes itaque de circumspectione vestra[c] fiduciam in Domino pleniorem, mandamus, quatinus huiusmodi negotii circumstantiis sollicite indagatis, si eidem ecclesie videris expedire et capitulum eiusdem ecclesie vel maior et sanior pars ipsius in hoc unanimiter concordabit, tribuas eidem electo auctoritate nostra licentiam postulatam, proviso prudenter ne quod pro ipsius ecclesie utilitate conceditur, in ipsius possit vergere detrimentum, idque de manibus tuis a Domino requiratur.

Dat. Neapoli, Idibus Februarii, anno I°.

379.

Alexander IV papa Bertholdo marchioni de Hohemburch promittit, si eum per Manfredum principem Tarentinum, qui postquam a Tiano propter mortem Burelli de Anglone ab ecclesia illicentiatus recessit, rebellionis spiritum assumpserit, bonis in regno obtentis destitui contigerit, ecclesiam ei ibidem de concambio convenienti provisuram esse.

1255, Febr. 15.

Al. IV Reg. Vol. I, 25—26; Lib. I, 198e. Damus Pertzii exemplar.

Nobili viro Bertholdo marchioni de Hohemburch, fideli nostro.

Quia nostris et ecclesie Romane brachiis te totaliter commisisti, eam matrem tuam recognoscens et dominam, tua firmata salubriter ad ipsius mandata et beneplacita voluntate, et quia non solum terras et alia bona tua set etiam personam tuam propriam ad eius exposuisti obsequia, nos, volentes indempnitati tue apostolica sollicitudine providere, devotioni tue presentium tenore de fratrum nostrorum consilio et assensu promittimus, quod si per nobilem virum Manfredum principem Tarantinum, qui postquam a Tiano propter mortem condam Burelli de Anglone[3] ab ecclesia illicentiatus recessit[4], rebellionis[d] spiritum assumpsit, vel per quemcumque alium adversarium ecclesie, te in

a) occupatam *R.* b) *an* ei ? c) *ita R. contra usum curiae. Nisi* tua *corrigendum est, papa intellegit 'circumspectionem electi Ast. et episcopi Novar'.* d) et rebellionis *R.*

1) *Ex sept. civ. Alba.* 2) *Ut videtur Nicia, Nizza ex sept. et or. civ. Alba.* 3) *E mer. et occ. Metaponti.* 4) *A. 1254, Oct. 18. De morte Burelli cf. Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 432, not. 28; Winkelmann, Acta t. II, p. 726, n. 1044 et Capasso, l. c. n. 190 et 310. — A. 1254, Nov. 9 Innocentius IV dominam Pelusanam viduam Beneventanae diocesis, matrem quondam Burelli, sub protectione sua suscepit; Lib. XII, 336. A. 1254, Dec. 23 Alexander IV [Rogerio] archiepiscopo Sipontino hereditatem Burelli, nepotis eius, concessit; Lib. I, 9; cf. Capasso n. 230*.*

devotione, fidelitate ac servitio dicte ecclesie persistente, de comitatu Montis Caveosi[1], baroniis Castri et honoris eius, necnon Flumari[2] ac de Policorio, Montepiloso, Caurato et Cilio de Gualda castris et aliis terris, quas in regno Sicilie ex concessione et confirmatione sedis apostolice obtinere dinosceris, es destitutus vel, quod absit, te contigerit destitui in futurum, nos tibi de convenienti concambio in eodem regno Sicilie providebimus, et ad hec nos et dictam ecclesiam de predictorum fratrum nostrorum consilio et assensu obligamus. Nulli etc. nostre promissionis et obligationis etc.

Dat. Neapoli[a], XV Kalendas Martii, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LIIII°, pontificatus vero domni Alexandri pape IIII anno I°.

380.

Alexander IV papa Bertholdo, Oddoni ac Lodovico fratribus marchionibus de Hohenburch promittit iis per Manfredum principem Tarentinum, si eum ad ecclesiam redire contigerit, sic satisfactum iri de damnis illatis et inferendis, ut merito possint esse contenti. *1255, Febr. 15.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198f. Pertzii exemplar contulimus cum authentico ap. Rymer, l. c. p. 315 [A.].

Potthast, Reg. 15692; Capasso, l. c. n. 204.

Nobilibus viris Bertholdo et Oddoni ac Lodoico fratribus marchionibus de Hohemburch, fidelibus nostris.

Quia Manfredus princeps Tarentinus, postquam a Tiano illicentiatus recessit propter mortem condam Burelli de Anglone et spiritum rebellionis assumpsit, vobis in devotione, fidelitate et servitio Romane ecclesie persistentibus multa dampna intulit et inferri fecit per se ac alios et adhuc inferre nititur, prout nobis et fratribus nostris plene constat, et vos super predictis dampnis illatis vel adhuc, quod absit, inferendis nostre misericordie ac providentie totaliter commisistis: devotioni[b] vestre de fratrum nostrorum consilio et assensu presentium tenore promittimus, quod per eundem principem, si eum ad fidelitatem et mandata ecclesie redire contigerit, vel alias etiam sic vobis satisfacere curabimus de dampnis illatis vel, quod absit, adhuc inferendis, quod merito poteritis esse contenti, et ad hoc nos et Romanam ecclesiam de fratrum nostrorum consilio et assensu obligamus. Nulli etc. nostre promissionis et obligationis etc.

Dat. ut in proxima superiori[c] [3].

381.

Alexander IV papa eisdem promittit, si ecclesiam aliquam concessionem vel contractum de regno Siciliae facere contigerit, se curaturum esse, ut omnia bona concessa ipsis integra permaneant. *1255, Febr. 15.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198g. Damus Pertzii exemplar.

a) per manum — vicecancellarii *deest R.* b) nos devotioni *A.* c) *A. subscriptionibus papae etc. ut p. 338, not. f.*

1) *Cf. n. 356.* 2) *Cf. n. 359.* 3) *Eodem die eisdem promisit, si Manfredum ad mandata ecclesiae redire contingeret, se eos in pace positurum esse: Potthast 15691; non reg. De pace tum tractabatur; Böhmer-Ficker 4649 et 4651 et Winkelmann, Acta t. II, p. 727, n. 1044.*

Eisdem.

Quia nostris et ecclesie Romane brachiis vos totaliter commisistis, eam matrem recognoscentes et dominam, vestra firmata salubriter ad ipsius mandata et beneplacita voluntate, [et quia][a] non solum terras et alia bona vestra verum etiam personas proprias ad eius exposuistis obsequia, nos, cupientes honori ac indempnitati vestre paterna sollicitudine providere, fidelitati vestre de fratrum nostrorum consilio et assensu presentium tenore promittimus, quod si contigerit predictam ecclesiam aliquam concessionem, ordinationem, divisionem, locationem vel quemlibet alium contractum vel quasi contractum alicui vel aliquibus facere de regno Sicilie in parte vel in toto, faciemus et facere curabimus, quod omnia bona per eandem ecclesiam vobis concessa, de quibus privilegia ab eadem habetis, firma vobis vestrisque heredibus integra permanebunt[1] et vos defendemus in eis et statum vestrum et commodum de bono in melius curabimus adaugere, et ad hec nos de ipsorum fratrum consilio et assensu [et][b] dictam ecclesiam obligamus. Nulli etc. nostre promissionis et obligationis etc.

Dat. ut supra.

382.

Alexander IV papa eisdem promittit, si ecclesia Conradum puerum, natum Conradi IV, ad gratiam admiserit, eam ipsos in plena pace posituram esse, ita ut idem puer eis pro eo, quod B[ertholdus] balium regni Siciliae Manfredo cesserit, molestiam illaturus non sit. *1255, Febr. 15.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198 h. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Eisdem.

Devotioni vestre de fratrum nostrorum consilio et assensu presentium tenore promittimus, quod si ecclesia Conradum puerum, natum condam Conradi filii condam Fr. olim Romanorum imperatoris, ad gratiam sue benignitatis et liberalitatis admiserit[2], vos cum eo in plena concordia et pace ponemus, et faciemus, quod idem puer, pro eo quod adhesistis ecclesie vel pro eo quod tu, fili B., balium regni Sicilie nobili viro Manfredo principi Tarentino cessisti[3], nequaquam vobis in personis et rebus vestris molestiam inferet seu gravamen, set faciemus, quod omnia, que ab apostolica sede vobis concessa sunt, de quibus privilegia ab eadem ecclesia habetis, firma et illesa vobis vestrisque heredibus remanebunt, nos ad hoc et dictam ecclesiam obligantes. Nulli etc. nostre promissionis et obligationis etc.

Dat. ut supra.

383.

Alexander IV papa eosdem sub protectione sua admittit, promittens se eos in personis et bonis, tam in regno Siciliae et Alamannia quam Italia habitis et habendis, semper defensurum esse. *1255, Febr. 15.*

Al. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 198 i. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

a) et quia *deest R.; cf. n. 379.* b) et *deest; cf. p. 343, lin. 6 et 28.*

1) *Cf. Potthast 15784; Capasso, l. c. n. 210, § 12.* 2) *Cf. n. 320. A. 1255, Ian. 23 Agneti ducissae Bawariae, matri Elisabeth reginae Ierosolimitanae et ducissae Sueviae, inter alia scripserat se Conradi pueri regis Ierosolimitani et ducis Sueviae non solum iura ubicunque integra et illaesa servare velle sed etiam ipsum specialibus magnificare favoribus; se paratum esse puerum educare; in fine ei commendaverat fidem Bertholdi marchionis, 'qui hac de causa ecclesiae adhaesisset, ut eiusdem pueri exaltationem et promotionem posset inibi melius procurare'; Potthast 15649; non reg. 'Regem Siciliae' Conradinum non appellavit. Cf. n. 372.* 3) *Cf. p. 279, not. 2 et p. 283, not. 5.*

Eisdem.

Matris ecclesie multa benignitas illum circa filios servat pietatis affectum, ut et hiis, qui eam devotione continua reverentur[a] ut matrem, beneficia grandia largiatur et illos, qui post indevotionem et inobedientiam ad ipsius beneplacitum redeunt et mandatum, a sua gratia non repellat. Attendentes itaque, quod ad devotionem ipsius ecclesie de vestra salute solliciti rediistis, vos eius dulci ac suavi dominio humiliter submittendo, nos, volentes ob hoc in eiusdem matris sinu vos delectabiliter confoveri, vestras et hominum vestrorum personas sub protectione [et][b] defensione apostolice sedis et nostra de fratrum nostrorum consilio et assensu unanimi duximus admittendas, promittentes vos utpote speciales et carissimos filios adversus quorumlibet insultus, volentium vestram in personis, bonis et iuribus vestris tam in regno Sicilie, Alamania quam Ytalia iusto titulo habitis et habendis quietem impetere aut quomodolibet perturbare, defensionis et protectionis clippeo manutenere cunctis temporibus ac etiam confovere. Nulli etc. nostre protectionis et promissionis etc.

Dat. ut supra.

384.

Alexander IV papa cum Alberto [Theoderico] nato [Henrici] marchionis Misnensis et Agatha [Helena] nata Iohannis marchionis de Brandeburg super matrimonio contrahendo ad instar Innocentii papae dispensat, non obstante quod idem papa in nominibus propriis erraverit. *1255, Febr. 17.*

Al. IV Reg. Vol. I, 19; Lib. I, 158. Exemplar, quod Riedel, Cod. dipl. Brandenb. 2. Hauptth. t. I, p. 43, n. 63 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 15690; falso sub Febr. 15.

Alberto[1] nato nobilis viri marchionis Misnensis.

Etsi coniunctio copule coniugalis etc. usque: persuadet. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nobilem puellam Agatham[2], natam nobilis viri Iohannis marchionis de Brandeburg, cum qua contraxisti sponsalia, ducere pro pace inter parentes vestros[c] reformanda desideres in uxorem, nos, dilecti filii nobilis viri . . marchionis Misnensis patris tui precibus inclinati, ut eandem puellam — non obstante quod quarto gradu consanguinitatis vobis[d] ad invicem attinetis — tibi matrimonialiter copulare valeas, tecum ad instar felicis recordationis I. pape predecessoris nostri[3] — non obstante quod in ipsius litteris in propriis nominibus sit erratum — auctoritate presentium dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Neapoli, XIII[e] Kalendas Martii, anno I°[4].

385.

Alexander IV papa P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali legato mandat, ut iuxta litteras Innocentii IV papae ipsi missas Arnoldo et Henrico canonicis

a) reveretur *R.*; veretur *in loco raso.* b) et *deest R.* c) vestras *R.* d) vos *R.* e) *ita R., ut nos quoque annotavimus.*

1) *Falso; leg. Theoderico; cf. n. 199 et 221.* 2) *Leg. Helenam; cf. ibid.* 3) *Cf. n. 221.* 4) *Cf. Sello in Forsch. z. Brandenb. Gesch. t. I, p. 145, not. 42. De Henrico marchione Misnensi cf. etiam Potthast 16058.*

Leodiensibus natis [Arnoldi V] comitis de Los, consanguinei W[illelmi] regis Romanorum, provideat. *1255, Febr. 24.*

Al. IV Reg. Vol. I, 19; Lib. I, 153. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15700.

P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, apostolice sedis legato.

Significavit nobis carissimus in Christo filius noster W. rex Romanorum illustris, quod licet ad supplicationem ipsius felicis recordationis I. papa predecessor noster tibi dederit suis litteris in mandatis, ut dilectis filiis Arnoldo et Henrico canonicis Leodiensibus natis nobilis viri . . comitis de Los, eiusdem regis consanguinei[1], de beneficiis ecclesiasticis, prout nobilitatem deceret ipsorum, in regno Alamannie per te vel per alium provideres, contradictores —: quia tamen idem predecessor re adhuc integra rebus est humanis exemptus, dicti canonici nullum sunt de huiusmodi gratia comodum assecuti. Volentes igitur dicti regis obtentu eis gratiam continuare predictam, mandamus, quatinus, si res ita se habet, ad provisionem eorundem canonicorum per te vel per alium auctoritate nostra procedas iuxta ipsius predecessoris continentiam litterarum[2].

Dat. Neapoli, VI Kalendas Martii, anno I°.

386.

Alexander IV papa ministro fratrum Minorum Alamanniae ac diffinitoribus provincialis capituli in Ezzelingen celebrati confirmat concessionem, qua, exceptis Argentinensi, Constantiensi, de Ulma et de Phullingen claustris ordinis S. Damiani, curam aliquorum claustrorum eiusdem ordinis in Alamannia non teneantur gerere. *1255, Mart. 8.*

Al. IV Reg. Vol. I, 45; Lib. I, 297. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 19, n. 27 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15725.

. . ministro fratrum Minorum Alamannie ac diffinitoribus provincial[is][a] capituli in Ezzelingen celebrati.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Significastis siquidem nobis, quod dudum nos, tunc Ostiensis et Velletrensis episcopus, per nostras vobis duximus litteras concedendum, quod, exceptis Argentinensi, Constantiensi, de Ulma et de Phullengen[b][3] claustris ordinis sancti Damiani, aliquorum claustrorum eiusdem ordinis constructorum aut construendorum in Alamannia nullatenus teneamini curam gerere vel habere. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, concessionem huiusmodi ratam habentes, illam auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, VIII Idus Martii, anno I°.

---

a) provincial' *R.* b) Phullengeñ *R.*

1) *Cf. t. I, p. 17, n. 21. De comite cf. etiam Böhmer-Ficker 5178, 5186, 5258 et supra p. 239, not. 4.* 2) *De Arnoldo canonico cf. etiam infra sub a. 1264, Ian. 27 et Chron. Hanon. Balduini Aven. SS. t. XXV, p. 429.* 3) *Pfullingen e mer. civ. Reutlingen. Cf. chartam Alexandri, nota chronol. destitutam, pro eisdem monasteriis scriptam in Wirtemb. U. B. t. V, p. 77, n. 1311.*

387.

Alexander IV papa collectoribus vicesimae pro subsidio Terrae Sanctae ab I[nnocentio IV] papa in Tuscia deputatis mandat, ut ab hospitali de Altopassu vicesimam nullatenus exigant. *1255, Mart. 17.*

Al. IV Reg. Vol. I, 28; Lib. I, 207. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Collectoribus vicesime in Tuscia deputatis.

Licet felicis recordationis I. papa predecessor noster vobis ut dicitur suis dederit litteris in mandatis, ut vicesimam ecclesiasticorum proventuum ab ecclesiis et monasteriis Tuscie, tam exemptis quam non exemptis, vobis faceretis pro Terre Sancte subsidio exhiberi: quia tamen in hospitali de Altopassu[1] ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinenti hospitalitatis officio diligenter insistitur et ferventer caritatis operibus deservitur, nos, propter hoc dilectos filios magistrum et fratres hospitalis eiusdem dignos favore precipuo reputantes, mandamus, quatinus ab eis et eorum membris predictam vicesimam nullatenus exigatis, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis speciale.

Dat. Neapoli, XVI Kalendas Aprilis, anno I°[2].

388.

Alexander IV papa [Caesareo] archiepiscopo Salernitano contrahendi mutuum pro redemptione castri Olibani, quod a quodam Teutonico detineatur, facultatem concedit. *1255, Mart. 22.*

Al. IV Reg. Vol. I, 31—32; Lib. I, 238. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. archiepiscopo Salernitano[3].

Constitutus in nostra presentia nobis humiliter supplicasti, ut cum pro redemptione castri Olibani[4], quod specialiter ad ecclesiam tuam pertinens a quodam Theutonico detinetur, sit tibi ducentarum et quinquaginta unciarum auri quantitas oportuna, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi propter hoc mutuum usque ad quantitatem predictam et omnia bona eiusdem ecclesie creditoribus obligandi plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, volentes ut ad solvendas easdem uncias dicta ecclesia teneatur et illis qui eas tibi mutuaverint, quod in utilitatem ipsius ecclesie sint converse, pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis probandi necessitas non incumbat.

Dat. Neapoli, XI Kalendas Aprilis, anno I°[5].

389.

Alexander IV papa S. Galgani et S. Salvatoris de Bardingis [Berardenga] abbatibus Vulteranae et Aretinae dioecesum mandat, ut monasterio S. Eugenii, quod propter

---

1) *Cf. n. 123.* 2) *A. 1254, Dec. 28 magistro Leoni de Romania regimen Patrimonii b. Petri in Tuscia et Sabiniae commiserat; Lib. I, 10; Posse, Anal. Vat. p. 1, n. 2. Iun. 1 eidem mandarit, ut celeriter rescriberet, quid Urberetani fecissent super restitutione Vallis de Lacu, quam eis ad suggestionem ipsius rectoris sub poena mille marcarum iniunxisset; Lib. I, 460; cf. etiam 437 = Potthast 15873.* 3) *Cf. n. 313.* 4) *Olerano ex sept. civ. Eboli; cf. Böhmer-Ficker 3718.* 5) *De eodem archiepiscopo cf.*

bellum inter Florentinos et Senenses habitum et collectas a communi Senensi extortas gravibus debitis prematur, licentiam alienandi quaedam de bonis immobilibus tribuant.
1255, Mart. 24.

Al. IV Reg. Vol. I, 33; Lib. I, 256. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis et cum authentico, quod edidit Mittarelli, Ann. Camald. t. V, app. p. 64, n. 41 [A.].

Potthast, Reg. 15780; falso sub Apr. 6.

.. Sancti Galgani[1] Cisterciensis et .. Sancti Salvatoris de Rardingis[a2] Camaldulensis ordinum abbatibus Wlterane et Aretine diocesum.

Dilecti filii .. abbas et conventus monasterii sancti Eugenii[3] ad Romanam ecclesiam ut dicitur nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Senensis diocesis nobis humiliter supplicarunt, ut cum idem monasterium tam propter guerram, quam hactenus Florentini et Senenses ad invicem habuerunt[4], et propter collectas et exactiones, quas commune Senense extorsit ab eis, quam propter steccati[5] cuiusdam molendini eorum recuperationem adeo gravi prematur sarcina debitorum, quod nisi celeriter super hoc provideatur eidem[b], incurret irreparabile detrimentum, alienandi de bonis immobilibus dicti monasterii minus utilibus pro debitis huiusmodi persolvendis usque ad summam mille librarum Senensium minutorum, cum alias non habeant, unde possint de suis deponere humeris onus istud, eis[c] licentiam de benignitate sedis apostolice largiremur. De vestra itaque[d] circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus[e], quatinus proposita necessitate inspecta et habentes pre oculis solum Deum, eisdem, prout ipsius monasterii utilitas seu necessitas exegerit, petitam licentiam tribuatis, proviso quod pecunia ipsa in debitorum ipsorum solutionem totaliter, vel si debitorum quantitatem excesserit, superfluum in utilitatem ipsius monasterii per manus vestras sub vestro testimonio convertatur. Quod si non ambo etc.

Dat. Neapoli, IX Kalendas[f] Aprilis, anno I°[6].

390.

Alexander IV papa archipresbytero Paduano, vicario in Calabria O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis legati, nuntiat se promissiones ab eo pro promotione negotii ecclesiae faciendas ratas habiturum esse. *1255, Apr. 1.*

Al. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. I, cur. 6. Damus Pertzii exemplar.

---

a) Berardenga *A.* b) eidem *deest A.* c) *A.;* ei *R.* d) igitur *A.* e) discretioni vestre per apostolica scripta mandamus *A.* f) Idus *A.*

Lib. I, 193 et 411. — A. 1254, Dec. 24 papa abbati et conventui monasterii Casinensis concessiones ab Henrico VI et Constantia factas confirmaverat; Lib. I, 8; Potthast 15607; cf. Lib. I, 251 et Lib. II, 4. A. 1255, Mart. 6 et 7 in favorem abbatis et monasterii Cavensis scripsit; Lib. I, 181.

1) *Ex or. civ. Chiusdino, e mer. et occ. civ. Siena.* 2) *Berardenga ex or. civ. Siena.* 3) *An S. Eugeniae ex or. ante muros Senenses?* 4) *A. 1254, Iun. 11 pacem fecerant; Perrens, Hist. de Florence t. I, p. 425. De Florentinis cf. etiam Potthast 16118, 16139, 16319; de eadem re 15612, 15763, 16131, 16138, 16624, 16755.* 5) *Italice 'steccato', palorum series. Agebatur, ut videtur, de recuperando iure aquae.* 6) *Apr. 29 papa commemoravit monasterium S. Mariae Florentinum, favore quondam Friderici II debitorum oneribus gravatum, per industriam B. abbatis fere liberatum esse; Lib. I, 340; de debitis ecclesiae Florentinae Lib. III, 185b. — A. 1257, Febr. 20 plebano et capitulo plebis de Figino Faesulanae diocesis [cf. Potthast 14652a] propter destructionem plebis et quarundam ecclesiarum subiectarum et castri de Figino indulsit, ut legatis et nuntiis apostolicis procurationes non exhiberent; Lib. III, 144; ecclesiam a Florentinis funditus destructam esse legimus Lib. III, 145.*

.. archipresbytero Paduano, vicario in Calabria dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, apostolice sedis legati.

Cum dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, te suum in Calabria vicarium duxerit statuendum[1], presentium tenore scire te volumus, quod promissiones, quas comitibus seu baronibus aut militibus vel communitatibus tam civitatum quam castrorum aliorumque locorum pro promotione negotii ecclesie in eadem Calabria tibi ab eodem legato commissi facere te contigerit, necnon conventiones, quas cum eis vel ipsorum aliquibus propter hoc duxeris iniendas, ratas habebimus atque firmas.

Dat. Neapoli, Kalendis Aprilis, anno I°[2].

391.

Alexander IV papa universis patriarchis, archiepiscopis et aliis praelatis et capitulis, conventibus et collegiis notum facit se ordinasse, ut in ecclesiis, in quibus plures expectantes quam quattuor recepti sint, quattuor dumtaxat iam admissi remaneant et sint canonici, receptiones vero factae de reliquis irritae sint. 1255, Apr. 5.

Al. IV Reg. Vol. 1, 121; Lib. I, cur. 1. Pertzii exemplar contulimus cum vidimato apographo authentici, quod edidit Würdtwein, Subsidia dipl. t. I, p. 186.

Potthast, Reg. 15776.

Venerabilibus fratribus universis patriarchis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis [abbatibus][a], prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis, necnon capitulis, conventibus et collegiis earundem.

Execrabilis quorundam ambitio, que semper plus ambiens eo fit magis insatiabilis, quo sibi amplius indulgetur, et importuna improbitas causam dedisse noscuntur, quod in nonnullis ecclesiis decem, in aliquibus XX, in aliis vero pautiores aut plures sive sedis apostolice vel legatorum eius auctoritate aut proprio motu capitulorum ipsarum seu per alios, ad quos eorundem spectat receptio, in canonicos sunt recepti[3], qui nondum adepti sunt beneficia in eisdem, sicque tales sub diutina, cum multi sint, expectatione manentes, frustrati spe quam de sua provisione conceperant, vix possunt assequi quod intendunt, et illis, ad quos beneficiorum seu prebendarum in eisdem ecclesiis collatio spectare dinoscitur, facultas adimitur eadem, cum vacaverint, personis idoneis

---

a) *A.;* abbatibus *deest R.*

1) *Cf. n. 366. Legatus adhuc Mai. 1 Neapoli chartam dedit; Lib. I, 420; Mai. 31 in campis prope Beneventum, Aug. 7 Fogiae fuit; Capasso, l. c. n. 219 et 224.* 2) *Eodem tempore, quo legatus Capitanatam versus profectus est, archipresbyter alterum exercitum contra Calabriam duxit; sed antequam in Calabriam perrenit, a legato cum copiis suis in Capitanatam vocatus est; Iamsilla, l. c. p. 565. Cf. infra sub Iul. 20.* 3) *Innocentius IV a. 1248, Sept. 30 commemorarit in ecclesia Constantiensi tam per se quam per legatos suos scriptum esse pro triginta octo clericis recipiendis ibidem, quorum quatuordecim iam essent in ea recepti; ibidem viginti praebendae erant; Neugart, Episc. Const. t. II, p. 626, n. 40 et p. 625, n. 38; Potthast 13032b et 12943c; cf. etiam 15911a et 15993a.*

conferendi. Cum igitur apostolice sedis benignitas illo affectu dirigi debeat in provisionibus clericorum, quod eis consolatio sic proveniat, ut ecclesiis turbatio vel dispendium non incombat[a]: nos, attendentes quod istorum numerositas, que propter importunitatem petentium in inmensum excrevit, nonnullis parit scandalum et orrorem[b], cum in plerisque ecclesiis tanta sit expectantium multitudo, quod excedat numerum prebendarum, cogimur excogitare remedium, per quod ecclesiarum obvietur[c] dispendiis et earum personis quies et tranquillitas procuretur. Hac itaque consideratione inducti de fratrum nostrorum consilio sic duximus ordinandum, ut in ecclesiis, in quibus plures quam quatuor recepti fuerint sive litterarum dicte sedis vel legatorum ipsius auctoritate aut proprio motu capitulorum ipsarum vel aliorum, ad quos receptio pertinet eorundem, quatuor dumtaxat in ipsis ecclesiis iam admissi remaneant et sint canonici in eisdem, receptiones factas de reliquis in dictis ecclesiis de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes, ac decernentes eos, ad quos in ipsis ecclesiis prebendarum seu beneficiorum spectat collatio, ad provisionem reliquorum aliquatenus non teneri. Declaramus quoque auctoritate presentium ad omnem iurgiorum materiam amputandam, ut hii, qui per litteras apostolicas in ipsis ecclesiis recepti fuerint, canonici remaneant in eisdem usque ad quaternarium numerum supradictum, etiam [si][d] post receptos legatorum auctoritate vel per alios quoscumque in ipsis ecclesiis sunt recepti. Volumus autem, ut si ultra quatuor auctoritate litterarum sedis apostolice in aliquibus ecclesiis recepti fuerint, ex ipsis tantum quatuor primo recepti remaneant, prebendas seu beneficia iuxta receptionis sue ordinem percepturi, nisi aliqui ex predictis quatuor eadem auctoritate recepti fuerint iure aliquo potiores. Quod si pautiores sint quatuor, qui per litteras apostolicas sunt recepti, de aliis auctoritate legatorum dicte sedis vel motu proprio capituli seu quovis alio modo primo receptis in ipsis ecclesiis tot dumtaxat remaneant in eisdem, quod quaternarius numerus impleatur. In illis vero ecclesiis, in quibus aliqui solummodo per litteras legatorum prefate sedis vel capitula earundem seu alios, ad quos canonicorum spectat receptio, recepti fuerint in canonicos et in fratres, quatuor tantum primo in eisdem receptos volumus remanere et eis de prebendis vel beneficiis sibi in eisdem ecclesiis iuxta sue[e] receptionis ordinem debitis provideri. Cum autem prioritas vel posteritas receptionum huiusmodi in ecclesiis discerni non potest, puta quia recepti sunt aliqui a capitulis ipsarum vel aliis[f], ad quos canonicorum receptio pertinet, simul, ita quod nescitur, quis primo ibidem ius habeat canonie et cui primo vacatura prebenda vel beneficium debeatur, vel forsitan ita condictum est inter ipsos, ut in assecutione prebendarum vel beneficiorum ibi vacantium nullus alteri preferatur, illi tantum[g] usque ad quaternarium numerum in singulis ecclesiis, ubi talis receptio facta fuerit, ius habeant canonie, qui capitulis vel maiori et saniori parti eorum aut aliis, ad quos spectat receptio, magis idonei videbuntur, quos infra tres menses post publicationem presentium eadem capitula vel maior et sanior pars eorum aut illi, ad quos canonicorum predictorum receptio pertinet, approbent digniores. Alioquin ex tunc proximus eis superior hos approbandi liberam habeat facultatem. Et provideatur eis iuxta ordinem, quem disponent capitula vel maior et sanior pars ipsorum vel illi, ad quos spectat provisio, aut proximo superior, si ipsi super hoc fuerint negligentes, de prebendis vel beneficiis primo in eisdem ecclesiis vacaturis. Caveant autem taliter prelati, capitula et ceterarum ecclesiarum collegia, in quibus certus est prebendarum vel beneficiorum numerus institutus, ne aliquem nulla in eorum ecclesia prebenda vacante motu proprio recipiant in canonicum et in fratrem, ut canonicam possint effugere ultionem et nos super hoc providere aliter[h] non coga-

a) incumbat *A.* b) errorem *A.* c) ovietur *R.* d) *A.*; si *deest R.* e) sue *deest A.*
f) aliorum *R. et A.* g) *A.*: tamen *R.* h) aliter *deest A.*

mur. Si vero aliqua ecclesia paucitatem prebendarum vel beneficiorum habuerit, que in receptione quatuor canonicorum vel clericorum reputet se gravatam, puta quia habet citra denarium prebendarum vel beneficiorum numerum institutum, si super hoc ad sedem apostolicam voluerit habere recursum, nos, prout expedire videbimus, curabimus providere.

Dat. Neapoli, Nonis Aprilis, anno I°.

392.

Alexander IV papa eisdem notum facit se decernere, ut litterae I[nnocentii IV] papae, quas super archiepiscopatibus et episcopatibus et aliis beneficiis ecclesiasticis, cum ea vacare contigerit, conferendis multis personis indulserit, non valeant, praesertim cum idem papa quoque ante obitum suum ad revocationem earum intenderit.

1255, Apr. 5.

Al. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. I, cur. 2. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Bullar. Rom. ed. Taur. t. III, p. 599 praebet.

Potthast, Reg. 15777.

Eisdem.

Discrimen preteriti temporis et inhiatio inverecunda petentium ambitione non carens felicis recordationis I. papam predecessorem nostrum fortius hactenus constrinxerunt, ut multis diversa concederet, que forsitan alias non fuerat concessurus, et frequenter idem ad ea, in quibus sua non dirigebatur intentio, ratione locorum et personarum ac etiam huiusmodi periculosi temporis cogebatur. Indulxisse siquidem aliquibus generales litteras vel etiam speciales sub tenoribus diversis et formis idem dicitur predecessor super archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus, ut cum eos vacare contingeret, conferrentur eisdem[1]. De inferioribus etiam beneficiis, puta decanatibus, archidiaconatibus et aliis personatibus, ecclesiis parrochialibus et aliis beneficiis cum cura propriis nominibus designatis aut ea demonstratione que nominis vice fungitur asseritur concessisse, ut cum ea vacare contingeret, certis assignarentur personis, pro quibus nominatim direxerat scripta sua[2]; que indulta odiosa videntur propter ambitionis vitium, qua insatiabilis sit anxietas noxie voluntatis, et propter machinationem in mortem alterius, et plena divini animadversione iudicii[3] et tristissimi eventus, cum ex hoc desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum et beneficium se crediderit successurum, et de rebus viventium spes future successionis, immo fiducia quodammodo tribuatur. Nos igitur, huic morbo remedio celeri occurrere cupientes, cum locum in ecclesia Dei future successionis expectatio sibi non debeat vendicare, quam ipsi etiam gentiles in suis legibus condempnarunt, de fratrum nostrorum consilio litteras super prefatis archiepiscopatibus, episcopatibus, abbatiis et prioratibus sub quacumque forma obtentas, sive generales fuerint vel etiam speciales, ac aliis inferioribus beneficiis supradictis sub forma expressa superius impetratas et indulta huiusmodi, et quicquid ex eis secutum est vel ob ea, nisi impetratores huiusmodi per litteras sic concessas adepti iam fuerint dignitates, beneficia vel alia supradicta et in possessione fuerint eorundem, viribus carere decernimus et in posterum non valere, presertim cum idem predecessor, sicut accepimus, intentionem habuerit super hoc salubre adhibere remedium et ad revocationem eorum ante suum obitum intendebat.

Dat. Neapoli, Nonis Aprilis, anno I°[4].

---

1) *Intellegit epistolas post a. 1252, Mai. 23 scriptas; cf. n. 141.* 2) *Sed cf. etiam n. 234.* 3) *Cf. c. 2 ap. Greg. de conc. praeb., Lib. III, tit. 8.* 4) *Eodem die statuit ex tunc terminum sex mensium omnium cathedralium ecclesiarum electis, infra quem munus consecrationis susciperent; alioquin, nisi legitimo*

393.

Alexander IV papa Marino de Ebulo, fideli suo, et Adelasiae uxori eius donationem de castro Ayrolae sito in S. Agathensi dioecesi a Sibilia matre Adelasiae iis factam confirmat, inserto tenore donationis a. 1255, Mart. datae. 1255, Apr. 11.

Al. IV Reg. Vol. I, 34; Lib. I, 267. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Marino de Ebulo, fideli nostro, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Adelasie, uxori eiusdem[1].

Grata fidelitatis obsequia, quibus tu, fili Marine, reddis te in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum, nostrum instanter sollicitant animum, ut de vobis tamquam de fidelibus filiis et devotis propensius cogitantes, non solum vestra vobis iura integra et illesa servemus, immo potius, quantum cum Deo possumus, augeamus. Ex parte siquidem vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut donationem et concessionem de castro Ayrole[2] sito in Sanctagathensi[a] diocesi vobis vestrisque heredibus factam a nobili muliere Sibilia matre tua, filia Adelasia, prout in instrumento publico confecto exinde plenius continetur, confirmare de benignitate solita curaremus. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, donationem et concessionem huiusmodi ratas habentes, illas de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et ut vestra devotio erga nos et Romanam ecclesiam magis crescat, predictum castrum cum omnibus iuribus, honoribus et pertinentiis suis vobis eisdemque heredibus de predictorum fratrum consilio de novo in feudum sub debitis et consuetis servitiis concedimus de gratia speciali. Tenorem autem predicti instrumenti presentibus inseri fecimus; qui talis est:

In nomine domini nostri Iesu Christi, anno incarnationis eius M°CC°L°V° et primo anno dominii et pontificatus domini nostri Alexandri IIII, sacrosancte Romane ecclesie summi pontificis ac unici et singularis domini regni Sicilie, mense Marcii XIII[e] indictionis. Ego Sibilia, filia condam domini Rogerii comitis Acèrrarum, uxor vero condam domini Ewerrardi Manescalci[b] [3], attendens grata servitia et beneficia, que tu, videlicet dominus Marinus de Ebulo, gener meus, filius condam domini Petri de Ebulo, michi de persona et rebus tuis hactenus contulisti, et quod Adelasia, benedicta filia mea, uxor tua, michi in omnibus beneplacitis et mandatis meis semper devota et obediens extitit, considerans etiam quod michi filius alius vel filia non superest, nec me spero de cetero filium vel filiam habituram, sicut michi aptum et congruum est, bona mea voluntate, Franca et more Francorum vivens[4], materna etiam affectione ducta, per hanc chartam in presentia Iohannis cognomine[c] Scutarii huius[d] Capuane civitatis iudicis et subscripti Iohannis notarii, presentibus et ad hoc vocatis et rogatis testibus domino Taffuro iudice, Iacobo de Archiepiscopo, magistro Petro de Martura, magistro Roberto Gulferaymo, notario Angelo de Ianuario[e], notario Iacobo Gandelando, domino Oddone, Nicolao Montanario clerico ecclesie sancti

---

a) Scāngathensi *R.* b) *ita R.* c) Coḡ *R.* d) *post sigla* h' *una littera erasa est.* e) Ianuar̄ *R.*

impedimento detenti fuerint, electos ab administratione spiritualium et temporalium suspensos, et si non consecrati ultra hunc terminum retinerent ecclesias aliis sex mensibus viduatas, eos ecclesiis eisdem esse privatos; Lib. I, cur. 3; Potthast 15778. Cf. p. 315, not. 3 et infra sub Apr. 21.

1) *Cf. n. 170.* 2) *E mer. et or. civ. S. Agata dei Goti; cf. n. 303.* 3) *Hic fuisse videtur Eberhardus marescalcus de Anebos, ministerialis Henrici VI imperatoris; Töche, Heinr. VI, p. 507, not. 3.* 4) *Cf. n. 303.*

Iohannis ad Curtem et Guillelmo de Sancto Archangelo, ex causa donationis do et concedo et alieno tibi et predicte Adelasie, unice filie mee, hoc est totum et integrum castrum meum Ayrole, michi ex[a] successione parentum meorum iuste et rationabiliter pertinens, una cum hominibus, terris et tenimentis suis, silvis, paludibus, pascuis, aquis aquarumque decursibus et omnibus ad ipsum castrum pertinentibus et cum omnibus in ipsis habentibus subter et super et cum viis suis ibidem intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis suis pertinentiis; nec non etiam cedo tibi omne ius meum, quod michi competit vel competere potest in eodem castro et pertinentiis eius aut ratione eiusdem castri, item omnem actionem, que michi competit vel competere potest contra quoslibet possessores vel detentores seu contra quemcumque, ad petendum, habendum et possidendum illud firmiter amodo et semper et faciendum exinde, quicquid vobis, scilicet domino Marino et Adelasie filie mee, placuerit ad possessionem et proprietatem vestram vestrorumque heredum, vel cui hec carta per vos in manu paruerit; do etiam tibi, prefato domino Marino genero meo, potestatem petendi super hoc confirmationem sedis apostolice et concessionem de novo, et obligo me tibi, supradicto domino Marino, tuisque heredibus, vel cui hec carta per vos in manu paruerit, integram supradictam meam alienationem, donationem, dationem et traditionem atque cessionem defendere et antestare amodo et semper ab omnibus hominibus omnibusque partibus per penam quingentarum unciarum auri ad generale pondus, pacto rato manente. Et de hiis omnibus complendis a me vobis vel eis ut preleguntur, sicut inter nos convenit, bona mea voluntate in presentia subscriptorum[b] iudicis et notarii atque testium guadiam tibi dedi et mediatricem tibi me ipsam per convenientiam. Unde, si necesse fuerit, ad pignorandum obligo me per me ipsam mediatricem et meos heredes tibi tuisque heredibus vel cui hec carta per vos in manu paruerit, scilicet de rebus meis licitis et illicitis usque ad legem. Et taliter ego, que supra, Sibilia, Franca et more Francorum vivens, qualiter michi congruum fuit, bona mea voluntate hec omnia suprascripta feci et te, Iohannem notarium, qui interfuisti, scribere rogavi.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, III Idus Aprilis, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LV°, pontificatus[c] vero domini Alexandri pape IIII anno I°.

394.

Alexander IV papa Marchisinae natae quondam [Petri Ziani] ducis Venetorum, uxoris Marci Baduarii de Venetiis, ad instar Innocentii IV papae comitatum Andriae, ad aviam eius pertinentem, quo eam Henricus VI imperator spoliaverit, restituit et de novo concedit. *1255, Apr. 13.*

Al. IV Reg. Vol. I, 36; Lib. I, 272. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.
Posse, Anal. Vat. p. 3, n. 25.

Nobili mulieri Marchisine, nate bone memorie Paan.[d1] ducis Venetorum, uxori nobilis viri Marci Baduarii de Venetiis, salutem etc.

Quia nonnumquam devotiores efficiuntur devoti et alii ad devotionem facilius attrahuntur, cum digna retributione respondemus meritis devotorum, digne in illis exu-

a) et *R.* b) *leg.* suprascriptorum. c) anno I° pontif. *R.* d) Paañ *R.*

1) *Legas P[etri] Ziani; cf. n. 133.*

berat in gratiarum donis nostre[a] munificentie plenitudo, qui clara nobilitate generis decorati erga ecclesiam Romanam plene devotionis constantia et puritate fidei claruerunt. Ex parte siquidem tua nobis extitit intimatum, quod comitatus Andre[1] ad bone memorie .. aviam tuam[2] pertinuit et illo eam clare memorie Henricus Romanorum imperator prout voluit expoliavit, quodque felicis recordationis I. papa predecessor noster olim comitatum ipsum in regno nostro Sycilie existentem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis condam Marco Ziano[3] germano tuo plenarie restituit et alias etiam sibi super eo fecit gratiam specialem, prout in litteris predecessoris eiusdem huiusmodi restitutionem et gratiam continentibus plenius continetur. Cumque idem Marcus nullum filium vel heredem descendentem ab eo reliquisse dicatur, qui legitime in predicto sibi comitatu succedat, propter quod prefatus comitatus ad te potius, cum tuus idem M. ex utroque parente germanus extiterit, spectare hereditario iure videtur, prefatus predecessor, quia tua et tuorum apud sedem apostolicam meretur devotio, ut non solum tibi tua iura serventur sed etiam augeantur, in te ac heredes tuos factam in hac parte ab ipso eidem Marco gratiam transferens, comitatum iamdictum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, sicut illum ipsi Marco restituerat et concesserat, tibi ac heredibus ipsis plenarie restituit et de novo concessit in feudum de gratia liberali — non obstantibus[b] si nobilis mulier Alberia comitissa de Mudiglano, matertera tua, eiusdem avie filia maior, vel ipsius comitisse filii ius in comitatu ipso asserant se habere, cum ipsi condam Fr. olim Romanorum imperatori contra ecclesiam adheserint[4], propter quod gratia et beneficio eiusdem ecclesie se indignos penitus reddiderunt, aut si per predictum Fr. vel condam C. natum eius alicui alii in tuum aut prefati M. preiudicium predictus concessus existeret comitatus. Sed ipsius predecessoris super hoc littere, licet iam scripte essent, pro eo tamen, quod idem predecessor morte preventus extitit, bullari minime potuerunt. Nos igitur, huiusmodi prosequi gratiam cupientes, predictum comitatum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis plene ac eodem modo, secundum quod narratur superius predecessorem eundem tibi et heredibus tuis fecisse, tibi eisdemque heredibus restituimus et in feudum de novo concedimus de gratia speciali — premissis et quibuscumque litteris post huiusmodi factam ipsi M. gratiam a predicta sede vel legatis ipsius impetratis seu impetrandis nequaquam obstantibus, per quas possit effectus presentium impediri. Volumus autem, ut postquam eiusdem comitatus possessionem tu vel heredes predicti habueritis, pro ipso homagium, iuramentum fidelitatis et alia servitia ecclesie Romane[5] prestare teneamini, que alii vassalli regni eiusdem tenentur pro comitatibus quos obtinent exhibere. Nulli etc. nostre restitutionis et concessionis etc.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, Idibus Aprilis, indictione XIII, incarnationis Dominice anno M°CC°LV, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno I°.

In eundem modum eidem usque: claruerunt. Ex parte siquidem tua nobis extitit intimatum, quod comitatus Liciensis ad bone memorie Tancredum avum tuum pertinuit et illo eum clare memorie Henricus Romanorum imperator etc. usque in finem[6].

---

a) $\overset{e}{n}$ | *R.* b) *ita R.*

1) *Hunc comitatum Innocentius IV a. 1254, Sept. 27 Manfredo concesserat; cf. n. 318.* 2) *Haec alia fuisse non potest atque Sibilia uxor Tancredi regis; nam infra nominata Alberia, 'eiusdem aviae filia maior', in ep. n. 133 filia Tancredi vocata est.* 3) *De testamento eius cf. Potthast 15451, 15757 et 15859.* 4) *Cf. n. 147.* 5) *In ep. n. 133 legitur:* ecclesie Romane seu regi, qui per eam pro tempore fuerit in regno prefato. *A. 1255, Apr. 9 Alexander IV Edmundo filio regis Angliae regnum Siciliae concesserat; Potthast 15784; sed postea quoque nobiles regni ad servitia soli ecclesiae Romanae praestanda obligavit; cf. Capasso, l. c. n. 210, § 21 et infra sub Apr. 24 et Sept. 13.* 6) *Cf. n. 133.*

395.

Alexander IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi concedit, ut in eos quoque clericos et nobiles, quibus indultum sit, ut interdicti, suspensionis et excommunicationis sententiae in eos ferri non possent, iurisdictionem suam libere exerceat.

1255, Apr. 21.

Al. IV Reg. Vol. I, 55; Lib. I, 381. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. episcopo Cameracensi.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli clerici, tam seculares quam regulares, nec non et aliqui nobiles tue diocesis lege tibi diocesana subiecti obtinuerunt sibi a sede apostolica indulgeri, ut nullus in personas eorum interdicti vel suspensionis aut excommunicationis posset proferre sententiam ac eorum terras ecclesiastico supponere interdicto. Verum quia ex hoc, cum non possis animadvertere in eosdem, tua iurisdictio non modicum enervatur, petisti[a] tibi super hoc congruo remedio subveniri. Quocirca fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut — eisdem indulgentiis nequaquam obstantibus — libere circa ipsos iurisdictionem tuam valeas exercere. Non enim videtur verisimile, quod predecessores nostri iurisdictionem ordinariorum per indultum huiusmodi enervari voluerint, nec nos volumus, quod indultum ipsum ad eos[b] aliquatenus extendatur.

Dat. Neapoli, XI Kalendas Maii, anno I°[1].

396.

Alexander IV papa Rogerio de Parisio, cum ad devotionem ecclesiae redierit, ad instar Innocentii IV papae concessiones a quondam Fr[iderico II], Conrado IV et Manfredo se tunc pro balio regni Siciliae gerente factas confirmat et insuper quoddam castrum confert, statuens ut ea omnia immediate ab ecclesia Romana teneat.

1255, Apr. 24.

Al. IV Reg. Vol. I, 50; Lib. I, 341. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Rogerio de Parisio, fideli nostro, salutem [etc.][c][2].

Matris ecclesie multa benignitas illum circa filios servat pietatis affectum, ut et hiis etc.[d] usque: non repellat. Attendentes igitur quod ad devotionem ipsius ecclesie de tua salute sollicitus rediisti, dulci ac suavi eius dominio humiliter te summittens, ac propter hoc recipientes te in nostram et apostolice sedis gratiam tibique omnes iniurias et offensas, quas nobis et eidem sedi ac ecclesie intulisti, totaliter remittentes, quia volumus te in huiusmodi devotione congruis firmare favoribus et condignis gratiis confovere, tuis supplicationibus inclinati, castrum Castellutii de Sclavis[3] et casale sancti Petri de Castellucio, que iure successionis te obtinere proponis, et concessiones de Dragonaria et casali Plantilliani et de castris sancti Iuliani et Petre Montis Corvini

---

a) *ita R.* b) *scil 'ordinarios et iurisdictionem eorum'.* c) etc *deest R.* d) *cf. n. 322.*

1) *Cf. p. 315, not. 3 et n. 408.* 2) *Cf. n. 331. Papa innovavit Innocentii instrumentum a. 1254, Nov. 13 eidem concessum; Lib. XII, 350.* 3) *Loca illa in Capitanata prope civitates Troiae et Luceriae sita erant; cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 771—772.*

a condam Fr. olim Romanorum imperatore, venditionem quoque et concessionem de castro Clusan.[a] a nobili muliere Gemma consanguinea tua, nec non et concessionem de castro sancti Marci de Catula a condam Conrado predicti Fr. filio, et de casalibus Casalorde et Bisselleti a nobili viro Manfredo tunc principe Tarentino[1], tunc pro regni Sicilie balio se gerente[2], dudum tibi factas — non obstantibus[b] quod dicti Fr., Conradus et Manfredus erant tunc temporis vinculo excommunicationis astricti, quodque alias facultatem conferendi vel concedendi taliter non habebant — ad instar felicis recordationis I. pape predecessoris nostri [tibi et heredibus tuis][c] de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Et ut tua devotio erga nos et eandem ecclesiam magis crescat, castra et casalia predicta tibi tuisque heredibus de fratrum eorundem consilio in feudum de novo et insuper castrum Rizie[3] sub debitis et consuetis servitiis concedimus de gratia speciali, ita quod castra et casalia predicta cum hominibus infeudatis et non infeudatis, silvis, pascuis, terris cultis et incultis, aquis aquarumque decursibus, et cum omnibus iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis eorundem tu dictique heredes immediate a Romana ecclesia, nullum alium preter ipsam recognoscentes exinde superiorem vel dominum[4], perpetuo teneatis. Ut autem huiusmodi gratiam reputes gratiorem, scire te volumus, quod nos et eadem ecclesia te et heredes ipsos in possessione predictorum castrorum et casalium manutenebimus, et contra omnes, qui vos super premissis molestaverint, impetierint vel turbaverint, defensione vobis adesse curabimus oportuna, et si aliquem ius in prefatis castris et casalibus habere constiterit, sibi de convenienti concambio in regno Sicilie studebimus providere. Nulli etc. nostre confirmationis et concessionis etc.

Dat. Neapoli per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, VIII Kalendas Maii, indictione XIII, incarnationis Dominice M°CC°LV°, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno I°.

397.

Alexander IV papa ad potestatem, consilium et commune Mediolanenses transmittit [Iacobum] episcopum Bononiensem, ut per eum discordia inter ipsos praetextu quorundam statutorum exorta sopiatur et pax XL annis et amplius ante mediante U[berto] de Vialta tunc potestate facta observetur. *1255, Mai. 1.*

Al. IV Reg. Vol. I, 58; Lib. I, 400. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Posse, Anal. Vat. p. 3, n. 29.

.. potestati, consilio et communi Mediolanensibus.

Etsi circa generalem pacem et pacificum statum Italie conservandum nos pervigil cura sollicitet, super civitatem tamen vestram tanto diligentiorem debemus oculorum nostrorum custodiam confirmare, quanto eadem nobilior provincie sue pars esse dinoscitur, quanto ipsius fuit erga Romanam ecclesiam fides sincerior ab antiquo, quantoque

---

a) Clusan *R.* b) obst' *R.* c) *deest R.; cf. p. 293, not. e.*

1) *A. 1255, Mart. 25 Manfredum principatu Tarentino et omnibus bonis, quae haberet in regno et quae alibi ab ecclesiis obtineret, et vicaria ei [a. 1254, Sept. 27] ab apostolica sede concessa privaverat, eum et permultos nominatos fautores excommunicans; Winkelmann, Acta t. II, p. 726, n. 1044; non reg.* 2) *Cf. p. 293, not. 4.* 3) *Cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 771, lin. 27.* 4) *Cf. p. 354, not. 5.*

graviorem sentiret universitatis corpus de tanti membri lesione iacturam. Accepimus sane, quod licet mediante U. de Vialta tunc potestate vestra orta inter vos olim discordia salubri fuerit decisione sopita[1] et a partibus reformate pacis et iuramento firmate concordia per XL annos et amplius observata, nunc tamen, diabolo extinctos iurgiorum veterum suscitante carbones et satagente revocare morbos abolitos in perniciem recidive, quorundam statutorum pretextu ibidem postmodum editorum pax ipsa dissolvitur et non solum in eiusdem civitatis verum etiam universe regionis periculum violatur[2]. Quia igitur ibi oportet maioris cautele vigilare consilium, ubi evidentius vertitur cause curande periculum et certior cernitur efficatia sanitatis, venerabilem fratrem nostrum .. Bononiensem episcopum, virum providum et in nostris et fratrum nostrorum oculis gratiosum, ad vos duximus transmittendum[3], ut vos ad observationem pacis et iuramenti huiusmodi ex parte nostra monere sedula et instanti[a] attentione procuret, vos ad id secundum datam sibi a Deo prudentiam exhortationibus et obtestationibus quibus poterit efficaciter inducendo. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem episcopo super hoc intendatis humiliter et devote, ita quod ex ipsius studio vobis annuentibus[b] possit concedente Domino fructus salutaris concordie provenire[4].

Dat. Neapoli, Kalendis Maii, anno I°[5].

398.

Alexander IV papa [Monacho] electo Albensi ad sopiendas inimicitias inter Manfredum de Carreto et Georgium de Ceva marchiones ex parte una et Bonifacium de Carreto marchionem ex altera exortas mandat, ut cum Georgio et Agnete sorore Bonifacii super matrimonio contrahendo dispenset. *1255, Mai. 3.*

Al. IV Reg. Vol. I, 55; Lib. I, 379. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Posse, Anal. Vat. p. 3, n. 30.

.. electo Albensi.

Etsi coniunctio copule coniugalis in tertia et quarta consanguinitatis vel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta, provide tamen super hiis interdum Romana dispensat[c] ecclesia, maxime cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. Cum itaque ad graves inimicitias dudum exortas inter nobiles viros Manfredum de Carreto[6] et Georgium de Ceva[7] marchiones ex parte una et Bonifacium marchionem de Carreto[8] ex altera sopiendas asseratur plurimum expedire, quod inter nominatum Georgium et nobilem mulierem Agnetem Bonifacii predicti sororem tertio et quarto consanguinitatis

a) instant̄ *R.* b) annuantibus *R.* c) *signum* dis *superscr. alia tinctura.*

1) *Instrumentum Uberti de Vialta datum a. 1214, Dec. 30 legitur ap. Corio, Hist. di Milano p. 157. Cf. etiam Ann. Mediol. breves a. 1212 et Ann. Mediol. minores a. 1212; SS. t. XVIII, p. 391 et 398.* 2) *Cf. Ann. Mediol. ap. Muratori, SS. t. XVI, p. 657 et 658.* 3) *In Angliam missus erat, ut Edmundum filium regis de regno Siciliae per annulum investiret; cf. etiam Potthast 15815, 15854, 15871; non reg.; cf. sub Iul. 12. Mai. 1 apud curiam erat; Lib. I, 407; circa Oct. 18 in Anglia erat; Matth. Paris. SS. t. XXVIII, p. 353.* 4) *De Mediolanensibus et Manfredo marchione Lancea cf. Potthast 15709 et 15710; non reg.; quae epp. post Mart. 25 [p. 356, not. 1] scriptae sunt; cf. etiam Hahn, Coll. Monum. veter. t. I, p. 193, n. 49.* 5) *Sequitur in Reg. sub eodem numero 400 epistola ad episcopum Bononiensem de eadem re data Mai. 5.* 6) *Ex sept. et occ. civ. Savona. De Iacobo marchione genero Friderici II cf. Potthast 14330; non reg.* 7) *Ex or. civ. Mondovi.* 8) *Marchiones de Carreto a. 1254, Oct. 19 cum Gibellinis Lombardiae foedus inierant; Böhmer, Acta Imp. sel. p. 676, n. 971.*

gradibus se invicem contingentes matrimonium contrahatur, nos, inter eos pacem stabilem affectantes, mandamus, quatinus, si inter predictas partes per huiusmodi matrimonium pacis soliditas[a] provenire poterit, auctoritate nostra cum eisdem Bonifacio[b] et Agnete dispenses, ut licite possint ad invicem matrimonialiter copulari — impedimento huiusmodi non obstante.

Dat. Neapoli, V Nonas Maii, anno I°[c].

399.

Alexander IV papa abbati in Lenin et priori provinciali Praedicatorum Alamanniae propter servitia ab [Alberto] duce Saxoniae et Iohanne marchione Brandeburgensi W[illelmi] regis Romanorum negotio generali impensa mandat, ut cum marchione et [Iutta] nata ducis super matrimonio contrahendo dispensent. *1255, Mai. 7.*

Al. IV Reg. Vol. I, 54; Lib. I, 369. Exemplar, quod Ripoll, Bull. Praedicat. t. I, p. 282, n. 28 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15840.

.. abbati in Lennin[1] Cisterciensis ordinis Brandeburgensis diocesis et .. priori provinciali fratrum Predicatorum Alamannie.

Ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum .. ducis Saxonie ac Iohannis marchionis Brandeburgensis[d] fuit nobis humiliter supplicatum, ut eidem marchioni et nobili mulieri .. nate dicti ducis contrahendi matrimonium ad invicem et confirmandi contractum ac in eo licite remanendi — non obstante quod iidem tertia consanguinitatis linea sunt coniuncti[2] — licentiam de benignitate sedis apostolice largiremur. Licet igitur coniugalis contractum copule inter tales fieri canones districtius interdicant et raro vel numquam, nisi ex magne utilitatis et necessitatis causa, sedes ipsa consueverit impedimentum huiusmodi per dispensationis gratiam submovere, quia tamen plura, propter que sedis eiusdem clementia potest honeste ad predictam inclinari gratiam, fuerunt proposita coram nobis, presertim prompta exhibitio utilium et magnorum servitiorum ab eisdem nobilibus in ecclesie ac carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris generali negotio impensorum et odiorum preteritorum fomitis in illis partibus extinctio salutaris et cautela, qua per hoc futuris malis posse dicitur precaveri, nos, eisdem nobilibus omnem quam cum Deo possumus gratiam facere suadentibus eorum meritis intendentes, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatinus, propositis huiusmodi servitiorum et aliarum necessitatum utilibus[e] causis diligentius inquisitis et attente perspectis, eisdem auctoritate nostra petitam licentiam concedatis, cum ipsis super impedimento consanguinitatis huiusmodi dispensando, prout vestra circumspectio secundum Deum viderit expedire. Quod si non omnes etc.

Dat. Neapoli, Nonis Maii, anno I°.

---

a) solidatas *R.* b) *leg.* Georgio. c) Dat. ut supra *R.* d) *prima litt.* r *superscr.* e) utili—bus *R.; locus vacuus rasus.*

1) *Lehnin e mer. civ. Brandenburg.* 2) *Stemma: Iohannes I, Albertus II, Otto I — Albertus Ursus — Bernhardus dux Saxoniae, Albertus I, Iutta.*

400.

Alexander IV papa Wernhero abbati Hersfeldensi confirmat processum, per quem, cum olim sponte cessisset, postea a priore et conventu resumptus et auctoritate P[etri] S. Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc legati, confirmatus fuit.

1255, Mai. 11.

Al. IV Reg. Vol. I, 57; Lib. I, 396. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis et cum editione, quam Finke, l. c. praebuit.

Finke, Westfal. U. B. t. V, p. 254, n. 552.

Wernhero abbati monasterii Herfeldensis[a] ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis.

Cum a nobis petitur etc. Sane tua nobis petitio exhibita continebat, quod cum olim administrationi Hersfeldensis[b] monasterii ex certis causis sponte cessisses ad tempus, prior et conventus eiusdem monasterii, considerato prudenter quod per cessionem eandem in spiritualibus et temporalibus patiebatur idem monasterium non modicum detrimentum, te ad administrationem dicti monasterii resumpserunt[1], et ne in eorum mentibus scrupulus dubietatis posset oriri, ad . . abbatem Montis Sancti Petri suosque collegas Erfordenses[c] Maguntine diocesis dilecti filii nostri P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legati, litteras impetrarunt[2], ut, nisi eis constaret, quod tu propter aliquod notabile vel probabile vitium cesseris administrationi monasterii antedicti, quod per priorem et conventum de te factum extiterat, ipsius auctoritate confirmare curarent. Cuius auctoritate mandati predicti abbas Montis Sancti Petri suique collegę inquirentes super premissis diligentius veritatem, quia eis constitit ex nullo notabili vel probabili vitio administrationi ipsius monasterii te cessisse, quod per prefatos priorem et conventum super resumptione huiusmodi factum extitit, ipsius auctoritate legati confirmare curarunt. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem abbate et collegis ipsius super hoc provide factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Neapoli, V Idus Maii, anno I°.

401.

Alexander IV papa Sergio Siginulfi civi Neapolitano confirmat quoddam feudum ipsi in Aversa concessum, non obstante quod idem feudum a quondam Conrado et Manfredo Bartholomaeo de Bursis militi Aversano, qui de mandato apostolico in carcere detineatur, concessum sit et I[nnocentius IV] papa eidem B., dum devotus persisteret, feuda et alia a Fr[iderico II] et Conrado collata confirmaverit. *1255, Iun. 21.*

Al. IV Reg. Vol. I, 70; Lib. I, 469. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

a) *ita R.* b) Hersfeldensis *R.* c) Erfordeñ *R.*

1) *Cf. infra sub a. 1258, Dec. 11; a. 1259, Ian. 20 et Iun. 19 et 27.* 2) *Cum iterum in Teutonia legatus esset ab a. 1254, Apr. [n. 279] — a. 1255, Apr. Ultimae chartae, quas dedit: a. 1255, Mart. 11 et 14 Argentorati, Wormser, U. B. t. I, p. 175, n. 261; Cod. dipl. Nass. t. I, p. 384, n. 625; Mart. 18 Rinaugiae, Strassb. U. B. t. I, p. 293, n. 390; Mart. 23—Apr. 4 Constantiae, Wirtemb. U. B. t. V, p. 99, n. 1333 et sequ. et p. 453: Apr. 7 Welchilch [Feldkirch?] et Apr. 9 Curiae, Ladewig, Reg. ep. Const. n. 1883 et 1911. Chartas post Apr. 9 scriptas non invenimus.*

Nobili viro Sergio Siginulfi civi Neapolitano.

Et ratio postulat et equitas[a] persuadet, ut nostrorum devotionem fidelium apostolice benignitatis favoribus prosequamur. Sane porrecta nobis ex parte tua petitio continebat, quod dilectus filius noster O[ctavianus] Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, apostolice sedis legatus, merita tue devotionis attendens, feudum, quod condam Iohannes Thesonus miles Aversanus tenuit in Aversa et eius pertinentiis, ad curiam per excadentiam devolutum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis de speciali mandato nostro sueque legationis auctoritate tibi et tuis heredibus duxit in perpetuum concedendum et fecit te in ipsius feudi corporalem possessionem induci, prout in litteris inde confectis plenius continetur. Tuis igitur devotis precibus inclinati, concessionem huiusmodi ratam habentes et gratam, dictum feudum — non obstantibus[b] quod condam Conradus et Manfredus nati condam Fr. imperatoris Bartholomeo de Bursis militi Aversano[1], qui propter indevotionem suam de mandato sedis apostolice carceri detinetur, dictum feudum concessisse dicuntur, et quod felicis recordationis I. papa predecessor noster, dum idem Bartholomeus in ecclesie devotione persisteret, castra, feuda et alia, que idem Fr. et Conradus eidem B. contulerant, ut dicitur, confirmavit, cum idem B. minime in eiusdem ecclesie devotione[c] perstiterit, — tibi in devotione ecclesie persistenti auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, XI Kalendas Iulii, anno I°[2].

402.

Alexander IV papa [Henrico] episcopo Sambiensi et Guillelmo canonico S. Dionysii Leodiensis mandat, ut praelatos et clericos Poloniae moneant ad solvendas procurationes, quas P[etro] S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali, quando apud eos legatione fungeretur, denegaverint, contumaces vero ad curiam papalem peremptorie citent.

1255, Iun. 30.

Al. IV Reg. Vol. I, 71; Lib. I, 489. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. episcopo Sambiensi[3] et Guillelmo canonico ecclesie sancti Dionisii Leodiensis.

Exposuit nobis dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis[4], quod cum olim in partibus Polonie legationis fungeretur officio[5] et nonnulli prelati et clerici ecclesiarum partium earundem, seculares et religiosi, de suis procurationibus ei satisfacere pro suo libito denegarent, licet idem cardinalis in plerosque ipsorum fecerit ob id excommunicationis sententiam promulgari, dicti tamen prelati et clerici dampnabiliter in eadem sententia sub appellationis velamine, in quam ad nos

---

a) quietas *R.* b) obst' *R.* c) devotionem *R.*

1) *Ut videtur, hic idem erat ac Bartholomaeus de Rebursa miles Aversanus, cui, ad devotionem ecclesiae reverso, Innocentius IV a. 1254, Oct. 31 bona confirmaverat; Lib. XII, 342.* 2) *A. 1255, Ian. 11 in favorem Gregorii abbatis S. Severini Neapolitani, fratris [Landulfi], qui a. 1252, Iun. 1 electus Theatinus fuerat [cf. p. 122, lin. 41], scripsit; Lib. I, 43. Febr. 11 in favorem Iohannis abbatis S. Sebastiani Neapolitani; Lib. I, 174.* 3) *Cf. p. 237, not. 1.* 4) *Ut videtur, ad sedem apostolicam redierat; Iul. 13 sub privilegio papali testis reperitur; Potthast 15919.* 5) *Cf. n. 279.*

prorupisse dicuntur, persistere non verentes, adhuc procurationes easdem solvere contradicunt, nichilominus presumentes immiscere se divinis officiis sic ligati. Nos autem, sententiam ipsam, quam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari volumus, ratam et gratam habentes ac eandem appellationem frivolam reputantes, mandamus, quatinus dictos prelatos et alios, cuiuscumque dignitatis vel ordinis fuerint, moneatis vel moneri faciatis, ut infra tempus, quod eis duxeritis prefigendum, vobis et aliis, quos ad hoc duxeritis deputandos, nomine cardinalis eiusdem dictas procurationes cum integritate persolvant [1], contradictores, in quos non fuerat eadem sententia promulgata, ad id per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Illos autem et alios contumaces per vos aut alios ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duos menses post citationem vestram personaliter nostro se conspectui representent, quod ipsorum contumacia meruit recepturi. Quod si forte per inobedientie vitium citationi parere contempserint, prelatos eosdem tam diu excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab omnibus artius evitari, donec ad presentiam nostram accesserint, parituri mandatis apostolicis in premissis; alios vero beneficiis ecclesiasticis, que in predictis partibus obtinent, privare ac ea personis idoneis et obedientibus et devotis, quibus expedire videritis, conferre curetis, contradictores sublato cuiuslibet appellationis obstaculo censura simili compescendo, — non obstantibus [a] si aliquibus dictarum partium a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari vel interdici nequeant aut suspendi, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Diem vero citationis et quicquid inde feceritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Quod si non ambo etc.

Dat. Anagnie, II Kalendas Iulii, anno I° [2].

In eundem modum eisdem contra . . episcopum [3] et clerum civitatis et diocesis Pataviensis.

In eundem modum . . abbati Sancti Martini et . . decano Sancti Andree Coloniensis contra nonnullos prelatos et clericos ecclesiarum partium Alamanie seculares et religiosos.

In eundem modum . . episcopo Sambiensi et Guillelmo canonico ecclesie sancti [b] Dyonisii Leodiensis contra . . electum [4] et clerum Salzeburgensis civitatis et diocesis.

In eundem modum eisdem usque: quod cum olim in partibus Datie legationis officio fungeretur, venerabilis frater noster . . Lundensis archiepiscopus [5] et nonnulli suffraganei partium earundem etc. ut in alia usque in finem.

403.

Alexander IV papa Branchaleonem de Andelo senatorem Urbis monet, ut servientes et cursores curiae ad eundum in exercitum vel ad alia servitia civitatis non coartet.
1255, Iul. 7.

Al. IV Reg. Vol. 1, 71; Lib. 1, 487. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Branchaleoni de Andelo [c] senatori Urbis.

Cum hii de familia nostra, tam servientes quam cursores, domicilium habentes in Urbe, qui nostris insistunt obsequiis, ad eundum in exercitum vel ad alia civitatis publica

a) obst' *R.* b) sancti *superscr.* c) Andel' *R.*

1) *Sed cf. n. 235.* 2) *Ep. a. 1256, Iul. 3 ad eandem causam spectare videtur.* 3) *Ottonem. De eodem cf. Inn. Lib. XI, 53 sub a. 1253, Iul. 15; Potthast 15052 sub Iul. 7.* 4) *Philippum.* 5) *Iacobus.*

prestanda servitia non consueverint coarctari[1], nobilitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, mandantes quatinus Bassum scriniarium camere nostre, Bontempum et Berardum dictum Longum et alios tam servientes quam cursores nostros contra consuetudinem huiusmodi pro reverentia nostra non permittas super hiis ab aliquibus molestari et exinde habeas excusatos.

Dat. Anagnie, Nonis Iulii, anno I°.

404.

Alexander IV papa [Henricum III] regem Angliae rogat, ut cum idem omnia debita pro negotio regni Siciliae contracta solvere teneatur, [Raynerio] electo Vulterano, qui de mandato Innocentii IV papae pro eodem negotio cum strenua militum comitiva accedens 4800 libras Turonensium expenderit, easdem protinus resarciat. *1255, Iul. 12.*

Al. IV Reg. Vol. I, 116; Lib. I, 794. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. illustri regi Anglie.

Cum dilectus filius .. Wlteranus electus de mandato felicis recordationis I. pape predecessoris nostri in servitium ecclesie pro instanti negotio regni Sycilie accesserit, ducens secum honorabilem et strenuam militum comitivam, ac propter hoc multa ipsum subire oportuerit onera expensarum, ita quod preter dampna, que hac occasione incurrisse dinoscitur, expense huiusmodi usque ad quatuor milium et octingentarum librarum Turonensium summam ascendunt, in qua utique summa Romana ecclesia tenetur eidem, tuque omnia debita pro predicti negocii promotione contracta usque ad certum terminum solvere tenearis, prout in apostolico privilegio, quod per venerabilem fratrem nostrum .. Herefordensem episcopum[2] tibi transmisimus[3], plenius continetur: serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus diligenter attendens, quod idem electus dictum negotium ferventi zelo prosequitur eiusque promotioni potenter insistit, huiusmodi pecuniam sibi vel procuratori suo eius nomine, presertim cum in summa in predicto contenta privilegio eadem pecunia concludatur, ante huiusmodi terminum ob reverentiam nostram et apostolice sedis exolvas. Nos enim de ipsa pecunia reputabimus fore a te nobis et predicte ecclesie plenarie satisfactum.

Dat. Anagnie, IIII Idus Iulii, anno primo[4].

---

1) *In pace a. 1235 facta ipsis verbis hoc statutum non est; cf. t. I, p. 522 et sequ.* 2) *Petrum.* 3) *Scil. pactum, per quod papa a. 1255, Apr. 9 Edmundo filio regis regnum contulerat; Potthast 15784; Capasso n. 210; non reg. Rex summam 135541 marcarum sterlingorum usque ad festum s. Michaelis [Sept. 29] a. 1256 solvere tenebatur; Capasso l. c. § 16 minus accurate.* 4) *A. 1256, Mart. 8 papa abbati S. Iusti Vulterani scripsit se mandasse, ut eidem electo pro expensis praedictis ab episcopis et capitulis Senensibus, Grossetanis et Massanis aliisque provideretur, mandans ut excommunicationis sententia propter hoc in eosdem lata observaretur; Lib. II, 181. — A. 1255, Apr. 30 regem Angliae monuit, ut [Iacobo] episcopo Bononiensi [cf. sub n. 397] 4000 librarum Turonensium pro negotio regni Siciliae expensarum restitueret; 1256, Iun. 13, ut nominatis mercatoribus Senensibus 1057 marcas sterlingorum, quas Iacobo comiti Lavaniae germano quondam G[uillelmi] S. Eustachii diaconi cardinalis pro eodem negotio persolvissent, exhiberi faceret; Potthast 15815 [falso sub Apr. 21] et 16416; non reg. Permultae illae epistolae ad regem Angliae et negotium regni Siciliae spectantes, quas Rymer, Foedera, ex authenticis edidit, praeter n. 373—375 et 380 in Reg. transscriptae non sunt, sed nonnullae aliae, quae minoris momenti sunt, ibidem leguntur: Lib. I, 165, 317 [= Potthast 15768], 338 [pro germano Roberti Walerant militis et nuntii regis, Apr. 19], 358, 391, 416, 420 [de nuntio praedicto Mai. 18], 536 [= Potth. 15949], 539, 544, 673, 675, 676, 697.*

405.

Alexander IV papa Wolrado electo Halberstadensi facultatem concedit, ut praelatos et clericos civitatis et dioecesis et vassallos et ministeriales ecclesiae Halberstadensis, qui Ludolfo de Sladen intruso adhaereant, beneficiis privet. — [Rudolfo] archiepiscopo Magdeburgensi simili modo scribit, mandans, ut nisi Ludolfus infra quindecim dies obedierit, ex tunc eum omni officio et beneficio privet et in fautores eius excommunicationis et interdicti sententias ferat. — Eidem mandat, ut omnes alienationes bonorum episcopatus Halberstadensis a Ludolfo praesumptas irritas denuntiet. 1255, Iul. 14 et 21.

Al. IV Reg. Vol. I, 80 81; Lib. I, 550 a, c, d. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis et cum editione, quam Posse l. c. praebuit.

Posse, Analecta Vaticana p. 119 – 123, n. 1, 2, 4; Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberstadt t. II, p. 152, n. 896, 897, 899.

I.

Wolrado electo Halberstadensi.

Sicut te intimante nobis innotuit, felicis recordationis I. papa predecessor noster, electione presumpta in Halberstadensi ecclesia de Ludulfo de Sladen ecclesie predicte canonico irrita penitus nunciata, electionem de te canonice celebratam de fratrum suorum consilio confirmavit[1]. Verum dictus predecessor, ipsius Ludulfi personam, ut mandatis eius in hac parte pareret[a], pluribus decorans gratiis et beneficiis[2], per suas litteras[b] iniunxit eidem, ut administrationi episcopatus Halberstadensis se nequaquam ingerens nec intromittens de illo, dictum episcopatum et civitatem Halberstadensem nec non castra, oppida et alia ad te spectantia cum fructibus medio tempore perceptis ex [iis][c] tibi dimitteret pacifice et quiete, nullam tibi super premissis per se aut alios molestiam inferendo. Dedit etiam dictus predecessor . . preposito ecclesie in Germorode[3] Maguntine diocesis suis litteris in mandatis, ut si predictus L. mandato apostolico in hoc contempneret obedire, idem prepositus per se vel per alium huiusmodi gratias et beneficia revocans, ipsum L. tamquam ingratum illis privatum nunciare studeret, iniungendo nichilominus per alias litteras suas . . abbati monasterii de Ballenstade[4] et . . preposito ecclesie sancte Marie in Erfordia, ut [in][d] nominatum L. parere super hoc mandatis apostolicis renitentem et in omnes in hoc adherentes ei excommunicationis et in terras eorum interdicti sententias appellatione postposita proferentes ac utramque sollempniter puplicantes sententiam, facerent eas usque ad satisfactionem condignam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari, invocato etc.[e], processuri alias contra eos, prout exigeret protervitas eorundem. Set predictus L. non solum mandatis apostolicis parere contempsit, verum etiam iniquitatem iniquitati accumulans, quendam nuncium, qui ei super hiis monitionis detulit litteras, exoculari et aures amputari fecit eidem ac unum ministerialem ipsius ecclesie nullis suis culpis exigentibus morte turpissima condempnari. Unde dicti executores in sepedictum L., quia mandatis eisdem obedire contumaciter renuit, et in adherentes eidem in hoc canonica monitione premissa excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgarunt, ac dictus prepositus in Germerode gratias et beneficia revocans eadem, ipsum L. tamquam ingratum illis privatum iuxta formam sibi traditam nunciavit, in contradictores excommunicationis sententia promulgata; tu etiam in abbates, priores, prelatos, canonicos et clericos Halberstadensis civitatis et diocesis nec non et vassallos ac ministeriales ipsius ecclesie

a) parere *R.* b) litt. suas *R.* c) iño *R.* d) in *deest R.* e) *cf. t. I, p. XVI, n. 18.*

1) *Cf. n. 307—309.* 2) *Cf. p. 364, lin. 37.* 3) *Germerode inter civitates Cassel et Eschwege.* 4) *Ballenstedt e mer. et or. civ. Quedlinburg.*

Halberstadensis, quia tibi non intendebant set potius contra te favebant Ludulfo predicto[1], canonica monitione premissa tam ipsius predecessoris auctoritate quam propria similes sententias protulisti. Quia vero dicti abbates et alii a sua propter hoc pertinacia minime resipiscunt, ut pena docente cognoscant, quam temerarium sit prelati non obedire mandatis, eos, si a te moniti diligenter tibi ut patri et pastori animarum suarum non obedierint ac intenderint et destiterint prorsus a prestatione favoris Ludulfo iamdicto, privandi suis dignitatibus, prelaturis, prebendis et beneficiis, que in monasterio[a] et ecclesiis earundem civitatis et diocesis obtinent[b], nec non et compescendi contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione remota tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, concessa nichilominus potestate illis, ad quos huiusmodi dignitatum, prelaturarum, prebendarum et bonorum collatio pertinet, ea post privationem huiusmodi tamquam vacantia personis idoneis conferendi[c], — non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem: nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis et etiam impetrandis.

Dat. Anagnie, II Idus Iulii, anno I°[2].

II.

.. archiepiscopo Magdeburgensi.

Dilectus filius Volradus[d] electus Halberstadensis sua nobis petitione monstravit, quod cum dudum in Halberstadensi ecclesia due fuissent electiones, videlicet de ipso tunc scolastico et de Ludulfo de Sladen canonico ipsius ecclesie, celebrate, quia felicis recordationis I. papa predecessor noster, procuratoribus partium propter hoc in eius presentia constitutis et auditis que fuere hinc inde proposita coram ipso, invenit electionem de prefato L., qui postmodum a venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Maguntino loci metropolitano munus sibi confirmationis et consecrationis impendi obtinuerat, utpote adhuc non vacante dicta ecclesia fore presumptam, M. quondam episcopo Halberstadensi nondum obtinente cedendi licentiam, licet eam cum instantia postulasset a dilecto filio nostro H[ugone] tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus Alamanie apostolice sedis legato, post generalem etiam inhibitionem ab ipso legato emissam, ut nulla electio in regno Alamanie fieret eius irrequisito assensu, super quibus dictus cardinalis ab eodem predecessore speciale mandatum habebat, denunciavit electionem huiusmodi penitus irritam et electionem postea de ipso Volrado celebratam canonice de fratrum suorum consilio confirmavit. Verum etc.[e] usque: promulgata, verbis competenter mutatis. Porro idem L., huiusmodi sententias dampnabiliter vilipendens et maledictionem bibens ut aquam, divinis officiis temere se immiscet in anime sue periculum, ipsius electi preiudicium et ecclesiastice discipline contemptum. Et licet iamdictus predecessor eidem L. inter alias gratias concessisse dicatur, ut si se administrationi non ingereret episcopatus eiusdem, pontificali dignitate gauderet[3], idem tamen L. contra mandatum ipsius predecessoris post privationem gratiarum huiusmodi et latam

a) monasteriis *Po.* b) obtinet *R.* c) conferenda *R.* d) etc usque: contemptum *sequitur in R.; scil. ut in 550b.* e) *Cf. p. 363, lin. 16—41.*

1) *Qui fuerint fautores eius, legimus in chartis Ludolfi a. 1255, Mart. 18 et Apr. 10; Schmidt, l. c. t. II, p. 151—152, n. 893 et 894.* 2) *Eodem die decano et capitulo Halberstadensibus et abbatibus, prioribus, praelatis, canonicis et clericis universis civitatis et diocesis Halberstadensis mandavit, ut Volrado obedirent; in eundem fere modum vassallis et ministerialibus ecclesiae et populo civ. et dioc. Halberstadensium; Lib. I, 550b; Posse, l. c. p. 122, n. 3.* 3) *Cf. p. 363, lin. 17.*

in ipsum excommunicationis sententiam se administrationi dicti episcopatus ingerens, crisma presumpsit conficere sollempniter et alia, que ad officium pontificale pertinent, dampnabiliter exercere. Cum igitur publice utilitatis intersit, ut excessus vindicta coerceat et pena limitentur offense, mandamus, quatinus, nisi sepedictus L. infra XV dies post monitionem tuam mandatis apostolicis ab eodem predecessore super hiis sibi factis curaverit obedire, extunc eum prives omni officio et beneficio ecclesiastico, quibus reddidit se indignum, et in abbates, priores, prelatos, canonicos et clericos civitatis et dioecesis Halberstadensis nec non vassallos et ministeriales ipsius ecclesie Halberstadensis, nisi eidem [Volrado][a] intenderint et obedierint ac ei ut patri et pastori animarum suarum astiterint contra illum, monitione premissa excommunicationis ferens sententiam ac terras eorum supponens ecclesiastico interdicto, ipsos et dictum L. tamdiu singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos publice nuncies et ab aliis nunciari facias ac ab omnibus artius evitari, donec resipuerint a premissis. Ceterum ad ipsius proterviam edomandam civitatem Halberstadensem [1] et alia loca sibi assistentia in ipsa pertinatia existenti, seu ad que ipsum devenire contigerit, supponas ecclesiastico interdicto, ita quod nullum in eis divinum celebretur officium et exhibeatur ecclesiasticum sacramentum preter penitentias morientium et baptismata parvulorum: contradictores [etc][b], invocato etc. — non obstante si aliquibus a sede apostolica est indultum, quod interdici etc. usque: mentionem: nullis litteris veritati et iustitie preiudicantibus a sede apostolica impetratis vel etiam impetrandis.

Dat. Anagnie, II Idus Iulii, anno I°.

III.

.. archiepiscopo Magdeburgensi.

Dilectus filius Volradus etc. usque: confirmavit. Set dictus L. administrationi episcopatus Halberstadensis se ingerens et intromittens de illo, propter quod fuerunt in eum auctoritate dictorum predecessoris et cardinalis exigente iustitia excommunicationum sententie promulgate, personatus, dignitates, ecclesias et beneficia ecclesiastica ad collationem dicti electi spectantia conferre necnon et castra, villas, possessiones et alia bona episcopalis mense fame sue prodigus et salutis oblitus de facto vendere, infeudare et obligare presumpsit in anime sue periculum, plurimorum scandalum et ipsorum electi et ecclesie non modicum detrimentum [2]. Quocirca mandamus, quatinus, si de collatione, venditione, infeudatione ac obligatione huiusmodi tibi constiterit, eas auctoritate nostra decernens penitus non tenere ac denuncians irritas et inanes, eis, quibus idem L. personatus, dignitates, ecclesias et beneficia ipsa contulit, et illis, quibus[c] castra, villas, possessiones et bona predicta taliter vendidit, infeudavit et obligavit, ab eis prorsus amotis, castra, villas, possessiones et bona eadem ad ius et proprietatem diete mense studeas legitime revocare: contradictores [etc.][d] — non obstantibus[e] si aliquibus est ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi et excommunicari seu terre ipsorum supponi ecclesiastico interdicto non possint per litteras apostolicas, que de ipsorum personis et nominibus ac toto tenore indulti huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, ac qualibet alia indulgentia cuicunque persone vel loco sub quacumque forma vel expressione verborum a dicta sede concessa, per quam huiusmodi mandati executio impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentio fieri

a) Volrado *deest R.* b) etc *deest R.* c) in quibus *R.* d) etc *deest R.* e) obst[s] *R.*

1) *A. 1255, Apr. 10 ibidem Ludolfus chartam dedit; Schmidt, l. c. t. II, p. 152, n. 894.* 2) *De comitatu Sehusen cf. infra sub a. 1257, Dec. 22.*

debeat specialis, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali: nullis litteris veritati etc. usque: impetrandis.

Dat. Anagnie, XII Kalendas Augusti, anno I° [1].

406.

Alexander IV papa fratri Rufino capellano et poenitentiario suo, vicario in Sicilia et Calabria O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis legati, contrahendi quoddam mutuum facultatem concedit. *1255, Iul. 20.*

Al. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. I, cur. 7. Exemplar Pertzii contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 15937.

Fratri Rufino capellano et penitentiario nostro, vicario in Sicilia et Calabria dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, apostolice sedis legati[2].

Discretioni tue contrahendi mutuum nostro et ecclesie Romane nomine usque ad summam, quam mandaverit tibi dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis[a], et obligandi propter hoc demania et scandentias[b] [3] et alia iura curie, que predicta ecclesia in Sycilia obtinet, ita quod hiis, qui eandem tibi pecuniam mutuaverint, illam in utilitatem ipsius ecclesie fuisse conversam probandi necessitas non incumbat, plenam et liberam[c] concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. Anagnie, XIII Kalendas Augusti, anno I° [4].

407.

Alexander IV papa [Iohanni] electo Paduano indulget, ut cum propter Ezelinum in ecclesia sua morari non audeat, ubicumque fuerit, officium suum exercere valeat. *1255, Iul. 31.*

Al. IV Reg. Vol. I, 116; Lib. I, 792. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. Paduano electo.

Exigentibus tue devotionis meritis votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur propter tirampnidem perfidi Ezelini in ecclesia tua non audeas commorari [5], nos, tuis supplicationibus inclinati,

---

a) *suppleas:* apostolice sedis legatus. b) scādentias *R.; sed signum* ¯ *forsan eradi coeptum est, ita ut* scadentias, *i. e.* excadentias *legi oporteat.* c) tibi *add. R.*

1) *Adhuc a. 1255, Iul. 26 Henricus comes de Blankenburgh Ludolfum 'episcopum' vocavit; sed ante a. 1256, Febr. 9 archiepiscopus Magdeburgensis causam per arbitrium terminavit, ita ut Ludolfo quaedam pensio annua erogaretur.; Schmidt, l. c. t. II, p. 157, n. 900; p. 158, n. 903; cf. n. 913. A. 1259 res retractata et ab Alexandro IV nova sententia lata est; ab eo tempore Ludolfus 'quondam episcopus Halberst.' appellatur; Schmidt, l. c. t. II, p. 217, n. 992; cf. iam n. 988 et n. 999, 1003, 1019, 1030.* 2) *Cf. n. 366 et 390.* 3) *Cf. p. 278, not. 2.* 4) *De eodem cf. Lib. I, 579 et 618; Potthast 16001 et 16010; et infra sub Sept. 13. A. 1255, Nov. 13 [locus deest] in favorem Raynaldi episcopi Agrigentini chartam dedit; Pirrus, Sicilia sacra t. I, p. 704. A. 1256, Apr. cum civitate Panormitana in manus Manfredi pervenit; Capasso, l. c. n. 237.* 5) *Cf. p. 244, not. 2. A. 1253, Mart. 21 Innocentius IV pro [Manfredo] episcopo Vicentino exulante scripserat; Lib. X, 561; Potthast 14923. A. 1255, Dec. 18 Alexander IV capitulo Vicentino B[artholomaeum] quondam episcopum Nimociensem, ad ecclesiam eorum translatum, commendavit; Lib. I, 743; Potthast 16195 sub a. 1256, Ian. 18.*

ut de causis et aliis, que ad officium tuum pertinent, cognoscere ac diffinire eaque apud[a] sedem apostolicam vel ubicumque fueris exercere, acsi personaliter resideres in predicta ecclesia, libere valeas, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.[1]

Dat. Anagnie, II Kalendas Augusti, anno I[o 2].

408.

Alexander IV papa revocat omnia privilegia ab Innocentio IV papa et Alexandro ipso personis ecclesiasticis vel secularibus concessa, in quibus eisdem, ne interdici, suspendi vel excommunicari possint, indultum fuerit. *1255, Aug. 18.*

Al. IV Reg. Vol. I, 122; Lib. I, cur. 10. Pertzii exemplar contulimus cum authentico, quod edidit Finke, l. c.

Potthast, Reg. 15989; Posse, Anal. Vat. p. 4. n. 44; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 255, n. 555.

Ad futuram rei memoriam.

Quia pro qualitate temporis hominum disponuntur agenda, ideo evenit, quod illius mutabilitate mutantur. Unde id ipsum, quod alias eo urgente provide actum est, nonnunquam postea eodem exigente contrarium non improvide revocatur. Hinc quidem est, quod nonnulla, que placuerunt aliquando, postmodum decursis temporibus suismet actoribus displicent, et interdum illud idem valde difficile cernitur, quod ante satis facile videbatur. Hoc autem facit ipsius temporis status instabilis, qui successibus variis circa temporalia et terrena iugiter immutatur; nam cum illius necessitatem et locorum etiam conditionem considerare conveniat, oportet secundum ea ingruentia semper negotia dirigi et disponi; propter quod felicis recordationis I. papa predecessor noster nimia duri temporis tunc cum importunitate cogente plura, quamquam forte invitus, fecisse dinoscitur, que ipsemet proponebat succedente oportunitate utiliter immutare[3]. Quampluribus namque personis, tam ecclesiasticis quam secularibus, quod per delegatos vel conservatores aut executores a sede apostolica deputatos seu per [sub]delegatos[b] ab ipsis, aliquibus vero, quod per legatos eiusdem sedis vel per ordinarios aut per delegatos eorum interdici vel suspendi seu excommunicari quodque ipsis ingressus ecclesie interdici et quod terre sue interdicto ecclesiastico supponi non valeant, quibusdam quidem ad certum tempus, quibusdam autem sine temporis determinatione, non tam liberalitate[c] quam improba petentium instantia, considerata tunc temporis qualitate, concessit. Nos itaque, sollicite attendentes quod ex concessione vel indulto huiusmodi multa malignandi audatia sumi potest, cum hec indulgentia contra censuram et auctoritatem ecclesiasticam aperte communiat, laxet nocendi ausum, frenet modestiam, insolentiam armet et iudicialem debilitet potestatem, pensantes etiam quod contra indulto tali protectos iustitie[d] debitum exhiberi plene non potest, cum nequeat in ipsos[e] libere iurisdictio exerceri, quia omnino expedit super hiis congruum remedium adhibere, omnia indulta huiusmodi quibuscumque personis sive ecclesiasticis, prelatis et aliis, regularibus et non regularibus, sive secularibus, principibus videlicet et aliis minoribus, et quorumcumque locorum capitulis, collegiis, conventibus et communi-

a) libere apud *R.* b) *A.*: delegatos *R.* c) *A.*; libertate *R.* d) *A.*: in iustitie *R.* e) *A.*: ipso *R.*

1) *De Ezelino cf. etiam Potthast 15897, non reg., et Al. Lib. I, 204.* 2) *Iam Mai. 11 magistro Iohanni de Forzate electo Paduano gratiam fecerat; Lib. I, 389.* 3) *Cf. p. 315, not. 3.*

bus seu communitatibus ab eodem predecessore vel etiam a nobis concessa, nisi principes ipsi sint reges vel uxores aut filii[a] seu fratres regum aut magnates[b] sublimesque viri, qui antiquitus a predicta sede similem gratiam habuerunt, totaliter auctoritate apostolica revocamus, ita quod deinceps nullum robur nullumque vigorem obtineant nec premissi per ea iuvare se ulterius valeant vel tueri. Nulli etc. nostre revocationis etc.

Dat. Anagnie, XV Kalendas Septembris, anno I°[1].

409.

Alexander IV papa scolastico Argentinensi mandat, ut [Adolfum VI] comitem de Monte, Waleramum fratrem [Willelmi IV] comitis Iuliacensis et alios, qui occasione controversiae inter ipsos et [Conradum] archiepiscopum Coloniensem exortae ecclesiis civitatis et diocesis Coloniensis gravia damna intulerint, ad satisfactionem impendendam inducat; alioquin eos excommunicet. *1255, Aug. 18.*

Al. IV Reg. Vol. I, 90; Lib. I, 597a. Exemplar, quod V. Cl. Monacci inde descripsit, contulimus cum authentico apud Lacomblet, Niederrh. U. B. t. IV, p. 804, n. 667 [A.].

Potthast, Reg. 15990; Posse, l. c. p. 4, n. 45.

.. scolastico Argentinensis ecclesie.

Ex parte dilectorum filiorum prelatorum ac religiosorum et cleri Coloniensis civitatis et diocesis fuit propositum coram nobis, quod, olim inter venerabilem fratrem nostrum .. Coloniensem archiepiscopum ex parte una et nobiles viros .. comitem de Monte ac Waleramum fratrem .. comitis Iuliacensis et quosdam alios nobiles eiusdem diocesis super diversis articulis materia dissensionis exorta[2], dicti nobiles per incendia et rapinas et alias etiam ecclesiis dictarum civitatis et diocesis, tam regularibus quam secularibus, occasione huiusmodi adeo gravia dampna intulerint, quod quamplures ex eodem clero et monasteriis, non habentes unde sustentari valeant, coguntur extra predictas ecclesias miserabiliter exulare, moniales etiam urgente famis angustia ad illicita se convertunt et ecclesie ipse debitis obsequiis defraudantur. Quia vero curam ecclesiarum omnium nobis licet immeritis commisit divine preminentia pietatis, nos, predictorum prelatorum ac religiosorum et cleri supplicationibus inclinati, mandamus[c], quatinus si premissis veritas suffragatur, nobiles ipsos et omnes alios, quos dampna huiusmodi prefatis ecclesiis et monasteriis constiterit intulisse, diligenter moneas et inducas, ut eisdem ecclesiis et monasteriis eorumque prelatis et clericis infra terminum competentem, quem eis duxeris prefigendum, de predictis dampnis plenariam satisfactionem impendant. Alioquin extunc, sicut iustum fuerit, in malefactores ipsos excommunicationis et in terras eorum interdicti ferens sententias, ipsos tamdiu singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos et dictas terras ecclesiastico suppositas interdicto publice nuncies et per loca, in quibus expedire videris, nunciari facias et illos ab omnibus artius evitari, donec de illatis dampnis ecclesiis et clericis supradictis satisfactionem congruam duxerint exhibendam; contradictores etc. — non obstantibus

---

a) reges aut filii seu uxores *A.* b) alii magn. *A.* c) discretioni tue per apostolica scripta mandamus *A.*

1) *Cf. etiam n. 395. Similem revocationem sub a. 1256, Mart. 30 legimus ap. Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberstadt t. II, p. 159, n. 905.* 2) *Cf. Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 73.*

si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint et terra ipsorum supponi ecclesiastico interdicto per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum non fecerint mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, ita quod ultra terciam vel quartam etc.[a] usque: trahatur.

Dat. Anagnie, XV Kalendas Septembris, anno I°[1].

410.

Alexander IV papa populo civitatis Panormi, fidelibus suis, qui primi inter alias civitates Siciliae exsurrexerint, confirmat libertates et iura a regibus, imperatoribus et pontificibus Romanis concessa, consuetudines tempore Willelmi secundi observatas et siclam, prout illam a tempore Rogerii primi usque ad tempora Fr[iderici II] habuerint.

1255, Sept. 5.

Al. IV Reg. Vol. I, 90; Lib. I, 591. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.
Posse, l. c. p. 4, n. 49.

Populo civitatis Panormi, fidelibus nostris.

Quia civitas vestra prima inter alias Sicilie[2] de vili subiectione, ad quam illam diutius impia manus depressserat, ad optate libertatis gaudium vexillo pure devotionis explicito ferventis vigore spiritus exurrexit, conceptum iamdudum subiciendi se dulci et suavi ecclesie Romane dominio laudabile propositum in partum habita oportunitate producens: nos, hec diligenti consideratione pensantes ac volentes propterea ipsius civitatis honorem apostolice sedis condignis gratiis ampliare, vestris supplicationibus inclinati, omnes libertates, dignitates, honores et quelibet alia iura ex quacumque concessione sive regum, imperatorum seu principum sive Romanorum pontificum vobis vestreque competentia civitati, nec non rationabiles consuetudines approbatas dudum in civitate ipsa et pacifice observatas tempore clare memorie Willelmi secundi Sycilie regis, siclam quoque pro cudenda moneta, prout illam inclite recordationis Rogerii ac Willelmi primi et predicti W. secundi regum Sycilie temporibus usque ad tempus condam F. olim Romanorum imperatoris[3] habuisse noscimini, vobis et prefate civitati auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre confirmationis etc.[4]

Dat. Anagnie, Nonis Septembris, anno I°[5].

---

a) aliquis extra suam diocesim auctoritate presentium ad iudicium non trahatur *A*.

1) *Eodem die eidem scolastico tres alias epistolas de praedictis nobilibus auctoritate ecclesiastica compescendis direxit; Lib. I, 597b, c, d; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 256, n. 556; Potthast 15991; Finke n. 557.* 2) *Sed cf. n. 325 et 326. Primas gratias papales Panormitanis factas invenimus sub a. 1255, Ian. 19, 20 et 23; Potthast 15640a et Capasso, l. c. n. 192; non reg.* 3) *Tempore Friderici II siclam Panormi fuisse ignoramus. Iamsilla, l. c. p. 549 B narrat Panormitanos ob novam monetam, quam Petrus Ruffus [cf. n. 330] nomine Conradi II regis Messanae cudi iussisset, rebellasse; cf. Capasso, l. c. p. 96, not. 1.* 4) *A. 1256, Apr. civitas Panormitana in potestatem Manfredi redacta est; Capasso n. 237.* 5) *Eodem die papa capitaneo, consilio et populo civitatis Messanensis libertates a Conrado IV in civitate Acconensi concessas confirmavit; Lib. I, 598; cf. Böhmer-Ficker 4571. Messana a. 1256, Mai. Manfredo se subiecit; Capasso n. 238. — Mai. 11 papa in favorem Parisii archidiaconi Messanensis scripserat, quem Fridericus II longo tempore in carcere detinuerat et bonis omnibus spoliaverat; Lib. I, 447.*

411.

Alexander IV papa Rogerio Finecte de Lentino, fideli suo, nominata castra Syracusanae dioecesis ad demanium seu excadentias curiae pertinentia, quorum redditus ducentas uncias auri annuatim attingant, in feudum concedit. *1255, Sept. 13.*

Al. IV Reg. Vol. I, 91; Lib. I, 600. Exemplar, tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili viro Rogerio Finecte de Lentino[a 1], fideli nostro.

Eximia[2] devotionis et constantie tue merita sic preminent et prefulgent, quod dum precellentiam et claritatem ipsorum attendimus, tot illa digna gratiis et beneficiis arbitramur, quod vix aliquis nobis modus retributionis occurrit, per quem eorum altitudinem condigno possimus premio compensare. propter quod attenti sedulo sumus et vigiles et circa hoc frequenter cogitatio nostra versatur. ut pro talibus tantisque meritis personam tuam et oportunis fulciamus munificentiis et congruis honoribus exaltemus. Cum igitur intendamus ad presens tibi in regno Sicilie de aliquibus bonis ad demanium seu excadentias curie pertinentibus, ex quibus tibi redditus valentes circa ducentas uncias auri annuatim proveniant, providere, tuis supplicationibus inclinati, Bizini[3], Modice[4], Sicli[5] et Palatioli[6] castra Siracusane diocesis, cum sicut asseris ipsorum redditus seu proventus circa huiusmodi unciarum summam annuatim attingant, cum hominibus infeudatis et non infeudatis, terris cultis et incultis, silvis, pratis, aquis aquarumque decursibus et cum omnibus iuribus, honoribus, iustitiis, iurisdictionibus et pertinentiis ad predicta castra spectantibus tibi tuisque heredibus in devotione Romane ecclesie persistentibus de fratrum nostrorum consilio et assensu in feudum concedimus de gratia speciali. Volumus autem, ut quotienscumque predicta Romana ecclesia generalem exercitum congregaverit, tu dictique heredes teneamini X milites armis et equis decenter munitos ad serviendum eidem ecclesie per tres menses infra dicti regni confinia in vestris sumptibus exhibere[7]. Nulli etc.

Dat. Anagnie per manum Guillelmi magistri scolarum Parmensium sancte Romane ecclesie vicecancellarii, Idibus Septembris, indictione XIII[a], incarnationis Dominice anno M°CC°LV°, pontificatus vero domini Alexandri pape IIII anno I°[8].

412.

Alexander IV papa potestati, consilio et communi Capuanis, saepe per hostes ecclesiae dispendiis afflictis, indulget, ut per regnum Siciliae, Campaniam et Maritimam et per omnes terras ecclesiae ab exactionibus perpetuo liberi sint. *1255, Sept. 17.*

Al. IV Reg. Vol. I, 94; Lib. I, 621 b. Damus Pertzii exemplar.
Posse, l. c. p. 5, n. 52.

---

a) Lentiñ *R.*

1) *Fortasse hic idem fuit atque Rogerus de Lentinio in n. 87 et 91. De eodem cf. Iamsilla, l. c. p. 579 B, qui eum' omnium rebellium Siciliae caput' appellarit. De illis de Lentino cf. etiam Böhmer-Ficker 3762.* 2) *Eadem forma verborum in n. 375.* 3) *Vizzini e mer. et occ. civ. Lentini.* 4) *E mer. Bizini.* 5) *Ut videtur Scicli e mer. Modicae.* 6) *Palazzolo ex occ. Syracusarum.* 7) *Cf. p. 354, not. 5.* 8) *Fratri Rufino vicario Octaviani cardinalis legati Aug. 21 mandaverat, ut Rogerium in possessionem praedictorum induceret; Lib. I, 574 a; Potthast 15994. A. 1257, Dec. 13 papa [Henrico III] regi Angliae Rogerium ad presentiam eius accedentem et socios eius commendavit; Potthast 17106. — A. 1255, Aug. 23 Nicolao de Sanducia sororio Rogerii, cum ad fidelitatem ecclesiae rediisset, quaedam

.. potestati, consilio et communi Capuanis.

De meritorum vestrorum multitudine clara procedit, quod affectu sincerissimo vos in Christo diligimus et speciali gratia libentissime confovemus, presertim cum dignum sit, ut qui per sevitiam hostium ecclesie sepe gravibus fuistis afflicti dispendiis, per sedis apostolice pietatem ad statum prosperitatis exurgere gaudeatis. Hinc est, quod universitati vestre auctoritate presentium indulgemus, ut ubique per regnum Sicilie ac per Campaniam et Maritimam nec non per omnes terras ecclesie Romane subiectas a pedagiis et quibuslibet aliis exactionibus perpetuo sitis liberi et immunes. Decernimus etiam nichilominus irritum et inane, si contra tenorem indulgentie huiusmodi adversum vos vel quemcumque vestrum aliquid super hiis contigerit attemptari. Nulli etc. nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Anagnie, XV Kalendas Octobris, anno I° [1].

413.

Alexander IV papa Guillelmo regi Romanorum indulget, ut decimas, quas homines Frisiae diu contumaces se submittentes ipsi concesserint, usque ad quinquennium retineat. *1255, Sept. 20.*

Al. IV Reg. Vol. I, 97; Lib. I, 646. Damus Pertzii exemplar.

Potthast, Reg. 16029; Posse, l. c. p. 5, n. 53.

Guillelmo illustri regi Romanorum.

Sicut nobis ex[hibita][a] continentia tue petitionis accepimus, homines de partibus Frisie, quos diu contumaces habueras et rebelles, se ut tenentur tuo dominio submittentes, decimas omnium possessionum suarum, de quibus eas aliquis hactenus non percepit, tibi ac tuis heredibus intuitu[b] comitatus tui Hollandie in perpetuum concesserunt. Nos igitur, devotis tue celsitudinis supplicationibus inclinati, concessionem eandem ratam habentes et gratam, quod decimarum ipsarum proventus usque ad quinquennium tu ac tui heredes percipere libere ac licite retinere possitis, ita quod loca et persone, quibus decime ipse debentur de iure, ipsas post predictum quinquennium libere percipere valeant, auctoritate tibi presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.[2].

Dat. Anagnie, XII Kalendas Octobris, anno I° [3].

414.

Alexander IV papa potestatem, consilium et commune civitatis Brundusinae, fideles suos, ad instar I[nnocentii IV] papae in demanium ecclesiae recipit et a principatu

a) ex *R.* b) intui *R.*

bona in territorio Lentini sita in feudum concessit; Rufino mandavit, ut eum induceret; Lib. I, 574 b; Potthast 16000 sub Aug. 27. — Sanctoro de Lentino exulanti a. 1259, Dec. 13 et 1260, Ian. 28 gratias fecit; Lib. V, 248; Lib. VI, 10; cf. Clem. IV Lib. I, 130.

1) *Oct. 1 eisdem concessit, ut a Kalendis Iunii usque ad XV sequentes dies generales nundinas annis singulis celebrare possent; Lib. I, 652; Posse p. 5, n. 56. Marino electo Capuano a. 1254, Dec. 23, a. 1255, Mai. 23 et Sept. 11 et a. 1256, Mart. 1 [in presentia papae constituto] gratias fecit; Lib. I, 455, 426, 621; Lib. II, 150; cf. etiam Potthast 16015.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 5266 a.* 3) *De machinationibus quorundam principum Willelmum regem deponendi cf. Potthast 16003 et 16004, non reg., et Scheffer-Boichorst in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VI, p. 573.*

Tarentino eximit, eis habendi commune facultatem dat, quaedam castra confert et concedit, ut ubique per regnum Siciliae cum mercimoniis suis ab exactionibus liberi sint.

1255, Sept. 30.

Al. IV Reg. Vol. I, 101; Lib. I, 684. Damus Pertzii exemplar.

Capasso, l. c. n. 230 sub Oct. 6 ex editione, quam fecit Monaca, Mem. hist. di Brindisi p. 407; qui liber in Biblioth. Berolinensi non exstat. Cf. Posse, l. c. p. 5, n. 55 sub Sept. 30.

.. potestati, consilio et communi civitatis Brundusine, fidelibus nostris.

Quia vestre integritas fidei, devotionis sinceritas et inviolabilis constantie firmitas clare patent, omittimus hec ad presens commendatoriis explicare sermonibus, verba laudis postponimus nunc de ipsis nec ad eorum preconium stilum producimus, set potius in hiis calamum quodammodo cohartamus, quoniam etsi digne laudare vellemus, vix forsitan possent facta exprimi plene dictis, nec ad commendationem idoneam verba suppeterent, quia re vera plus res gesta continet, quam sermo posset prolixior enarrare. Tanti namque meriti magnitudo verborum tenore non capitur nec certas suscipit laudum metas, que velud immensa laudandi quasi superegreditur facultatem. Restat igitur, ut vos, qui sicut fortes et constantes viriliter propugnatis pro ecclesie matris honore ac vestra et communi patrie libertate, in eiusdem ecclesie fidelitate persistentes congruis firmemus favoribus et civitatem vestram condignis gratiarum titulis exaltemus[1]. Cum itaque, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, felicis recordationis I. papa predecessor noster vos et civitatem ipsam in demanium ecclesie Romane receperit, prout in ipsius predecessoris privilegio super hoc obtento plenius continetur[2], nos, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem predecessore factum est in hac parte ratum habentes et gratum ac auctoritate apostolica confirmantes, civitatem ipsam cum eius districtu a[a] principatu Tarentino, et tam ab ipsius principatus quam Manfredi condam principis Tarentini demanio et dominio, quamquam sicut asseritis numquam civitas eadem de prefatis principatu et dominio fuerit, ad maiorem tamen certitudinem perpetuis temporibus duximus eximendam. Habendi quoque commune perpetuo ac assumendi potestates pro ipsius regimine civitatis, dummodo fideles et devotos ecclesie assumatis, liberam vobis concedimus tenore presentium facultatem. Sane, ut ex affluentia beneficiorum eiusdem ecclesie exultet ipsa civitas gaudio pleniori, Horie[3], Gallipoli[4] ac Nericonis[b][5] castra ac terram Austunii[6] cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem vobis et predicte civitati sub debitis et consuetis servitiis conferimus de gratia speciali, dummodo nulli, excepto predicto Manfredo, ex concessione huiusmodi preiudicium generetur, statuentes ut castra et terra eadem in perpetuum de districtu vestro existant et de ipso districtu de cetero censeantur. Concedimus insuper, quod cives Brundusini cum eorum mercimoniis quascumque civitates et quecumque castra et alia loca regni Sicilie tam per mare quam per terram intrare et exire ac vendere et emere ibidem mercimonia que voluerint libere valeant, ita quod ad alicuius portuatici vel plateatici,

---

a) ac *R.* b) Nericon̄ *R.*

1) *Postquam Brundusini Manfredum Lanceam initio a. 1255 vicerunt, Manfredus princeps civitatem eorum frustra obsederat; Iamsilla p. 545 et 546; Böhmer-Ficker 4650 b et d.* 2) *A. 1254, Nov. 4; Lib. XII, 310. Eodem die Innocentius eisdem confirmaverat consuetudines laudabiles et libertates, quibus tempore Guillelmi II et successorum eius usi essent; ibid.* 3) *Oria e mer. et occ. civ. Brindisi. Civitas a Manfredo circa Mart.—Apr. frustra obsessa erat; Böhmer-Ficker 4650 f et sequ.* 4) *Ad sinum Tarentinum, ex occ. civ. Otranto.* 5) *Neritonis, Nardo, ex sept. civ. Gallipoli.* 6) *Ostuni ex sept. et occ. civ. Brindisi.*

rivagii seu pedagii sive cuiuslibet alterius iuris seu dirieti[a] ad nos et predictam spectantis ecclesiam [solutionem][b] nullatenus teneantur[1]. Nulli etc. nostre confirmationis, exemptionis, concessionis, collationis et constitutionis etc.

Dat. Anagnie, II Kalendas Octobris, anno I°[2].

415.

Alexander IV papa W[illelmo] regi Romanorum Merkelinum militem, quondam castellanum Roccae Sorellae, qui sibi in negotio regni Siciliae grandia obsequia exhibuerit, cum Agnete uxore eius commendat. *1255, Oct. 14.*

Al. IV Reg. Vol. I, 102; Lib. I, 691. Damus Pertzii exemplar.

W. regi Romanorum illustri.

Quia inter devotos apostolice sedis aliquos propter maiora ipsorum merita uberiori complecti dilectione tenemur, digne illis, cum aliis benigni et propitii existamus[c], benivoli magis et favorabiles invenimur; immo, ne noster circa tales fecundus affectus defectum aliquem in effectu contineat set in illo exuberet ad profectum, convenit, ut congruis ipsos honoribus studeamus attollere, non solum gratie nostre gremium eis manu explicando munifica, set eorum comoda penes alios affectuoso studio procurando. Cum itaque dilectus filius Marrolinus miles, condam castellanus Rocce Sorelle[3], devotus noster, felicis recordationis I. pape predecessori nostro[4] ac nobis postmodum in negotio regni Sicilie adeo grandia et devota obsequia exhibuerit, quod apostolice sedis gratiam et favorem sibi exinde merito comparavit, nos, volentes ut tuam propter hoc serenam sentiat voluntatem, excellentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Merkelinum[d] et nobilem mulierem Agnetem uxorem eius[5] habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, in cunctis eorum agendis eis favorabilis et benignus existas, ita quod exinde gaudeant se nobis et predicte sedi fuisse devotos, nosque serenitatem tuam dignis in Domino laudibus merito commendemus.

Dat. Anagnie, II Idus Octobris, anno I°.

416.

Alexander IV papa potestati et communi Forosimfroniensibus facultatem concedit, ut homines, qui ad habitandum seu citadantiam in civitatem ipsorum venerint, in cives

---

a) *ita R.* b) solutionem *deest R.* c) extimemus *R.* d) *ita R. ex correctura.*

1) *A. 1254, Dec. 22 communi civitatis Adriae concesserat, ut pro mercimoniis, quae venderentur ibi, nullus plateagium, plancagium, fundicum vel doanam solvere teneretur; Lib. I, 5. A. 1255, Apr. 30 universis Beneventanis propter angustias, quas directe propter ecclesiam passi essent, concesserat, ut per totum regnum Siciliae secure manerent nec alicubi ab iis doana, theloneum, pedagium vel sexantismum [cf. Winkelmann, Acta t. I, p. 681, n. 897] aut alia huiusmodi ab aliquibus exigerentur; Mai. 21 eisdem, ut pro bullis papalibus nihil solverent; Ian. 21 in favorem monasterii S. Sophiae Beneventani, quod faciente malitia temporis destructum esset, scripserat; Lib. I, 401, 472, 79; Posse p. 3, n. 28 et 34.* 2) *Cf. infra sub a. 1257, Nov. 21.* 3) *Cf. n. 124.* 4) *Hic a. 1254, Sept. 17 scolastico Spirensi mandaverat, ut Conrado de Veningen clerico, consobrino Merculini militis castellani Sorellae, in civitate vel diocesi Spirensi provideret; Oct. 5 eidem pro eodem ad preces Riccardi de Montenigro regni Siciliae magistri iustitiarii [cf. Iamsilla 511 C] et consideratione castellani scripserat; Lib. XII, 460 et 461.* 5) *Iam a. 1255, Ian. 30 Alexander in favorem Iohannis clerici Agnetis quondam castellanae Sorellae scripserat; Lib. I, 94.*

recipiant. Eosdem cum civitate in demanium ecclesiae Romanae et sub protectione sua suscipit. *1255, Oct. 25 et 19.*

Al. IV Reg. Vol. I, 103; Lib. I, 710 et 711. Exemplaria Pertzii contulimus cum illis, quae Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 136, n. 257 et 256 edidit.

Potthast, Reg. 16071 et 16068.

I.

.. potestati et communi Forosimfroniensibus.

Devotionis vestre sinceritas nos inducit, ut favore vos apostolico multipliciter prosequentes, speciali vos dono gratie honoremus. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, ut homines, qui ad habitandum seu citadantiam [1] in civitate vestra venerunt hactenus vel venerint in futurum, in vestros cives tenere et libere recipere valeatis sine iuris preiudicio alieni, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, VIII Kalendas Novembris, anno I° [2].

II.

.. potestati et communi civitatis Forosimphroniensis.

Meretur vestre devotionis sinceritas et fidei pure constantia, ut favore vos apostolico multipliciter prosequentes, singulari vos privilegio gratie prosequamur. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, personas, civitatem et omnia bona vestra, que in presentiarum rationabiliter obtinetis et in futurum prestante Domino poteritis adipisci, in demanium Romane ecclesie speciale et sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque: communimus. Nulli etc. nostre protectionis etc.

Dat. Anagnie, XIIII Kalendas Novembris, anno I° [3].

417.

Alexander IV papa W[illelmo] regi Romanorum nuntiat se, [Iacobo] quondam episcopo Virdunensi ad patriarchatum Hierosolimitanum translato, magistrum Robertum, tunc camerarium I[ohannis] S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, ecclesiae Virdunensi in episcopum praefecisse; rogat, ut cum idem praesentiam regis adire nequeat, procuratori eius regalia largiatur. *1255, Nov. 3.*

Al. IV Reg. Vol. I, 104; Lib. I, 718a. Damus Pertzii exemplar.

W. regi Romanorum illustri.

Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines etc.[a] usque: incrementum. Ad hoc enim nostra tendit intentio, circa id cogitatio nostra versatur et ad hoc omnem quam possumus opem et operam adhibemus, ut tales in partem sollicitudinis evocemus,

---

a) *cf. n. 242.*

1) *Cf. p. 131, not. 10.* 2) *Sub Mart. 14 Gentili episcopo Forosimphroniensi gratia; Lib. I, 225; Potthast 15739a. — Ian. 18 magistrum Rolandum capellanum suum rectorem marchiae Anconitanae constituerat; Lib. I, 36b; cf. Potthast 16392. — Apr. 10 translationem episcopatus de infideli civitate Auximana ad civitatem Recanatensem, a Gregorio IX factam et ab Innocentio IV confirmatam, confirmaverat; Lib. I, 301; Posse p. 2, n. 21 sub Apr. 6.* 3) *Ian. 27 Raynaldo de Brunforte, Ian. 28 potestati et communi de Macerata et potestati et populo de Mathelica aliisque de Marchia et eodem fere tempore Firmanis de subsidio militum pro liberatione regni Siciliae praestando scripserat; Potthast 15653, 15655a et 15895; Capasso n. 195.*

qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi set operis informare illumque prudenter regere studeant et in viam salubrium dirigere mandatorum, et qui subditis non preesse cupiant set prodesse ac commissas sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant gubernare. Sane venerabili fratre nostro . . patriarcha Ierosolimitano de Virdunensi ecclesia, cui ante prefuerat[1], ad Ierosolimitanam divina dispositione translato[2], nos, qui ex iugo apostolice servitutis universis sumus ecclesiis obligati, attendentes quod si predicte Virdunensis ecclesie provisio differretur, multis subiceretur periculis et gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta subiret, ac volentes propter hoc eidem Virdunensi ecclesie de pastore ydoneo celeriter providere, dilectum filium magistrum Robertum Virdunensem electum, tunc camerarium dilecti filii nostri I. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconi cardinalis, virum utique litteratum, morum honestate conspicuum, consilio providum et in spiritualibus et temporalibus circumspectum, acceptumque nobis et fratribus nostris sue probitatis merito, predicte Virdunensi ecclesie in episcopum et pastorem prefecimus de fratrum eorundem consilio et apostolice plenitudine potestatis[3], sperantes quod sua circumspectione laudabili et providentia circumspecta ipsa ecclesia tam circa spiritualia quam temporalia gratis tribuente Domino proficiet incrementis. Verum quia idem electus multis et arduis ecclesie sue negotiis apud sedem apostolicam occupatus tuam personaliter nequid[a] ad presens adire presentiam pro recipiendis a te vel officialibus tuis, prout moris est, regalibus ecclesie supradicte, serenitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, quatinus, recepto a nuncio vel procuratore ipsius electi eius nomine debito fidelitatis iuxta regni tui consuetudinem iuramento, eidem nuncio nomine ipsius electi huiusmodi regalia ob nostram et apostolice sedis reverentiam, intuitu quoque eiusdem electi, qui tibi tuisque profectibus propter sue probitatis merita esse poterit multipliciter fructuosus, qualibet mora vel dilatione postpositis liberaliter largiaris[4], alias etiam impendendo sibi favorem et auxilium oportunum. Taliter autem preces in hac parte nostras magnificentia regalis adimpleat, quod predicta ecclesia huiusmodi occasione regalium in temporalibus et spiritualibus dispendium seu detrimentum aliquod non incurrat et idem electus ad tua obsequia exinde strictius obligetur, nosque tuam excellentiam dignis in Domino laudibus merito commendemus.

Dat. Anagnie, III Nonas Novembris, anno I°[5].

418.

Alexander IV papa [Henrico II] electo Spirensi, quem cancellariae ratione curiae W[illelmi] regis Romanorum praeesse oporteat, usque ad festum S. Michaelis proximum suscipiendi consecrationis munus terminum prorogat. *1255, Dec. 8.*

a) *ita R.*

1) *Cf. n. 242. In ep. a. 1255, Sept. 24 Alexander IV narravit Iacobum episcopum Virdunensem pro itinere nuper ad papam veniendi 1000 librarum fortium Campaniae mutuum contraxisse, pro quibus Th[eobaldus] comes Barriducis creditoribus se obligasset, addens eundem episcopum ecclesiam suam, quae gravata fuisset a praedecessoribus suis 32000 librarum dictae monetae, de 10580 libris, praeter meliorationes, liberasse; Lib. I, 645. Febr. 23 episcopo pro exoneratione debitorum ecclesiae suae gratiam Innocentii IV confirmaverat; Lib. I, 164; cf. 104 et* 175. Mai. 12 cum Theobaldo comite Barriducis et Iohanna nata quondam Iohannis de Toncrio de matrimonio contra canones contracto dispensaverat; Lib. I, 386; Posse p. 3, n. 31. A. 1257, Mart. 8 procuratori comitis in praesentia sua constituto gratiam fecit; Lib. III, 170; cf. 159 et 160.* 2) *A. 1255, Apr. 9; Lib. I, 270; Posse p. 2, n. 22.* 3) *A. 1255, Oct. 5; Lib. I, 671.* 4) *Cf. infra sub a. 1256, Mart. 28.* 5) *Eodem die electo [sic] Treverensi mandavit, ne quid in ipsius electi vel praedictae ecclesiae praeiudicium innovare praesumeret; Lib. I, 718b.*

Al. IV Reg. Vol. I, 109, Lib. I, 757. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 222 edidit.

Potthast, Reg. 16110.

.. electo Spirensi.

Exigentibus tue devotionis meritis, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Cum igitur, sicut lecta nobis[a] tua petitio continebat[1], ratione cancellarie, quam in curia carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris obtines, oporteat te curie ipsi preesse ac eius officia, prout honori et utilitati eiusdem regis expedit, ordinare, nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, presentium tibi auctoritate usque ad festum sancti Michaelis proximo futurum suscipiendi consecrationis munus [terminum][b] de speciali gratia prorogamus — constitutione de consecrandis episcopis nuper a nobis edita non obstante[2]. Nulli etc. nostre prorogationis etc.

Dat. Lateran., VI Idus Decembris, anno I°.

419.

Alexander IV papa [Henrico II] electo Spirensi, imperialis aulae cancellario, cum ordines et consecrationem recipiendi a [Gerhardo] archiepiscopo Maguntino conscientiam non habeat, recipiendi ea a quocumque maluerit archiepiscopo vel episcopo facultatem concedit. — Eundem per triennium a iurisdictione archiepiscopi Maguntini eximit.

1255, Dec. 11.

Al. IV Reg. Vol. I, 109; Lib. I, 758 et 759. Damus Pertzii exemplaria.

I.

.. electo Spirensi, imperialis aule cancellario.

Cum propter certas causas, quod possis recipere ordines ac munus consecrationis a venerabili fratre nostro .. archiepiscopo Maguntino metropolitano tuo, asseras te conscientiam non habere[3], recipiendi predictos ordines statutis temporibus ac munus consecrationis secundum morem preficiendorum episcoporum a quocumque malueris archiepiscopo vel episcopo gratiam et communionem apostolice sedis habente tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen quod per hoc ecclesie Maguntine in posterum nullum preiudicium generetur.

Dat. Lateran., III Idus Decembris, anno I°.

II.

Eidem.

Promerente tue devotionis affectu, votis tuis libenter annuimus et petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus. Hinc est, quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, personam tuam a iurisdictione venerabilis fratris nostri .. archiepiscopi Maguntini usque ad triennium auctoritate presentium duximus eximendam.

Dat. ut supra.

---

a) coram nobis *plerumque dicebatur.* b) terminum *deest R.*

1) *Electus circa festum s. Bartholomaei [Aug. 24] a. 1255 pro negotio episcopatus Herbipolensis [cf. n. 368] ad curiam papalem profectus erat; Ann. Spir. a. 1254; SS. t. XVII, p. 85. Nov. 23 ibidem adhuc erat; cf. sub a. 1256, Mart. 17.* 2) *Cf. p. 351, not. 4.* 3) *Cf. p. 334, not. 7.*

420.

Alexander IV papa Henrico episcopo Argentinensi indulget, ut cum pro promovendo negotio ecclesiae et imperii graves inimicitias incurrerit, ipse, Alexander germanus, Henricus rector ecclesiae de Ebersheim nepos et O. scolasticus Honaugensis clericus sui extra diocesim suam ad iudicium per biennium trahi non possint. 1255, Dec. 17.

Al. IV Reg. Vol. I, 168; Lib. II, 283a. Epistola inter alias mensis Mai. a. 1256 in Regestis legitur. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 16623; falso sub a. 1256, Dec. 17.

Henrico episcopo Argentinensi.

Lecta coram nobis tua petitio continebat, quod pro ecclesiastica libertate tuenda et pro negotio ecclesie ac imperii, quod in illis partibus agebatur, efficaciter promovendo tu adeo graves inimicitias incurristi, quod tibi et consanguineis ac familiaribus tuis non est tutum extra tuam diocesim litigare. Quare humiliter petebas a nobis, ut occurrere tuis et illorum in hac parte dispendiis misericorditer curaremus. Nos itaque, personam tuam dignam speciali gratia reputantes ac propter hoc tuis supplicationibus inclinati, ut tu et dilecti filii nobilis vir Alexander[1] germanus, Henricus rector ecclesie de Ebersheim[a 2] filius eius, nepos tui, nec non O[tto] scolasticus Honaugensis ecclesie[3], tuus clericus specialis, tue diocesis, qui tibi fideliter in dicto negotio astitit, extra diocesim ipsam per litteras apostolicas impetratas, per quas ad citationem partium minime sit processum, vel etiam impetrandas, que de presentibus plenam et expressam mentionem non fecerint, conveniri vel trahi ad iudicium usque ad biennium non possitis, dummodo infra ipsam diocesim coram competenti iudice parati sitis interim conquerentibus de vobis iustitie plenitudinem exhibere, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Ianuarii, anno primo[b 4].

421.

Alexander IV papa [Ottoni] episcopo Brandeburgensi mandat, ut cum Conrado nato I[ohannis] marchionis Brandeburgensis et Constantia nata P[remislai] ducis Poloniae super matrimonio contrahendo dispenset, si per hoc inter ducem et marchionem pax provenire possit et Willelmo regi Romanorum id placeat. 1255, Dec. 19.

Al. IV Reg. Vol. I, 114; Lib. I, 777. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Meerman, l. c. t. V, p. 223 edidit.

Potthast, Reg. 16142.

.. episcopo Brandeburgensi.

Ex parte dilectorum filiorum nobilium virorum I. marchionis Brandeburgensis et P. ducis Polonie fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum pro sedandis discordiis et

a) *ita R.* b) *antea* secundo *scriptum erat, quod linea perducta deletum est.*

1) *De Dicke; cf. t. II, p. 305, n. 418.* 2) *Ebersheim ex sept. et or. civ. Schlettstadt. Pro eodem Lib. II, 283b.* 3) *In territorio Badensi, ex sept. et or. civ. Strassburg.* 4) *A. 1256, Ian. 7 Alexandro praeposito ecclesiae Haselacensis [Haslach ex occ. civ. Molsheim], nepoti Henrici episcopi Argentinensis, gratiam fecit; Lib. II, 283c; pro eodem a. 1256, Mai. 7; Lib. II, 272.*

inimicitiis capitalibus sopiendis, que inter predictos marchionem et ducem dudum exorte fuerant, velint, quod nobilis vir Conradus natus ipsius marchionis et dilecta in Christo filia nobilis mulier Constantia nata eiusdem ducis ad invicem matrimonialiter copulentur, dispensare cum eisdem Conrado et Constantia, ut — non obstante quod alter alterum quarto consanguinitatis gradu contingit — matrimonium contrahere insimul libere valeant, de benignitate sedis apostolice curaremus. Ideoque mandamus, quatinus si speratur, quod per huiusmodi matrimonium pax et concordia inter prefatos ducem et marchionem proveniant, evitentur homicidia et quies atque tranquillitas illis partibus procuretur, tibique constiterit, quod id karissimo in Christo filio nostro Willelmo Romanorum regi illustri placeat, cum predictis Conrado et Constantia, ut[a] matrimonium ad invicem contrahere libere possint — impedimento non obstante predicto —, auctoritate nostra [dispenses][b], prout secundum Deum videris expedire.

Dat. Lateran., XIIII Kalendas Ianuarii, anno I°.

422.

Alexander IV papa universis Christi fidelibus Lombardiae, Romaniolae, marchiae Tervisinae, Aquilegiensis et Gradensis patriarchatuum et provinciae Ianuensis significat se ad ipsos [Philippum] electum Ravennatem cum plenae legationis officio mittere, ut gerens inibi vices papales, pertinaciam Ezelini de Romano persequatur, contra eum fideles crucis charactere insigniendo. 1255, Dec. 20.

Al. IV Reg. Vol. I, 125; Lib. II, 7. Exemplar, quod Amadesius, Antist. Ravenn. t. III, p. 191, n. 51 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 16143.

Patriarchis, archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis[c] abbatibus, prioribus, archidiaconis ac ceteris ecclesiarum prelatis et clericis, necnon nobilibus viris .. duci et consilio Venetorum, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus et communitatibus ac universis Christi fidelibus per Lombardiam, Romaniolam[1], marchiam Tervisinam, patriarchatus[d] Aquilegensem et Gradensem et provinciam Ianuensem constitutis.

In eminenti sedis apostolice specula sumus ad hoc disponente Domino constituti, ut domui Israel, universo videlicet populo christiano, qui fidei oculis Deum videt, speculatoris officium impendamus. Set quia in tam diffusa commissi gregis amplitudine non possumus singula prospicere per nos ipsos, ad instar illius, qui cum sit totus ubi-
Hebr. 1. 7. que, spiritus tamen facit suos angelos et ministros, ac celorum altitudine inclinata[e], ut hominem redimeret, factus homo, discipulos quos elegit in universum orbem transmisit

a) ut *superscr.* b) dispenses *deest R.* c) *ita in marg.;* dil. filiis *deest in rubro.* d) patriarchatū *R.* e) inclinati *R.*

1) *Apr. 8 papa Petro episcopo Castellano ob merita eius indulserat, ut Huguicio capellanus papalis, in Massa Trabaria legatus, sine speciali mandato in eum excommunicationis, interdicti vel suspensionis sententias ferre non posset; Lib. I, 515; Potthast 15783 minus accurate. Massa Trabaria ad Romaniolam pertinebat; cf. t. II, p. 286, n. 391 et supra n. 223. Cf. etiam Potthast 15894.*

veritatis evangelium predicare, cum hiis, quos prudentes et fideles cognovimus, onera nostra[a] partimur, ut illos, quibus non valemus corporalem presentiam exhibere, imperfectum nature potestate supplente, per eos quasi per quosdam nostre considerationis oculos visitemus et eorum voce clamemus ad ipsos, ut abiecta errorum caligine ac sompno mortis excusso nobis et toti ecclesie vitalis odoris spiraculum representent. Sane dum diligenter advertimus nonnullos in vestris provinciis obvolutos vitiorum tenebris cum quadam securitate iacere in suis fecibus soporatos, vehementer nos urit zelus pereuntium animarum, et ne illorum sanguis ob culpam negligentie de nostris requirendus[b] sit manibus, totis visceribus formidamus. Precipue autem excitat in nobis diligentiam officii pastoralis et corda debet omnium dissecare fidelium infamie scandalum et probrosum improperium, quo in eisdem provinciis, presertim in marchia Tervisina[1], confunditur fides catholica et religio christiana pervertitur, ubi perditionis filius et reprobus circa fidem, vir sanguinum et homo in homines inhumanus, Ezelinus de Romano, per oportunitatem temporis impacati super infelices populos regionis eiusdem potestate tyrampnice dominationis arrepta, sceleratis nobilium cedibus et cruentis plebium stragibus humane societatis fedus et legem libertatis evangelice sic contrivit, ut omnis in eis videatur confidentie spiritus interiisse[c], quos in residuum furoris sui pabulum eius crudelitas superstites dereliquit. Quamvis autem felicis recordationis I. papa predecessor noster ipsum de fratrum suorum consilio tamquam hereticum exigente iustitia publice condempnarit, fautores eius constitutionibus et penis subiciens contra hereticorum fautores et complices promulgatis[2], ipse tamen, tamquam membrum a corporis Christi vite[d] precisum et stupore spiritualium sensuum arefactum, nec de iactura conteritur nec confunditur de pudore, set in profundo malorum nervo pertinacie sue rigens contra Deum semper erigitur et, pro pudor! in se ac[e] malignitatis sue socios intrepide provocat iram eius. Igitur de salute vestra et provinciarum vestrarum, in hiis presertim que Dei sunt, reformatione salubri paterna sollicitudine cogitantes, dilectum filium . . Ravennatem electum[3], virum utique morum honestate conspicuum, dono scientie preditum ac nobis et fratribus nostris merito sue probitatis acceptum, de cuius virtute iam non argumenta, set experimenta multiplicia fidem faciunt certiorem, ad partes vestras commisso sibi plene legationis officio duximus destinandum, ut gerens inibi vices nostras[4] foveat favorabiliter devotionem fidelium et prefati Ezelini aliorumque perfidorum pertinaciam spiritualiter et temporaliter persequatur[f], contra eundem E. crucis caractere insigniendo fideles et illius remissionis premio provocando, que datur euntibus in subsidium Terre Sancte, viros excitet mortis pestifero sompno defixos et vigilantes in bono corroboret et confirmet, evellat et dissipet, edificet et plantet, ac disponat et ordinet, prout secundum Deum et datam sibi ab eo prudentiam robori fidei orthodoxe, honori ecclesie, animarum saluti et tranquillitati terre vestre viderit expedire. Licet autem, quod uni ex minimis Matth. 25, 40.
nostris fit, [nobis][g] fieri reputemus, illos tamen cupientes propensius honorari, qui per suos actus laudabiles nos honorant, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, vobis per apostolica scripta mandantes, quatinus ipsum, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tamquam apostolice sedis

a) vr̄a *R.* b) requirendis *R.* c) interisse *R.* d) vita *R.; cf. Ioh. 15, 1.* e) ac *in marg. add.* f) prosequatur *R.* g) nobis *deest R.*

1) *Aug. 27 papa Albertum lectorem ordinis Minorum ecclesiae Tervisinae praefecerat; Lib. I, 558; cf. 592; Potthast 15999, 16008.* 2) *Cf. n. 278; cf. etiam Potthast 15897; non reg.* 3) *Cf. p. 149, not. 4. Oct. 18 [Alberto] episcopo Mutinensi de restitutione bonorum et iurium eiusdem electi scripserat, quae civitates Romaniolae et marchiae Anconitanae occupassent; Potthast 16067; cf. etiam 16091.* 4) *Non legimus papam eo tempore vices suas alicui commisisse in aliis locis, nisi in quibus iurisdictio temporalis ad ecclesiam Romanam pertineret; cf. n. 315.*

legato intendatis humiliter et favorabiliter assistatis, ipsius monita et precepta efficaciter adimplendo. Alioquin sententiam, quam propter hoc rite etc. usque: observari.

Dat. Lateran., XIII Kalendas Ianuarii, anno secundo [1].

423.

Alexander IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi mandat, ne molestet Eustachium iuniorem de Rodio et Agnetem de Trasegnies, nobiles Hanoniae, super matrimonio contracto, de quo cum eis dispensatum sit. 1256, Ian. 20.

Al. IV Reg. Vol. I, 133; Lib. II, 72. Exemplar, quod Meerman, l. c. t. V, p. 227 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 16196.

.. episcopo Cameracensi.

Petitio dilectorum filiorum nobilis viri Eustachii iunioris de Rodio [2] et nobilis mulieris Agnetis de Trasegnies [3] uxoris eius tue diocesis nobis exhibita continebat, quod cum felicis recordationis I. papa predecessor noster dilecto filio nostro H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in regno Alamanie apostolice sedis legato, sub certa forma per suas litteras commisisset, ut cum quodam nobili de Hanonia, quod quandam nobilem mulierem quarta linea consanguinitatis eum attingentem sibi posset copulare matrimonialiter, dispensaret, si ecclesie et carissimi in Christo filii nostri W. regis Romanorum illustris videret negotio expedire [4], idem cardinalis fratri Michaeli ordinis fratrum Predicatorum Insulensium [5] commisit, ut super hoc iuxta formam huiusmodi cum eodem nobili dispensaret. Set dicto fratre Michaele in negotio ipso procedere differente ac eodem predecessore viam universe carnis ingresso, dictus cardinalis de speciali mandato nostro ei viva voce facto predicto fratri Michaeli per suas litteras iterato commisit, ut iuxta formam ab eodem cardinali sibi traditam procederet in negotio [a] memorato. Porro idem frater Michael cum eisdem E. et A., qui sunt de Hanonia, ut — non obstante quod attinent sibi adinvicem quarto consanguinitatis gradu — possent matrimonialiter copulari, auctoritate concessionis huiusmodi dispensavit, sicque pretextu talis dispensationis iidem inter se per verba de presenti matrimonium contraxerunt, carnali copula subsecuta. Verum tu vel officialis tuus, ad quem prout asseritur delatum fuit, quod huiusmodi matrimonium subsistere non valebat, fecisti eos propter hoc ad tuam personam evocari. Quare dicti nobiles nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur, volentes ut quod super hoc ab eodem fratre Michaele pretextu commissionis sibi facte a predicto cardinali auctoritate nostra factum est, robur obtineat firmitatis, processum per predictum fratrem Michaelem super hoc habitum ratum et gratum habentes, illum per nostras litteras duximus confirmandum, nichilominus cum eisdem nobilibus ad cautelam auctoritate apostolica dispensantes, ut — gradu non obstante predicto — possint in sic contracto matrimonio licite remanere. Ideoque mandamus, quatinus ipsos nobiles super

---

a) *sequitur in R.* me̤g̤o̤t̤i̤o̤.

1) *A. 1256, Febr. 9 [Conradum] episcopum Frisingensem [de quo cf. etiam Potthast 15769 et 15931] monuit, ut [Egenoni] episcopo Tridentino contra Ezelinum auxilium impenderet; etiam [Albertum] episcopum Ratisponensem Febr. 9 contra Ezelinum evocavit; Potthast 16238 et 16244.* 2) *Roeulx ex sept. et or. civ. Mons; cf. Chron. Hanon. qu. d. Balduini Avennensis, SS. t. XXV, p. 421.* 3) *E mer. civ. Nivelles.* 4) *Inn. Lib. X, 15; Potthast 14667.* 5) *Lille.*

hoc aliquatenus decetero non molestes. Alioquin damus venerabili fratri nostro . . Remensi archiepiscopo[1] nostris litteris in mandatis, ut te a molestatione huiusmodi monitione premissa auctoritate nostra sublato appellationis impedimento cognita veritate compescat.

Dat. Lateran., XIII Kalendas Februarii, anno secundo[2].

424.

Alexander IV papa Iohanni marchioni Brandeburgensi et Iuttae uxori eius, natae [Alberti] ducis Saxoniae, transmittit litteras Hugonis tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis, per quas cum eis super matrimonio contracto de mandato apostolico dispensarit.

1256, Ian. 21.

Al. IV Reg. Vol. I, 131; Lib. II, 59. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 16199.

Nobili viro Iohanni marchioni Brandeburgensi et nobili mulieri Iutte uxori eius, nate nobilis viri ducis Saxonie.

Olim vobis supplicantibus nobis, ut — non obstante quod tertia consanguinitatis linea vobis ad invicem attinetis — possetis inter vos contrahere matrimonium et in eo licite remanere, tandem vobiscum auctoritate nostra super hoc extitit dispensatum[3], vosque postmodum matrimonium ad invicem contraxistis, carnali copula subsecuta. Verum quia pro eo, quod inter te, filia Iutta, et condam Ottonem natum[4] nobilis viri . . ducis de Bruneswic, qui quarto tibi attinebat consanguinitatis gradu[5] et nepos tuus erat, fili marchio[6], per verba de futuro sponsalia intervenerant, de quo in nostris litteris, quarum auctoritate huiusmodi provenerat dispensatio, mentio nulla erat, habebatis super hoc conscientiam scrupulosam: dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis de speciali mandato nostro facto sibi oretenus dispensavit vobiscum, ut in sic contracto matrimonio — non obstante impedimento huiusmodi — valeatis licite remanere, prout in ipsius cardinalis litteris confectis exinde suo sigillo signatis plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, tenorem litterarum cardinalis eiusdem presentibus de verbo ad verbum inseri fecimus ad cautelam; qui talis est:

Hugo miseratione divina tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis dilectis sibi in Christo nobili viro Iohanni marchioni Brandeburgensi et nobili mulieri Iutte uxori eius, nate nobilis viri . . ducis Saxonie, salutem in Domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod cum dominus papa religiosis viris . . abbati in Lennim[a] Cisterciensis ordinis Brandeburgensis diocesis et . . priori provinciali fratrum Predicatorum Alamanie suis dederit litteris in mandatis, ut vobiscum, [quod][b] — non obstante quod coniuncti estis tertia consanguinitatis linea — possetis ad invicem matrimonium contrahere et consumare contractum ac in eo licite remanere, auctoritate sua dispensare curarent.

---

a) *ita R.* b) quod *deest R.*

1) *Thomae.* 2) *De eadem causa Lib. II, 48; Potthast 16170, sub Ian. 9.* 3) *Cf. n. 399.* 4) *Legas 'fratrem'; Chron. princ. Saxoniae; SS. t. XXV, p. 475, lin. 35. Otto a. 1247 vel antea mortuus erat; Ann. Stad. a. 1247; SS. t. XVI, p. 371.* 5) *Stemma: Otto, Otto puer dux de Brunswic et Mathilda, Albertus II marchio Brandenburgensis, Otto I — Albertus Ursus — Bernhardus dux Saxoniae, Albertus, Iutta. Ergo ex altera parte quarto gradu consanguinitatis coniuncti erant, ex altera vero tertio.* 6) *Mathilda uxor Ottonis pueri ducis soror Iohannis marchionis erat.*

idem abbas, cui dictus prior in hac parte commiserat vices suas, vobiscum super hoc auctoritate litterarum huiusmodi dispensavit, vosque pretextu talis dispensationis matrimonium ad invicem contraxistis, carnali copula subsecuta. Verum quia inter te, Iutta, et condam Ottonem natum nobilis viri . . ducis de Bruneswic, in quarta tibi consanguinitatis linea attinentem, per verba de futuro sponsalia de facto, cum de iure nequiverint, intervenisse dicuntur et idem Otto nepos tuus, marchio, existeret, de quo in eisdem litteris mentio non habetur, petiistis humiliter vobis super hoc per sedem apostolicam salubriter provideri. Nos itaque de domini pape, cuius penitentiarie curam gerimus, speciali mandato oretenus nobis facto dispensamus vobiscum, ut in sic contracto matrimonio licite remanere possitis — impedimento huiusmodi non obstante. Dat. Lateran., II Idus Ianuarii, pontificatus domini Alexandri pape IIII anno secundo.

Dat. Lateran., XII Kalendas Februarii, anno secundo.

425.

Alexander IV papa [Iringo] episcopo Herbipolensi significat, inter ipsum et [Henricum II] electum Spirensem super episcopatu Herbipolensi quaestione orta, iudicio trium cardinalium episcopatum eundem ipsi adiudicatum esse, quorum sententiam a. 1256, Ian. 4 latam auctoritate apostolica confirmarit. 1256, Ian. 23.

Al. IV Reg. Vol. 1, 135—136; Lib. II, 77. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . episcopo Herbipolensi.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Sane nobis exponere curavisti[1], quod orta olim inter te et dilectum filium . . electum Spirensem tam super episcopatu Herbipolensi[2] quam super dampnis, iniuriis et rebus aliis coram venerabili fratre nostro . . episcopo Prenestino[3], partibus a nobis auditore concesso, materia questionis, tandem nos, intellecto quod Herbipolensis ecclesia occasione huiusmodi discordie multipliciter in spiritualibus et temporalibus laberetur, ac timentes eam ad exinanitionis[a] extreme profundum diuturnitate litigii devenire, dilectis filiis nostris H[ugoni] tituli Sancte Sabine presbytero, R[icardo] Sancti Angeli et P[etro] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconis cardinalibus[4] viva voce summatim ordinandi et disponendi de questione huiusmodi nec non dampnis, expensis, iniuriis ac omnibus aliis questionem eandem contingentibus, et que contingere possent, plenam contulimus potestatem. Qui visis, auditis et intellectis, que tam tu per te quam magister Ditherus[5] procurator ipsius electi eius nomine in eorundem cardinalium constituti presentia coram eis proponere voluistis, Dei nomine invocato ordinando, pronunciando et sententialiter declarando tibi eundem episcopatum Herbipollensem[b] adiudicare curarunt, prefato electo Spirensi super ipso episcopatu perpetuum silentium imponentes, ac mandantes nichilominus eidem, quod tibi super eodem episcopatu nullam de cetero secrete vel publice moveat vel moveri faciat questionem, quin immo civitatem Herbipolensem, castra et villas, ac quicquid per se vel alium tenet vel possidet, quod spectet ad eundem episcopatum Herbipollensem,

a) exi—nationis *R.* b) *ita R.*

1) *A. 1255, Sept. 22 papa episcopo Herbipolensi, in praesentia sua constituto, pro expediendis negotiis ecclesiae Herbipolensis contrahendi mutuum 215 marcarum novorum et legalium sterlingorum facultatem concesserat; Lib. I, 788.* 2) *Cf. n. 368.* 3) *Stephano.* 4) *Hugo et Petrus legati in Teutonia fuerant.* 5) *Cf. p. 151, not. 5.*

tibi vel nunciis tuis absque difficultate, quantum in eo fuerit, deliberet et assignet, et absolvat de facto clericos et laicos episcopatus eiusdem ab omni iuramento tam fidelitatis quam alio, que dictus electus recepit ab eis, a quibus ipsi cardinales eos reddiderunt etiam absolutos. Cassarunt preterea cardinales prefati ac cassum et irritum nunciarunt, quicquid idem electus tamquam provisus electus seu prelatus Herbipollensis ecclesie egit obligando, infeudando, locando, donando vel quocumque modo alienando de quibuscumque bonis episcopatus predicti, decernentes huiusmodi obligationes, infeudationes, locationes seu alienationes, quocumque nomine censeantur, carere omni robore firmitatis, prout in litteris inde confectis predictorum cardinalium sigillo[a] munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem cardinalibus factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus etc. usque: communimus. Tenor autem litterarum ipsarum talis est:

Universis presentes litteras inspecturis miseratione divina frater Hugo tituli Sancte Sabine presbyter, Riccardus Sancti Angeli et Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinales salutem in Domino. Quia superni iudicis *etc.*[b] *usque:* firmitatis. In predictorum vero testimonium et cautelam presentes litteras fieri et sigillorum nostrorum munimine roborari et per Riccardum de Pofis scriniarium in publica redigi fecimus munimenta. Hec ordinatio seu sententia lata fuit in palatio Sancte Sabine de Urbe, presentibus episcopo et magistro Ditero prefatis, anno Domini M°CC°LVI[1], pontificatus domini Alexandri pape IIII anno secundo, mense Ianuario, die IIII, indictione XIIII, coram hiis testibus ad hoc specialiter vocatis: videlicet domino Arnoldo decano Herbipolensi, domino Riccardo[c] archipresbytero Maguntino, magistro Gisone canonico Maguntino, domino Stephano dicto Surdo, domino Stephano Anibaldi et pluribus aliis. Et ego Riccardus de Pofis sancte Romane ecclesie scriniarius predictis interfui et ea de mandato dictorum dominorum cardinalium scripsi, complevi et in publicam formam redegi.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., X Kalendas Februarii, anno secundo[2].

426.

Alexander IV papa Ademaro de Pictavia comiti Valentino scribit se ad preces H[ugonis] tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis pro sopiendis discordiis cum ipso et Margarita marchionissa Montisferrati super matrimonio contrahendo dispensare. — Marchionissae in eundem modum scribit. *1256, Ian. 26.*

Al. IV Reg. Vol. I, 131; Lib. II, 58. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

I.

Nobili viro Ademaro de Pictavia[3] comiti Valentino[4].

Exposuit nobis dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis, quod si tu et dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita marchionissa Montisferrati[5] matri-

a) *ita R.* b) *sequitur in R. pars prior chartae infra sub Mart. 17 proponendae. Quibus locis alterum exemplar ab altero discrepet, ibidem annotabimus.* c) Berardo *in alt. exempl.*

1) *Curia papalis annos incarnationis eodem tempore alia ratione computabat, scil. a d. 25 m. Martii annum incipiens; cf. p. 338, not. 11.* 2) *Febr. 4 capitulo Herb. Iringum commendavit: in eundem modum clero et populo ['clero' iterum falso in Reg.] civitatis et dioc. Herb. et vassallis et ministerialibus ecclesiae Herb.; W[illelmum] regem monuit, ut Iringo regalia conferret; [Henrico] abbati Fuldensi mandavit, ut eum in possessionem bonorum episcopatus sui induceret; Lib. II, 97; Potthast 16226.* 3) *Poitou.* 4) *Valence ad Rhodanum fl.* 5) *Vidua Bonifacii III marchionis, filia quondam Amadei III comitis Sabaudiae.*

monium contraheretis ad invicem, graves exinde sopirentur discordie ac animarum pericula vitarentur. Nos igitur, qui regis pacifici vices in terris gerimus, procurare pacem universis et singulis cupientes, ipsius cardinalis precibus inclinati, quod cum dicta nobili matrimonium licite contrahere valeas — non obstante quod condam Sibilia uxor tua eandem nobilem consanguinitatis linea contingebat, altera ipsarum tertio ab uno latere a stipite et reliqua quarto gradu ex altero differrente[a] —, tecum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli etc. nostre dispensationis etc.

Dat. Lateran., VII Kalendas Februarii, [anno secundo][b].

II.

Nobili mulieri Margarite marchionisse Montisferrati.

Exposuit nobis etc. usque: quod si tu et dilectus filius nobilis vir Ademarus de Pictavia comes Valentinus matrimonium etc. usque: inclinati, quod cum dicto comite matrimonium licite contrahere valeas — non obstante quod condam Sibilia uxor sua te consanguinitatis linea contingebat, altera ex vobis tertio ab uno latere a stipite etc. ut supra.

Dat. Lateran., VII Kalendas Februarii, anno secundo[1].

427.

Alexander IV papa [Henrico] episcopo Hildeshemensi ob damna ab [Alberto] duce de Brunswic in guerris illata indulget, ut proventus beneficiorum ecclesiasticorum diocesis suae, infra triennium vacantium, per annum recipiat. *1256, Ian. 28.*

Al. IV Reg. Vol. I, 138—139; Lib. II, 105. Damus Pertzii exemplar collatum cum illo, quod Finke, l. c. edidit.

Finke Westfäl. U. B. t. V, p. 261, n. 566.

.. episcopo Hildesemensi.

Tua nobis exhibita petitio continebat, quod tu propter guerrarum discrimina, que tibi et ecclesie tue nobilis vir .. dux de Bruneswich non expavit inferre, bona predicte Hildesemensis ecclesie per rapinas et incendium devastando[2], tantam compulsus es contrahere sarcinam debitorum, quod nisi eidem ecclesie per sedem apostolicam succurratur, non poterit aliquatenus relevari. Propter quod nobis humiliter supplicasti, ut tibi super hoc dignaremur paterna providentia subvenire. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut ad relevationem debitorum huiusmodi beneficiorum ecclesiasticorum, quod[c] in solutionem ipsorum debitorum solummodo convertantur, in tua civitate et diocesi vacantium infra triennium proventus per annum unum recipere possis ac contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam compellere[d], auctoritate tibi presentium indul-

---

a) *ita R.; intellegas* distante. b) anno secundo *deest R.* c) que *legendum videtur.* d) *ita R.;* compescere *corrigendum videtur; cf. n. 262, 266, 285 et saepius. Utrumque verbum in Reg. saepe co scriptum est, et item, ut credimus, in minutis.*

1) *Matrimonium postea contractum esse ignoramus.* 2) *A. 1256, Ian. 6 civitates Hildesheim, Brunswic, Goslar et Hanovere cum duce contra episcopum foedus inierunt; Döbner, U. B. d. St. Hildesh. t. I, p. 121, n. 241. Cf. Deutsche Chron. t. II, p. 558 et Potthast 16179, 16517, 16518, 16521, 16522.*

gemus, proviso quod beneficia huiusmodi debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis, quibus imminet, nullatenus negligatur. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., V Kalendas Februarii, anno secundo[1].

428.

Alexander IV papa archidiacono Brixiensi mandat, ut Gerardo canonico Cremonensi, nato quondam Andreae de Trecio, qui per quondam F[ridericum II] occisus sit, filiis bonis omnibus destitutis, in ecclesia Pergamensi de praebenda provideri faciat.

1256, Febr. 12

Al. IV Reg. Vol. I, 141: Lib. II, 113. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. archidiacono Brixiensi.

Sua nobis Gerardus canonicus Cremonensis, natus condam Andree de Trecio[2], petitione monstravit, quod cum felicis recordationis I. papa predecessor noster, pie considerans quod idem pater eius pro devotione ecclesie per quondam F. dudum imperatorem ignominiose occisus fuerat, eius filiis bonis omnibus destitutis, capitulo Pergamensi super receptione ac provisione ipsius suas litteras direxisset nec fuerint eedem littere dicto capitulo propter guerrarum discrimina presentate, licet .. prepositus, .. archipresbyter et multi alii canonici Pergamenses, quibus littere ipse fuerunt singillatim ostense, predictum Gerardum receperint in canonicum et in fratrem, nichilominus tamen prebendam, que postmodum in ecclesia Pergamensi vacavit, alii contulerunt. Sed quia idem propter paupertatem et partis adverse potentiam[3] super eadem prebenda cum eius detentore litigare non potest, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nolentes igitur quod super hoc circa eum pie inceptum est relinquere imperfectum, mandamus, quatinus, si predictis veritas suffragatur, prefatum Gerardum a canonicis Pergamensibus, qui eum non receperunt, facias recipi in canonicum et in fratrem eique conferri prebendam, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, — non obstantibus[a] quod alias beneficiatus existit, cum ad presens ex beneficiis suis commodum aliquod non reportet, seu statuto de certo canonicorum numero, iuramento vel confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roborato, vel si pro aliis in eadem ecclesia direximus scripta nostra, quibus etc. usque: generari, vel si predicto capitulo, ut ad receptionem vel provisionem alicuius per litteras apostolicas compelli non valeant, a sede apostolica sit indultum —; contradictores —.

Dat. Lateran., II Idus Februarii, anno secundo[4].

---

a) obsti *R.*

1) *Cf. eandem gratiam ei ab Innocentio factam sub n. 285. A. 1256, Ian. 7 Alexander ecclesiae SS. Simonis et Iudae Goslariensi concesserat, ut cum Romanum imperium nullo respiceret mediante, ad eam praedicta gratia Innocentii nullatenus extenderetur; Potthast 16169.* 2) *Trezzo ad Adduam flumen, e mer. et occ. civ. Pergami.* 3) *De civitate Pergami cf. n. 350.* 4) *Iul. 5 episcopo Pergamensi in favorem eiusdem Gerardi de Trieto canon. Crem. scripsit; Lib. II, 318. A. 1258, Mai. 21 Leonardo clerico nato Plevani de Tertio Pergamensis dioc. gratiam fecit; Lib. IV, 133.*

429.

Alexander IV papa Angelo Bisantii de Risobaroli, fideli suo, qui Barolum ad devotionem ecclesiae reduxerit, pro damnis propter hoc illatis omnes redditus obligat, quos curia regni Siciliae Baroli habeat. 1256, Mart. 15.

Al. IV Reg. Vol. I, 157; Lib. II, 209. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Angelo Bisantii de Risobaroli[1], nostro et ecclesie Romane devoto et fideli.

Fidei tue constantia, qua sedis apostolice specialem benivolentiam meruisti, in nostris et nostrorum fratrum auribus pro te clamat laudabilibus operum testimoniis, quibus hiis diebus precipue claruit, non sinentibus tuis postulationibus exauditionis gratiam denegari. Te quidem referente nobis innotuit, quod dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, tunc in regno Sicilie apostolice sedis legatus[2], super revocatione Baroli ad ecclesie devotionem per suas litteras te inducens, inter alia in eisdem litteris dedit tibi firmiter in promissis, quod ecclesia omne id, quod huiusmodi occasione perderes, tibi de bonis regni restitueret supradicti, sicut in eisdem litteris perspeximus contineri. Et quia tuis mediantibus studiis[3], sicut eodem cardinali proponente didicimus, Barolum ad eorundem ecclesie et suam devotionem rediens[4] Manfredo condam principi Tarentino et aliis ipsius ecclesie inimicis se duxit publice opponendum, iidem M. et inimici eorumque fautores postmodum te oportunitate capta[5] omnibus bonis tuis mobilibus spoliarunt et alias tibi dampna gravia intulerunt, que mille centum et XL unciarum summam auri attingisse[a] noscuntur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod per cardinalem predictum factum est in hac parte ratum habentes et gratum illudque auctoritate apostolica confirmantes, universos redditus et proventus, quos curia regni predicti in predicto Barolo eiusque pertinentiis habere dinoscitur, tibi ad restitutionem subtractorum et dampnorum huiusmodi manere decernimus obligatos, ut super hiis plena tibi ex eisdem proventibus et redditibus debeatur et prestetur satisfactio statuentes. Nulli etc. nostre confirmationis et constitutionis etc.

Dat. Lateran., Idibus Martii, anno secundo[6].

---

a) *ita R.*

1) *De hoc cf. Böhmer-Ficker 4637. A. 1254, Aug. 5 Innocentius IV cum Malierio nato Thomasii Bisanti de Barolo et Romana nata Iohannis dicti Romani eiusdem loci de matrimonio dispensaverat; Lib. XII, 117.* 2) *Octavianus legatus chartas dedit Aversae a. 1255, Dec. 24, Capuae a. 1256, Ian. 5; Lib. III, 487 = Capasso, l. c. n. 232, falso sub a. 1256, Ian. 9; Lib. II, 122. Papa ei ut legato scripsit Ian. 18; Lib. II, 45; sed Febr. 5 ad curiam iam redierat; Potthast 16229.* 3) *Et per exercitum Bertholdi de Hohenburg; Iamsilla, l. c. p. 574 E; cf. 573 A.* 4) *A. 1255, Iul. vel Aug.; Böhmer-Ficker 4652 e.* 5) *Post victoriam Manfredi a. 1255, Aug.; a. 1256, Febr. 2 idem curiam generalem apud Barolum celebravit; Böhmer-Ficker 4654 a.* 6) *A. 1256, Ian. 7 eidem et heredibus eius casale, quod diceretur Casalorda, in Capitanata situm sub debitis servitiis concesserat; Lib. II, 36. — Annotamus, quos episcopos papa a. 1256 ecclesiis regni Siciliae praefecerit, quaedam alia adicientes: a. 1255, Dec. 21 ecclesiam Gaietanam ad praesens vacantem appellavit; Lib. II, 39; a. 1256, Ian. 31 Benevenutum, quem Octavianus legatus, tunc camerarium suum, eidem ecclesiae praefecerit, confirmat; Benevenutus episcopus a. 1256, Mai. 1 Romae et a. 1259, Sept. 16 Anagniae sub chartis Octaviani testis reperitur; Lib. II, 90 et 257; Lib. V, 206. — Ian. 10 Thomam abbatem Cavensem confirmat, quem post mortem bonae memoriae L[eonardi] abbatis conventus elegit et O[ctavianus] legatus confirmavit; Lib. II, 40. — Ian. 18 O[ctaviano] legato mandat, ut vacanti ecclesiae Mazariensi fratrem Nicolaum monachum de Sennona, Corinthiensis archiepiscopi capellanum, in episcopum praeficiat; Lib. II, 45. — Ian. 28 Oddoni Caputio, quem Innocentius ecclesiae Cathaniensi diu vacanti praefecerit, quia ibi secure morari non possit, beneficia, quae tempore promotionis obtinuerit, reservat, donec regnum in statum tranquillum redactum sit; usque ad idem tempus*

430.

Alexander IV papa Henrico electo Spirensi confirmat arbitrium, a tribus cardinalibus in controversia de episcopatu Herbipolensi exorta a. 1256, Ian. 4 latum, per quod Iringo episcopo Herbipolensi episcopatus ille adiudicatus sit, Henrico vero damna illata resarciri debeant. *1256, Mart. 17.*

Al. IV Reg. Vol. I, 155—156; Lib. II, 200. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Henrico electo Spirensi.

Ea, que iudicio etc. . . . .[a] confirmamus etc. usque: communimus, tenorem instrumenti eiusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes; qui talis est:

Universis[b 1] presentes litteras inspecturis miseratione divina frater H[ugo] tituli Sancte Sabine presbyter, R[iccardus] Sancti Angeli et P[etrus] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinales salutem in Domino. Quia superni iudicis oculus iustitiam inspicit et vultus eius desiderat equitatem, iudicum[c] terrenorum interesse dinoscitur, ut similiter et[d] illam inspiciant hanceque desiderent, subvertendo detestandas iniurias et unicuique quod suum est iusto iudicio tribuendo. Sane inter venerabilem patrem dominum Iringum episcopum Herbipolensem[e] et virum venerabilem[f] Henricum electum Spirensem[g] tam super episcopatu [Herbipolensi][h] quam super dampnis, iniuriis, expensis[i] et captivis hinc inde detentis ac rebus aliis coram venerabili patre domino S[tephano] episcopo Prenestino a sede apostolica partibus auditore concesso questione suborta, tandem dominus noster dominus A. summus pontifex, intellecto quod Herbipolensis ecclesia occasione huiusmodi discordie multipliciter[k] collabatur, timens eam ad exinanitionis extreme profundum diuturnitate litigii devenire, nobis[l] viva voce summatim audiendi causam ipsam, ordinandi et disponendi de ea, dampnis, expensis, captivis[m] et iniuriis ac omnibus aliis causam contingentibus et que contingere possunt, intervenientibus[n] etiam ad hec[o] eadem consensibus tam ipsius domini Iringi episcopi Herbipolensis ex parte una quam magistri Diteri eiusdem electi Spirensis procuratoris habentis ad hoc speciale mandatum, sicut apparet per ipsius electi patentes litteras evidenter.

---

a) *Formulas confirmationis, in R. perscriptas, proponere superracaneum videbatur; de re cf. supra n. 425 et chartam sequentem.* b) *Cum hoc exemplari [2] alterum eiusdem arbitrii contulimus, multis locis ab illo discrepans, quod epistolae Lib. II, 77 [cf. n. 425] insertum est [1].* c) indicium *1.* d) et *deest 1.* e) Herbipollen. *1.; cf. n. 425.* f) ven. vir. *1.* g) Spir. el. *1.* h) *deest 2:* Herbipoll. *1.* i) expensis — detentis *deest 1.* k) in spiritualibus et temporalibus *add. 1.* l) vobis *2.* m) captivis *deest 1.* n) intervenientibus — de Pofis scriniarii *deest 1.* o) hoc *2.*

eius consecrationem differt; Lib. II, 116a et b; cf. etiam Potthast 16345. — Febr. 4 episcopo Syracusano mandat, ut B. episcopo Frequentino, qui temporis et quorundam aemulorum malitia a sede sua exulare cogatur, in insula Siciliae pro se, uno clerico, duobus servientibus et tribus equitaturis in vitae necessariis provideat; Lib. II, 179. — Mart. 13 archiepiscopo Barensi scribit capitulum ecclesiae Cannensis collapsae petivisse, ut Petrus de Cidoriola electus Minerbinensis, qui propter graves inimicitias quorundam nobilium in ecclesia Minerbinensi proficere nequeat, ad ecclesiam suam transferatur; mandat, ut si expedire viderit, eum transferat; Lib. II, 187. — Iul. 18 Fabianum, quem, episcopum quondam Policastrensem, Stephanus episcopus Praenestinus ecclesiae S. Marci in Valle Gratis vacanti a. 1256, Iul. 10 praefecerit, confirmat: Lib. II, 378.

1) *Sicut lectiones variantes docent, sententia cardinalium, quam papa Ian. 23 [n. 425] confirmaverat, irrita facta, et postquam partes in eosdem cardinales compromiserunt [not. n et p. 388, not. a], haec nova, Henrico acceptior [p. 388, not. m], lata est, quae sub nota chronologica priore [Ian. 4] posita est. Interim Willelmus de Hollandia Ian. 28 mortuus erat et electio regis instabat, circa quam Henricus, qui cum cancellarius Willelmi fuisset, et personas et facultates principum electorum optime norit, curiae papali multum aut utilitatis aut dispendii afferre poterat.*

ex altera, qui in nos sollempniter et plene compromiserunt corporali super hoc prestito iuramento et sub pena X milium marcarum argenti parti servanti fidem a parte altera solvendarum, prout apparet per publicum instrumentum confectum per manus Riccardi de Pofis scriniarii, plenam contulit potestatem. Nos autem tam[a] auctoritate prefati domini nostri quam huiusmodi compromissi, visis, auditis et intellectis que tam idem episcopus pro se quam dictus magister Diterus procuratorio nomine prefati electi[b] in nostra presentia constituti coram nobis proponere voluerunt, Dei nomine invocato ordinando, arbitrando[c] et sententialiter declarando adiudicamus dictum[d] episcopatum Herbipolensem domino Iringo episcopo supradicto, super eodem episcopatu dicto electo[e] perpetuum silentium imponentes et eidem electo mandantes, quod prefato episcopo super ipso episcopatu nullam de cetero secrete vel publice moveat vel moveri faciat questionem, immo civitatem Herbipolensem [1], castra, villas et quicquid per se vel per alios[f] tenet vel possidet, quod spectat[g] ad eundem episcopatum Herbipolensem, memorato episcopo vel nunciis suis absque difficultate, quantum in se fuerit, deliberet et assignet absolvatque de facto clericos et laicos episcopatus [eiusdem[h] ab omni iuramento tam fidelitatis quam alio, que recepit ab eis, a quibus nos etiam ipsos clericos vel laicos qui ea prestitisse dinoscuntur] reddimus absolutos. Preterea cassamus, cassum et irritum nunciamus, quicquid idem electus tamquam provisus[i] seu prelatus Herbipolensis egit obligando, infeudando, locando[k], donando vel quocumque modo alienando de quibuscumque bonis dicti episcopatus Herbipolensis, decernentes huiusmodi obligationes, infeudationes, locationes, donationes[l] seu alienationes, quocumque nomine censeantur, carere omni robore firmitatis. Et[m] quia prefatus electus Spirensis, credens se ius habere in episcopatu predicto, personaliter ad sedem apostolicam laboravit et labores plurimos subiit et onera expensarum ac nonnulli amici et consanguinei sui occasione huiusmodi discordie capti sunt et in carcere detinentur, laudamus et pronunciando mandamus, quod idem episcopus captivos eosdem liberet vel liberari faciat et liberari procuret, alioquin in subsidium redemptionis eorum ex nunc usque ad unum annum mille marcas puri argenti ad pondus terre electo predicto integre absque diminutione persolvat. Cum autem in isto negotio tam idem electus quam ecclesia Spirensis magna subierint onera expensarum, nos, iis[n] super hiis providere volentes, laudamus similiter et mandamus, quod episcopus persolvat eisdem electo et ecclesie duo milia marcarum puri argenti ad pondus predictum, mille marcas videlicet ipsi ecclesie totidemque electo, in recompensationem huiusmodi expensarum. Solutionem vero dictorum duorum milium marcarum hoc modo fieri precepimus, scilicet quod prefatus episcopus a die solutionis predictarum mille marcarum, que fieri debet ut supradictum est anno presenti pro redemptionis subsidio captivorum, ad septem annos immediate sequentes ipsa duo milia marcarum prefatis electo et ecclesie vel eorum nunciis apud Maguntiam cum integritate persolvat, ita quod singulis annis eodem die, scilicet in octava Innocentum [2], tre-

---

a) tam — compromissi *deest 1.* b) procurator ipsius electi eius nomine *1.* c) pronuntiando *1.* d) eundem *1.* e) prefato H. electo Spirensi super ipso episcopatu *1.* f) alium *1.* g) spectet *1.* h) *legitur in 2:* episcopatus ab aliquibus clericis vel laicis prestitisse dinoscitur reddimus absolutos; *in 1:* episcopatus eiusdem ab omni iuramento tam fidelitatis quam alio, que recepit ab eis, a quibus nos etiam ipsos reddimus absolutos. i) electus *add. 1.* k) loc., inf. *1.* l) donat. *deest 1.* m) *reliqua usque ad finem chartae electi Spirensis desunt 1.* n) eo *2.*

1) *Iringus Herbipoli chartas dedit a. 1254, Iul. 17, Aug. 11, Oct. 20; Lang, Reg. Boica t. III, p. 47; Wirtemb. U. B. t. V, p. 73, n. 1308. Circa pentecosten [Mai. 16 a. 1255] electus Spirensis, vocatus a decano, praelatis et clero universo, consulibus et plebe civitatis Herbipolensis, venit Herbipolim et occuparit sedem Herbip., expugnando castra ecclesiae, et expulso Iringo episcopatum tenuit, donec concertatio sopita fuit per cardinales; Ann. Spir. a. 1254; SS. t. XVII, p. 84.* 2) *Ian. 4.*

cente marce, ultimo vero anno ducente solvantur. Ceterum, quia perniciosum est in clericis et specialiter in prelatis, ut inter se discordiam nutriant, qui trahere tenentur ad pacem alios per exemplum, pronunciando mandamus, quatinus dicti episcopus et electus remittant sibi ad invicem sibique adherentibus prelatis, canonicis, clericis, vassallis, ministerialibus, militibus, civibus et aliis laicis tam civitatis quam diocesis Herbipolensis, et specialiter civibus Herbipolensibus, super hiis, que hac occasione generaliter vel specialiter commisisse[a] noscuntur, omne odium et rancorem remittantque sibi similiter dampna et iniurias hinc inde pretextu dicte questionis illata, de quibus alterum alteri predictis auctoritatibus reddimus absolutum. Ad hec eidem episcopo sub debito prestiti iuramenti precipimus, quod antequam recedat de curia, de quantitate predictarum mille marcarum prime solutionis prefato magistro Ditero centum marcas pro solutione debitorum suorum, quibus in curia esse dicitur obligatus et sine quibus ut asserit recedere nequit, exinde solvere, si comode poterit, non omittat. Tenor autem predictarum litterarum talis est:

Sanctissimo patri ac domino Alexandro summo pontifici Henricus Spirensis electus, imperialis aule cancellarius, cum humili subiectione devota pedum oscula beatorum. Noverit sanctitas vestra, quod in curia vestre sanctitatis constitutus facio, ordino et constituo Adelvoltum scolasticum et magistrum Diterum canonicum et cancellarium Spirenses meos procuratores in solidum[1], ita quod occupantis non sit melior conditio[2], in omnibus causis et litibus motis et movendis, quas habeo vel habere possum vel alius nomine meo movere vellet domino Iringo, qui pro episcopo Herbipolensi se gerit, vel ipse mihi vellet movere in curia sanctitatis vestre coram quocumque iudice super causa possessionis vel proprietatis episcopatus Herbipolensis seu super dampnis et violentiis et expensis, de quibus una pars contra alteram agere vellet vel posset, in petendo, exigendo, agendo et defendendo, excipiendo et replicando, in compromittendo cum pena et sine pena ad voluntatem cuiuslibet predictorum, in paciscendo, in componendo et transigendo[b] et in supponendo se ordinationi domini pape vel quorumcumque cardinalium, secundum quod eis videbitur expedire, et ad prestandum in animam meam cuiuslibet generis sacramentum et ad omnes obligationes faciendas, quas facere nomine meo vellent, et ad omnia alia facienda et singula, que ego facere possem, si presens essem, dans eis in omnibus speciale mandatum, in quibus speciale[c] mandatum desideratur, ratum habiturus et gratum quicquid per predictos vel eorum alterum super premissis ordinatum fuerit vel in aliquo predictorum. In cuius rei testimonium sigillum meum duxi presentibus apponendum. Dat. Rome, VIIII Kalendas Decembris, anno Domini M°CC°LV°.

Nos autem in predictorum testimonium et cautelam presentes litteras fieri et sigillorum nostrorum munimine roborari ac per predictum Riccardum in publica redigi fecimus munimenta. Hec ordinatio seu sententia lata fuit in palatio Sancte Sabine de Urbe, presentibus episcopo et magistro Dithero prefatis, anno[d] Domini MCCLVI, pontificatus domini Alexandri papa IIII anno secundo, mense Ianuario, die quarto, indictionis XIIII[e], coram hiis testibus ad hoc specialiter vocatis: videlicet domino Arnoldo decano Herbipolensi, domino Berardo[e] archipresbytero Maguntino, magistro Gisone canonico Maguntino, domino Stephano dicto Surdo, domino Stephano Anibaldi et pluribus aliis. Et ego Riccardus de Pofis sancte Romane ecclesie scriniarius predictis interfui et ea de mandato dictorum dominorum cardinalium scripsi, complevi et in publicam formam redegi.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., XVI Kalendas Aprilis, anno secundo.

a) *litt.* si *superscr.* b) transiendo 2. c) *sequitur iterum* speciale. d) anni 2. e) Riccardo 1.

1) *Scil. ut et ambo et alter eorum rite agere possit: cf. t. II, p. 129, lin. 9.* 2) *Intellegimus: ita ut Henrici, si personaliter litem moveret, condicio non esset melior vel potestas maior.*

431.

Alexander IV papa Roberto episcopo Virdunensi, cum W[illelmus] Romanorum rex mortuus sit et imperium vacet, vice regia regalia concedit. 1256, Mart. 28.

Al. IV Reg. Vol. I, 157; Lib. II, 210. Exemplar, quod Meerman, l. c. t. V, p. 232 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 16309.

Roberto episcopo Virdunensi.

Inter alias sollicitudines, quibus assidue premimur, cogitare nos convenit, quomodo valeamus ecclesiarum indempnitatibus providere. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod cum clare memorie W. regi Romanorum direxerimus scripta nostra, ut regalia ecclesie Virdunensis tuis nunciis nomine tuo concederet[1], eodem rege nature debitum persolvente, obtinere predicta regalia nequivisti. Quare nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eidem ecclesie super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, tibi et eidem ecclesie providere volentes, regalia huiusmodi, cum imperium vacet adpresens, vice regia auctoritate presentium tibi duximus concedenda[2], ita tamen quod pro ipsis futuro regi Romanorum, cum per sedem apostolicam sua fuerit electio confirmata, [fidelitatis debite iuramenta][a] exhibeas, que consueverunt a tuis predecessoribus exhiberi.

Dat. Lateran., V Kalendas Aprilis, anno secundo[3].

432.

Alexander IV papa [Henrico II] episcopo Lucano testatur: cum Pisani, ut ab excommunicatione absolverentur, petierint, ipse autem proposuerit ante restitutionem castrorum ecclesiae Lucanae ab eis occupatorum sententiam relaxari non debere, papam pronuntiasse Pisanos ad petita admittendos non fore. 1256, Apr. 28.

Al. IV Reg. Vol. I, 163; Lib. II, 249. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

.. episcopo Lucano.

Cum potestas, consilium, officiales et commune Pisani, asserentes se paratos ecclesie mandatis parere, ab omnibus excommunicationum sententiis ex quibuscumque causis latis in ipsos instanter a nobis peterent se absolvi, tibi nostris dedimus litteris in mandatis, ut, si eis tuo et ecclesie Lucane nomine super hiis te opponere velles, usque ad certum diem, quem tibi peremptorium terminum assignavimus, per te vel sufficientem procuratorem cum omnibus instrumentis et rationibus tuis coram nobis comparere curares. In quo cum tu personaliter ac dilectus filius magister Hugo rector ecclesie sancti Fabiani de Fabricis Pisan.[b], procurator predictorum potestatis, consilii et aliorum, in nostra presentia comparuissetis, eodem magistro predictas sententias iuxta formam

---

a) fideliter *R.; correximus ex n. 417.* b) Pisañ *R.*

1) *Cf. n. 417.* 2) *Quod vacante imperio papa regalia concederet, res nova erat; cf. t. II, p. 64, n. 90; p. 117, n. 155.* 3) *A. 1256, III Kal. 'Mai'. R. Virdunensis 'electus' Romae testis erat; Lib. II, 292. Sed fortasse III Kal. 'Mart'. legendum est, cum charta inserta sit epistolae Alexandri datae V Kal. Mai.*

ecclesie relaxari petente, tu ex adverso proposuisti, quod cum eedem sententie pro manifesta offensa, videlicet occupatione et detentione castrorum Lucane ecclesie[1], late fuissent, relaxari ante factam restitutionem castrorum predictorum de iure non poterant nec debebant, et ad tuam in hac parte intentionem probandam nonnullas apostolicas litteras et alia documenta legitima produxisti, quorum copiam per dilectum filium nostrum I[ohannem], Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, dicto procuratori fecimus exhiberi. Et tandem, auditis et diligenter inspectis instrumentis, litteris, allegationibus et aliis, que tu ac dictus rector coram nobis et fratribus nostris super premissis proposuistis, de ipsorum fratrum consilio pronunciavimus nominatum rectorem procuratorio nomine predictorum potestatis et aliorum et per ipsum eos ad petita non fore admittendos nec aliquid in huiusmodi negotio innovandum.

Dat. Lateran., IIII Kalendas Maii, anno secundo.[2]

433.

Alexander IV papa in Ottemburon, Eremitarum et Novillarensi abbatibus mandat, ut monasterium Maioris Augiae corrigant, cuius abbatem Burchardum simonia, periurio, dilapidatione et aliis criminibus irretitum esse maior et sanior pars conventus asserat.

1256, Mai 18.

Al. IV Reg. Vol. I, 169; Lib. II, 286. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

. . in Hottemburon[a 3] et . . Keremitarum[b 4] ac Novillarensi[c 5] abbatibus ordinis sancti Benedicti Augustensis, Constantiensis et Argentinensis diocesum.

Exposuit nobis dilectus filius magister Sibatto[d], canonicus Curiensis, nomine maioris et sanioris partis conventus monasterii Maioris Augie ad Romanam ecclesiam nullo medio ut dicitur pertinentis ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis, quorum procurator existit, quod Burchardus abbas[6] ipsius monasterii, regulari observantia a se penitus abdicata, symonie vitio, periurio, dilapidatione bonorum dicti monasterii ac aliis est diversis criminibus irretitus, ac alias etate, moribus et scientia existit insufficiens ad regimen monasterii memorati, quod propter incuriam et dissolutam vitam ipsius adeo est deformatum in spiritualibus et in temporalibus diminutum, quod nisi ei per sedis apostolice providentiam celeri remedio succurratur, irreparabile detrimentum incurret. Idem quoque abbas tamquam sibi male conscius . . prepositum et . . custodem eiusdem

a) hottēburoñ *in marg.;* Ottēburon *in rubro.* b) *ita R.* c) ac Novillareñ *R.; duo puncta desunt.* d) *ita R.*

1) *Cf. t. II, p. 98, n. 130 et Ann. Ian. a. 1254; SS. t. XVIII, p. 233. Bellum tum erat inter Pisanos ex altera parte, Lucanos, Florentinos, Ianuenses ex altera. A. 1255, Dec. 13 papa monasterio S. Felicis de Vada Pisanae diocesis, propter guerrarum incursus debitis oppresso, bona quaedam vendendi licentiam concessit: Lib. I, 762.* 2) *A. 1257, Mart. 23 papa Mansueto ordinis Minorum, poenitentiario suo, mandavit, ut Pisanos ab excommunicationum et interdictorum sententiis, quas incurrissent occasione captionis praelatorum [a. 1241] et servitii Friderico II praestiti, absolveret; Potthast 16794; cf. 16961 et 16992.* 3) *Ottobeuern e mer. et or. civ. Memmingen.* 4) *Einsiedeln.* 5) *Neuweiler in Alsatia, ex sept. Elsäss. Zabern.* 6) *Conradum abbatem a. 1253 aestate adhuc vixisse propter n. 228 constat. Secundum Schönhuth, Reichenau p. 182, idem a. 1255, Iun. 22 obiit; sed iam a. 1253 'B. Augiensis ecclesiae electus' occurrit et idem Buchardus 'electus et confirmatus' vocatur in charta a. 1254, indict. XI; Wirtemb. U. B. t. V, p. 3 et 5, n. 1245 et 1247; p. 48, n. 1284.*

monasterii, pro eo quod nephandis eius actibus se opponunt, manu armata fratrum suorum auxilio captos facit in vinculis ferreis detineri. Cum igitur secundum apostolum (2 Cor. 11, 28) instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo continua, mandamus, quatinus, si vobis constiterit, quod predicta maior et sanior pars ad impetrandam inquisitionem contra dictum abbatem procuratorem suum magistrum constituerit supradictum et prefatus abbas super hiis vel eorum aliquo infamia publica sit respersus, ad idem monasterium personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, corrigatis et reformetis auctoritate nostra ibidem tam in capite quam in membris, que correctionis et reformationis officio noveritis indigere, amoventes a suis administrationibus, quos suis culpis exigentibus videritis amovendos; alioquin ad inquisitionem huiusmodi nullatenus procedatis. Ceterum supradictos prepositum et custodem faciatis restitui libertati eosque in eodem monasterio recipi, salva ordinarii[a] disciplina, et duabus vel tribus personis ex parte dicti conventus negocium huiusmodi prosequentibus expensas de bonis eiusdem monasterii ad hoc necessarias ministrari, alienatione bonorum sepefati monasterii prenominato abbati penitus interdicta; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Lateran., XV Kalendas Iunii, anno secundo[1].

434.

Alexander IV papa [Guillelmo] archiepiscopo Bisuntino mandat, ut magistrum, consules et universitatem civitatis Argentinensis compellat, ut clerum civitatis eiusdem bladum et vinum suum de civitate extrahere vel ibidem vendere sine exactione pecuniae patiantur. *1256, Iun. 10.*

Al. IV Reg. Vol. I, 176; Lib. II, 303 d. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . archiepiscopo Bisuntino[b].

Exhibita nobis venerabilis fratris nostri . . episcopi Argentinensis et dilectorum filiorum prelatorum et cleri Argentinensis civitatis et diocesis petitio continebat, quod . . magister, consules et universitas civium Argentinensium de novo pro sue voluntatis libito statuerunt, ut nullus de civitate ipsa bladum vel vinum asportet, sicque pretextu statuti huiusmodi, quominus prelati et clerus predicti bladum suum et vinum de dicta civitate pro suis utilitatibus possint extrahere, impedire presumunt. Si vero aliqui ex prelatis vel clero predictis bladum vel vinum suum in eadem civitate vendi faciunt, magistri, consules et universitas predicti ab eis quandam summam pecunie contra iustitiam exigunt et extorquent in derogationem libertatis ecclesiastice ac prelatorum et cleri predictorum preiudicium et gravamen. Quare episcopus, prelati et clerus prefati nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, eosdem magistrum, consules et universitatem, quod prelatos et clerum predictos bladum et vinum suum de civitate ipsa extrahere,

---

a) ord' *R.* b) Eidem *R.; cf. n. 435.*

1) *A. 1257, Ian. 8 Burcardus abbas totumque capitulum regalis Augiae chartam dederunt, quae inter alia etiam sigillo conventus munita erat; Weech, Cod. dipl. Salem. t. I, p. 363, n. 325. A. 1257, Aug. sub charta Burcardi abbatis F. praepositus et B. custos testes reperiuntur; Wirtemb. U. B. t. V, p. 217, n. 1451. De posteris calamitatibus monasterii cf. etiam Potthast 17178 et 17258 et Wartmann, U. B. d. Abt. S. Gallen t. III, p. 153, n. 950 et p. 710, n. 31.*

prout facere consueverunt a tempore cuius memoria non existit, ac eos bladum et vinum suum vendi facere sine alicuius exactione pecunie libere patiantur, monitione premissa per excommunicationis in personas et in civitatem ipsam interdicti sententias appellatione remota previa ratione compellas — non obstantibus[a] si eis vel eorum aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod extra suam civitatem vel diocesim trahi non possint in causam per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Anagnie, IIII Idus Iunii, anno secundo[b].

435.

Alexander IV papa [Guillelmo] archiepiscopo Bisuntino mandat, ut magistrum, consules et commune civitatis Argentinensis et nobiles et milites civitatis et diocesis eiusdem compellat, ut a molestatione cleri Argentinensis desistant. *1256, Iun. 11.*

Al. IV Reg. Vol. I, 176; Lib. II, 303a. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Posse, Analecta Vaticana p. 7, n. 83.

. . archiepiscopo Bisuntino[1].

Venerabilis frater noster . . episcopus et dilecti filii capitulum Argentinenses ac universi prelati et clerici Argentinensis civitatis et diocesis sua nobis petitione monstrarunt, quod cum quidam cives Argentinenses perditionis filii nonnullos clericos ac personas ecclesiasticas, ordinis videlicet fratrum Predicatorum, diversis iniuriis affecissent, quibusdam eorum graviter verberatis et quodam de ponte in aquam precipitato, quodam vero suspenso et alio afflicto diversis generibus tormentorum, idem episcopus, ut quos Dei timor a malo non revocat, saltem pena coerceat temporalis, de consilio et assensu capituli, prelatorum et clericorum predictorum provida deliberatione statuit, ut si quis laicus earundem civitatis et diocesis aliquem clericum sive personam ecclesiasticam sacrilego ausu occidere aut membro[c] mutilare presumpserit, officia et feuda, si qua tenebat ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis predictarum civitatis et diocesis, ipso facto ammittat et ex hiis nichil transeat ad heredes. Adiecit etiam, quod officia et feuda huiusmodi infra quindecim dies a die patrati sceleris per eos, ad quos eorum spectat collatio, aliis conferantur. Dictus quoque episcopus de predictorum consilio et assensu contra laicos earundem civitatis et diocesis, qui huiusmodi scelera perpetrarent, et posteritates eorum quedam alia statuta edidit honesta et iuri consona, que reddundant in augmentum ecclesiastice libertatis, ad quorum observationem episcopus, capitulum, prelati et clerici predicti se astrinxerunt prestito iuramento[2]. Verum magister, consules et communitas Argentinenses ac nonnulli nobiles et [milites][d] earundem civitatis et diocesis contra eosdem prelatos et clericos propter hoc conspirantes, eos per captionem et occupationem bonorum suorum ad infringendum huiusmodi statuta nituntur compellere

a) obst' *R.* b) Dat. ut supra *R.; cf. sub n. 435.* c) *ita authent. ep. 303b; v. infra:* membrum *R.*
d) mulieres *R.*

1) *Cf. n. 434.* 2) *Statuta synodalia edita a. 1251, post Laetare Ierusalem [Mart. 26]; Strassb. U. B. t. I, p. 258, n. 346.*

in derogationem ecclesiastice libertatis ac episcopi, prelatorum et clericorum predictorum non modicum preiudicium et gravamen. Quare episcopus et capitulum, prelati et clerici predicti nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, magistrum, consules, universitatem, nobiles et milites predictos, quod ab ipsorum iniuriis super hiis omnino desistant, monitione premissa per excommunicationis in personas et in terras eorum interdicti sententias appellatione remota compellens, sententias ipsas usque ad satisfactionem condignam singulis diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis publice nuncies et facias ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videris, nunciari — non obstantibus[a] si predicte communitati vel aliquibus aliis a sede apostolica sit indultum, quod extra suam civitatem vel diocesim trahi non possint in causam per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Anagnie, III Idus Iunii, anno secundo[1].

436.

Alexander IV papa decano, archidiacono et cantori Salamantinis mandat, ut quicquid in praeiudicium [Martini] episcopi Legionensis, qui pro suis et [Alfonsi] regis Castellae negotiis ad sedem apostolicam accesserit, attemptatum invenerint, revocent.

1256, Iul. 1.

Al. IV Reg. Vol. II, 8; Lib. III, 71. Epistola non ante a. 1257, Ian. registrata est. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Decano, archidiacono et cantori ecclesie Salamantine.

Cum venerabilis frater noster .. episcopus Legionensis ad apostolicam sedem accesserit pro suis et ecclesie sue ac carissimi in Christo filii nostri .. illustris regis Castelle ac Legionis negotiis[2] promovendis, eiusdem episcopi precibus inclinati, presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus quicquid inveneritis in dictorum episcopi et ecclesie preiudicium, postquam ad eandem sedem iter veniendi arripuit, temere attemptatum, in statum debitum legitime revocetis; contradictores etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, Kalendis Iulii, anno secundo[3].

---

a) obst' *R.*

1) *Iun. 10 papa episcopo et capitulo Argentinensibus ac universis praelatis et clericis Argentinensis civitatis et diocesis statuta praedicta confirmavit; Lib. II, 303 b; authenticum in Strassb. U. B. t. I, p. 301, n. 401 sub Iun. 11. Sub eodem Iun. 10 [Dat. ut supra] archiepiscopo Bisuntino mandavit, ut eadem statuta per censuram ecclesiasticam observari faceret; Lib. II, 303c. — Interim Mai. 24 capitulum Argentinense de dissensione, occasione statutorum illorum cum nobilibus, ministerialibus et civibus orta, in episcopum, praepositum, decanum et C[onradum] de Volva archidiaconum ecclesiae Argentinensis compromiserat; a. 1256, Sept. 17 Hugo tituli S. Sabinae presbyter cardinalis auctoritate papae, cuius poenitentiariae curam gerebat, priori Praedicatorum et guardiano Minorum Argentinensium ad preces episcopi, capituli et cleri Argentinensium commisit, ut eosdem ab observatione statutorum illorum absolveret, per quae, cum olim occasione generalis discordiae tempore Friderici II et Conradi IV edita essent, scandalum generaretur in populo; Strassb. U. B. t. I, p. 300, n. 400; p. 305, n. 405.*

2) *Agebatur, ut videtur, de electione Alfonsi in Romanorum regem a Pisanis facta; Böhmer-Ficker 5484. Capellano et militibus regis Castellae papa a. 1256, Oct. 23 gratiam fecit; Lib. III, 59, 63, 64; precibus regis annuit a. 1257, Ian. 13; Lib. III, 50. Ad preces Uberti de Ranfredo nuntii regis dispensationem matrimonialem in diocesi Agennensi a. 1257, Apr. 26 concessit; Lib. III, 279.*

3) *Aliae gratiae episcopo vel obtentu eius factae: Lib. III, 61 sub a. 1256, Oct. 28; 62 sub Ian. 4 [1257, sed in Reg. 'a. II']; 65 sub a. 1256, Dec. 19; 67 sub Oct. 28; 69 sub Oct. 25; 70 sub Dec. 13 et Oct. 5.*

437.

Alexander IV papa Eberhardo clerico, fratri [Ruperti] comitis Hirsuti, confirmat ordinationem, quam nominati cardinales in questione inter eum et [Ricardum] episcopum Warmaciensem de episcopatu Warmaciensi vertente a. 1256, Mai. 21 protulerunt.

1256, Iul. 1.

Al. IV Reg. Vol. I, 200; Lib. II, 394. Exemplar, quod Meerman. l. c. t. V, p. 234 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monacci.

Potthast, Reg. 16444; Boos, U. B. d. St. Worms t. I, p. 179, n. 267.

Everardo clerico, nobilis viri . . comitis[a] Irsuti[1] Warmacensis diocesis [fratri].

Licet ea, que de mandato nostro fiunt, plenam in se habeant firmitatem, ut tamen intemerata consistant, cum nostro fuerint presidio communita, ea libenter apostolico munimine roboramus. Eapropter, dilecte in Domino fili, ordinationem habitam de speciali mandato nostro per dilectos filios nostros H. tituli Sancte Sabine presbyterum et P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales[2] super questione, que vertebatur inter te et venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Warmaciensem[3], prout in eorum litteris inde confectis plenius continetur, ratam et firmam habentes, ipsam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, litterarum ipsarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est:

Miseratione divina frater Hugo tituli Sancte Sabine presbyter et Petrus Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinales universis presentes litteras inspecturis salutem in Domino. Inter venerabilem patrem . . episcopum Warmaciensem et Eberardum clericum, fratrem nobilis viri . . comitis Irsuti, super episcopatu Warmaciensi, ad quem idem E. fuerat electus, olim exorta materia questionis, tandem mediante clare memorie domino W. rege Romanorum, in quem fuerat hinc inde tamquam in arbitrum concorditer compromissum, huiusmodi questio de communi voluntate partium per certam ordinationem extitit terminata[4]. Postmodum vero dominus noster Alexander papa quartus, ordinationem ipsam propter inconvenientiam compromissi non valere decernens, decrevit nichilominus litterarum auctoritate suarum, ut de novo ea, que habebantur in forma ordinationis eiusdem, maxime cum de ipsius episcopi voluntate processerit et ad hoc iuramenti vinculo se astrinxerit, servarentur. Predicto autem episcopo ad sedem apostolicam personaliter accedente et exponente dicto domino nostro tenuitatem reddituum episcopatus eiusdem ac super moderatione dicte ordinationis gratiam implorante[5], idem dominus nobis viva voce commisit, ut inter eosdem episcopum et Eberardum ordinare super hiis, prout viderimus esse pium et conveniens, curaremus. Nos igitur, statu et conditione partium diligenti consideratione pensatis et volentes earum quieti consulere, ut sopita discordia inter ipsas quelibet earum ordinatione nostra

a) *litt.* tis *et reliqua desunt in rubro; in margine verba paene deleta sunt.*

1) *De hoc cf. Böhmer-Ficker 5249.* 2) *Uterque in Teutonia legatus fuerat.* 3) *Cf. t. II, p. 412, n. 583; p. 482, n. 674, et supra n. 137.* 4) *Tempus nescimus, sed propter ep. n. 137 ordinatio post a. 1252, Apr. facta videtur; cf. etiam Arnold, Gesch. d. deutschen Freistädte, t. II, p. 63 et sequ. Zorn, Wormser Chron. p. 93 narrat Ricardum a. 1252, Laetare [Mart. 10] Eberhardum sibi reconciliasse, ita ut ei, quoad viveret, CL libras Wormatiensis monetae solveret. Sed neque tempus cum ep. n. 137, neque summa cum hoc instrumento concinit, cum Ricardus moderationem pecuniae solvendae ab Alexandro IV petierit et impetrasse videatur.* 5) *Mai. 7 papa episcopo, cum eum pro episcopatus sui negotiis apud sedem veniendo apostolicam oportuisset et adhuc pro ipsorum expeditione oporteret apud illam subire onera expensarum, contrahendi mutuum usque ad CXVI marcas sterlingorum facultatem concessit; Lib. II, 311.*

merito sit contenta, precipimus et ordinamus tenore presentium, ipsius episcopi super hiis specialiter interveniente consensu, ut idem episcopus centum et quinquaginta libras Warmaciensis monete, que nunc habetur in usu, vel alterius, que tantundem valeat, si ipsa forsitan mutaretur, annis singulis apud Warmaciam in terminis infrascriptis: videlicet medietatem dictarum centum et quinquaginta librarum in festo Omnium Sanctorum[1], reliquam vero medietatem in dominica, qua[a] cantatur Letare Ierusalem[2], eidem E., quoad vixerit, vel eius certo nuntio integre ac sine difficultate persolvat, et eis dictus clericus sit contentus, ita quod si forsan idem clericus habuerit aliqua ecclesiastica beneficia seu ecclesiasticas dignitates, tantum dematur de summa dictarum centum et quinquaginta librarum, quantum de fructibus ipsorum beneficiorum et dignitatum perceperit annuatim. Statuimus insuper, quod si eundem episcopum ante obitum ipsius clerici episcopatu cedere vel decedere forte contigerit, eidem clerico de bonis eiusdem episcopatus per successores ipsius episcopi, qui pro tempore fuerint, vel per alios, ad quorum manus ipsius episcopatus redditus provenirent, memorato clerico[b], quoad vixerit, debeat in predictis centum et quinquaginta libris supradictis loco et terminis provideri. Adicimus quoque, quod si episcopus prefatus in solutione ipsius pecunie terminis et loco predictis deficeret et requisitus ab eodem E. vel eius nuntio infra tertium diem post huiusmodi requisitionem non satisfecerit[c] integre de predictis, ipso facto ab ingressu ecclesie sit suspensus. Precipimus insuper, ut predicti episcopus et E. inter se ulterius pacem servent et alter alterum per se vel alios non offendant. Ut autem premissa robur obtineant firmitatis, presentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum et datum Rome, XII Kalendas Iunii, anno Domini M°CC°LVI°.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, Kalendis Iulii, anno secundo[3].

438.

Alexander IV papa [Fulconi] archiepiscopo et suffraganeis eius et universo clero provinciae Gneznensis indulget, ut nulli legato vel nuntio in Alamanniam seu provincias vicinas destinato procurationes exhibere teneantur. *1256, Iul. 3.*

Al. IV Reg. Vol. I, 182; Lib. II, 330. Exemplar, quod Theiner, Mon. Poloniae t. I, p. 70, n. 138 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg: 16446.

Archiepiscopo Gneznensi et suffraganeis eius ac universo clero provincie Gneznensis.

Cum, sicut intimantibus vobis accepimus, provincia Polonie, de qua estis, per se provincia esse consueverit et existat[4], proprio vocabulo, Polonia videlicet, insignita, vestris devotis supplicationibus inclinati, ut nulli legato vel nuntio in Alamaniam seu alias quascumque vicinas provincias a sede apostolica destinato procurationes exhibere teneamini, nisi de ipsa Polonie provincia in sue legationis vel missionis litteris plena

---

a) q̄ *R.* b) *ita in R. repetitum; verba minus apte composita videntur.* c) satisfecerint *R.*

1) *Nov. 1.* 2) *Tertia dominica ante pascha.* 3) *Eodem die abbati de Alba Spirensis diocesis mandavit, ut ordinationem praedictam observari faceret; Lib. II, 395.* 4) *Cf. n. 201.*

et expressa mentio habeatur seu ad eandem[a] provinciam fuerit ab ipsa sede destinatus specialiter, vobis auctoritate presentium indulgemus[1]. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, V Nonas Iulii, anno secundo.

439.

Alexander IV papa clero de Aquila mandat, ut [Berardo] episcopo Furconensi, contra quem rebellaverit, humiliter intendat eique de subtractis iuribus episcopalibus satisfactionem debitam impendat. 1256, Iul. 10.

Al. IV Reg. Vol. I, 193; Lib. II, 371. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Clero de Aquila Furconensis diocesis.

Si attendissetis prudenter, ut convenit, quantum inobedientie vitium censeatur, venerabili fratri nostro . . Furconensi episcopo diocesano vestro parere studeretis et intendere humiliter et devote. Sed, sicut eodem episcopo accepimus referente, vos, non attendentes quod sicut ceteri Furconensis diocesis clerici eidem episcopo tanquam diocesano vestro tenemini obedire, spiritu rebellionis assumpto sibi debitam obedientiam et reverentiam exhibere ac ei respondere de iuribus episcopalibus indebite recusatis in suum et Furconensis ecclesie non modicum preiudicium et gravamen. Volentes igitur experiri, an huiusmodi vestre inobedientie crimen ex[b] benignitatis dulcedine valeat aboleri, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus preteritam inobedientiam per subsequentem obedientiam redimentes, eidem episcopo tamquam patri et pastori animarum vestrarum in omnibus, que ad eius officium pertinent, humiliter intendentes, de iuribus episcopalibus plenarie respondeatis eidem, de subtractis satisfactionem sibi debitam impensuri, preces et preceptum nostrum taliter impleturi, quod devotionem vestram proinde non immerito commendemus. Alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Anagnie, VI Idus Iulii, anno secundo[2].

440.

Alexander IV papa [Gerhardo] archiepiscopo Maguntino sub poena excommunicationis mandat, ut Conradum puerum natum quondam Conradi IV neque in regem eligat neque nominet neque consentiat in eundem, aliis vero coelectoribus, ne id faciant, sub eadem poena inhibeat. 1256, Iul. 28.

Al. IV Reg. Vol. I, 185—186; Lib. II, 353b. Pertzii exemplar, suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1256, § 3—6, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 16506; Fontes rer. Bernen. t. II, p. 418, n. 400; Görz, Mittelrhein. Reg. t. III, p. 296, n. 1314; Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. t. II, p. 334, n. 159.

---

a) eandem *in loco raso.* b) et *R.*

1) *Cf. n. 402.* 2) *Civitas Aquilensis hoc tempore ad papam nondum defecisse videtur; cf. sub Dec. 22.*

. . archiepiscopo Maguntino[1].

Firma profecto consistit domus, que solidis est fulcita columpnis, et ecclesia tunc multo stabilitur robore, cum prelatorum virtute ac constantia communitur. Inter quos quia honore ac potentia eminere dinosceris, conveniens est et debitum, ut favorabilius et vehementius eidem assistas ecclesie ac a te ipsa in oportunitatibus presidia sentiat potiora, quia si eius augetur status et optatis proficit incrementis, una tu cum ea suorum profectuum participatione concrescis, et si, quod absit, aliquibus molestaretur[a] adversis et sinistris pungeretur eventibus, sue te molestie minime preterirent sed simul cum ipsa gustares suarum amaritudinem punctionum, immo sicut locum in ea optines magis conspicuum et excelsum, sic plus te illius letificaret prosperitas et tribulatio conturbaret, nec ipsa, que plurimum in tuis congaudet commodis, de tuis posset adversitatibus graviter non dolere. Quanto autem affectu te ac alios Alamannie prelatos Romana semper prosecuta fuerit ecclesia quantisque vos et ecclesias vestras studuerit assidue magnificare ac preservare favoribus, clare liquet, cum numquam in beneficiis et gratiis circa vos et ipsas ecclesias defecerit sue irriguum largitatis nec usquam vobis in necessitatibus ipsius defuerint auxilia, que vestri tamquam proprii zelatrix honoris indefesse curavit, quotiens oportuit, vestris adesse negotiis, sicut promotrix sollicita et adiutrix per omnia studiosa. Nec immerito, cum et in suis agendis vos inter ceteros promptos cooperatores reppererit et precipuos senserit adiutores; propter quod decet et expedit, ut attente pro ipsius vigiletis honore, que vestris diligenter intendere utilitatibus non desistit. Sane intelleximus, quod instat tempus electionis celebrande de rege, in imperatorem postmodum promovendo[2]; super quo tanto propensior adhibenda est diligentia et cautela, quanto altius et difficilius est negotium, quod geritur in hac parte, quantoque res, si aliqua in ea interveniret negligentia seu improvidentia vel desidia, deteriorem habere posset effectum et exitum noxiorem. Unde hic vehementer vigilandum est, hic perspicaciter intuendum, hic considerandum prudenter, hic mature deliberandum, hic provide precavendum, hic aperiendi sunt oculi, hic habende sunt aures intente, hic mens esse debet non rudis et torpida sed diligens, pervigil et consulta, ubi de advocato ecclesie agitur, de ipsius defensore tractatur, ne pro advocato impugnator et pro defensore assumatur vel eligatur offensor. Quare undique summe cogitationis perferenda est acies et circumquaque districta explorandum indagine, ut talis cooperante Domino repperiatur et eligatur, qui fidelis et devotus existat et de prosapia processerit devotorum ac idoneus et sufficiens merito reputetur ad optinendum tanti honoris culmen et imperii regimen exercendum.

Qualiter autem quondam Fr. olim Romanorum imperator et sui progenitores et posteri erga matrem ecclesiam se gesserint, et qualem ei retributionem de beneficiis ab ipsa perceptis impenderint, patens est et cognitum toti orbi, quoniam hii, aliorum persecutorum excedentes[b] tyrampnidem, gravioribus eam affecerunt iniuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velud in cedem et exterminium eius tendentes, furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis et usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt. Nam in hoc pravo genere patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Ex quo liquido perpendi potest et conici[c], si ex ipso alique posteritatis reliquie remanserunt, quid sperandum sit in futurum de illis, quid in

---

a) *litt* re *superscr.* b) excedendes *R.* c) cōnici *R.*

1) *Hic a. 1256, Ian. 16 ab Alberto duce de Brunswic captus erat; a. 1257 demum solutus est; Chron. Sampetr. ed. Stübel p. 86 et 88; Böhmer-Will, Reg. arch. Mag. t. II, p. 333, n. 155.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 5289a.*

posterum expectandum; vita namque ac gesta predecessorum perversa iniquitatem prenuntiant successoris, nec[a] horribilis et scelesta illorum memoria quicquam boni de ipsorum posteritate credere vel sperare permittit; de colubro quidem egreditur regulus et arbor Is. 14, 29 mala noxios fructus profert pravumque principium nunquam bonum pollicetur effectum. Matth. 7, 18 Et ideo de Conrado puero[1] nato quondam Conradi predicti F. filii est precavendum omnino, ne ullo modo intendatur ad eum nec nominetur ad hoc nec aliquatenus eligatur, maxime cum propter infantiam nimiumque defectum etatis[2] sit ad ista prorsus inhabilis ac ineligibilis penitus puer ipse; nec ius, quod ex electione provenire vel consurgere consuevit, sibi posset competere nec in sua cadere vel retineri persona, cum propter puerilem etatem, que discretione caret et legitimum consensum vel dissensum non habet, electioni, si de ipso fieret, consentire non posset, nec ipsius consensus aliquam haberet efficaciam vel vigorem. Et ex eo etiam idem puer in regem eligi vel nominari non debet, quia cum per electionem huiusmodi de advocato vel defensore idoneo debeat ecclesie provideri et ipse puer sit omnimodo ineptus et inutilis ad talis defensionis officium seu ministerium exequendum, oporteret eandem ecclesiam, si contingeret eligi dictum puerum, manere diutius non absque gravibus forte dispendiis defensionis commodo destitutam. Nec per hoc etiam consuleretur amplo et spatioso regno Theotonie de rege vel rectore condigno, cum male possit alios regere, qui non novit gubernare se ipsum, nec bene vel digne aliorum gubernaculo preesse valeat, qui regimine ducitur alieno et cui propter tot patentes defectus necessaria est alterius custodia et tutela; propter quod regnum ipsum longo tempore non sine multo discrimine sub oportuni regiminis expectatione langueret.

Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente ac per apostolica tibi scripta in virtute obedientie sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie Romane teneris, ac sub pena excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districte precipiendo mandamus, quatinus prefatum Conradum puerum nullatenus in regem eligas nec nomines neque consentias in eundem, ita quod excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere vel venire presumpseris et eundem Conradum nominaveris vel elegeris aut in ipsum consenseris seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, impenderis; et etiam si eius electionem non impediveris toto posse aut[b] si forte ad ipsius electionem vel nominationem processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Aliis vero coelectoribus tuis, tam ecclesiasticis quam secularibus, auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire temptaverint, immo nostram, ita quod si eum nominare vel eligere aut in ipsum consentire presumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo innodatos, ut ex hoc ipso, si de predicto puero quicquam in hac parte attemptatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum et inane. Mandatum itaque ac preceptum super hoc apostolicum sic fideliter, sapienter et efficaciter adimplere studeas, omnem opem et operam adhibens, ut aliquis fide clarus et devotione sincerus, cui ad id suffragentur merita, eligatur, quod ex hiis nos et Romanam ecclesiam tibi et ecclesie tue arctius obliges, nosque letari possimus id quod in hoc intendimus tuo sollerti studio salubriter provenisse. Ad hec nichilominus in omnes electores, qui memoratum puerum ad hoc nominare vel eligere seu in ipsum consentire aut opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, dare presumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam per te, antequam ad nominationem vel electionem aliquam pro-

---

a) nt R. b) ut R.

1) *De Conradino et papa cf. etiam Böhmer-Ficker 4772.* 2) *Natus erat a. 1252. Mart. 25.*

cedatur, reliquis tuis coelectoribus precipimus nuntiari. Quod si non feceris, eo ipso te noveris laqueo excommunicationis astrictum.

Dat. Anagnie, V Kalendas Augusti, anno secundo.

In eundem modum . . archiepiscopo Treverensi.

In eundem modum . . archiepiscopo Coloniensi.

441.

Alexander IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi ordinationem inter ipsum ex parte una et praepositum, decanum et capitulum Cameracenses ex altera super modo utendi vicedominatu, cum Cameracensis sedes vacaverit, factam confirmat.

1256, Iul. 29.

Al. IV Reg. Vol. II, 188; Lib. II, 361. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

. . episcopo Cameracensi.

Ea, que iudicio vel concordia terminantur, usque: communiri. Sane dudum inter te ex parte una et dilectos filios . . prepositum, . . decanum et capitulum Cameracenses super modo utendi vicedominatu, ratione cuius Cameracensi sede vacante dictum capitulum episcopales proventus in certis locis episcopatus Cameracensis ad se pertinere asserit, ex altera questione suborta, demum mediantibus quibusdam probis et sapientibus viris quedam super hoc inter partes ordinatio facta fuit, sicut in litteris eorundem prepositi, decani et capituli ipsorum sigillo signatis super hoc confectis plenius continetur: quam apostolico petiisti munimine roborari. Nos igitur, tuis et ipsorum prepositi, decani et capituli supplicationibus inclinati, ordinationem huiusmodi ratam habentes et gratam, illam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem predictarum litterarum ipsorum prepositi, decani et capituli presentibus inseri facientes; qui talis est:

Universis presentes litteras inspecturis I. prepositus, A. decanus totumque Cameracense capitulum salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum nos, habentes amministrationem spiritualium sede Cameracensi vacante et exercitium ecclesiastice iurisdictionis et emolumentum eiusdem per Cameracensem civitatem et diocesim cum amministratione temporalium in bonis episcopalibus universis, perciperemus et nostra faceremus ratione vicedominatus, quem habemus per totam castellaniam Cameracensem et in villa de Thunio[1] cum suis pertinentiis, omnia mobilia spectantia ad Cameracensem episcopum tempore mortis sue nec non et omnes proventus episcopatus provenientes infra terminos antedictos vacante sede Cameracensi, et etiam donec electus pro tempore sua regalia recepisset et de hoc nobis fidem fecisset, et super modo utendi vicedominatu predicto inter nos et reverendum patrem N. Dei gratia Cameracensem episcopum questio mota esset: tandem post multas altercationes de consilio proborum et sapientum virorum ita inter nos concorditer extitit ordinatum, quod, nobis quitantibus imperpetuum prefato episcopo et eius successoribus, qui pro tempore fuerint, quicquid iuris habebamus vel habere poteramus ratione vicedominatus predicti in mobilibus, que dictus episcopus et successores sui usque in diem ultimum perceperint vite sue, in recompensatione mobilium eorundem universos proventus bonorum episcopalium, tam presentium quam etiam futurorum, percipiemus et nostros faciemus nostra amministratione durante; hoc adiecto quod si aliqua occasione in custodiendis

1) *Thun-l'Évêque ad Scaldim fl. infra Cameracum.*

vel tuendis bonis episcopalibus maiores sumptus fecerimus, quam de bonis episcopalibus interim receperimus extra vicedominatum predictum, futurus episcopus eos nobis reddere teneatur. Si etiam aliquid solverimus pro debitis episcopalibus ante mortem episcopi contractis, futurus episcopus totum reddet nobis, nulla facta deductione de proventibus a nobis tempore amministrationis nostre perceptis. Ceterum cum electus confirmatus receptis regalibus suis ad Cameracensem ecclesiam redierit, equum, in quo sederit, cum descendet, mapas, cyfos et alia vasa in prima commestione allata habebimus et percipiemus, sicut est hactenus consuetum. Actum X Kalendas Aprilis, anno Domini M°CC°LII.

Nulli etc. nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, IIII Kalendas Augusti, anno secundo[1].

442.

Alexander IV papa abbati Vallis Umbrosae scribit se 1100 libras Senensium parvorum, in quibus monasterium S. Apollinaris in Classe [Philippo] electo Ravennati in subsidium expensarum, quas idem subierit negotium regni Siciliae personaliter prosequendo, teneatur, in 200 libris moderasse; mandat, ut electum compellat, ne ultra 200 libras exigat. *1256, Aug. 31.*

Al. IV Reg. Vol. I, 196; Lib. II, 375. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

. . abbati[2] monasterii Vallis Umbrose Fesulane diocesis.

Dilecti filii . . abbas[3] et conventus monasterii sancti Apolenaris in Glasse[a] Camaldulensis ordinis Ravennatis diocesis sua nobis petitione monstrarunt, quod nos, statuentes ut ipsi cum domibus et obedientiis eisdem subiectis dilecto filio . . electo Ravennati in subsidium expensarum, quas subierat negotium regni Sicilie personaliter prosequendo[4], in mille et centum libris Senensium parvorum subvenire tenerentur, eisdem abbati et conventui nostris dedimus litteris in mandatis, ut huiusmodi pecuniam certis terminis electo[b] persolverent nominato, super hoc ipsi electo certis executoribus deputatis. Quia vero dictum monasterium propter guerrarum discrimina et provisiones, pensiones et procurationes a sede apostolica et legatis eiusdem dicto monasterio impositas et exactas multa sustinuit detrimenta, ita quod dicti abbas et conventus fere per triennium compulsi fuerant extra monasterium ipsum penas exilii sustinere, bonorum suorum magna parte amissa, et alias gravi premantur onere debitorum, nobis humiliter supplicarunt, ut eis paterno compatientes affectu prefatam moderari summam et ipsos, monasterium, domos, obedientias et membra predicta a residuo absolvere misericorditer curaremus.

---

a) *ita R.* b) *antecedit locus rasus vacuus; deleta videntur duo puncta, quae semel tantum in eadem ep. scribebantur.*

1) *Eodem die papa capitulo instrumentum episcopi, quod huic respondit, confirmavit: Lib. II, 362. Eodem die eidem capitulo quandam concessionem Nicolai episcopi a. 1251, Mart. 16 factam confirmavit; Lib. II, 358.* 2) *Thesauro, qui a. 1258 a Guelfis Florentinis crudeliter interfectus est, propter quod papa civitatem eorum interdicto supposuit: Potthast 17378; de eodem abbate cf. 16697, 16757, 16759.* 3) *Aymericus.* 4) *Cf. Jamsilla, l. c. p. 535 D. A. 1255, Mai. 23 papa [Guillelmo] electo Regino, non obstante constitutione edita [cf. p. 351, not. 4], consecrationis terminum distulit, donec electus Ravennas, metropolitanus eius, qui in ecclesiae servitiis moraretur ad praesens, ad ecclesiam suam revertisset; Lib. I, 450. Cf. etiam supra n. 422.*

Nos igitur, eandem summam in ducentis libris moderantes et residuo, videlicet nongentis libris, de speciali gratia absolventes abbatem et conventum, monasterium, domos, obedientias et membra prefata, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus electum et executores predictos, quod ab ipsis seu monasterio, obedientiis, domibus vel membris ipsis ultra predictas CC libras non exigant, monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota compellas, sententias excommunicationis, suspensionis vel interdicti, si que propter hoc sint in eos vel eorum aliquem promulgate, sine qualibet difficultate relaxans, si quas de cetero ferri contigerit, denuntians nullas esse, ac dispensans cum ipsis super irregularitate, si quam exinde forsitan contraxerunt.

Dat. Anagnie, II Kalendas Septembris, anno secundo[1].

443.

Alexander IV papa universis Christi fidelibus notum facit se Philippo de S. Cruce protontino Baroli et Monopoli, ad devotionem ecclesiae reverso, nominatas concessiones fecisse conscio Roberto de Baro procuratore Henrici et Edmundi Angliae et Siciliae regum; vult, ut id in perpetuum observetur. *1256, Aug. 31.*

Al. IV Reg. Vol. II, 54; Lib. XII, 410. Epistola non ante a. 1257, Iun. exeunt. registrata est. Exemplar tabularii collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Posse, l. c. edidit.

Posse, Analecta Vaticana p. 124, n. 5.

Patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis ac nobilibus viris marchionibus, comitibus, baronibus, militibus et aliis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Noverit universitas vestra, quod nos, considerantes puritatem fidei [et][a] devotionis fervorem dilecti filii nobilis viri Philippi de Sancta Cruce, Baroli et Monopoli protontini[2], donationes, concessiones seu confirmationes de terra Cannarum[3], Caurati[4], Terlicii[b] [5] et Arricarri[6] castris seu casalibus sitis in terra Bari nec non de domibus fundici[7] Baroli et domo curie, quam tenuit Ribaldinus, pro tempore in fundico deputata[c], et terra vacua[d] extra portam sancti Leonardi de Barolo, quorum proventus quadringentarum unciarum auri summam annis singulis valere dicuntur, et de officio protontinatus Baroli et Monopoli predictorum[8] ei de fratrum nostrorum consilio duximus faciendas, maxime quia id vidimus expedire, cum utilitas obsequiorum, que ipse in negotio regni Sicilie redeundo ad devotionem ecclesie tribuit, hoc exposceret, et pro eo necessitas suaderet, quia nomine Romane ecclesie sibi tunc promissum extitit, [quod][e] super bonis prefati regni de omnibus dampnis, que pro devotione ipsa incurreret, servaretur indempnis. Quia vero nos sibi promisimus donationes, concessiones et confirmationes huiusmodi sibi

---

a) et *deest R.* b) Elicii *P.* c) deputatam *R.; cf. sub a. 1257, Iun. 28.* d) terram vacuam *R.* e) quod *deest R.*

1) *De monasterio S. Apollinaris cf. etiam Potthast 17080 et 17161.* 2) *Qui rebus navalibus praeerat.* 3) *Ex occ. civ. Barletta.* 4) *Cf. n. 356.* 5) *Cf. n. 339.* 6) *Cf. p. 308, not. 8 et Berger 2892 et 2893.* 7) *Italice 'fondaco'; domus, in qua merces deponebantur, quarum emptionem et venditionem rex sibi reservaverat.* 8) *A. 1256 [leg. 1255], Sept. 15, indict. XIV apud Brundusium episcopus Anconitanus, tunc vicarius in iustitiariatibus terrae Baroli et Idronti O[ctaviani] cardinalis legati, eidem officium protontinatus confirmaverat, quod antequam ad devotionem ecclesiae rediit, exercebat; id quod papa a. 1256, Febr. 16 confirmaverat; Lib. II, 134a.*

suisque heredibus per reges, ipsum regnum a prefata tenentes ecclesia, facere inviolabiliter observari, prout in apostolicis privilegiis super hoc eidem concessis plenius continetur, ac id factum extitit conscio nobili viro Roberto de Baro, qui pro carissimis in Christo filiis nostris Henrico et Emundo[a] Anglie et Sicilie regibus illustribus in hoc et in aliis ipsorum negotiis apud sedem apostolicam remanserat procurator[1], prout nobis constitit evidenter: volumus, ut id in perpetuum observetur. Nulli ergo omnino hominum liceat huiusmodi nostras donationes, concessiones seu confirmationes et privilegia infringere etc.

Dat. Anagnie, II Kalendas Septembris, anno secundo[b 2].

444.

Alexander IV papa Balduino de Viczo de Saona potestati Idrontinae, fideli suo, attendens diligentiam, quam idem circa defensionem civitatis Idrontinae adhibuerit, quoddam casale quondam Berardi de Luco, proditoris ecclesiae, in feudum concedit.

1256, Sept. 5.

Al. IV Reg. Vol. I, 199; Lib. II, 391. Exemplar nos inde descripsimus.

Nobili viro Balduino Viczo de Saona[3], potestati civitatis Idrontine, fideli nostro.

Attendentes vigilantiam, diligentiam et sollicitudinem, quas circa defensionem civitatis Idrontine constanter adhibuisse dinosceris, necnon et indefessos labores, quos pro ipsius civitatis regimine subiisti, ac volentes ex hoc tibi apostolice liberalitatis dexteram aperire, tuis supplicationibus inclinati, casale Speccle de Minerum[4], quod fuit quondam Berardi de Luco Romane ecclesie proditoris, cum omnibus hominibus, iuribus et pertinentiis suis tibi tuisque heredibus in devotione ipsius ecclesie persistentibus in feudum sub debitis et consuetis servitiis concedimus de gratia speciali. Nulli etc. nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, Nonis Septembris, anno secundo[5].

---

a) *ita R.* b) tertio *P.*

1) *Cf. Potthast 15784; Capasso n. 210, § 21; cf. etiam epistolam Henrici regis a. 1257, Apr. 1 ap. Rymer, Foedera t. I, pars I, p. 354.* 2) *A. 1256, Febr. 17 papa potestati, consilio et communi Monopolitanis quaedam privilegia confirmaverat, eo quod a Manfredo recedentes ecclesiae Romanae fidelitatem iurassent; insertum est instrumentum episcopi Anconitani, vicarii etc., datum Trani, a. 1255, Iul. 31; Lib. II, 134b; Posse p. 6, n. 74. — Cf. sub a. 1257, Iun. 22.* 3) *Savona ex occ. Ianuae. Baldus Vicius civis Saonensis commemoratur a. 1209 ap. Winkelmann, Acta t. I, p. 24, n. 33.* 4) *Ut videtur Minervin[o] e mer. et occ. civ. Andriae.* 5) *Eodem die populo civitatis Idrontinae, fidelibus suis, confirmavit casalia ab O[ctariano] legato concessa; concessit, ut iis deinceps potestatem, rectorem seu consules assumere liceret; praecepit, ut omnes illi, qui temporibus Rogerii, Willelmi I et II et Friderici II turres, cortinas et barbacanas civitatis construere et reparare consuevissent, necnon illi, qui ad armandam galeam civitatis certum marinariorum numerum dedissent, ad id de cetero tenerentur; statuit, ut omnes barones et burgenses casalia et alia feuda, quae in territorio civitatis et alibi tenerent a Manfredo, in capite tenerent nec cuiquam pro eis nisi ecclesiae Romanae responderent, et ut fautores Manfredi perpetuo forbanniti essent; Lib. II, 392; Potthast 16012 sub a. 1255, Sept. 5. — Civitas initio a. 1257 Manfredo se subiecit; Iamsilla p. 581—582; Böhmer-Ficker 4658b.*

445.

Alexander IV papa Henrico III Angliae et Edmundo Siciliae regibus terminum, infra quem rex Angliae venire vel mittere capitaneum cum militia competenti in regnum Siciliae ac certam pecuniae summam solvere teneatur, usque ad sex menses computandos a Kal. Decembris proximo venturi prorogat. — [Iohanni] archiepiscopo Messanensi prorogandi adhuc hunc terminum potestatem concedit. 1256, Oct. 6 et Nov. 10.

Al. IV Reg. Vol. I, 207; Lib. II, 465 et 466. Exemplaria Pertzii, quorum primum supplevimus ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1256, § 34, contulimus cum Regestis. Primam epistolam contulimus etiam cum authentico ap. Rymer, Foedera t. I, pars I, p. 350 [A.].

Potthast, Reg. 16566; Capasso, l. c. n. 249 = I.

I.

Henrico Anglie et Edmundo Sicilie regibus illustribus.

Supplicantibus olim nobis humiliter venerabili fratre nostro . . archiepiscopo Tarantasiensi[1] et dilectis filiis . . electo Saresberiensi[2] ac . . abbate Westimonasterii Londoniensis[3], nuntiis vestris, ut cum iam instaret festum sancti Michaelis, terminus videlicet tibi, fili rex Anglie, prefixus a nobis ac per te etiam approbatus, infra quem venire vel mittere capitaneum cum militia competenti in regnum Sicilie ac certam pecunie summam nobis et ecclesie Romane pro expensis factis in ipso regno solvere tenebaris, prout in apostolico privilegio confecto super concessione predicti regni facta tibi, fili rex Sicilie, plenius continetur[4], prorogare vobis huiusmodi terminum de benignitate apostolica curaremus: nos igitur[a], ipsorum supplicationibus inclinati, eundem terminum primo usque ad octavas predicti festi[5] ac deinde usque in diem Mercurii post octavas ipsas tunc primo venturum[6] de fratrum nostrorum consilio duximus prorogandum[b], sicut plenius litere apostolice continent, quas eisdem nunciis duximus super hoc[c] concedendas. Verum quia interim dicti nuntii petitiones vestras coram nobis et predictis fratribus proponere curaverunt, nos, huiusmodi[d] petitionibus diligenter auditis et plenius intellectis habitaque diligenti deliberatione cum eisdem fratribus super illis, memoratum terminum ad ipsorum nuntiorum instantiam, quantum ad infrascriptas sententias dumtaxat et penam, a predicto die Mercurii usque ad sex menses computandos a Kalendis mensis Decembris proximo venturi, dummodo ex quo huiusmodi termini prorogatio per venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Messanensem, quem pro negotio dicti regni ad te mittimus, vel per eosdem nuntios ad notitiam tuam pervenerit, pecunia decime ecclesiasticorum proventuum tibi, fili rex Anglie, usque ad certum tempus ab apostolica sede concesse[7], tam collecta iam quam de cetero colligenda, nequaquam impendatur[e] vel detineatur, sed mercatoribus pro exoneratione debitorum Romane ecclesie libere absque

---

a) *ita R. et A.; papa oblitus est, quae verba scribere coeperit.* b) *verba* prorogandum — super hoc *eadem manus in margine superiore paginae addidit.* c) super hoc dux. *A.* d) *A.; huī R.* e) impediatur *R. et A.*

1) *Rudolfo.* 2) *Aegidio.* 3) *Ricardo; cf. Ann. Dunstapl. a. 1256; SS. t. XXVII, p. 511. Henricus rex a. 1256, Iul. 20 testatus est Ricardum abbatem, ad curiam Romanam pro negotiis regalibus proficiscentem, coram se et consilio suo quoddam iuramentum praestitisse; Rymer, l. c. p. 344. Nuntii a. 1257, circa Ian. 6 in Angliam redierunt; Matth. Paris.; SS. t. XXVIII, p. 368.* 4) *A. 1255, Apr. 9; Potthast 15784; cf. p. 362, not. 3.* 5) *Oct. 6; cf. Potthast 16556 sub Sept. 27.* 6) *Oct. 11, ut videtur per ep. Oct. 4, quam Rymer, l. c. p. 350 integram non praebuit. Dilatae sunt nimirum sententiae excommunicationis et interdicti.* 7) *A. 1255, Mart. 28 papa Henrico regi de novo decimam proventuum ecclesiasticorum pro Terrae Sanctae subsidio in regno Angliae, Wallia, Hibernia et Wasconia per triennium concesserat; Lib. I, 317; Potthast 15768; cf. 15383. De decimis et proventibus colligendis cf. Potthast 16415, 16526 et sequ.*

quolibet obstaculo persolvatur[1], et si aliqua ipsius quantitas per te vel tuo mandato forsitan est expensa, de illa infra mensem, postquam predicta prorogatio ad notitiam tuam pervenerit, ut premissum est, per te plenarie satisfiat, de predictorum fratrum consilio et assensu taliter prorogamus, videlicet quod interim tu, fili rex Anglie, excommunicationis regnumque tuum interdicti sententias, et tu etiam circa pecuniam[2], quam venerabilis frater noster . . Herefordensis episcopus[3], procurator et nuntius tuus, mutuo nomine tuo recepit et pro negotii prefati regni Sicilie prosecutione persolvit et quam etiam tu a tempore memorate concessionis exhibuisti ac te exhibere contigerit in futurum, infrascriptam penam in privilegio predicto contentam, scilicet quod tu et tui heredes nullam contra nos et ecclesiam seu quemquam alium super ipsa pecunia repetitionem habebitis nec aliquam actionem, sed illam ammittetis ex toto, — quibuslibet iuramentis a te super huiusmodi negotio prestitis nequaquam obstantibus — nullatenus incurratis. Nulli ergo — nostre prorogationis etc.

Dat. Anagnie, II Nonas Octobris, anno II.

II.

. . . archiepiscopo Messanensi.

Supplicantibus olim nobis etc. usque: plenarie satisfiat, taliter prorogavimus de predictorum fratrum consilio et assensu, videlicet quod interim idem rex Anglie excommunicationis etc. usque: nequaquam obstantibus — non incurrant. Cum itaque te pro dicto negotio specialiter destinemus, fraternitati tue prorogandi adhuc huiusmodi terminum iuxta prescriptam formam, si expedire videris, usque ad tres menses alios subsequentes liberam de predictorum fratrum consilio concedimus potestatem.

Dat. Anagnie, IIII Idus Novembris, anno secundo[4].

446.

Relatio, quam magister Albertus de Parma notarius apostolicus de processibus super concessione regni Siciliae cum Henrico III rege Angliae et aliis habitis Alexandro IV papae assignavit. *1256, Oct. 23.*

Al. IV Reg. Vol. II, 231—235; Lib. V, 262. Instrumentum non ante a. 1260, Mai. registratum est; nam antecedit sub n. 257 epistola Alexandri a. 1260, Mai. 16 data. Damus Pertzii exemplar.

Instrumentum super processibus habitis per magistrum Albertum de Parma notarium domini pape cum rege Anglie et aliis[5] super facto regni Sicilie.

In Dei nomine amen. In presentia sanctissimi patris domini Alexandri pape quarti et venerabilium patrum dominorum G.[6] episcopi Tusculani, fratris Iohannis tituli Sancti

1) *Cf. Potthast 16018, 16051, 16229, 16620. Ex pacto a. 1255, Apr. 9 rex obligatus erat, ut expensas ad prosequendum negotium regni Siciliae usque ad festum s. Michaelis a. 1256 faciendas ecclesiae Romanae ministraret; Potthast 15784.* 2) *Sequuntur verba eiusdem pacti, mutatis mutandis.* 3) *Petrus.* 4) *Archiepiscopus a. 1257 imminente quadragesima [Febr.] in Angliam pervenit; Matth. Paris.; SS. t. XXVIII, p. 368. Sed a. 1257, Ian. 22 Ricardus in Romanorum regem electus ei litteras iam miit; Böhmer-Ficker 5291. — A. 1256, Sept. 30 papa magistro Rostanno subdiacono et capellano suo in Wasconia plenae legationis officium commisit; Lib. II, 460. In ep. 462 eidem procurationes concessas esse commemorarit; in ep. 461, sub Oct. 5, eum 'legatum', in ep. 462, sub Oct. 17, eum 'nuntium nostrum in Anglia' appellarit.* 5) *Licet solus processus cum rege Angliae habitus narretur, non invenimus, qua re instrumentum non integrum registratum reputare debeamus. Inquisitio facta est, cum dubium foret, num rex in pacto a. 1255, Apr. 9 inito maneret; cf. n. 445.* 6) *Leg. Odonis.*

Laurentii in Lucina et fratris Hugonis tituli Sancte Sabine presbyterorum ac R[icardi] Sancti Angeli, O[ctaviani] Sancte Marie in Via Lata, I[ohannis] Sancti Nicolai in Carcere Tuliano et O[ttoboni] Sancti Adriani diaconorum cardinalium et magistri Iordani de Terracina notarii domini pape[1] ac mei, Bassi notarii camere eiusdem domini, magister Albertus notarius domini pape ad sancta Dei evangelia iuravit, quod per se nullus alius habitus est processus de facto regni Sicilie cum illustri rege Anglie aut Cornubie et Provincie comitibus vel qualibet alia persona, et quod ipse nullam dationem vel concessionem fecit dictis personis vel aliis de dicto recno[a] nec faciet in futurum, nisi quatenus continetur in quodam transcripto, quod idem magister dictis domino pape et cardinalibus dedit, assignavit et tradidit in manibus eorundem; iuravit etiam dictus magister se restituturum[b] camere domini pape omnes litteras, quas de dicto negotio penes se habet et que tangunt dictum negotium seu processum. Tenor autem transcripti predicti sic incipit:

Sanctissimo in Christo patri et domino Alexandro Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici suus[c] Albertus dictus notarius se ipsum et pedum oscula beatorum. Ut de processu per me habito cum illustri domino . . rege Anglie ac eius procuratoribus et nuntiis de mandato sancte recordationis domini Innocentii pape quarti predecessoris vestri sanctitatem vestram reddam presentibus certiorem: noveritis me post multos tractatus cum nobilibus viris dominis Richardo Cornubie et Karolo Provincie comitibus recepisse[2] prefati domini I. litteras in hunc modum:

Innocentius etc. magistro Alberto notario nostro[3] etc. Cum super negotio regni Sicilie, karissimo in Christo filio nostro . . illustri regi Anglie, crucesignato, suo vel filii sui nomine committendo, alias tibi litteras dirigamus, providentie tue concedendi eidem regi vel ipsi filio dictum regnum, si prefatum negotium efficaciter assumpserit, et absolvendi eundem regem a voto crucis illudque in susceptionem et executionem ipsius negotii commutandi plenam et liberam tribuimus de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate presentium potestatem. Nulli ergo etc. Dat. Perusii, III Idus Aprilis, pontificatus nostri anno X°[4].

Item recepi alias in hanc formam:

Innocentius etc. magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato. Prudentie tue concedendi dilecto filio nobili viro Hyimoni[5] nato karissimi in Christo filii nostri Anglie regis illustris regnum Sicilie sub decentibus et congruis conditionibus, quas tu nosti[6], si ecclesie ac ipsius regni negocium idem rex efficaciter assumpserit, plenam et liberam tribuimus de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate presentium potestatem. Nulli ergo etc. Dat. Lateran., XIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno XI°[7].

---

a) *ita R.* b) restiturum *R.* c) *ita R.*

1) *Hic loco vicecancellarii fungebatur; a. 1257 vicecancellarius factus est; a. 1259 praeterea rector Campaniae et Maritimae erat; Potthast p. 1473 et n. 17660; cf. etiam 16841 et 17343 et supra p. 332, not. 1.* 2) *Recepisse Albertum epistolam sequentem post tractatum cum Carolo inchoatum ex not. 4 apparet. Eum ante a. 1253, Apr. 11 cum Carolo iam tractasse probabile non est; cf. etiam p. 134, not. 3.* 3) *Hic in Anglia tum erat; papa paulo ante condiciones Ricardi reiecerat; Matth. Paris.; SS. t. XXVIII, p. 331 et 345.* 4) *A. 1253, Apr. 11. Albertus epistolam tum non recepit, quia circa Apr. 25 ex Anglia regressus erat. Legimus enim in Chron. Ioh. de Wallingford, SS. t. XXVIII, p. 509, eum 'circa festum s. Mauri', i. e. Oct. 15, recessisse; quod cum fieri non potuerit, corrigimus 's. Marci', i. e. Apr. 25. Albertus mense Mai. apud Carolum comitem Provinciae erat; cf. n. 208.* 5) *Edmundo secundo filio Henrici, qui a. 1245, Ian. 16 natus erat.* 6) *Ex n. 208.* 7) *A. 1253, Dec. 20. Iam mense Oct. [cf. p. 190, not. 1] tractatus cum Carolo habitus finem invenerat, cum idem a. 1253, Oct. 31 cum comitatu Hanoniae bellum contra Willelmum de Hollandia suscepisset; Böhmer - Ficker 5158c. Interim quidam de genere Innocentii regem Angliae, qui tum in Wasconia erat [Böhmer-Ficker 5286x], sollicitaverat, ut regnum Siciliae pro filio suo a papa postularet; Nicolaus de Curbio c. 31, ap. Baluze, Misc. t. VII, p. 390. Qui con-*

Harum igitur auctoritate, cum tractatus habiti cum predictis nobilibus R. et C. comitibus in nichilum devenissent nec esset spes, quod possent resurgere cum effectu, multis difficultatibus emergentibus hinc et inde, ne[a] prefatus rex a bono proposito, quod concepisse dicebatur, nisi esset voluntati sue satisfactum, in aliquo resiliret, receptis ipsius regis litteris in hac forma:

II. Dei gratia rex Anglie etc. venerabili viro magistro A. domini pape notario, apostolice sedis legato, etc. Cum nos et progenitores nostri honores varios et quam plura beneficia receperimus a sancta Romana ecclesia matre nostra, dignum reputamus et rationi consonum, ut in hiis, que honori et utilitati domini pape et ecclesie predicte congruunt et expediunt, exhibeamus nos faciles et benignos. Sane cum idem dominus papa per dilectum clericum nostrum Iohannem et Ambliono decanum Montis Sancti Andree in Sabaudia, eiusdem domini pape capellanum[b] [1], nobis obtulerit regnum Sicilie et Apulie ad opus Edmundi filii nostri et heredum suorum utriusque sexus, in perpetuum tenendum nobis et predicto E., quamdiu vixerimus, et heredibus nostris post ipsum, si idem E. sine liberis obierit quod absit, et idem dominus papa vobis dederit in mandatis, ut predictum regnum ad opus predicti E. nobis ut predictum est conferretis: nos, ob reverentiam ipsius domini pape et ecclesie Romane oblationem predictam approbantes et humiliter admittentes, dilectos clericos nostros prefatum Iohannem de Ambliono et magistrum P[etrum] de Evingam canonicum Herefordensem ad vos duximus transmittendos, constituentes eosdem procuratores nostros speciales et concedentes eisdem plenam et liberam potestatem ad predictum regnum a vobis nomine nostro et prefati E. filii nostri et collationem eiusdem regni recipiendam, secundum quod vos una[c] cum venerabilibus patribus O[ttobono] Sancti Adriani diacono cardinali, Philippo Lugdunensi electo[2], P[etro] Herefordensi episcopo et Th[oma] de Sabaudia comite[3], P[etro] de Sabaudia, Iohanne Mansel preposito Bervelacensi[4] et P[etro] Cachapor archidiacono Wellensi tam super subsidio nobis faciendo ad predictum negotium prosequendum et consumandum quam super aliis conditionibus omnibus apponendis et removendis duxerint[d] ordinandum; et ad predictam ordinationem firmiter observandam nos domino pape et ecclesie Romane et vobis per has litteras nostras patentes reddimus obligatos, gratum et firmum habituri, quicquid predicti procuratores nostri fecerint super receptione predicta, prout superius est expressum. In cuius rei testimonium etc. teste me ipso, apud Vesatum[5], XII die Februarii, anno regni nostri tricesimo octavo[6].

litteras meas predictis procuratoribus super concessione regni Sicilie contuli in hac forma:

Viris providis et discretis Iohanni de Ambliono decano Sancti Andree in Sabaudia, domini pape capellano, magistro Petro de Ugnia canonico Herefordensi, clericis domini . . illustris regis[e] Anglie, Albertus domini pape notarius, apostolice sedis legatus, salutem in Domino. Inter ceteros reges mundi . . dominum illustrem regem Anglie Romana ecclesia tamquam eius filium predilectum illa[f] benivolentie prerogativa prosequitur et favoris illoque sinceritatis ardore ac fervore complectitur caritatis, ut donariis

---

a) nec *R.* b) capellan' *R.* c) unā *R.* d) *ita R.* e) illustri regi *R.* f) illam *R.*

sanguineus sine dubio Ottobonus cardinalis infra commemoratus erat. A. 1253, Iul. 6, Oct. 4 et Dec. 10 Rogerus Lovell procurator Henrici, Sept. 24 Nicolaus de Plumton nuntius regis apud curiam papalem erat; Inn. Reg. Lib. XI, 803, 242; Lib. XII, 91b; Lib. XI, 199. Eodem tempore papa cum Conrado IV de pace tractabat; cf. n. 255.

1) *Eidem Innocentius a. 1253, Sept. 4 gratiam fecerat; Lib. XI, 794.* 2) *Frater Thomae et Petri de Sabaudia, avunculus Alienorae reginae Angliae erat.* 3) *Hic octo diebus ante [Febr. 4] apud curiam papalem pro Conrado IV locutus erat; cf. n. 255.* 4) *Beverley ex sept. civ. Hull.* 5) *Bazas in Wasconia, dép. Gironde.* 6) *A. 1254.*

gratiarum, honorum extollentia et preeminentia dignitatum ipsum eo spectabilius[a] preferre desideret principibus et regibus universis, quo sollicitius ipsius beneplacitis complacere, annuere desideriis, necessitatibus subvenire ac adesse utilitatibus hactenus studuit in promptitudine devotionis et fidei puritate. Unde, quod exstitit in eius possibilitate grandius quodque in ipsius facultatibus honorabilius[b], carius habetur et maius, dominus papa una cum suis fratribus prefato regi liberaliter obtulit conferendum, Sicilie videlicet regnum vacans, quod est ecclesie speciale, spe ac credulitate tenens firmissima, quod idem rex detestans indevotionis et perversitatis opera ac abhominans iniquitatis et presumptionis audaciam regum plurium dicti regni, qui nimis forsan eius opibus et delitiis excecati nonnunquam sanctam ecclesiam matrem suam et dominam dicti regni nec non viros religiosos, ecclesias, personas ecclesiasticas gravibus lacesserunt iniuriis et pressuris, tamquam princeps catholicus inclitus et verus adleta ecclesie in fervore perpetue subiectionis, devotionis et obedientie Romane ecclesie perseverantia inconcussa persistat, eius precipuus zelator honoris, ipsius prompte parendo beneplacitis, desideriis annuendo ac ecclesias et personas religiosas et ecclesiasticas[c] tamquam Christi familiam regni defensionis et protectionis clipeo defensando, easque plurimis ampliando beneficiis et confovendo presidiis, consiliis et auxiliis oportunis. Prefatus itaque rex, ut facto et opere doceat se, sicut de ipso confidit et presumit ecclesia, in ipsius existere devotione ferventem, haberi ad eius obsequia promptiorem, quodque dictorum domini pape et fratrum votis annuere ac obsecundare desideriis prona mente promptisque affectibus tamquam honestatis et reverentie filius concupiscat, oblationem prefati regni, sibi per vos decanum ex parte domini pape factam nomine Edemundi nati sui, et collationem, de ipso faciendam[d] a nobis sub[e] quibusdam conditionibus, acceptavit, prout in ipsius super hoc confectis litteris plenius continetur. Quare nos, conferendi ipsi nomine prefati E. filii sui regnum predictum Sicilie habentes ab eisdem domino papa et fratribus sub certis conditionibus plenariam potestatem, illud vobis, dicti domini regis procuratoribus per eundem dominum regem ad hoc specialiter deputatis, predictorum domini regis et Edmundi filii sui nomine ad honorem et gloriam Redemptoris, exsaltationem ecclesie ac ad pacem et quietem ipsius regni totiusque populi Christiani concedimus, iuxta quod nos una cum venerabilibus patribus domino O. Sancti Adriani diacono cardinali, Ph. Lugdunensi electo, P. Herefordensi episcopo et nobilibus viris Thoma de Sabaudia et Petro fratre eius Richemundie comitibus[f] ac dilectis in Christo Iohanne Mansel preposito Bervalecensi et Petro Cachaporo archidiacono Wellensi tam super subsidio[g] faciendo ad prefati regni negotium prosequendum et ad consumandum quam etiam super conditionibus apponendis et removendis ordinavimus[1], a sepedicta ecclesia in feudum, ab eodem E. et eius heredibus perpetuum retinendum, ita tamen quod si dictus dominus papa regni eiusdem collationem nostram huiusmodi ratam et gratam habuerit ac ex certa scientia presentium litterarum tenorem de verbo ad verbum suis duxerit litteris inserendum[2], valida sit et firma, alioquin cassa et irrita habeatur et nullius penitus sit momenti. In perpetuum autem testimonium premissorum has concessionis predicte

---

a) spectabius *R.* b) horabilius *R.* c) *sequitur* cum; *fortasse aliquid excidit.* d) facienda *R.* e) super *R.* f) *ita R.* g) subdio *R.*

1) *Condiciones ignoramus. Sed scimus solum subsidium pecuniarium ab ecclesia praestandum fuisse mutuum 100 000 librarum Turonensium; Potthast 15382 et 15784. Praeterea regi decima Angliae per biennium ultra triennium concessum, Potthast 15383, cf. 13950, 13966, 14745, et vicesima Scotiae per triennium concessae sunt; Potthast 15384. Ab Henrico vero omnes expensae exhibendae erant, propter quod curia a. 1255, Apr. 9 135541 marcas sterlingorum ab eo repetivit; Potthast 15784.* 2) *Sed Innocentius sub Mai. 14 instrumentum Alberti Edmundo concessum litteris suis inseruit; v. infra.*

litteras nostri sigilli munimine fecimus roborari. Dat. Vindacin.[a] [1], anno Domini M°CC° LIII° [2], II Nonas Martii, pontificatus domini Innocentii pape IIII[ti] anno XI°.

Predicti vero procuratores super acceptione collationis huiusmodi et observatione eorum que continentur in ipsa exhibuerunt mihi litteras in hunc modum:

Venerabili in Christo patri domino Alberto domini pape notario, apostolice sedis legato, Iohannes de Ambliono decanus Sancti Andree de Sabaudia, eiusdem domini pape capellanus, et magister Petrus de Ugnia, clerici domini . . illustris regis Anglie, salutem cum reverentia debita et devota. Cum dominus papa per suas litteras speciales et per me, Iohannem capellanum suum, domino meo . . illustri regi Anglie regnum Sicilie nomine Eadmundi filii sui obtulisset, dictus dominus rex, oblatione regni predicti nomine ipsius E. nati sui sub quibusdam conditionibus acceptata, prout in ipsius super hoc confectis litteris plenius continetur, nos pro receptione regni eiusdem nomine predicti Eadmundi, quos propter hoc idem rex suos procuratores constituit speciales, ad vestram presentiam destinavit. Unde vos, eiusdem domini regis litteris super huiusmodi acceptatione dicti regni receptis, prefatum regnum nobis dicti domini regis et eiusdem E. filii sui nomine sub certis conditionibus contulistis, sicut per vestras litteras super huiusmodi collatione factas evidentius demonstratur[b]. Nos itaque, confitentes a vobis predictum regnum eiusdem Eadmundi nomine sub hiis conditionibus, que predictis vestris annotantur litteris, recepisse, promittimus nomine predictorum domini regis et Eadmundi ac obligamus eosdem dominum regem et regnum suum et Eadmundum, quod assument regni predicti negotium viriliter et potenter quodque facient et inrefragabiliter observabunt universa et singula, que per vos et venerabiles patres dominos Ottobonum Sancti Adriani diaconum cardinalem et Ph. Lugdunensem electum, P. Herefordensem episcopum et karissimos dominos nostros Thomam de Sabaudia et Petrum fratrem eius Richemundie comites[c] ac viros providos dominos Iohannem Mansel prepositum Bervalacensem et P. Cachaporo archidiaconum Wellensem tam super subsidio faciendo ad predicti regni negotium prosequendum et consumandum quam etiam super conditionibus apponendis et removendis duxeritis ordinandum. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Dat. Vindecim.[d], anno Domini M°CC° quinquagesimo tertio, II Nonas Martii, pontificatus domini Innocentii pape IIII[ti] anno undecimo.

Completis igitur collatione et acceptione predictis predictus rex pro dictorum confirmatione et ego insinuatione procuratores et nuntios[3] destinavimus festinanter[4], et tempore procedente super quadam confirmatione et collatione mutanda recepi apostolicas litteras sub hac forma:

Innocentius[e] etc. karissimo in Christo filio Eadmundo regi Sicilie illustri etc. Specialis dilectionis affectum, quem habemus ad karissimum in Christo filium nostrum illustrem[f] regem Anglie patrem tuum, cupientes in suis evidentius ostendere per effectum, regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum ecclesie Romane, ad eandem ecclesiam devoluta, tibi, quem ad id inter alios orbis

a) Vindaciñ *R.* b) demostratur *R.* c) *ita R.; cf. p. 408, not. f.* d) *corr. ex* Undecimo.
e) *Exemplar Regestorum contulimus cum authentico ap. Rymer, Foedera t. I, pars I, p. 301; Potthast 15364 [A.]* f) . . illustrem *A.*

1) *Vendôme. Albertus a. 1254, Apr. 24 Pontisarae [Pontoise] erat; Coussemaker, Cartul. de Cysoing p. 182, n. 139.* 2) *l. c. a. 1254; annus secundum morem Gallorum a festo paschae computatus est.* 3) *Nuntii regis erant Thomas de Sabaudia comes, G. de Rossilione archidiaconus Lugdunensis et Iohannes de Ambliono; Potthast 15416.* 4) *Nihilominus nuntii non ante duos menses post, scil. initio Mai. a. 1254, ad curiam papalem pervenerunt. A. 1254, Mai. 7 Innocentius Alberto legato mandavit, ut monasterium Cluniacense visitaret; Lib. XI, 619. Inde a Mai. 11 sequuntur multae gratiae Anglicis concessae; Lib. XI, 659, 674 et sequ.*

principes preelegimus iam pridem, duximus offerenda. Te igitur de assensu eiusdem regis oblationem huiusmodi tamquam ipsius ecclesie devoto et catholico principe humiliter acceptante, dilectus filius magister Albertus notarius noster, apostolice sedis legatus, cui velud illi, qui tuum honorem et comodum zelatur ut proprium, negotium ipsum tecum consumandum de consilio et assensu fratrum nostrorum commisimus, tibi tuisque heredibus in feudum in perpetuum regnum[a] et terram predicta, excepta civitate Beneventana, de speciali mandato nostro concessit, prout in eius litteris inde confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur. Nos itaque, concessionem eandem ratam et gratam habentes, ac defectum, si quis ex quacumque causa vel omissione in ea extitit, supplentes de apostolice plenitudine potestatis, regnum et terram predicta cum omnibus iuribus, honoribus, districtibus et pertinentiis suis, excepta civitate Beneventana cum eius iuribus, honoribus, districtibus et pertinentiis universis, tibi, qui de voluntate predicti regis hec acceptasse dignosceris, tuisque heredibus in feudum in perpetuum auctoritate apostolica de predictorum fratrum nostrorum consilio confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, ea tibi de novo in feudum, salvis libertatibus et immunitatibus ecclesiarum predictorum regni et terre tam in electionibus quam in aliis ad eas pertinentibus, concedentes. Tenor autem litterarum predicti legati talis est:

Excellenti[b] viro domino Eadmundo nato domini H. regis Anglie illustris Albertus domini pape notarius, apostolice sedis legatus, salutem et paratam ad obsequia voluntatem. Ut sincera et inconcussa devotio, quam dominus H. rex Anglie illustris pater vester habet ad Romanam ecclesiam, in vobis paterna vestigia imitantibus propagata fructum non tam eidem ecclesie quam toti christianitati necessarium afferat vosque insigniat fastigio regie dignitatis, de speciali auctoritate et mandato domini pape facto nobis de suorum fratrum consilio et assensu vobis et heredibus vestris regnum Sicilie et totam terram que est citra[c] Farum usque ad confinia terrarum ecclesie cum omnibus iuribus, honoribus, districtibus et pertinentiis suis, excepta civitate Beneventana cum ipsius iuribus et pertinentiis universis, in feudum concedimus, salvis libertatibus et immunitatibus ecclesiarum predictorum regni et terre tam in electionibus quam in aliis pertinentibus ad easdem. Super conditionibus vero que pertinent ad idem negotium apponendis venerabilium patrum dominorum O. Sancti Adriani diaconi cardinalis, Ph. electi Lugdunensis et . . episcopi Herefordensis et nobilium virorum Th.[d] de Sabaudia comitis et P. fratris eius necnon proborum virorum dominorum Iohannis Mansel prepositi Bervarlacensis[e] et Petri Cachaporo[f] archidiaconi Vellensis[g] et nostro arbitrio, prout vos et predictus dominus rex iam acceptastis, stabitur hinc et inde. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem has litteras fieri fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Dat. Vindecim.[h], anno Domini M°CC° quinquagesimo tertio, II Nonas Martii, pontificatus domini Innocentii pape IIII anno XI°

Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Dat. Asisii, II Idus Maii, pontificatus nostri anno undecimo[i]. Item recepi litteras alias sub hac forma:

Innocentius[k] etc. magistro Alberto notario nostro, apostolice sedis legato etc. Gratum gerimus et acceptum, diligentiam tuam dignis in Domino laudibus commendantes, super eo quod negotium tibi ab apostolica sede commissum cum karissimo in Christo filio nostro Edmundo rege Sicilie illustri laudabiliter consumasti. Cum igitur collationem sibi a te de ipso regno factam duxerimus[1] de fratrum nostrorum consilio con-

---

a) *A.;* regum *R.* b) *Exemplar Regestorum contulimus cum transcripto authentici vidimato ap. Rymer, l. c. p. 297 [A.], quod sumptum videtur ex autographo p. 409, not. e citato.* c) *A.;* circa *R.* d) virorum dominorum Th. *A.* e) Beverlacensis *A.* f) Cachaport *A.* g) Wellensis *A.* h) Vindecim̄ *R.;* Vindocin' *A.* i) *'Sub filis sericis flavi rubeique coloris' annotavit Rymer.* k) *Exemplar Regestorum contulimus cum authentico ap. Rymer, l. c. p. 301, Potthast 15365 [A.].* 1) *A.;* duximus *R.*

firmandam, defectum[a], si quis ex quacumque causa in ea exstitit, supplentes de plenitudine potestatis: volumus et per apostolica tibi scripta firmiter precipiendo mandamus, quatinus carissimum in Christo filium nostrum Anglie regem[b] illustrem ad mittendum quamtotius[1] eundem regem in manu forti ad prosequendum, prout decet tantum principem, viriliter et potenter idem negotium inducens et induci faciens modis quibus expedire videris secundum prudentiam a Domino tibi[c] datam, collationis tue litteras eidem regi Sicilie renoves sub priori data in illum modum, quem in confirmationis nostre litteris, in quibus litterarum tuarum renovandarum[d] tenor inseritur, perspexeris[e] contineri[2], eam in hiis et aliis, que pertinent ad festinationem et promotionem eiusdem negotii sollicitudinem, prout bene fecisti hactenus, habiturus, quod possis proinde apud Deum et homines non immerito commendari. Dat. Asisii, II Idus Maii, pontificatus nostri anno undecimo.[f]

Predictis ergo litteris receptis et earum continentia diligentius intellecta, rogavi eundem regem, apud ipsum per me et alios insistendo, ut se prepararet viriliter et potenter, prout decebat tantum principem, ad dictum negotium prosequendum, cum mora traheret ad se periculum et dilatio in talibus sit dampnosa. Sed responso viva voce a predicto rege recepto, quod pecuniam non habebat nec sperabat se posse huiusmodi negotium prosequi, nisi primo per auxilium ecclesie Romane sibi exhiberetur decima eidem concessa in partibus Anglicanis[3], licet me rogaret et oportune instaret ac etiam importune, ut concessionem predictam iuxta litterarum domini pape continentiam renovarem, videns ipsius debilitatem ac impotentiam, quam publice allegabat, et attendens quod acceleratione negotium indigebat, renovationem non feci, et ulterius in dicto negotio non processi[4]; quare predictus rex litteras, quas mihi prius presentari fecerat, reportavit. Cum dictis autem Cornubie et Provincie comitibus seu[g] quovis alio ad collationem dicti regni aliquatenus aliter non processi.[5]

Et ego Bassus filius quondam domini Roberti apostolica auctoritate et nunc camere eiusdem notarius presens transcriptum, prout in originali transcripto per dictum magistrum Albertum domino pape et predictis cardinalibus presentato, nil addens, nil minuens nisi ut ibidem, inveni, de mandato dicti domini pape et rogatu dicti magistri Alberti scripsi, ascultavi et in publicam formam redegi, sub anno domini M°CC° quinquagesimo sexto, X Kalendas Novembris, indictione XV, pontificatus vero domini pape Alexandri quarti anno secundo.

---

a) *A.*; detectu *R.* b) reg. Ang. *A.* c) tibi a Dom. *A.* d) *A.*; renovendarum *R.* e) *A.*; prospexeris. f) *'sigillo avulso' annotavit Rymer.* g) se *R.*

1) *Terminum, quo ex pacto illo exercitus a rege mittendus fuit, ignoramus; post festum s. Michaelis a. 1254 fuisse videtur; Potthast 15388; cf. 15420.* 2) *P. 410, lin. 18. Verba, quae ibi iura ecclesiarum regni definiunt, Innocentii fuisse videntur; nam ea, quae fines terrae concedendae circumscribunt, cum n. 208 X concordant. — Ergo ante renovationem factam pactum iure carere papa voluit. Nihilominus et confirmationis suae et aliarum epp. ad hoc negotium spectantium authentica nuntiis regis iam exhibuit, quae hodie in Anglia conservantur; p. 409, not. e et p. 410, not. b, Potthast 15363, 15369, 15379—15384, 15388, 15416. A. 1257, Iul. 5 Henricus rex procuratoribus suis privilegium Innocentii 'de dono, quod fecit nobis et Edmundo filio nostro de regno Siciliae' transmisit, ut illud ad curiam papalem deferrent; Rymer, l. c. p. 361; Capasso n. 264.* 3) *Cf. p. 408, not. 1.* 4) *Tractare denique desiit sine dubio ex mandato apostolico post mortem Conradi IV [a. 1254, Mai. 21] misso, cum Innocentius regnum Siciliae regimini suo immediate subicere et patrimonio ecclesiae adiungere vellet. Cf. etiam Potthast 15558. — Quamquam Edmundus ius aliquod in regno non acquisivit, tamen Thomae de Sabaudia principatum Capuae concessit, id quod pater eius a. 1254, Oct. 3 confirmavit; Rymer, l. c. p. 308; cf. p. 310 sub Oct. 14. A. 1255 inter Alexandrum IV et Henricum de integro tractatum et Edmundo regnum sub novis condicionibus concessum est; Potthast 15784. Num antedicta confirmatio Innocentii, ut Anglici contendebant, valeret, in medio relictum est.* 5) *A. 1255, Iul. 13 Alexander Albertum tunc legatum appellavit; Lib. I, 556. A. 1257, Mai. 28 magistro Rostando capellano et nuntio suo in Anglia mandavit, ut magistro Gerardo de Parma capellano suo vel procuratori eius 200 libras Turonensium, quas idem olim tempore Innocentii IV pro negotio regni Siciliae mutuasset, de decima regni Angliae quam cito persolveret; Lib. III, 326; gratiae pro Alberto Lib. V, 27 et 30.*

447.

Alexander IV papa abbati et conventui monasterii Fontis Laureati Florensis ordinis Tropaeensis diocesis monasterium S. Angeli de Militin., de mandato G[regorii IX] papae ipsis ad reformationem commissum sed postea per Fr[idericum II] ablatum, confirmat. *1256, Oct. 31.*

Al. IV Reg. Vol. II, 210; Lib. II, 485. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Abbati et conventui monasterii Fontis Laureati Florensis ordinis Tropensis[1] diocesis.

Oblata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod felicis recordationis G. papa predecessor noster[2], intellecto quod monasterium sancti Angeli de Militin.[a], tunc ordinis sancti Basilii, Rossanensis[3] diocesis adeo erat in spiritualibus et temporalibus deformatum, quod vix aliqua religionis vestigia remanserant in eodem, bone memorie . . Bisinianensi episcopo eiusque college suis dedit litteris in mandatis, ut ad monasterium ipsum personaliter accedentes illud infra certum tempus iuxta eiusdem ordinis sancti Basilii regulares observantias, si posset fieri, reformarent, alioquin ipsum . . abbati vestri monasterii committerent de Florensi ordine reformandum, diocesani loci in omnibus iure salvo. Qui iuxta mandatum apostolicum personaliter accedentes ad locum et ibidem visitationis officium impendentes, cum monasterium ipsum in ordine suo reformari non posset, illud abbati vestro reformandum de Florensi ordine commiserunt, quod etiam fratres, qui ibidem remanserant, acceptantes, ipsi abbati professionem fecerunt promittendo de cetero Florensem ordinem in omnibus observare. Sed postmodum non solum officiales quondam Fr. olim Romanorum imperatoris[4] vos illo monasterio, quod aliquamdiu pacifice possedistis, contra iustitiam spoliarunt, verum etiam idem Fr. maiorem partem possessionum vestri monasterii pro sue voluntatis arbitrio in suum dominium revocavit, propter quod defectum in temporalibus non modicum sustinetis. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eisdem episcopo et collega provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, revocantes omnino, que in premissis in vestrum preiudicium sunt presumpta, et mandantes dictum monasterium sancti Angeli debere vobis restitui vestreque dispositioni committi et tamdiu detineri ad manus vestras, quousque ipsius et bonorum eius plena possessione habita a vobis de dicto Florensi ordine valeat commode reformari. Nulli etc. nostre confirmationis, revocationis et precepti etc..

Dat. Anagnie, II Kalendas Novembris, anno secundo[5].

---

a) Militiñ *R.*

1) *Tropea ad mare Tyrrhenum, in Calabria ulteriore.* 2) *Ap. Potthast epistolam eius non invenimus.* 3) *Ad sinum Tarentinum, in Calabria citeriore.* 4) *A. 1251, Nov. 29 Innocentius IV abbatibus nominatis significaverat, sicut S[tephano] tituli S. Mariae Transtiberim presbytero cardinali, tunc vicario in Urbe, intimatum esset, Iohannem de Braala monachum, in abbatem Florensem canonice electum, per nuntium quondam Friderici II procurantibus quibusdam perversis fratribus expulsum esse, quodam alio per Fridericum intruso; commis erat eis, ut monasterium et alias abbatias ordinis eiusdem per triennium visitarent; Lib. IX, 49; Berger 5485.* 5) *De eadem re cf. Lib. II, 486; Potthast 16607; cf. etiam Lib. II, 428; Potthast 16579. A. 1257, Iul. 21 Gerentiae et Strongulensi episcopis mandavit, ut monasterium Graecorum S. Iohannis de Calyvit. [ut videtur Calviti] ordinis s. Basilii Rossanensis diocesis, in quo solus abbas cum uno dissoluto monacho moraretur, per ordinem Florensem reformarent; Lib. III, 530. A. 1259, Sept. 30 monasterio S. Mariae de Monte Mirteto Florensis ordinis Velletrensis diocesis, in temporalibus diminuto, monasterium Graecorum S. Adriani Rossanensis diocesis, in temporalibus et spiritualibus deformatum, perpetuo contulit; Lib. V, 180.*

448.

Alexander IV papa potestati, consilio et communi Aquilensibus, fidelibus suis, notum facit se terram Aquilae, ad quam omnes fere habitatores Furconenses et Amiterni incolatum suum transtulerint, civitatem de cetero esse statuere et sedem episcopalem Furconensem ad ecclesiam SS. Maximi et Georgii de Aquila transferre. 1256, Dec. 22.

Al. IV Reg. Vol. II, 3; Lib. III, 28. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Posse, Analecta Vaticana p. 9, n. 104.

Potestati, consilio et communi Aquilensibus fidelibus nostris.

Pure[1] fidei claritate conspicua terra vestra et lucidis in se ac magnificis proficit actibus et aliis civitatibus regni Sicilie spectabili sectande probitatis exemplo libertatis amplectende profectum manifeste propinat; propter quod terra eadem, que a menium fundatione suorum[2] gestorum nobilis ingenuitate conspicitur, sic apud proximos et remotos multipliciter redditur suorum processuum strenuitate laudabilis et penes nos et apostolicam sedem precipuis attollenda favoribus et gratiis potioribus honoranda, quod non solum per singulas eiusdem regni urbes clare resonat sue preconium bonitatis, set et longius tuba intonat laudis eius suaque remotius acta volantis fame diffusione notescunt et nos dictaque sedes totis affectibus ducuntur, ut congruis eam sublimemus honoribus et condignis gratiis exaltemus. Attendentes igitur sincere devotionis constantiam et indeficientis fidei firmitatem, quibus terra eadem erga Romanam ecclesiam pollere dinoscitur, ac volentes ex hoc affectus nostri plenitudinem quem habemus ad illam ostendere per effectum, pensantes etiam quod omnes fere habitatores Furconenses[3] et Amiterni[4] incolatum suum ad predictam terram transtulisse dicuntur, considerantes insuper quod vos tamquam orthodoxe cultores et amatores fidei ecclesiam sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam de novo construitis et quam cum instantia petitis in cathedralem auctoritate apostolica erigi, bonis vestris temporalibus secundum facultates vestras iam laudabiliter dotare cepistis, ei unum molendinum et dimidium ac duo alia sedilia pro construendis duobus aliis molendinis liberaliter concedendo, prout in instrumento publico confecto exinde plenius perspeximus contineri: vestris supplicationibus inclinati, predictam terram Aquile, quam sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, de fratrum nostrorum consilio et plenitudine potestatis statuimus esse decetero civitatem, episcopalem dignitatem concedentes eidem, et Furconensem sedem cum omnibus suis iuribus, dignitatibus et honoribus, presertim cum ad id venerabilis fratris nostri Berardi episcopi et dilectorum filiorum magistri Angeli capellani nostri archipresbyteri[5] et capituli quondam Furconensium vota concurrant, ad predictam ecclesiam sanctorum Maximi et Georgii de Aquila, quam deinceps cathedralem esse decernimus, transferentes, constituendo ut decetero loci presul non Furconensis set Aquilensis episcopus nominetur. Nulli etc. nostre protectionis, constitutionis, concessionis et translationis etc.

Dat. Lateran., XI Kalendas Ianuarii, anno tertio[6].

---

1) *Cf. n. 125. A. 1256, Oct. 28 eosdem laudaverat, quod adversariis ecclesiae viriliter resisterent; Potthast 16602. Civitas tum a Manfredo defecisse videtur; cf. n. 439.* 2) *Cf. Böhmer-Ficker 4626a.* 3) *E mer. et or. Aquilae.* 4) *Ex sept. et occ. Aquilae; cf. t. I, p. 321, n. 402.* 5) *De hoc cf. etiam Potthast 15743.* 6) *De eadem re Lib. III, 29, 30 [potestati, consilio et populo Aquilensibus], 31, 167; Potthast 16631, —, 16632, 16740; Posse, l. c. p. 9, n. 105—107. A. 1259 civitas a Manfredo rege destructa est; Böhmer-Ficker 4701b. A. 1259, Nov. 1 papa abbatissae et conventui monasterii SS. Laurentii et Nicolai de Aquila gratiam fecit, cum in civitate Aquilensi faciente malitia temporis commorari non possent; Lib. V, 203; Potthast 17695.*

449.

Alexander IV papa cum Caziacomite clerico Aretinae diocesis, qui per concessionem Conradi IV archiepiscopatum Cusentinum obtinuerit, sed postea ad ecclesiae devotionem redierit, super irregularitate dispensat, ita ut ad quamcunque dignitatem episcopalem eligi valeat. *1257, Febr. 9.*

Al. IV. Reg. Vol. II, 12; Lib. III, 97. Exemplar tabularii, collatum cum Regestis, contulimus cum illo, quod Posse, l. c. edidit.

Posse, Analecta Vaticana p. 125, n. 6.

Caziacomiti clerico Aretine diocesis.

Sedes apostolica pia mater uteri sui filios etiam graviter delinquentes indurata facie non repellit, sed eis ad ipsius ubera redeuntibus leta occurrens et procumbens ad reconciliationis osculum supra collum, gratiosius ipsos prosequitur, cum in spiritus humilitate redierint post delictum. Lecta siquidem coram nobis tua petitio continebat, quod, quondam Aldebrandino Cazacomite[a] patre ac fratribus tuis quondam Fr. olim Romanorum imperatori et Conrado ac aliis natis eiusdem Fr. adherentibus[1], quidam ex predictis tuis fratribus ab eodem Corrado archiepiscopatum Cusentinum de facto tibi concedi obtinuit, quem tu recipiens ex eo aliquandiu redditus percepisti[b][2]. Postmodum vero, in mortis constitutus articulo, fuisti a quodam presbytero ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurreras, iuxta formam ecclesie absolutus, sicut plene nobis constitit per publicum instrumentum. Cum igitur, prefati delicti macula virtutum purgata lavacro, nobilitatem generis morum munias[c] honestate atque ad obtinendam predicte sedis gratiam dono scientie ac laudabili fidedignorum testimonio adiuveris, nos, tue devotionis precibus inclinati, absolutionem huiusmodi approbantes tecum super irregularitate, quam exinde contraxisse dinosceris, auctoritate presentium dispensamus, ita quod — hoc non obstante — possis beneficium ecclesiasticum quod obtines licite retinere ac ad quamcumque[d] etiam episcopalem eligi dignitatem, quam licite recipere valeas, et super eis ac etiam quibuslibet gratiis a te ab eadem sede obtentis vel etiam obtinendis[e] occasione huiusmodi nullum tibi queat obstaculum interponi; quod ad restitutionem predictorum reddituum seu satisfactionem de ipsis alicui faciendam minime tenearis nec ad id ullo tempore possis apostolica vel quavis auctoritate compelli, devotioni tue nichilominus concedentes. Nulli — nostre dispensationis et concessionis etc.

Dat. Lateran., V Idus Februarii, anno tertio.

450.

Alexander IV papa I[acobo] patriarchae Ierosolimitano scribit de colligendis redemptionibus votorum cruce signatorum in subsidium Terrae Sanctae, usuris, rapinis et legatis, de quibus Innocentius IV militiae Templi ubique locorum extra regnum Alamanniae, Alexander vero, in recompensationem cuiusdam gratiae patriarchae factae, etiam in regno Alamanniae usque ad decem milia marcarum percipienda concesserit.

1257, Febr. 12.

Al. IV Reg. Vol. II, 17; Lib. III, 138. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

---

a) *ita R.* b) perc. *corr. ex* rec. c) munies *R.* d) quemcumque *R.* e) obtinentis *R.*

1) *Cf. p. 20, n. 25 et Böhmer-Ficker 4565.* 2) *A. 1254, circa Oct. Innocentius IV Bartholomaeum electum Cusentinum de ecclesia Amalfitana transtulerat; cf. p. 287, lin. 28 et Potthast 15547.*

I. patriarche Ierosolimitano[1].

Olim felicis recordationis I. papa predecessor noster dilectis filiis . . magistro et fratribus militie Templi Ierosolimitani concessit, ut de redemptionibus votorum crucesignatorum in Terre Sancte subsidium, quos a prosecutione voti sui paupertas vel probabilis personarum debilitas seu obtenta per sedem apostolicam dispensatio, commutans in tale subsidium personalem executionem[a] voti huiusmodi, excusarent, nec non de usuris, rapinis et aliis quocumque modo illicite acquisitis, que fideles mandant restitui in ultima voluntate vel dum vivunt etiam, si sospitate fruantur, restituere sunt parati, si quibus horum restitutio fieri debeat, inveniri non possint, de testamentis quoque ipsorum fidelium, que legantur in subsidium dicte terre non expressis locis aliquibus vel personis, vel ad summam decem milium marcarum argenti ubicumque locorum extra regnum Alamanie percipere possent, certis super hoc eis executoribus deputatis. Nos autem postmodum, antequam ipsi magister et fratres ut asserebant perciperent summam huiusmodi ex premissis, tuis necessitatibus et expensis paterno compatientes affectu, quod redemptiones votorum et legata predicta in regno Ierosolimitano perciperes, sub certa forma tibi duximus concedendum: et nolentes ex hoc inter te ac ipsos magistrum et fratres alicuius turbationis materiam suscitari, tuis inducti precibus, in recompensationem gratie huiusmodi, facte ipsis in dicto regno Ierosolimitano, eisdem magistro et fratribus per litteras nostras concessimus, ut in predicto regno Alamanie ac alibi ubicumque locorum preter quam in iamdicto regno Ierosolimitano per se aut executores eosdem percipere possent predicta omnia in concessa eis eiusdem predecessoris concessione comprehensa, quousque perciperent ex eis integre quod adhuc percipiendum restaret de summa superius nominata. Cum autem, ut asseris, sepedicti magister et fratres in perceptione usurarum et rapinarum et illicite acquisitorum huiusmodi, de quibus nondum, ut asserunt, perceperunt aliquid, in prenotato Ierosolimitano regno tibi cedere sint parati, nos, attendentes quod, sicut te intimante didicimus, preter id quod gravatus es non modicum eris onere alieni, te formidantem Tartarorum adventum pro ecclesie ac subditorum tuorum defensione nec non et Terre Sancte subsidio subire oportet gravia onera expensarum, ad que subeunda patriarchatus tui redditus utpote tenues et exiles sufficere minime asseruntur, ac per hoc ex prerogativa dilectionis et gratie, qua tuis meritis exigentibus personam tuam complectimur, volentes alicuius subventionis solatio te gaudere, quod de supradictis usuris, rapinis et acquisitis illicite possis in ea quantitate, quam iamdicti magister et fratres de hiis percepturi erant, et sub ea forma percipere, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus, ita quod si aliquid de premissis dimiseris vel restitueris aut dederis illis, a quibus ea receperis, huiusmodi dimissum vel restitutum seu datum nichil ad liberationem eorum prosit nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., II Idus Februarii, anno tertio.

451.

Alexander IV papa Bernerio episcopo Cremonensi, cum per marchionem Pelavicinum una cum consanguineis et familiaribus suis e civitate Cremonensi eiectus et bonis

a) exactionem *R.*

1) *Hunc papa a. 1255, Dec. 7 legatum in provincia Ierosolimitana et in exercitu christiano constituerat; Lib. I, 767; Lib. II, 110; Posse, l. c. p. 5, n. 61 et 62; Potthast 16101 et 16102. Etiam a. 1257, Mart. 5 eum legatum appellavit; Lib. III, 177.*

episcopalibus privatus sit, contrahendi mutuum usque ad summam centum marcarum argenti facultatem concedit. *1257, Febr. 13.*

Al. IV Reg. Vol. II, 50. Lib. III, 381. Exemplar, quod Ughelli, It. sacra t. IV, p. 608 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 16730.

Bernerio episcopo Cremonensi.

Cum, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, pro devotione, quam erga nos et apostolicam sedem geris, per marchionem Pelavicinum, inimicum Dei et ecclesie, una cum consanguineis et familiaribus tuis eiectis per eundem perfidum de civitate Cremonensi exulare extra sedem propriam sis coactus[1], et spoliatus ab ipso bonis episcopalibus non habeas alias, unde valeas sustentari: nos, tuis supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum super hoc usque ad summam centum marcarum argenti et te ac successores tuos ac episcopatus tui bona dictumque episcopatum propterea creditoribus obligandi nec non et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum ac etiam conventioni iudicum, si creditorum ipsorum nomine apostolicas litteras cuiuscumque tenoris pro eis imposterum impetrari contigerit, plenam tibi auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu ac successores tui creditoribus ipsis huiusmodi pecuniam solvere teneamini nec non et dampna et expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecuniam non solveritis memoratam, et creditoribus ipsis pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis aut cuiuscumque privilegii vel indulgentie pecuniam ipsam in utilitatem ipsius episcopatus versam fore probandi necessitas non incumbat.

Dat. Lateran., Idibus Februarii, anno tertio[2].

452.

Alexander IV papa [Simonem] episcopum et capitulum Paderburnenses absolvit ab omnibus obligationibus, quas [Conrado] archiepiscopo Coloniensi, cum episcopus ab eo captus fuerit, pro liberatione eius fecerint. *1257, Mart. 16.*

Al. IV Reg. Vol. II, 34 — 35; Lib. III, 258. Pertzii exemplar, collatum cum Regestis, contulimus cum authentico ap. Finke, l. c. In tergo authentici picta est litt. R., *cui litterae* script *insertae sunt; infra litt.* R. *legitur:* CCLVIII capitulo anno tertio. *Nimirum haec ep. ex authentico registrata est, quocum tenor Regestorum ad verbum concordat.*

Potthast, Reg. 16784; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 268, n. 580.

---

1) *Ubertus marchio Palavicinus ab a. 1250 potestas Cremonensis erat; Ann. Cremon. in Arch. stor. Ital. a. 1856, Nuova Ser. t. III, p. 25.* 2) *Cf. n. 176. A. 1255, Febr. 28 papa priori fratrum Praedicatorum Cremonensium mandavit, ut Guillelmum de Advocatis canonicum Cremonensem excommunicatum pro eo, quod quondam Friderico tunc Romanorum imperatore et Henrico nato eius et aliis excommunicatis praesentibus per metum officiis divinis se immiscuisset, absolveret; Lib. I, 170; Potthast 15708. A. 1257, Oct. 15 Bernerio episcopo mandavit, ut Panevino presbytero olim rectori ecclesiae S. Viti Cremonensis, qui exulare maluisset quam excommunicatis Cremonensibus divina officia celebrare et a civitate Cremonensi recedens multa incommoda sustinuisset et sustineret, praebendam quandam vacantem conferret; Lib. III, 660. A. 1258, Mai. 7 eidem episcopo concessit facultatem, ut nonnullos clericos et laicos civitatis et diocesis suae ab excommunicatione, quam incurrissent olim inviti, coacti adhaerendo quondam Friderico II, Uberto Pelavicino et fautoribus eorum, cautione recepta absolveret; Lib. IV, 140; cf. Ann. Placent. Gib. a. 1258; SS. t. XVIII, p. 509. De absolvendis Placentinis fautoribus Palavicini mandatum dedit a. 1258, Iul. 20; Potthast 17351; cf. 17309.*

. . episcopo et capitulo Padeburnensibus[a].

Ad audientiam nostram pervenit, quod venerabilis frater noster . . Coloniensis archiepiscopus et quidam sui complices te, frater episcope, in offensam ordinis clericalis et pontificalis dignitatis obprobrium ausu sacrilego capientes[b] [1], te tamdiu in castris suis detinuere captivum, donec tu et vos, dilecti filii capitulum, cum eis quandam ordinationem et compositionem estis inire coacti[2], per quas nonnulla castra, loca, iura, iurisdictiones, redditus, possessiones et res alie vestre ac ecclesie Padeburnensis iuri et proprietati dicti archiepiscopi et Coloniensis ecclesie cedere debent et quedam ex castris et locis predictis destructioni penitus subiacere, per quas renuntiastis insuper iuri vestro, quod vobis in nonnullis castris, villis, ecclesiis, terris, possessionibus et alias competebat, promittentes expresse quod nullas ab apostolica sede vel legatis ipsius aut imperatore, qui pro tempore fuerit, contra compositionem vel ordinationem huiusmodi litteras impetrabitis, acto in compositione et ordinatione predictis, ut littere huiusmodi, si impetrentur, nullam obtineant firmitatem, datis etiam super hoc litteris confectis, instrumentis et documentis publicis, penis adiectis, fideiussoribus et diversis cautionibus exhibitis, interpositis fide ac etiam corporalibus iuramentis, nonnullis quoque de vassallis vestris promittentibus iuramento, quod vobis non adessent contra archiepiscopum et complices antedictos, si ordinationem non servaretis eandem. Nos itaque, volentes super hiis, que redundare dicuntur in gravem dicte Padeburnensis ecclesie lesionem, salubre remedium adhibere, vos et fideiussores datos a vobis ac vassallos et alios quoscumque in ordinatione et compositione predictis pro vobis nominatos ab obligationibus, promissionibus, renuntiationibus, pactionibus, cautionibus et assecurationibus, fidei et iuramenti exhibitionibus et quibuscumque aliis in prefatis compositione et ordinatione deductis, premissis veris existentibus, auctoritate presentium absolventes, predictam Padeburnensem ecclesiam in eum statum, in quo erat ante tempus compositionis et ordinationis predictarum et captivitatem huiusmodi, duximus reducendam. Nulli — nostre absolutionis et reductionis etc.

Dat. Lateran., XVII Kalendas Aprilis, anno tertio[3].

453.

Alexander IV papa Iringo episcopo Herbipolensi indulget, ut Henrico electo Spirensi, compositionem de episcopatu Herbipolensi factam non servanti, ad solutionem pecuniae, quam ei ex compositione illa debeat, non teneatur. ***1257, Mart. 31.***

Al. IV Reg. Vol. II, 37—38; Lib. III, 287. Damus Pertzii exemplar.

Iringo episcopo Herbipolensi.

Olim inter te ac dilectum filium Henricum electum Spirensem super episcopatu Herbipolensi ac rebus aliis questione suborta, tandem dilecti filii nostri H. tituli Sancte

---

a) *ita in marg.:* Padeburieñ. *in rubro.* b) campientes *R.*

1) *In pugna a. 1254, circa Oct. facta; Cardauns, Konrad v. Hostaden p. 54; cf. Finke, l. c. p. 251, n. 549 et Böhmer-Ficker 5213a.* 2) *Pax facta est a. 1256, Aug. 24 apud Essen: Schaten, Ann. Paderborn. a. 1256, t. II, p. 84—90; cf. Finke p. 265, n. 575, 576.* 3) *Mart. 21 [Rudolfo] episcopo Zwerinensi mandavit, ne episcopum et capitulum et alios praedictos super hoc molestari permitteret; sub Lib. III, 258; Finke p. 269, n. 581. In favorem Simonis episcopi etiam ibid. n. 559, 561, 582 et sequ.; Potthast 16040, 16060, 16799. Idem fautor Ricardi regis Romanorum erat; Böhmer-Ficker 5299, 5304.*

Sabine presbyter, R. Sancti Angeli et P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinales questionem ipsam compositione amicabili sopientes, arbitrando, ordinando et diffiniendo inter cetera statuerunt, ut idem electus tibi super episcopatu ipso nullam decetero secreto vel publice moveret vel moveri faceret questionem, immo civitatem Herbipolensem, castra, villas, et quicquid per se vel alios teneret seu etiam possideret, quod ad episcopatum spectaret eundem, tibi vel tuis nuntiis absque ulla difficultate, quantum in eo foret, deliberare ac assignare curaret, et tu eidem postmodum pro expensis et dampnis, que idem electus occasione ipsius episcopatus incurrerat, quandam certis terminis exolveres pecunie quantitatem, prout in publico instrumento confecto exinde ipsorum cardinalium munito sigillis plenius continetur[1]. Sed idem electus, ut asseritur, compositionem huiusmodi pro sue voluntatis libito servare non curat; super quo salubre a nobis remedium extitit imploratum. Cum igitur non servanti pactum merito non servetur, devotionis tue precibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut, dicto electo arbitrium, ordinationem et diffinitionem huiusmodi ut tenetur, quantum in ipso fuerit, non servante, tu ad solutionem pecunie, in qua ob hoc etiam iuramento interposito teneris, eidem nullatenus tenearis, quamvis arbitrium, ordinationem vel diffinitionem huiusmodi duxerimus confirmandum. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Lateran., II Kalendas Aprilis, anno tertio.

454.

Alexander IV papa Iacobo canonico Paduano nato Manfredi de Lobia, ecclesiae devoti, confirmat canonicatum et praebendam ecclesiae Paduanae, quibus [Willelmus] episcopus Adriensis de mandato O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, tunc in Lombardia legati, Petrum Abbatissae fautorem Ezelini de Romano privarit.

1257, Apr. 30.

Al. IV Reg. Vol. II, 106; Lib. III, 777. Epistola non ante a. 1257, Dec. registrata est. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Iacobo canonico Paduano, nato nobilis viri Manfredi de Lobia[2], ecclesie Romane devoti.

Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Tua sane nobis exhibita petitio continebat, quod cum dilectus filius noster O. Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, tunc in provincia Lombardie apostolice sedis legatus[3], venerabili fratri nostro . . episcopo Adriensi suis dederit litteris in mandatis, ut Petrum Abbatisse quondam canonicum Paduanum, qui Ezelino de Romano Dei et ecclesie inimico adherere presumpsit, canonicatibus et prebendis, que in maiori et sancti Michaelis ecclesiis Paduanis habebat, privans, ea personis idoneis ecclesie Romane devotis conferre ac assignare curaret, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo: idem episcopus dictum Petrum canonicatu et prebenda, que tunc in Paduana obtinebat ecclesia, litterarum ipsarum auctoritate, de premissis legitime cognito et comperto, privavit et ipsa tibi in devotione

1) *Cf. n. 430. Electus Spirensis Alfonso regi Castellae tum favebat; Böhmer-Ficker 5488c, 5490, 5491.* 2) *Ex sept. Patavii, ex occ. Campi S. Petri.* 3) *Cf. t. II, p. 219, n. 292 et supra p. 75, not. 1 et p. 149, not. 4.*

sedis apostolice persistenti canonice contulit, investiens te nichilominus de eisdem, prout in publico instrumento inde confecto dicitur plenius contineri. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem episcopo provide factum est ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., II Kalendas Maii, anno tertio[1].

455.

Alexander IV papa capitulo Leodiensi confirmat arbitrium, quod in controversia occasione rerum venalium civitatis Leodiensis inter ipsum capitulum et quondam episcopum Leodiensem tempore G[regorii IX] exorta tandem latum est. 1257, Mai. 4.

Al. IV Reg. Vol. II, 117; Lib. IV, 22. Epistola non ante a. 1258, Ian. registrata est. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Preposito, decano et capitulo maioris ecclesie Leodiensis[a].

Ea, que iudicio vel concordia etc. usque: communiri. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod licet de rebus venalibus civitatis Leodiensis nullus absque consensu vestro possit et debeat ordinare, bone tamen memorie . . Leodiensis episcopus[2] motu proprio contra iustitiam statuit, ut de singulis rebus predictis preter iustum pretium, quod datur pro eis, certa summa pecunie persolvatur, in vestrum preiudicium et gravamen. Cumque postmodum super hoc et diversis aliis articulis coram bone memorie . . Tusculano episcopo[3] et P.[4] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ac R[aynerio] Sancte Marie in Cosmidin diaconibus[b] cardinalibus, quos felicis recordationis G[regorius] papa predecessor noster deputavit super premissis partibus auditores, questio diutius agitata fuisset ac iidem auditores statutum huiusmodi ipsius episcopi Leodiensis revocari mandassent, tandem super reliquis articulis fuit de consensu auditorum ipsorum in dilectos filios . . Villariensem[5] Cisterciensis et . . Floresiensem[6] Premonstratensis ordinum abbates ac magistrum G. de Lauduno canonicum Remensem ab utraque parte sponte ac concorditer tamquam in arbitros compromissum; quorum duo, tertio eorum legitime excusato, sicut ex huiusmodi compromisso habebant, dictum statutum iuxta mandatum auditorum ipsorum revocantes[7] ac rite in huiusmodi negotio procedentes, super aliis predictis equum tulerunt arbitrium inter partes, prout in patentibus litteris eorum confectis exinde plenius dicitur contineri: quod roborari apostolico munimine petivistis. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, arbitrium ipsum, sicut est equum

a) Eisdem *R.* b) *ita R.*

1) *A. 1256, Iun. 20 Paturium a Philippo electo Ravennate legato [cf. n. 422] per vim captum erat; Rolandini Patav. Chron. Lib. VIII, 13; SS. t. XIX, p. 110. A. 1257, Iul. 28 papa Iacobo comiti de Arquato Paduanae diocesis iura et bona quondam Antonii et Menegini fratrum civium Paduanorum, fautorum quondam Friderici II et Ezelini, confirmavit, quae electus Ravennas legatus ei contulit; Potthast 16949; cf. 16948.* 2) *Iohannes II.* 3) *Iacobo; in charta infra citata legitur 'Iacques évêque de Tivoli', falso, ut videtur.* 4) *Immo Ottone, quod etiam in eadem charta recte legitur.* 5) *Villers-en-Brabant.* 6) *Floreffe ex occ. civ. Namur.* 7) *A. 1231, Nov. 20 praedicti cardinales eisdem abbatibus et G. 'Goin' [cf. t. I] mandatum terminandi hanc controversiam dederunt: Schoonbroodt, Invent. des chartes du chapitre de S. Lambert à Liège p. 26, n. 87.*

et acceptatum ac emologatum[a] a partibus et hactenus pacifice observatum, ratum et firmum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Lateran., IIII Nonas Maii, anno tertio[1].

456.

Alexander IV papa Henrico electo Leodiensi tempus consecrationis propter quaedam impedimenta de novo usque ad quattuor tempora mensis Decembris futuri prorogat. *1257, Iun. 1.*

Al. IV Reg. Vol. II, 43; Lib. III, 323. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Henrico electo Leodiensi.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum nos olim tempus tue ordinationis et consecrationis usque ad certa quatuor tempora — non obstante statuto a nobis contra electos ecclesiarum consecrationis munus suscipere non curantes edito[2] — duxerimus prorogandum[3], prout in apostolicis litteris super hoc obtentis plenius continetur, et propter quedam impedimenta, que tibi emersere de novo, nequiveris iuxta litterarum nostrarum continentiam sacros suscipere ordines et in episcopum consecrari, prorogare tibi adhuc tempus huiusmodi de benignitate apostolica curaremus. Nos igitur, attendentes tue devotionis obsequia, quibus favorem sedis apostolice promereris, ac volentes adhuc ob id tibi facere gratiam in hac parte, tuis supplicationibus inclinati, huiusmodi tempus usque ad quatuor tempora mensis Decembris proximo futuri[4] — non obstante statuto predicto — tibi auctoritate apostolica prorogamus, ita quod ex tunc promoveri ad sacros ordines et in episcopum consecrari te facias iuxta priorum nostrarum continentiam litterarum. Nulli — nostre prorogationis .etc.

Dat. Viterbii, Kalendis Iunii, anno tertio[5].

457.

Alexander IV papa rectorem ecclesiae S. Andreae de Doadola Foroliviensis diocesis, per nuntios quondam Fr[iderici II] gravatae, ad preces Rogerii comitis Tusciae palatini a collectis et procurationibus legatorum absolvit. *1257, Iun. 10.*

Al. IV Reg. Vol. II, 47; Lib. III, 361. Damus Pertzii exemplar.

---

a) *leg.* homologatum.

1) *Aliae gratiae in favorem eiusdem capituli Lib. IV, 20, 21, 23, 24; cf. etiam Lib. I, 563. De episcopo et civibus Leodiensibus Potthast 15794; cf. Schoonbroodt, l. c. p. 66, n. 252 et 254.* 2) *Cf. p. 351, not. 4.* 3) *A. 1256, Ian. 3 papa, ad praesens impedimentum considerans occultum, quod P[etrus] S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis sibi exposuisset, idem tempus usque ad quattuor tempora proximi mensis Septembris [a. 1256, Sept. 20—23] prorogaverat; Lib. II, 31. A. 1256, Febr. 4 eidem, qui pro negotiis imperii et ecclesiae generalis multa onera expensarum subiisset, indulserat, ut omnium beneficiorum ecclesiasticorum, infra quinquennium in civitate et diocesi sua vacantium, proventus per biennium retineret; Lib. II, 93. A. 1256, Mai. 5 magistro Elberto canonico Leodiensi, procuratori electi, in praesentia sua constituto, pro expediendis negotiis electi contrahendi mutuum usque ad mille marças sterlingorum facultatem concesserat; Lib. II, 285.* 4) *Dec. 19—22.* 5) *A. 1257, Sept. 22 et a. 1258, Dec. 13 magistro Iohanni rectori ecclesiae de Tuillies clerico et procuratori electi gratiam fecit; Lib. III, 617; IV, 286. Electus fautor Ricardi regis erat; Böhmer-Ficker 5299.*

. . rectori ecclesie Sancti Andree et Doadola[1] Foroliviensis diocesis.

Cum ecclesia tua sicut asseris per nuntios quondam Fr. olim imperatoris gravata fuerit hactenus et per hoc prematur oneribus debitorum, nos, ob id et obtentu dilecti filii nobilis viri Rogerii comitis Tuscie palatini nobis super hoc personaliter supplicantis volentes ecclesiam ipsam alicuius consolationis solatio relevare, te et dictam ecclesiam a quibuslibet provisionibus et collectis ac procurationibus legatorum cuiuscumque auctoritate tibi et ecclesie ipsi impositis aut etiam imponendis auctoritate presentium usque ad nostrum beneplacitum duximus absolvendos. Nulli — nostre absolutionis etc.

Dat. Viterbii, IIII Idus Iunii, anno tertio.

458.

Alexander IV papa [Rogero] Conventrensi et Licefeldensi electo et magistro Berardo de Nimpha capellano suo ad preces Ricardi comitis Cornubiae, germani [Henrici III] regis Angliae, mandat, ut eidem comiti legata pro Terrae Sanctae subsidio et redemptiones votorum crucesignatorum regni Angliae a G[regorio IX] et Innocentio IV papis concessa exhiberi faciant. *1257, Iun. 21.*

Al. IV Reg. Vol. II, 52: Lib. III, 396. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Conventrensi[a] et Lincelfeldensi electo et magistro Berardo de Nimpha[2] capellano nostro, in Anglia commoranti.

Ex parte dilecti filii nobilis viri Riccardi comitis Cornubie[3], germani carissimi in Christo filii nostri . . illustris regis Anglie, fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis G. et Innocentius[4] Romani pontifices predecessores nostri eidem comiti, tunc crucesignato et reverso postmodum de partibus Transmarinis, legata indistincte pro Terre Sancte subsidio et redemptiones votorum crucesignatorum regni Anglie, antequam idem comes de predictis rediret partibus factas[5], liberaliter concesserunt, diversis sibi super hoc executoribus deputatis. Unde nobis humiliter supplicavit, ut cum nonnullis ex eisdem executoribus se ad remotas partes transferentibus, aliquibus vero sublatis de medio in huiusmodi negotio nondum finaliter sit processum, providere in hac parte sibi de benignitate solita curaremus. Nos igitur, nolentes quod circa eundem comitem gratiose inceptum est relinquere imperfectum, mandamus, quatinus, si est ita, in predicto negotio per vos vel per alium seu alios efficaciter procedatis iuxta quarumcumque ad quoscumque executores super hoc directarum ipsorum predecessorum continentiam litterarum — non obstante[b] si crucesignatis et aliis quibuscumque personis ipsius regni a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari quodque extra suas dioceses aut alia certa loca in causam trahi vel ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas, plenam et expressam non facientes de indulto huiusmodi mentionem, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

a) *ita in marg.:* Conventronensi *in rubro.* b) *ita R.*

1) *In comitatu Mutilgnano, qui comitum palatinorum Tusciae erat.* 2) *E mer. et or. cir. Velletri.* 3) *Hic a. 1257, Ian. 13 in Romanorum regem electus erat; a. 1259, Mart. 14 et Apr. 30 papa eum ita appellavit: Potthast 17512, 17549.* 4) *Cf. ep. a. 1244, Iun. 3; Matth. Par. SS. t. XXVIII, p. 292; cf. ibid. p. 318, lin. 47.* 5) *Comes a. 1240, Iun. — a. 1242, Ian. 21 ex Anglia absens erat; Böhmer-Ficker 5286 m et p.*

Contradictores autem, si qui fuerint, vel rebelles monitione premissa auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo compescatis. Nolumus autem, quod per hoc gratie, quam de redemptionibus, legatis et aliis predicto regi fecisse dinoscimur[a] [1], et iurisdictioni dilecto filio magistro Rostanno capellano et nuntio nostro in Anglia super hiis a predicta sede commisse[2] preiudicium aliquod generetur. Quod si non ambo etc.

Dat. Viterbii, XI Kalendas Iulii, anno tertio[3].

459.

Alexander IV papa [Iacobo] episcopo Metensi concedit, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, de legatis in pios usus et redemptionibus votorum, Ierosolimitano excepto, mille marcas sterlingorum recipiat, convertendas in solutionem debitorum.

1257, Iun. 22.

Al. IV Reg. Vol. II, 52; Lib. III, 397. Damus Pertzii exemplar. Similem concessionem, monialibus de Paradiso prope Susatum ad eandem formam litterarum ab Alexandro IV a. 1259, Iul. 7 factam, ex authentico edidit Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 285, n. 608.

. . episcopo Metensi.

Importabilis debitorum sarcina, quibus tua ecclesia pregravatur, propensiori nos cura sollicitat, ut inter alia nostre vigilantie incumbentia de ipsius ecclesie specialiter cogitemus subsidiis et auxiliis oportunis, quibus et ab huiusmodi debitorum relevari possit oneribus et inter angustantes illam usurarum angustias respirare. Ipsius igitur et tuis necessitatibus benigno compatientes affectu, fraternitati tue, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, dummodo hii, quibus ipsorum restitutio fieri debeat, omnino sciri et inveniri non possint, necnon et de quibuslibet legatis in pios usus indistincte relictis, dummodo ad id executorum ipsorum accedat assensus, et de redemptionibus votorum diocesanorum auctoritate prius factis, Ierosolimitano dumtaxat excepto, usque ad summam mille marcarum sterlingorum, in solutionem debitorum huiusmodi et non in usus alios convertendam[b], recipere valeas[4], presentium tenore duximus concedendum, si pro similium receptione alias non sis a nobis huiusmodi gratiam consecutus, ita quod si aliquid de dictis mille marcis dimiseris vel restitueris aut dederis illis, a quibus eas receperis, huiusmodi dimissum vel restitutum seu datum nichil ad liberationem eorum prosit nec quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Viterbii, X Kalendas Iulii, anno tertio[5].

— —

460.

Alexander IV papa [Iacobo] archiepiscopo Tranensi notum facit se Philippo de S. Cruce protontino Baroli et Monopoli quaedam castra et bona terrae Bari a quondam

---

a) dinoscuntur *R.* b) convertendū *R.*

1) *Cf. Potthast 15830, 15863, 15867, 15959, 16539.* 2) *Cf. p. 405, not. 4.* 3) *A. 1257, Iul. 10 ad preces R. comitis Cornubiae, sedis apostolicae cari et accepti, Rogero rectori ecclesiae de Cukesham Lincolniensis diocesis gratiam fecit; Lib. III, 395.* 4) *Cf. n. 450.* 5) *Eodem die eidem mandatum contra clericos et personas non residentes direxit; Lib. III, 398. Iun. 13 pro Iacobo nato Symonis de Claromonte, consanguineo episcopi, scripserat; Iun. 20 pro Iacobo de Commercio canonico Metensi, nepote episcopi, qui sua et suorum devotione gratia dignus esset; Lib. III, 404, 402. Aliae epp. ad res Metenses spectantes tum scriptae Lib. III, 16, 84, 161, 162, 314, 374, 403, 405—408, 569.*

Fr[iderico II] concessa et confirmata ab episcopo Anconitano tunc dicti generali vicario O[ctaviani] S. Mariae in Via Lata diaconi cardinalis, in regno Siciliae legati, confirmasse et quaedam alia bona ei de novo contulisse; mandat, ut eum in possessionem inducat. *1257, Iun. 22.*

Al. IV Reg. Vol. II, 52; Lib. III, 400. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Archiepiscopo Tranensi.

Exigentibus devotionis, quam nobilis vir Philippus de Sancta Cruce protontinus Baroli et Monopoli[1] [circa Romanam gerit ecclesiam][a], et fidei pure meritis, votis suis libenter annuimus et in hiis que digne postulat nos sibi benivolos exhibemus. In nostra siquidem constitutus presentia retulit, quod cum quondam Fr. imperator, dum adhuc in apostolice sedis devotione persisteret, de Terlicio et Arricarri castra seu casalia sita in iustitiaratibus[b] terre Bari cum omnibus hominibus, iuribus et pertinentiis suis sibi suisque heredibus in perpetuum, prout spectabat ad eum, liberalitate munifica et provida contulisset[2], tandem venerabilis frater noster . . Anconitanus episcopus, tunc in partibus illis[3] generalis vicarius dilecti filii nostri O. Sancte Marie in Via Lata diaconi cardinalis, in regno Sicilie apostolice sedis legati, huiusmodi concessionem confirmans, ad[c] suam suorumque heredum cautelam premissa sibi suisque heredibus de novo concessit, prout in patentibus litteris ipsius episcopi confectis exinde plenius continetur[4]. Nos itaque, suis devotis supplicationibus inclinati, quod ab eisdem Fr. et episcopo factum est ratum et firmum habentes, illud[d] auctoritate apostolica duximus confirmandum[e]. Et ut maiori erga nos et Romanam ecclesiam devotione ferveat, quamquam in recompensationem aliorum suorum dampnorum, que pro fide Romane ecclesie passus fuit tam in stabilibus[5] suis in Monopoli consistentibus quam in rebus aliis mobilibus, valuisse auri M et quingentas uncias extimatis[f], nec non et pro servitiis eidem ecclesie a se collatis de gratia speciali concesserimus terram Cannarum[6], Caurati [castrum seu casale sita in terra Bari nec non curie][g] domum, quam quondam tenuit Ribaldinus, et terram vacuam extra portam sancti Leonardi in Baroli existentem, prout in privilegio sedis apostolice sibi facto continetur aperte, predicta[h] tamen loca Territii[i] et Arricarri, sicut ipsa sibi dictus confirmavit et concessit episcopus, sibi eisdemque heredibus in devotione ecclesie persistentibus in feudum de novo sub eisdem servitiis, gratiis et conditionibus, nec non et domos fundici Barroli[k] cum iuribus et pertinentiis suis[7], que hiis finibus concluduntur: ab oriente, occidente et borea sunt vie publice, ab austris domus quam tenuit Walterius de Nicastro et domus quam tenet Gotfridus de Alamanno et domus quam tenet Gotfridus Catepanus[l], in recompensatione dampnorum proventuum rerum suarum ammissarum, que[m] pro fide ecclesie pertulisse dinoscitur et cotidie patitur incessanter, de quibus dampnis cardinalis et episcopus memorati super bonis regni Sicilie

---

a) *spatium decem fere litt. vacuum supplevimus ex t. II, p. 541, n. 734.* b) *ita R.* c) et ad *R.* d) illam *R.* e) confirmandam *R.* f) extimatas *R.* g) *supplevimus ex n. 443 et 461.* h) predictam *R.* i) *ita R.* k) *ita R.* l) *litt.* p *minus perspicua.* m) quos *R.*

1) *Cf. n. 443.* 2) *A. 1237, Dec.: Böhmer-Ficker 2301. Insertum est instrumentum confirmationi episcopi Anconitani; cf. not. 4.* 3) *Cf. p. 402, not. 8. Iam a. 1256, Ian. 28 papa eum 'tunc' vicarium appellavit; Lib. II, 35.* 4) *Dat. Trani a. 1255, Iul. 29, indict. XIII; quas litteras papa a. 1256, Febr. 17 confirmavit; Lib. II, 123.* 5) *Rebus immobilibus; italice 'stabili'.* 6) *A. 1255, Aug. 1, Trani, episcopus Anconitanus, tunc vicarius etc., Philippo locum Cannarum cum pertinentiis concessit, non obstante quod Manfredus eundem Guillelmo dicto Grosso Provinciali familiari suo [cf. Capasso n. 253*] contulit; quas litteras papa a. 1256, Ian. 28 confirmavit; Lib. II, 35.* 7) *A. 1256, Ian. 8 papa Philippo et haeredibus eius domum sitam prope fundicum Baroli et terram vacuam prope portam sancti Leonardi eiusdem loci, quas Manfredus post obitum Friderici II ei contulisse diceretur, concessit, ita tamen ut si ecclesia generale stolium galearum congregaret, duas galiotas munitas per mensem exhiberet; Lib. II, 34.*

se promiserunt pro parte ecclesie conservare indempnem, sicut nobis per ipsorum litteras nostro privilegio insertas constitit manifeste[1], et pro servitiis, que hactenus Romane ecclesie exhibuit tam fideliter quam devote et que conferre poterit in futurum, — non obstante concessione aliqua facta Angelo de Terreno de predictis domibus fundici [et][a] Philippo Cinardo, Iohanni, Calvano et Guillelmo Cinardo nepotibus eiusdem Philippi de Terlicio et Arricarri prenominatis[2] — de fratrum nostrorum consilio et ex certa scientia sibi suisque heredibus in fide ecclesie persistentibus perpetuo concessimus de gratia speciali, ac sibi heredibusque suis, in devotione tamen ecclesie persistentibus, per reges aut alios ipsum regnum Sicilie a prefata tenentes ecclesia promisimus sibi suisque heredibus facere predicta omnia perpetuo inviolabiliter observari. Ideoque mandamus, quatinus prefatum nobilem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem predictorum omnium possessionem auctoritate nostra per te vel per alium inducas et defendas inductum, contradictores etc. — non obstante[b] si aliquibus personis, cuiuscumque conditionis, ordinis aut dignitatis existant[c], a sede apostolica sit indultum vel indulgeri contingat, quod suspendi aut excommunicari vel terra eorum interdici[d] non possint, seu aliqua indulgentia ipsius sedis, de qua et cuius toto tenore oporteat nostris litteris mentionem fieri et per quam nostri mandati executio in hac parte impediri valeat vel differri, seu constitutione de duabus dietis edita in concilio generali.

Dat. Viterbii, X Kalendas Iulii, anno tertio[3].

461.

Alexander IV papa E[dmundum] regem Siciliae rogat, ut concessiones eidem Philippo de S. Cruce factas confirmet, praesertim cum factae fuerint conscio Roberto de Baro, qui pro ipso rege et [Henrico III] rege Angliae patre eius apud curiam papalem remanserit procurator. — Regi Angliae in eundem modum scribit. 1257, Iun. 28.

Al. IV Reg. Vol. II, 50; Lib. III, 383 et 384a. Exemplaria tabularii contulimus cum Regestis.

I.

E. regi Sicilie.

Considerantes puritatem fidei et devotionis fervorem dilecti filii nobilis viri Philippi de Sancta Cruce Baroli et Monopoli protontini[4], donationes, concessiones seu confirmationes de terra Cannarum, Caurati, Terlitii et Arricarri castris seu causalibus[e] sitis in terra Bari nec non de domibus fundici[f] Baroli et domo curie, quam tenuit Ribaldinus, pro tempore in fundico deputata, et terra vacua extra portam sancti Leonardi de Barolo et de officio protontinatus Barroli[g] et Monopoli predictorum ei de fratrum nostrorum consilio duximus faciendas, maxime quia id vidimus expedire, cum utilitas obsequiorum, que ipse in negotio regni Sicilie redeundo ad devotionem ecclesie tribuit, hoc exposceret et pro eo necessitas suaderet, quia nomine Romane ecclesie sibi tunc promissum extitit, quod super bonis prefati regni de omnibus dampnis, que pro devotione ipsa incurreret, servaretur indempnis. Quia vero nos sibi promisimus donationes, concessiones et confirmationes huiusmodi ei suisque heredibus per reges ipsum regnum a prefata tenentes ecclesia facere inviolabiliter observari, prout in apostolicis privilegiis super hoc eidem concessis plenius continetur, ac id factum extitit consio[h] dilecto filio

a) et *deest R.* b) *ita R.* c) existat *R.* d) interdicere *R.* e) *leg.* casalibus. f) fundicis *R.* g) *ita R.* h) *ita R.*

1) *Cf. n. 443.* 2) *Cf. n. 339.* 3) *Cf. n. 461.* 4) *Cf. n. 460.*

nobili viro Roberto de Baro, qui pro te et carissimo in Christo filio nostro illustri rege Anglie patre tuo in vestris negotiis apud sedem apostolicam remanserat procurator: serenitatem tuam attente rogandam duximus et monendam, quatinus circa dictum nobilem pro apostolice sedis et nostra reverentia ac sue devotionis obtentu te constituens verbo benivolum et opere gratiosum, ei, qui gravissima dampna pro devotione sedis eiusdem in bonis suis noscitur pertulisse, donationes, concessiones et confirmationes ipsas iuxta tenorem dictorum privilegiorum inviolabiliter facias observari nec non tuas et prefati regis Anglie patentes litteras, quantum oportunas sibi viderit, munifica liberalitate concedas, ita quod idem nobilis, quod sibi promissum in hac parte per sedem predictam extitit, assequatur ac ad tuam et ipsius regis fidelitatem animetur fortius, et nos excellentiam regiam exinde merito commendantes, condignas tibi propter hoc gratias referamus. Pro constanti siquidem regia magnificentia teneat, quod sicut eum inter ceteros devotos regni prefati ferventiori et utiliori fidelitate vigere invenimus, sic ipsum curavimus specialibus et singularibus attollere privilegiis gratiarum.

Dat. Viterbii, IIII Kalendas Iulii, anno tertio.

II.

Regi Anglie.

Considerantes puritatem fidei et devotionis fervorem etc. ut in alia usque in finem verbis competenter mutatis[1].

462.

Alexander IV papa [Nicolao] episcopo Cameracensi notum facit se litteras ecclesiis regni Franciae ad tutelam bonorum contra personas saeculares concessas extendere ad ecclesiam Cameracensem, quae licet in finibus Romani consistat imperii, de Remensi tamen provincia sit. *1257, Iul. 18.*

Al. IV Reg. Vol. II, 63; Lib. III, 514. Damus Pertzii exemplar.
Posse, Analecta Vaticana p. 11, n. 123.

. . episcopo Cameracensi[2].

Sedes apostolica pia mater, dum misericorditer assistit oppresis[a] et moderata opprimentibus auctoritate resistit, non tam lesorum quam ledentium saluti succurrit, quia cum iniuriarum passio ad temporale dispendium, actio autem officiat ad eternum, salubrius a culpa qui agit quam qui patitur a molestia seu violentia cohibetur. Dudum siquidem dicta sedes ecclesiis et prelatis earum christianissimi regni Francie ad tutelam iurium, possessionum, rerum, bonorum et libertatum eorum necnon et cohertionem iniuriarum, que ipsis a personis secularibus inferuntur, nonnulla communiter litteras, indulgentias et privilegia ad supplicationem capitulorum ecclesiarum cathedralium eius-

a) *ita R.*

1) *A. 1265, Mart. 20 Clemens IV concessiones, a Friderico II, episcopo Anconitano et Alexandro IV papa Philippo factas, eidem et Guillelmo nato eius, qui ceteris fratribus et consanguineis derelictis patrem in exilio constitutum secutus esset, quamquam primogenitus non esset, confirmavit; Lib. I, 212. A. 1265, Dec. 19 eidem officium protontinatus confirmavit; Lib. I, 214.* 2) *Cancellarius Ricardi regis erat; cf. Böhmer-Ficker 5299, 5304, 5309, 5314; Winkelmann, Acta t. I, p. 583, n. 738.*

dem regni noscitur concessisse[1]. Nos igitur, attendentes quod Cameracensis ecclesia et ipsius subditi, licet in finibus Romani consistant imperii, de Remensi tamen existunt provincia et ritus servare dicuntur ecclesie Gallicane, propter quod merito cum eadem pari debeat immunitate letari, litteras, indulgentias et privilegia huiusmodi ad te, prefatam Cameracensem ecclesiam tuosque subditos auctoritate presentium prorogamus, et tibi ac ecclesie Cameracensi predicte, ut executores sive iudices, prelatis et ecclesiis dicti regni ab eadem sede communiter deputati, eam per omnia in tua, ipsius ecclesie, subditorum ac bonorum vestrorum tuitione atque iniuriarum repressione, si quas vobis a personis secularibus contigerit vel contigit irrogari, habeant, quam pro ipsis prelatis et ecclesiis a prefata sede obtinent, potestatem, acsi vos et vestri iniuriatores essetis infra dicti regni limites constituti et pro vobis pariter cum eisdem prelatis et ecclesiis fuissent prefata privilegia, indulgentie ac littere impetrata, — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam diocesim litterarum, indulgentiarum et privilegiorum ipsorum auctoritate in iudicium non trahatur aliquis — indulgemus[2]. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Augusti, anno tertio.

463.

Alexander IV papa [Alberto] episcopo Ratisponensi inhibet, ne castra de Hohemburch et Rorbach, quae olim feuda Bertholdo et fratribus eius concessa nuper ad ecclesiam Ratisponensem reversa sint, alienare intendat. 1257, Aug. 13.

Al. IV Reg. Vol. II, 69; Lib. III, 555. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Posse, l. c. edidit. Posse, Analecta Vaticana p. 126, n. 7.

Episcopo Ratisponensi[3].

Ad audientiam nostram pervenit, quod cum castrum de Hohemburch[4] cum suis appenditiis ab antiquo ad ecclesiam Ratisponensem proprietatis titulo pertineret, Dipoldus marchio de Voheburch[5] et heredes sui castrum ipsum aliquot annis detinuerunt per violentiam occupatum; cui marchioni cum Berhtoldus et fratres sui postmodum successissent et dictum castrum cum suis pertinentiis detinerent, tandem dictus Berhtoldus ius, quod ecclesia ipsa in eisdem habebat castro et pertinentiis, recognoscens castrum ipsum cum suis appenditiis a bone memorie Sifrido Ratisponensi episcopo predecessore tuo recepit in feudum et in recompensationem feudi huiusmodi Rorbach castrum[6] suum proprium cum suis appenditiis donavit ecclesie supradicte illudque in feudum ab eodem recepit episcopo sub hoc pacto, ut vacante feudo huiusmodi castra ipsa cum suis appenditiis apud sepedictam ecclesiam perpetuo remanerent, nullo ab eadem alienationis

1) *Sub a. 1257, Iul. 7; Lib. III, 496; Potthast 16918.* 2) *Cf. etiam p. 248, lin. 19.* 3) *Viterbii, a. 1257, Iul. 8 Henricus Bambergensis et Albertus Ratisponensis episcopi pro ordine Theutonicorum chartam dederunt; Ussermann, Episc. Bamberg. p. 154; v. Pettenegg, Die Urk. des Deutschordenscentralarchives zu Wien t. I, p. 78, n. 293.* 4) *E mer. civ. Amberg.* 5) *Ad Danubium infra civ. Ingolstadt.* 6) *E mer. et or. castri Hohenburg.*

titulo distrahenda[1]. Cum autem, sicut quorundam relatione accepimus, dicta castra cum suis appenditiis nuper ad sepedictam ecclesiam sint reversa[2], tu ipsa cum suis pertinentiis alienare intendis in gravem eiusdem ecclesie lesionem. Nos igitur, occurrere huiusmodi lesioni volentes, ne predicta castra vel eorum alterum seu ipsorum pertinentie per te vel successores tuos in alios quovis obligationis vel alienationis titulo in ecclesie predicte dispendium transferantur, auctoritate presentium districtius prohibemus, decernentes irritum et inane, siquid super hoc contra prohibitionem nostram contigerit attemptari.

Dat. Viterbii, Idibus Augusti, anno tertio[3].

464.

Alexander IV papa Philippum quondam electum Salisburgensem, qui ecclesiam Salisburgensem per novem annos et amplius occupatam tenuerit nec monitus saepe consecrari se procurarit, eadem ecclesia privat et postulationem [Ulrici] episcopi Secowensis in archiepiscopum Salisburgensem factam per [Henricum] episcopum Chiemensem, [Ottonem] praepositum, scolasticum et Hermannum canonicos Salisburgenses, quibus capitulum providendi eidem ecclesiae de pastore contulerit potestatem, confirmat.

1257, Sept. 5.

Al. IV Reg. Vol. II, 78—79; Lib. III, 619. Pertzii exemplar suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1257, § 10—11 contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 16998.

Ad perpetuam rei memoriam.

Olim ecclesiarum cathedralium sponsis contractum hinc inde spirituale coniugium passim non absque utrorumque periculo negligentibus consumare, differendo munus consecrationis recipere ultra tempora in antiquis canonibus diffinita, nos, quibus ex iniuncto nobis apostolatus officio cura omnium ecclesiarum incumbit, predictis ecclesiis taliter viduatis, que quidem, licet sponsos haberent, destitute tamen erant ipsorum solatio quo ad quedam, providere salubriter ac multorum dispendiis obviare volentes, de consilio fratrum nostrorum universis electis in premissis ecclesiis semestre tempus statuimus[4], infra quod munus consecrationis reciperent; alioquin, nisi essent legitimo impedimento detenti, ab amministratione spiritualium et temporalium cognoscerent se suspensos; et si ultra predictum tempus sue consecrationis munere detinerent ecclesias aliis sex mensibus viduatas, ex tunc ipsis ecclesiis scirent se auctoritate nostra privatos, et hii, ad quos talium spectat electio, providendi sibi de aliis haberent liberam facultatem — non obstante aliqua indulgentia eis sub quacumque forma verborum concessa, per quam adversus statutum huiusmodi possent in aliquo se tueri. Unde dilecti filii . . prepositus et Heidinricus canonicus Salzburgensis ecclesie ad sedem apostolicam

---

1) *A. 1242, Sept. 20; Ianner, Gesch. d. Bisch. v. Regensburg t. II, p. 408.* 2) *Scil. per mortem Bertholdi et fratrum eius. Iidem a. 1256, Iun. 20 adhuc vixisse videntur; Matth. Par. SS. t. XXVIII, p. 361: Potthast 16431 sub Iun. 22. A. 1257, Sept. Manfredus Bertholdum 'quondam' marchionem appellavit; Winkelmann, Acta t. I, p. 413, n. 495. In instrumento capituli et ministerialium Ratisponensium a. 1258, Mart. 21 legimus castrum Hohenburc nunc ultimo vacare incipere per mortem marchionum de Hohenburc; Ried, Cod. dipl. ep. Ratisb. t. I, p. 448, n. 471. Cf. etiam Capasso p. 116, not. 2.* 3) *Cf. infra sub Oct. 31.* 4) *Cf. p. 351, not. 4.*

accedentes tam ex parte sua quam ex parte capituli eiusdem ecclesie coram nobis non sine multa cordis amaritudine retulerunt, quod Philippus quondam electus ipsius, prisca sanctorum patrum non metuens et moderna statuta contempnens, eandem ecclesiam non tanquam sponsus sed adulter potius tenuit per novem annos et amplius[1] occupatam, cum nec infra tempus prefinitum a canone nec post huiusmodi constitutionem nostram super hoc editam et in illis partibus promulgatam, ab eodem etiam capitulo pluries requisitus, se procuraverit consecrari, quamquam in vocem appellationis proruperit et in ipsa ecclesia in spiritualibus et temporalibus nichilominus temere ministrarit. Propter quod ipso Philippo post primos sex menses ab amministratione suspenso[2] et demum post sex alios eadem ecclesia iuxta tenorem ipsius constitutionis privato, dicti prepositus et capitulum, providendi ecclesie ipsi de alio habentes ex hoc liberam potestatem et volentes ecclesie sue consulere de pastore, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, tandem in venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Chimensem, prefatum prepositum et . .[a] scolasticum ac Hermannum canonicos Salzburgenses providendi eidem ecclesie de pastore contulerunt unanimiter potestatem; qui venerabilem fratrem nostrum . . Secowensem episcopum in Salzburgensem archiepiscopum iuxta formam sibi traditam concorditer postularunt[3]. Quare dicti prepositus et capitulum admitti a nobis postulationem huiusmodi et absolvi eundem episcopum a vinculo, quo tenetur Secowensi ecclesie, ac concedi sibi licentiam ad Salzburgensem ecclesiam transeundi humiliter petierunt.

Quamvis autem ipsi nobis de premissis parati essent facere plenam fidem, nos tamen, per viam iuris et equitatis procedere cupientes, dictum Philippum per eundem Chinensem[b] episcopum citari mandavimus, ut infra certum tempus per se vel per procuratorem idoneum in nostra compareret presentia et munitiones et castra eiusdem ecclesie in manibus ipsius episcopi ecclesie Romane nomine assignaret, cum haberemus ipsum de dilapidatione suspectum. Eo itaque per ipsum episcopum iuxta huiusmodi mandatum nostrum citato, Albericus eiusdem Philippi clericus diu post assignatum sib terminum comparuit coram nobis, quosdam ipsius Philippi nuntios a se missos propter hoc ad sedem apostolicam ut dicebat asserens nunc in Aquilegensi provincia, nunc in regno Ungarie captivatos, licet hoc totum ex parte dicti capituli negaretur. Negotio autem huiusmodi aliquandiu in nostra presentia ventilato, dum eundem Ph. reputaremus ex premissis non immerito contumacem, dictus Albericus asserens se procuratorem eiusdem quoddam procuratorium super hoc coram nobis exhibuit, defensioni predicti Ph. se nichilominus offerendo. Super quo dilectos filios nostros H[ugonem] tituli Sancte Sabine presbyterum et P[etrum] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales[4] dedimus partibus auditores, mandantes ut de plano et sine iudicii strepitu diligenter audirent, que partes vellent proponere coram eis. Premissis igitur in ipsorum presentia ex parte procuratorum eiusdem capituli repetitis, dictus Albericus proposuit ex adverso, quod prepositus et canonicus supradicti non erant nec esse poterant procuratores capituli,

---

a) . . et *R.* b) *ita R.*

1) *A. 1247, Oct. 12 Innocentius eum procuratorem eiusdem ecclesiae constituerat; Berger 3349, 3350; sed a. 1249, Mai. 25 eum 'electum Sal.' appellaverat; t. II, p. 539, n. 731.* 2) *A. 1256, Febr. 17 Alexander ipse eum suspensum appellaverat; cf. p. 199, not. 1.* 3) *A. 1256; Ann. S. Rudberti Salisb., SS. t. IX, p. 793. A. 1257, Mai. 15 papa Ottoni praeposito et Heidenrico canonico Salisburgensibus, procuratoribus in praesentia sua constitutis pro negotio postulationis de Ulrico Secowiensi episcopo in Salisb. ecclesia celebratae, contrahendi mutuum usque ad mille marcas sterlingorum facultatem concesserat; Lorenz, Ottokar II v. Böhmen u. d. Erzbisth. Salzburg, Sitzungsber. d. Wiener Acad. t. XXXIII, p. 511. Procuratores per annum et dimidium in curia moram traxisse narrant Ann. S. Rudberti, l. c. p. 794.* 4) *Uterque in Teutonia legatus fuerat.*

cum eidem Ph. maior pars ipsius capituli adhereret, super hoc litteras quasdam ostendens, propter quod ipsi tamquam falsi procuratores non debebant admitti. Ad excusationem quoque dicti Ph. proponebat eum sollempnes nuntios destinasse ad sedem apostolicam infra tempora constitutionis predicte ad petendum committi pro eo aliquibus suffraganeis eiusdem ecclesie, qui auctoritate nostra sibi conferre sacerdotalem ordinem et consecrationis munus impendere procurarent, maxime cum ipse venire ad eandem sedem propter viarum discrimina et capitales inimicitias, quas habebat in via pretextu Salzburgensis et universalis ecclesie, non auderet. Ad solvendum etiam debitum Romane ecclesie, pro quo excommunicatus fuerat, impotentem[a] dicebat eundem, cum dicti prepositus et capitulum ipsum de civitate Salzburgensi expelli[1] et castra ipsius ecclesie ab inimicis eiusdem procuraverint[b] occupari, propter quod idem Ph. sine amissione castrorum et aliorum bonorum eiusdem ecclesie venire personaliter non poterat nec audebat. Asserebat insuper talem eum a felicis recordationis I. papa predecessore nostro indulgentiam habuisse, ut consecrationis munus non teneretur recipere usque ad sue beneplacitum voluntatis. Allegabat etiam idem Albericus tempora, precedentia constitutionem predictam, circumducta[2] fuisse per constitutionem eandem, adiciens quod sicut episcopus negligens recipere munus consecrationis infra tempus expressum in canone cedit metropolitani sui iudicio, sic archiepiscopus in casu consimili cedere debet nostro; propter quod dictus Ph. non erat ipso iure privatus sed ex apostolice sedis iudicio potius dependebat, et ita per consequens dicta postulatio in ecclesia non vacante facta fuerat et ideo nullatenus admittenda.

Sed procuratores dicti capituli exceptiones et allegationes seu propositiones huiusmodi confutantes negabant maiorem partem capituli eidem adherere Philippo, se procuratores legitimos per patentes . . decani et ipsius capituli litteras ostendentes ac ex hoc asserentes ostensas per ipsum A. ex parte capituli litteras fuisse violenter aut fraudulenter extortas. Quod autem dictus Ph. dicebatur sollempnes ad nos misisse nuncios pro consecrationis munere obtinendo, nec verum esse nec verisimile procuratores capituli responderunt, quia si fuit concessum eidem et ipse huiusmodi concessione non usus, magis debuit de negligentia reprehendi. Negatum[c] vero fuisse id, ad quod quilibet invitatur, credibile non videtur, cum ecclesia Romana, que quoslibet electos canonice consecrari desiderat, puniat graviter negligentes sintque pene a iure prodite[d] contra tales; ex quo presumi non debet, ut inde oriantur iniurie, unde iura nascuntur. Quod autem de difficultate itineris veniendi ad curiam, impotentia solvendi debitum, de indulgentia sibi concessa et circumductione quorundam temporum dicebatur, ipsum Ph. non relevat, immo gravat, cum idem finaliter non venire disponens multas in hoc difficultates ingesserit, paupertatem et inimicitias confingendo[e]. Potuit enim ad minus propter huiusmodi vie periculum petivisse conductum, et decem milia marcarum, quas in ludo quintane[3] impudenter expenderat, prudenter poterat pro expensis itineris reservasse. Allegata vero indulgentia, preter id quod fuit per mortem concedentis extincta, iure postmodum super hiis prodito tollebatur. Tempora quoque predicta, etsi constitutionem eandem precedentia liberent, sequentia tamen dampnant[4]. Ad illud vero quod allegabatur per quandam similitudinem, ut sicut episcopus consecrari differens ultra tempus cedit metropolitani sui iudicio, sic archiepiscopus nostro, et per hoc

a) impetentem *R.* b) procuraverit *R.* c) *corr. ex* negotium. d) predite *R.; litt.* ite *in loco raso: v. infra* iure — — prodito. e) configendo *R.*

1) *A. 1256 episcopus Chiemensis civitatem interdicto supposuerat; Ann. S. Rudberti, l. c. p. 793.* 2) *Quasi 'cassata' ideoque 'excusata'.* 3) *Ludus equester; v. Ducange sub 'Quintana 3 et 4'.* 4) *Cf. supra lin. 15.*

dicta postulatio fuerat indebite celebrata, satis videtur ex tenore ipsius constitutionis responsum, que solo transcursu temporis tales privat. Contempnens etiam munus consecrationis recipere, dum offerretur sibi ab eodem H. cardinali, tunc in illis partibus fungente legationis officio[1], quod eum faceret consecrari, tandem per supradictum Chimensem episcopum rite fuit auctoritate mandati nostri propter manifestam ipsius contumaciam excommunicationis notatus sententia et ab omni amministratione suspensus.

Super quibus omnibus utrique parti producendi testes in nostra curia, faciendi positiones et respondendi ad eas dedimus liberam facultatem. Positionibus igitur coram predictis cardinalibus factis et responsionibus secutis ad eas, testibus quoque ab utraque parte[a] productis et eorum attestationibus publicatis ac examinatis per eos singulis articulis diligenter, iidem cardinales cuncta nobis et fratribus nostris plenarie retulerunt. Nos igitur, auditis attente omnibus et intellectis plene ac studiose discussis de ipsorum fratrum consilio dicimus et sententiando pronuntiamus dictum Philippum prefata ecclesia Salzburgensi[b] per constitutionem premissam fuisse privatum et eandem ecclesiam post elapsa tempora constitutionis eiusdem vacantem et liberam extitisse. Nulli — nostre sententie etc.

Dat. Viterbii, Nonis Septembris, anno tertio[2].

465.

Alexander IV papa [Henrico] episcopo Bambergensi inhibet, ne aliqua de bonis ecclesiae suae alienet. *1257, Sept. 7.*

Al. IV Reg. Vol. II, 75; Lib. III, 595. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 241, n. 360 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17000.

Episcopo Bambergensi.[3]

Cupientes bona ecclesie Bambergensis sub tuo regimine non minui sed augeri, fraternitati tue auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliqua de predictis bonis infeudare, concedere, donare, locare, vendere, permutare, obligare vel quomodolibet alienare presumas sine nostro speciali mandato, faciente plenam et expressam de presentibus mentionem. Nos enim nichilominus irritum et inane decernimus, quicquid contra huiusmodi nostram inhibitionem per te contigerit attemptari.

Dat. Viterbii, VII Idus Septembris, anno tertio[4].

a) parte *superscr.* b) Salzburgen *superscr.*

1) *Cf. p. 81, not. 2 et p. 205, not. 6.* 2) *Sept. 18 vassallis ecclesiae Salisburgensis mandavit, ut Ulrico oboedirent; Potthast 17008; non. reg.; simili modo praeposito et capitulo Salisb. sub Sept. 19; Lib. III, 625; Hauthaler, Aus den Vatic. Registern p. 67, n. 73; Arch. f. Österr. Gesch. t. LXXI, p. 277. A. 1258, Ian. 25 Uldrico archiepiscopo, Oddoni praeposito et procuratori capituli Salisb., in praesentia sua constitutis, facultatem concessit, ut pro expediendis suis et ecclesiae et capituli Salisb. negotiis mutuum usque ad summam 400 marcarum sterlingorum contraherent; Lib. IV, 44; Hauthaler, l. c. n. 74. Cf. sub n. 473 et Potthast 17096, 17100, 17416, 17480.* 3) *Cf. p. 426, not. 3.* 4) *Episcopus a. 1257, Sept. 17 obiit; Ussermann, Episc. Bamberg. p. 154.*

466.

Alexander IV papa episcopo Maltensi scribit olim de mandato I[nnocentii IV] papae magistrum Matthaeum de Panormo nunc episcopum, tunc canonicum Syracusanum, quia servitiis quondam Fr[iderici II] etiam post depositionem eius institerit, personatu et beneficiis privatum et ea Iohanni dicto Sacco canonico Panormitano collata esse, quam rem ipse Alexander gratum habuerit; iterato praecipit, ut id executioni mandet.

1257. Oct. 30.

Al. IV Reg. Vol. II, 69; Lib. III, 554. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Episcopo Maltensi.

Sedes apostolica, diligenti deliberatione considerans merita singulorum, eos, quos ab experto novit emeritos et devotos, remunerat gratia beneficientie specialis. Cum itaque dilectus filius magister Iohannes Spata subdiaconus et capellanus noster de speciali mandato et auctoritate felicis recordationis I. pape predecessoris nostri privans sententialiter personatu, dignitate, prebendis et ecclesiasticis beneficiis universis venerabilem fratrem nostrum magistrum Matheum de Panormo nunc episcopum, tunc canonicum Syracusanum, pro eo quod illis olim se indignum reddiderat, insistendo tunc servitiis quondam Fr. olim imperatoris etiam post depositionem ipsius, ea omnia eadem auctoritate de speciali gratia et mandato ipsius predecessoris dilecto filio Iohanni dicto Sacco canonico Panormitano [1] conferre curarit et idem predecessor sibi [a] ea omnia confirmarit, nosque postmodum, quod ab eisdem capellano et predecessore factum extitit in hac parte, gratum habuerimus et acceptum — non obstantibus aliquibus collationibus, confirmationibus et litteris a sede apostolica vel legatis ipsius sub quacumque forma in eius preiudicium postmodum impetratis vel etiam in posterum impetrandis —, te ad instar prefati predecessoris super hiis executore concesso [2]: tu in favorem ut dicitur aliquorum mandatum apostolicum interim exequi distulisti in ipsius Iohannis non modicum preiudicium et gravamen. Cum igitur, quod incepimus in hac parte de canonico supradicto, quem ob devotionem precipuam, quam ad nos et apostolicam sedem habet, favore prosequimur gratie specialis, relinqui nolimus aliquatenus imperfectum: fraternitati tue iterato firmiter et districte in virtute obedientie per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus mandatum apostolicum super hiis exequi non postponas iuxta priorum continentiam litterarum — non [b] obstantibus aliquibus suspensionibus, revocationibus, refutationibus vel lapsibus temporum aliquorum. Nos enim decernimus irritum et inane, quicquid super premissis in eiusdem Iohannis preiudicium et gravamen a quocumque postmodum extitit attemptatum vel attemptari contigerit in futurum, idque per te volumus et mandamus cassum et irritum nuntiari; contradictores etc.

Dat. Viterbii, III Kalendas Novembris [c], anno tertio [3].

---

a) si *R.* b) non — aliquorum *in margine inferiore paginae alia tinctura add.* c) III *et* Novembris *alia tinctura in loco raso.*

1) *De eodem cf. t. II, p. 530, n. 717 et p. 541, n. 734.* 2) *Mandatum Alexandri eisdem verbis ei factum sub a. 1255, Iul. 3; Lib. I, 507.* 3) *Eidem episcopo et duobus abbatibus sub a. 1257, Mart. 15 mandatum in favorem Iohannis Sacci miserat; Lib. III, 307; Potthast 16 782.*

467.

Alexander IV papa notum facit [Albertum] episcopum Ratisponensem apud sedem apostolicam constitutum a magistro Andrea de Tarento cive Romano mutuum mille marcarum sterlingorum recepisse, quod, cautionibus adiectis, proximo festo resurrectionis restituere obligetur. 1257, Oct. 31.

Al. IV Reg. Vol. II, 95; Lib. III, 724. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Universis presentes litteras inspecturis.

Venerabili fratre nostro[a] . . Ratisponensi episcopo et dilecto filio magistro Andrea de Tarento cive Romano in nostra presentia constitutis[1], dictus magister asseruit coram nobis se mille marcas sterlinguorum, tredecim soldis et quatuor denariis sterlinguorum pro marca qualibet computatis, dicto episcopo apud sedem apostolicam commoranti pro suis et ecclesie Ratisponensis expediendis negotiis[2] mutuasse ac eundem episcopum sibi teneri ex causa mutui in huiusmodi pecunie quantitate. Unde petebat eundem episcopum ad solvendum ei predictas mille marcas sententialiter condempnari ac apostolica auctoritate compelli. Dictus vero episcopus de plano confessus est se a prefato magistro Andrea huiusmodi mutuum recepisse sibique in predicte pecunie quantitate teneri, propter quod nullo modo voluit subire iudicium, sed cum instantia petiit competentem sibi terminum ad solvendum ei dictam pecuniam assignari, ita quod si in ipso termino in solutione deficeret, in omnes penas incideret, quas nos duceremus propter hoc imponendas eidem. Nos igitur de utriusque partis assensu prefato episcopo festum resurrectionis Dominice proximo venturum[3] ad solvendum integre predictas mille marcas dicto magistro vel eius nuntio apud Venetias pro peremptorio termino duximus prefigendum, ita quod ipsas mille marcas dictus episcopus sub periculo et expensis suis ad locum ipsum deportari faciat et illas ipsi magistro vel eius nuntio in domo, quam idem magister vel eius nuntius elegerit, integre assignari. Si vero dictus episcopus infra predictum terminum pecuniam non solverit memoratam, nos ipsum decernimus[b], ex tunc excommunicationis sententie, quam in eundem protulimus, subiacere et tamquam excommunicatum precepimus ab omnibus artius evitari. Et cum nobis constet predictum episcopum huiusmodi pecuniam apud sedem predictam pro vite sue necessariis expendisse, volumus et de ipsius episcopi assensu statuimus, ut exceptiones non numerate pecunie, doli vel fraudis, et quod predictum mutuum non fuerit in predicte Ratisponensis ecclesie utilitatem[c] conversum, a predicto episcopo suisve successoribus nequaquam opponi valeant in futurum, set omni exceptione cessante idem episcopus vel successores sui prefatas mille marcas ipsi magistro A. vel eius successoribus restituere integre teneantur. Concessit quoque predictus episcopus ex nunc libere[d] amministrationem omnium bonorum temporalium ipsius Ratisponensis ecclesie nuntio et procuratori eiusdem magistri eius nomine, ut tandiu in omnibus temporalibus eiusdem ecclesie administrandi liberam et plenariam habeat potestatem, donec de predictis mille marcis eidem magistro vel eius nuntio apud Venetias, sicut predictum est, fuerit integre satisfactum. Promisit etiam dictus episcopus se curaturum et facturum, quod dictus procurator predicti magistri salvus et securus et sine aliquo impedimento ad partes

a) ep̄o *R.* b) *ita R.* c) utilitate *R.* d) libre *R.*

1) *Cf. p. 426, not. 3. Episcopus a. 1258, Mai. 12 Wiennae consecrationi Iohannis episcopi Pragensis interfuit; Mon. Boica, t. XXIX, pars II, p. 117, n. 111.* 2) *Cf. infra sub a. 1258, Apr. 21.* 3) *A. 1258, Mart. 24.*

illas accedat et administret bona predicta et redeat usque Venecias; cui utique procuratori tam in eundo quam morando et redeundo de securo conductu et expensis etiam dictus episcopus providere promisit. Ad que omnia et singula firmiter observanda prefatus episcopus corporali iuramento coram nobis prestito se astrinxit.

Dat. Viterbii, II Kalendas Novembris, anno tertio[1].

468.

Alexander IV papa [Petro] episcopo Pampilonensi ad preces [Theobaldi II] regis Navarrae mandat, ut nobiles regni Navarrae, quibus idem rex ad exhibenda certa stipendia, et regem Aragoniae, cui super confoederatione contra [Alfonsum] regem Castellae inita iuramentis praestitis coactus se obligarit, inducat, ut iuramenta eadem relaxent.

1257, Nov. 6.

Al. IV Reg. Vol. II, 91; Lib. III, 698. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Episcopo Pampilonensi.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri . . regis Navarre illustris fuit propositum coram nobis, quod cum post obitum clare memorie T. regis Navarre[2] patris eius nonnulli regni sui nobiles regi eidem, in annis puerilibus constituto, super assecutione iurium dicti regni non sine infidelitatis nota se opponere presumpsissent, idem rex pro redemptione iuris regii ad prestandum talibus certa stipendia et quedam alia facienda eisdem, ad que[a] prius nonnisi voluntarius tenebatur, in detrimentum eiusdem regni iuramenti vinculo se astrinxit[3]. Processu vero temporis ipsius regni nobiles, matre sua[4] et universis consiliariis, quos de partibus Campanie secum duxerat, tam ab ipso rege quam regno eodem exclusis, eum, qui tunc vix exegerat quartumdecimum annum etatis sue, quasdam confederationes illicitas cum carissimo in Christo filio nostro . . rege Aragonum illustri, habente tunc questionem contra carissimum in Christo filium nostrum . . illustrem regem Castelle, inire non sine prefati regni dispendio ipsasque proprio iuramento firmare quibusdam circumvencionibus[b] procurarunt[5]. Cum autem rex ipse postmodum subtrahendo dictis nobilibus prefata stipendia, sicut ante iuramentum huiusmodi licebat eidem, et componendo cum predicto rege Castelle ac per hoc a confederatione ipsius regis Aragonum recedendo, prout status regni sui merito requirebat, religionem iuramentorum ipsorum violasse dicatur, nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc salubriter curaremus. Nos igitur, eiusdem regis Navarre honori et fame consulere cupientes, mandamus, quatinus illos, quibus idem rex ratione iuramentorum huiusmodi creditur obligatus, quod iuramenta ipsa sine qualibet difficultate relaxent, ex parte nostra moneas attentius et inducas. Alioquin tu eadem iuramenta relaxans ipsum ad eorum observantiam denunties non teneri, sibi super violatione ipsorum iuramentorum salutarem penitentiam iniungendo.

Dat. Viterbii, VIII Idus Novembris, anno tertio[6].

---

a) atque *R.* b) circumvenicionibus *R.*

1) *Cf. Mon. Boica t. XXIX, pars II, p. 145, n. 145.* 2) *Theobaldus I rex Navarrae et comes Campaniae obiit a. 1253, Iul.; Iubainville, Hist. des ducs et des comtes de Champagne t. IV, p. 337.* 3) *A. 1253, Nov.; Iubainville, l. c. t. IV, p. 352; cf. etiam Potthast 15395.* 4) *Margarita.* 5) *A. 1253, Aug.: Iubainville, l. c. t. IV, p. 350, not. b et t. V, p. 468, n. 3057. A. 1256, Mart. pax reformata est; ibid. t. IV, p. 361. Cf. etiam pactum inter Alfonsum et Pisanos a. 1256, Mart. 18 initum; Saint Priest, Conquête de Naples t. I, p. 356; Böhmer-Ficker 5486.* 6) *Cf. Lib. III, 688 et Lib. V, 32 et 49; Potthast 17054, 17468, 17482.*

469.

Alexander IV papa Zachariae, Nicolao et Bibulo natis quondam Sergii de Bibulo, civibus Brundusinis, concedit bona Ayroldi de Ripalta, qui civitatem Brundusinam Manfredo prodiderit et patrem eorum et alios probos civitatis eiusdem interfici procuraverit.
1257, Nov. 21.

Al. IV Reg. Vol. II, 129; Lib. IV, 82. Epistola non ante a. 1258, Febr. exeunt. registrata est. Exemplar tabularii collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Posse l. c. edidit.

Posse, Analecta Vaticana p. 127, n. 8.

Nobilibus viris Zacharie, Nicolao et Bibulo fratribus, natis quondam Sergii de Bibulo, civibus Brudunensibus[a].

Consuevit sedes apostolica more pii patris habere inter cetera hoc in voto, hiis, qui propter eam dispendia patiuntur, prosperitatis et gaudii munera afferre libenter ac exhibere grate consolationis affectum. Gerentes igitur erga vos paterne compassionis viscera, quorum pater pro puritate fidei et ecclesie Romane fidelitate servanda morte turpissima extitit condempnatus et qui in bonis estis plurima dampna perpessi, ac volentes vos ex hoc favore prosequi gratie specialis, omnia bona mobilia et immobilia Ayroldi de Ripalta[1], ipsius ecclesie infidelis, qui civitatem Brundusinam prodidit in manibus Manfredi quondam principis Tarentini[2] et dictum patrem vestrum et alios probos viros ipsius civitatis interfici procuravit, nec non domum que dicitur Margariti in Brundusio existentem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ad demanium curie spectantem, vobis vestrisque heredibus imperpetuum concedimus de gratia speciali. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Viterbii, XI Kalendas Decembris, anno tertio.

470.

Alexander IV papa [Henrico III] regi Anglorum scribit se ad reformandum negotium regni Siciliae, quod cum ipso et Eadmundo nato eius rege Siciliae ecclesia susceperit, magistrum Arlotum subdiaconum et notarium suum transmittere et omnes poenas, quae in privilegio concessionis Eadmundo de eodem regno factae adiectae sint, usque ad Kal. Iun. proximas suspendere. *1257, Dec. 12.*

Al. IV Reg. Vol. II, 103; Lib. III, 761. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1257, § 40—41 edidit, contulimus cum Regestis et cum authentico ap. Rymer, l. c. t. I, pars I, p. 366 [A.].

Potthast, Reg. 17105; Capasso, l. c. n. 271.

. . regi Anglorum illustri.

Ad reformandum negotium regni Sicilie, quod tecum et cum karissimo in Christo filio nostro Eadmundo nato tuo Sicilie rege illustre[b] ecclesia Romana suscepit, et ad reparandum illud in prosecutionis statum, a quo propter obmissiones et protractiones[c] diversas cadere videbatur, dilectum filium magistrum Arlotum subdiaconum et nota-

---

a) Bruduneñ *in marg.:* Brunduneñ *in rubro; leg.* Brundusinis. b) *ita R.* c) *A.;* procurationes *R.*

1) *Cf. Iamsilla, l. c. p. 581 E et Winkelmann, Acta t. I, p. 593, n. 752.* 2) *A. 1257 ante Mai. 29; Böhmer-Ficker 4658b.*

rium nostrum[1], de cuius fide plene confidimus, duximus de fratrum nostrorum consilio transmittendum, concessa sibi expressius sub certa forma super reformatione ipsius negotii usque ad Kalendas Iunii proximas per alias nostras litteras facultate. Quoniam autem ante omnia tibi ad nuntiorum tuorum[2] instantiam et alias etiam per nostre sollicitudinis studium sic duximus providendum, quod tu excommunicationis sententiam seu aliquas ex penis, que in privilegio concessionis, innovationis et confirmationis[3], quas prefato Eadmundo super predicto regno fecimus, continentur, propter defectus aliquos a te circa predictum commissos negotium nullatenus incurristi et regnum tuum non subiaceat[a] ecclesiastico interdicto[4]; super provisione huiusmodi contra penas easdem tibi et regno ipsi a nobis facta plene[b] tibi decernimus auctoritate presentium esse cautum tam ad conscientiam quam ad famam, ut presertim maculatus reatu vel nota periurii nullatenus censearis[c]. Ut autem super eisdem penis sic tibi prospiciatur in posterum et predicti reformationi negotii sic oportunitas temporis quomodetur[d], quod non contingat illud in grave dispendium ecclesie ac ipsius regni perniciem protelari, penas omnes in predicto contentas privilegio usque ad predictas Kalendas presentium auctoritate suspendimus, ita presertim, quod interim occasione quorumcumque defectuum a te in eodem negotio commissorum tu excommunicationis sententiam vel reatum aut notam periurii non incurras, nec regnum tuum subiaceat ecclesiastico interdicto, nec nos predictas innovationem, concessionem et confirmationem cassemus, irritemus aut cassas vel irritas nuntiemus, nec de ipso regno interim[e] aliter quomodolibet disponamus, sed ius, quod prefato regi Sicilie ex innovatione, concessione et confirmatione sibi super eodem regno factis a nobis extitit acquisitum, eidem et heredibus suis usque tunc salvum maneat et illesum, sicut erat, postquam eedem innovatio, concessio et confirmatio fuerunt eidem in memorato privilegio per nos facte. Ad cuius suspensionis irrefragabile testimonium presentes litteras fore decernimus efficaces.

Dat. Viterbii, II Idus Decembris, anno tertio[f 5].

471.

Alexander IV papa [Petro] episcopo Clusino mandat, ut relaxet excommunicationis et interdicti sententias in civitatem Clusinam pro eo latas, quod quondam Friderico II adhaeserit et cum ipso episcopo et praeposito ecclesiae S. Mustiolae Clusinae super iurisdictione temporali civitatis contenderit, cum inter partes concordia provenire credatur.

1257, Dec. 13.

Al. IV. Reg. Vol. II, 101; Lib. III, 750. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Episcopo Clusino.

Olim inter te tuamque ecclesiam, . . prepositum ecclesie sancte Mustiole Clusine ac earundem ecclesiarum capitula ex parte una et . . potestatem, consilium et commune

a) subiacet *A.* b) *A.; plena R.* c) *A.; sentiaris R.* d) comodetur *A.* e interim — regi *in margine superiore paginae add.* f) *'Plumbeo sigillo a filo canabi' Rymer annotavit.*

1) *De hoc cf. etiam Nicolai de Curbio V. Innoc. IV, c. 40 ap. Baluze, Misc. t. VII, p. 401. Eum papa regi Angliae commendavit per ep. Potthast 16955, quae eodem fere tempore scripta est; cf. not. 2.*
2) *Nuntii regis erant [Rudolfus] archiepiscopus Tarantasiensis, [Willelmus] Bathoniensis et Wellensis et [Laurentius] Roffensis episcopi et Nicolaus de Plimton archidiaconus Norfolciae; Potthast 16955; cf. 17134. Willelmus episcopus Bath. et Well. a. 1257, Dec. 7 testis Viterbii fuit; Lib. IV, 37.*
3) *Scil. in privilegio a. 1255, Apr. 9; Potthast 15784; quod papa ipse ibidem ita appellavit.*
4) *Cf. n. 445.*
5) *A. 1258, Ian. 19 papa Arloto concessit, ut praefatum terminum a Kalendis Iunii proximi usque ad tres menses prorogaret; Potthast 17156. Arlotus a. 1258 inter Mart. 17—23 in Angliam pervenit; Matth. Paris. a. 1258; SS. t. XXVIII, p. 379.*

Clusinos ex altera super temporali iurisdictione civitatis Clusine, domibus, vineis, nemoribus et aliis diversis articulis questio mota fuit et propter hoc materia multe turbationis exorta, et tam occasione huiusmodi questionis quam pro eo etiam, quod iidem potestas, consilium et commune quondam Frederico Romanorum imperatori contra ecclesiam adheserunt, dicuntur in eos auctoritate apostolica diverse interdicti et excommunicationum sententie promulgate[1]. Cum igitur inter te ac commissum tibi populum super hiis amicabilis concordia provenire credatur, nos, cupientes inter vos haberi mutuam caritatem et habitam conservari, mandamus, quatinus postquam super huiusmodi controversiis in dilectum filium . . abbatem monasterii de Spineto[2] ordinis Vallis Umbrose Clusine diocesis extiterit iuxta mandati nostri tenorem a partibus sollempniter compromissum et de servando ipsius abbatis arbitrio seu laudo prestite fuerint cautiones, dictas sententias iuxta formam ecclesie auctoritate nostra relaxes, iniuncto eis nichilominus quod videris iniungendum, — non obstante[a] si tibi et eisdem preposito et capitulis a sede apostolica sit indultum, quod eedem sententie relaxari non possint per ipsius sedis litteras, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, vel qualibet alia indulgentia diete sedis cuiuscumque tenoris, per quam id valeat impediri.

Dat. Viterbii, Idibus Decembris, anno tertio[3].

472.

Alexander IV papa capitulo Magdeburgensi scribit Ludolfum, pro episcopo Halberstadensi se gerentem, comitatum Sehusen et tria castra Iohanni et Ottoni marchionibus Brandeburgensibus in feudum concessisse, quae [Volradus] episcopus Halberstadensis, cum ea de manibus marchionum eripere nequeat, per quandam permutationem in ecclesiam Magdeburgensem transtulerit; papa id confirmat. 1257, Dec. 22.

Al. IV Reg. Vol. II, 118; Lib. IV, 29. Pertzii exemplar, collatum cum Regestis, contulimus cum apographo authentici in archivo Berolin. servati, quod V. Cl. W. Wattenbach scripsit.

Potthast, Reg. 17122; v. Mülverstedt, Reg. archiep. Magd. t. II, p. 633, n. 1435; Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberstadt t. II, p. 189, n. 951.

Capitulo[b] Magdeburgensi.

Hiis, que ab ecclesiarum personis pro ipsarum utilitatibus provide disponuntur, libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant, que nostro fuerint presidio communita. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod licet felicis recordationis I. papa predecessor noster et nos post latam depositionis sententiam in Ludulphum, qui tunc pro episcopo Halbestadensis[c] ecclesie se gerebat, omnes alienationes, infeudationes, locationes et contractus quoslibet per eundem L. de castris, villis, possessionibus et aliis bonis ad ipsam ecclesiam spectantibus in eiusdem ecclesie preiudicium initos sive habitos decernentes irritos et inanes[4], ea omnia ad ius et proprietatem ipsius ecclesie duxerimus revocanda, nichilominus tamen idem L. comitatum qui

---

a) *ita R.* b) archiepiscopo et dilectis filiis capitulo *A.* c) *ita R. et A.*

1) *De eadem re fusius narrant Alexander IV sub a. 1260, Mai. 25 et Urbanus IV sub a. 1262, Sept. 25; Cod. dipl. d'Orvieto in Docum. di Storia Ital. t. VIII, p. 228, n. 370 et p. 235, n. 380; cf. ibid. n. 371, 373, 410.* 2) *In Valle Orciae, ex sept. Radicofani.* 3) *Eodem die episcopo et praeposito praedictis et eorum capitulis facultatem concessit, ut in abbatem de Spineto de eadem re compromitterent et ad observationem arbitrii eius se et successores suos sub certa poena obligarent; Lib. III, 749.* 4) *Cf. n. 405 III.*

Sehusen[1] dicitur et tria castra ad dictam ecclesiam spectantia nobilibus viris Iohanni et Ottoni marchionibus Brandeburgensibus, receptis ab ipsis tribus milibus marcarum et quadringentis marcis argenti, capituli Halberstadensis ad id non accedente consensu, de facto, cum de iure nequiverit, in feudum dare presumpsit, marcas ipsas in usus proprios convertendo. Verum venerabilis frater noster . . Aberstadensis[a] episcopus et idem capitulum, attendentes quod ipsi comitatum et castra eadem de ipsorum nobilium manibus propter eorum potentiam eripere non valebant, quamquam iidem nobiles super restitutione comitatus et castrorum ipsorum auctoritate apostolica moniti fuerint diligenter, comitatum et castra predicta in vestram ecclesiam trastulerunt[b 2], prestitis iuramentis et cautionibus hinc inde exhibitis necessariis receptisque a vobis et vestra ecclesia nomine ipsius Halberstadensis ecclesie duobus aliis castris et quodam annuo redditu[3] nec non et quatuor milibus marcarum et quingentis marcis argenti, quas dicti episcopus et capitulum in solutionem debitorum prefate Halberstadensis ecclesie, que absorbebatur[c] usurarum voragine, converterunt. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc provide factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Viterbii, XI Kalendas Ianuarii, anno quarto[d 4].

473.

Alexander IV papa magistro Guisoni praeposituram Frizlariensem secundum sententiam H[ugonis] tituli S. Sabinae presbyteri cardinalis confirmat, Widukindum de Waldeke ab ea sententialiter amovens, inserto tenore sententiae eiusdem cardinalis a. 1257, Nov. 26 latae. 1258, Ian. 18.

Al. IV Reg. Vol. II, 121; Lib. IV, 43. Exemplar tabularii, collatum cum Regestis, contulimus cum illo, quod Finke, l. c. edidit.

Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 277, n. 595.

Magistro Guisoni[5] preposito ecclesie Frillariensis[e] Maguntine diocesis.

Ea, que iudicio vel concordia etc.: communiri. Cum itaque in causa, que vertebatur inter te ac Windekyndum de Waldeke[6] canonicum Padeburnensem super preppositura ecclesie Frislariensis, quam uterque vestrum ad se spectare dicebat, post varios processus habitos in eadem dilectum filium nostrum H. tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem concesserimus partibus auditorem, idem cardinalis, cognitis cause meritis et iuris ordine observato ac a nobis de pronuntiando et sententiando super hoc speciali

a) Alberstadensis *A.* b) *ita R. et A.* c) *A.;* absolvebatur *R.* d) *A. appendet bulla plumbea sub filo serico rubei flavique coloris.* e) *ita in marg. et rubro.*

1) *Ex sept. civ. Oschersleben.* 2) *A. 1257, Iun. 13; Schmidt, l. c. t. II, p. 173, n. 929—936.* 3) *Redditum centum marcarum fuisse legimus in ep. Lib. IV, 35; Potthast 17154, in qua papa a. 1258, Ian. 18 [Volrado] episcopo et capitulo Halberstadensibus alienationem factam confirmavit.* 4) *Cf. Potthast 17153. De pacto inter ecclesiam Magdeburgensem et Ottonem marchionem de comitatu illo a. 1259, Mai. 12 inito cf. Mülverstedt, l. c. t. II, p. 646, n. 1467.* 5) *Hic iam a. 1256, Ian. 4 apud curiam papalem erat; cf. p. 389, lin. 41. A. 1257, Iul. 6 Viterbii magister Ciso praepositus Frislariensis testis reperitur sub instrumento Hugonis cardinalis, quod papa a. 1257, Iul. 28 confirmavit; Potthast 16951a.* 6) *Filium Adolfi comitis de Waldeke, generalis iustitiarii Willelmi regis; Böhmer-Ficker 5246.*

mandato recepto, te ac partis alterius procuratore[a] presentibus dixit, pronuntiavit et declaravit sententialiter supradictam preposituram cum iuribus et pertinentiis suis ad te pertinere de iure, ac quicquid de illa factum est in persona tua, confirmans et dictum procuratorem ipsius V. nomine ac per eum prefatum W. sententialiter amovens a prepositura iamdicta, sibi super ea duxit perpetuum silentium imponendum, in fructibus perceptis ex ipsa prepositura et in viginti marcis argenti Coloniensis pro expensis a te in lite factis taxatione prehabita et iuramento secuto prefatum procuratorem iamdicti W. nomine ac ipsum W. tibi nichilominus condempnando, prout in instrumento publico confecto exinde ac ipsius cardinalis signato sigillo plenius continetur. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem cardinali super hoc factum est — non obstante appellatione ab ipsa sententia ad nos a parte altera interposita, quam reputamus frivolam — ratum habentes et gratum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem instrumenti eiusdem presentibus de verbo ad verbum inseri facientes; qui talis est:

In nomine Domini amen. Orta iamdudum inter dilectos in Christo magistrum Guisonem Maguntinum et Windekindum de Waldeke Padeburnensem canonicos super prepositura Frislariensis ecclesie Maguntine diocesis materia questionis, post varios processus habitos in eadem dominus papa nos, fratrem Hugonem tituli Sancte Sabine presbyterum cardinalem, in questione huiusmodi concessit partibus auditorem. Dicto itaque magistro G. personaliter et Gallutio procuratore dicti Windekindi pro eo comparentibus[b] coram nobis, ex parte dicti magistri G. libellus oblatus extitit in hunc modum:

Coram vobis venerando patre domino H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali partibus auditore concesso dicit et proponit magister Guiso prepositus ecclesie Frislariensis Maguntine diocesis contra Windekandum de Waldeke canonicum Frislariensis ecclesie predicte diocesis, quod cum dicta prepositura ad ipsum Guisonem de iure pertineat ex canonica collatione sibi facta et fuerit eidem auctoritate apostolica adiudicata, prefatus Windekindus preposituram ipsam nichilominus contra iustitiam detinet occupatam, asserens se ius habere in ea de facto, cum de iure non habeat. Unde petit per vos, venerande pater, dictam preposituram cum iuribus et pertinentiis suis ac fructibus medio tempore ex eis perceptis sententialiter declarari ad eundem Guisonem pertinere de iure, et quicquid factum est de ea in persona[c] ipsius, auctoritate apostolica confirmari et corroborari, et eundem Windekindum ab eadem prepositura sententialiter ammoveri et super ipsa sibi perpetuum silentium imponi, cum nullum ius habeat in eadem. Petit expensas factas et faciendas, quas oportuno tempore declarabit.

Lite vero super dicto libello legitime contestata, prestito a partibus iuramento, factis hinc inde positionibus et responsionibus subsecutis, proponens dictus magister Guiso per confessionem adversarii sui plene constare preposituram vacasse predictam per mortem quondam Echardi[d] prepositi Frislariensis ecclesie supradicte ac ipsius preposture collationem ad venerabilem patrem . . Maguntinum archiepiscopum pertinere ipsumque et predecessores illius in possessione conferendi eandem a tempore cuius non extat memoria extitisse, ad probandam dictam preposituram vacantem per mortem iamdicti E. ab eodem archiepiscopo sibi canonice fuisse collatam ipsamque postmodum per . . decanum Warmaciensem eiusque collegas auctoritate apostolica adiudicatam et super ea perpetuum dicto Windekendo impositum esse silentium litteras archiepiscopi memorati super dicta collatione confectas eiusque sigillo munitas[e] et sententiam dictorum

a) procuratore *superscr.* b) competentibus *R.* c) personam *R.* d) Eichardi *legit F.*
e) munitis *R.*

iudicum eorundem sigillis et inscriptione testium roboratam exhibuit et ostendit, asserens predictam sententiam iamdudum prolatam in rem transisse iudicatam, cum nec ab ea fuerit appellatum nec ab adversa parte propter eius contumaciam ex ea potuerit appellari.

Verum econtra dictus procurator prefati archiepiscopi collationem ex eo non valere dicebat, quod excommunicatus erat eo tempore, quo dictam preposituram predicto magistro Guisoni dicitur contulisse, per sententiam a nobis tempore legationis nostre in eundem archiepiscopum et alios nova recipientes pedagia prolatam Leodii anno Domini M°CC LIII in autumpno [1], et quia dictus magister Guiso plura beneficia ecclesiastica curam animarum habentia sine dispensatione sedis apostolice obtinebat, proponens nichilominus prefatum V.[a] per litteras bone memorie . . Albanensis episcopi, quondam a[b] partibus Alamanie apostolice sedis legati [2], super provisione in dicta Frislariensi ecclesia de personatu seu dignitate, cum ad id se offerret oportunitas, facienda concessas eidem, dictam preposituram predicte vacationis tempore fuisse canonice assecutum. Super quibus formatis quibusdam articulis ad probandum eos predictus procurator se petebat admitti.

Sed ad hoc predictus magister Guiso contrario respondebat nos tamquam de facto proprio certos esse nullam in dictum archiepiscopum anno Domini proximo supradicto Leodii protulisse sententiam nec ibidem eo tempore nos fuisse, quod et idem magister Guiso nitebatur ostendere ex data plurium litterarum nostrarum, quas post recessum nostrum de Leodio [3] per Treverim [4], Metim [5] et Bisuntium transitum faciendo in regressu nostro ad sedem apostolicam duximus concedendas; subiungens etiam quod ex mera liberalitate prefati archiepiscopi, non ex litteris impetratis, prepositura sibi collata fuerat antedicta, prout ex tenore litterarum ipsius archiepiscopi apparebat, ac alia eius beneficia omnino vacare volebat, prout essent de iure vacatura, postquam dictam preposituram, que ipsius erat ultimum beneficium, pacifice fuisset adeptus, si eum super hoc obtentu[c] sedis apostolice dispensatio non iuvaret. Adiecit quoque dictus magister Guiso, [quod][d] per formam litterarum dicti domini Albanensis ab adversario allegatam de dicta prepositura, que, sicut patet ex confessione dicti procuratoris, curam habet animarum annexam, de qua in eisdem litteris mentio facta fuisse non dicitur, ex adverso supradicto W. non potuerat provideri propter rationes maxime in predicta sententia dictorum iudicum assignatas; contra quam sententiam nulla prorsus appellatione suspensam, per quam dicto W. super dicta prepositura perpetuum silentium erat impositum, que[e] iam in rem transierat iudicatam, locum a prefato procuratore proposita non habebant, et quod oblati super hiis articuli[f] frustra petebantur admitti, quorum probationem asserebat non debere prodesse probanti.

Rursus procurator asseruit supradictus dictorum iudicum nullam esse sententiam ipso iure, pro eo quod non dicto libello, lite non contestata, maxime cum ageretur

a) *sequitur:* prefatam preposituram per b) *leg.* in c) *obtentu cuius dispensationem speraverit, excidit.* d) quod *deest R.* e) quē *R.* f) articulis *R.*

1) *Gerhardus archiepiscopus ab Hugone propter pedagia a. 1252 excommunicatus est; Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. t. II, p. 317, n. 26 et 52. Fortasse hoc Leodii autumno a. 1252 factum est; legatum a. 1252, Aug. 8 Treveris, ab Oct. 29 — Dec. 19 Coloniae reperimus; Görz, Mittelrhein. Reg. t. III, n. 961; Kluit, Hist. Hollandiae t. II, pars II, p. 638; Görz, l. c. n. 977 et sequ.; Cod. dipl. Nassoic. t. I, p. 362, n. 581; Ennen, Quellen t. II, p. 330, n. 316. Per instrumentum Hugonis datum Leodii a. 1253, Apr. 15 Gerhardus absolutus est; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 320, n. 51. Cum excommunicatus esset, a. 1253, Ian. 21 Frizlariae erat; ibid. p. 319, n. 42.* 2) *A. 1250; cf. p. 32, not. 1.* 3) *Ultimo eum Leodii invenimus a. 1253, Iun. 25; Wirtemb. U. B. t. V, p. 26, n. 1263.* 4) *Ibi eum invenimus a. 1253, Iul. 5—14; Görz, l. c. t. III, n. 1033 et sequ.* 5) *Cf. p. 205, not. 6. Sed legatus archiepiscopum a. 1253 denuo excommunicavit; cf. p. 240, not. 4.*

coram dictis iudicibus non de obtinendo beneficio sed obtento, dicto W. absente non per contumaciam, pretermisso iuris ordine, prolata fuerat, et quod appensa sigilla in predicta sententia non erant iudicum eorundem.

Ad quod predictus magister Guiso taliter respondebat, quod de libelli oblatione facta coram dictis iudicibus, de contumacia partis adverse, et quod non de obtento beneficio actum fuerit, presertim cum idem magister G. nec sit nec fuerit hactenus corporalem dicte prepositure pacificam possessionem adeptus, nec non et de iuris ordine ab eisdem iudicibus observato[a] tam ex processibus quam ex forma sententie ipsorum iudicum in iudicio exhibitis sub sigillis eorum evidenter constabat, et quod de sigillis eisdem ex multorum fidedignorum testium, quos super hiis iuratos recepimus, depositionibus diligenter redactis in scriptis et partibus publicatis nobis facta fuerat plena fides.

Nos igitur hiis et aliis auditis, que partes voluerunt proponere coram nobis, et diligenter consideratis, iuribus partium plene discussis, diligenti deliberatione prehabita, recepto de pronuntiando et sententiando super premissis a domino nostro summo pontifice speciali mandato, habito iuris peritorum consilio, dicti procuratoris articulis tamquam impertinentibus[b] non admissis, dicimus, pronuntiamus et sententialiter declaramus sepedictam preposituram cum iuribus et pertinentiis suis ad prefatum magistrum Guisonem pertinere de iure, et quicquid de ea factum est in persona ipsius confirmantes, supradictum procuratorem nomine dicti W. et per ipsum procuratorem prefatum W. ab eadem prepositura sententialiter amovemus, super ipsa sibi perpetuum silentium imponentes, in fructibus perceptis ex dicta prepositura et in viginti marcis argenti Coloniensis pro expensis in lite factis taxatis et iuratis dictos procuratorem et W. per sententiam condempnantes. In cuius rei testimonium presens publicum instrumentum scribi et publicari fecimus per magistrum Stephanum dictum de Pyre clericum Bisuntinum notarium nostrum et nostro sigillo muniri. Lata fuit hec sententia Viterbii apud fratres Predicatores in hospitio nostro, anno Domini M°CC°LV°II, die V° exeunte mense Novembris, indictione prima, tempore domini Alexandri pape IIII, pontificatus eiusdem anno tertio, presente me subscripto notario et testibus infrascriptis, videlicet . . episcopo Kiemensi[1], Iohanne preposito de Repin[2] Havesbergensis diocesis, Hugone canonico Treverensi[3], Adolfo canonico Pruvensi[4] Treverensis diocesis, magistro Leone et Wolrico canonicis Ratisponensibus[5], Henrico canonico Pataviensi, magistro Alberto canonico Misnensi et pluribus aliis. Et ego Stephanus predictus auctoritate apostolica publicus notarius, quia predictis interfui, predicta de mandato predicti domini cardinalis scripsi et in publicam formam redegi et meo signo signavi.

Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Februarii, anno quarto.

474.

Alexander IV papa [Margaritae] reginae Francorum indulget, ut iuri, quod ipsi ex successione paterna in comitatu Provinciae competat, per litteras apostolicas obtentas vel obtinendas nullum praeiudicium valeat generari. *1258, Ian. 23.*

Al. IV Reg. Vol. II, 125; Lib. IV, 62. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Posse, Analecta Vaticana p. 12, n. 144; falso sub Febr. 23.

---

a) observata *R.* b) impertientibus *R.; cf. Ducange sub 'impertinentia'.*

1) *Cf. n. 464.* 2) *Ruppin.* 3) *De hoc cf. Potthast 16951a.* 4) *Ut videtur Prüm, ubi etiam ecclesia b. Mariae extitit; Mittelrhein. U. B. t. III, p. 1110.* 5) *Cf. sub n. 478.*

Illustri regine Francorum.

Quanto personam tuam in Domino sinceriori affectione diligimus et specialius proponimus honorare, tanto libentius petitionibus tuis benignum impertimur auditum et liberalius exauditionis ianuam aperimus, maxime que iustitiam sapiunt et continent equitatem. Meruerunt hoc enim non solum tua verum etiam progenitorum tuorum magnifica opera, quibus inter ceteros claruerunt, quorum memoria deleri non potest, dum nobis meritorum suorum gratiam reliquerunt in suis. Propter quod nos, tuorum parentum fidelem constantiam, qua Romane ecclesie matri sue in omnibus eius oportunitatibus placuere, tuam quoque obsequendi promptitudinem ab eisdem traductam parentibus non immerito recolentes, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut per litteras sedis apostolice cuiuscumque tenoris obtentas hactenus vel imposterum obtinendas nullum iuri tuo, quod tibi ex successione paterna[1] in comitatu Provincie competit, valeat preiudicium generari[2]. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Viterbii, X Kalendas Februarii, anno quarto.

475.

Alexander IV papa decano et custodi ecclesiae S. Leonardi Argentinensis dioecesis mandat, ut ad provisionem praepositi Argentinensis, nati domini de Gerolseke, et Conradi clerici consanguinei eius, fratris dominorum de Lichtemberc, iuxta litteras eisdem concessas procedant. *1258, Febr. 21.*

Al. IV Reg. Vol. II, 126; Lib. IV, 64. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Decano et custodi ecclesie sancti Leonardi[3] Argentinensis diocesis.

Ex parte dilectorum filiorum . . prepositi Argentinensis[4], nati nobilis viri domini de Gevolseke[a] [5], et Conradi clerici consanguinei sui, fratris dominorum de Lytemberc[6], Argentinensis diocesis fuit propositum coram nobis, quod dilectus filius noster P. Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus[7], ipsos obtentu nobilium eorundem, qui personaliter in eisdem partibus generalis ecclesie negotium prosequentes ad ipsius promotionem personas et bona fideliter exponebant, in suos capellanos admisit. Verum quia postmodum super revocationibus certarum provisionum et receptionum canonicorum prebendas expectantium ultra quaternarium numerum vacaturas a nobis certe constitutiones emanarunt[8], iidem capellani, ne per constitutiones ipsas eis preiudicium generetur, apostolice sedis gratiam implorarunt. Nos autem, obtentu nobilium eorundem specialem dictis capellanis gratiam facientes, mandamus, quatinus ipsos in ecclesiis, a quibus sunt per constitutiones ipsas exclusi, ad ius, quod ex gratiis sibi factis ratione provisionum seu receptionum huiusmodi competebat eisdem, auctoritate nostra restituentes, ad provisionem eorum in ipsis

---

a) *ita R.*

1) *Cf. t. II, p. 114, n. 152.* 2) *Cf. Sternfeld, Karl v. Anjou p. 147 et Urb. IV Reg. Lib. II, 9; Potthast 18415.* 3) *Ex sept. cir. Barr.* 4) *Walteri; cf. n. 149.* 5) *Walteri.* 6) *Cf. n. 197.* 7) *Ut videtur, cum iterum legatus esset a. 1254, Apr. — 1255, Apr.; cf. p. 359, not. 2; nam Walterus a. 1250 undeviginti annos natus erat; cf. n. 24; sed initio a. 1248 canonicus Argentinensis iam erat; Berger 3581.* 8) *Cf. n. 391.*

ecclesiis per vos vel per alium seu alios — constitutionibus predictis nequaquam obstantibus — procedatis iuxta formas suis executoribus traditas in premissis; contradictores etc.

Dat. Viterbii, VIIII Kalendas Martii, anno quarto.[1]

476.

Alexander IV papa Clarae natae quondam Ieremiae de Polenta Ravennatis diocesis confirmat quasdam possessiones Lunensis diocesis, quas G. papa progenitoribus quondam Guidonis de Polenta ob devotionem eorum concesserit et I[nnocentius] III papa eidem Guidoni confirmarit. *1258, Mart. 20.*

Al. IV Reg. Vol. II, 132; Lib. IV, 93. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili mulieri Clare nate quondam Ieremie de Polenta[2] Ravennatis diocesis.

Cum a nobis petitur etc. usque: ad effectum. Eapropter, dilecta in Christo filia, tuis iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possides aut in futurum iustis modis prestante Domino poteris adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem fundum Burgandentum, Frassenetum, Casacutulam et res alias in Lunensi diocesi constitutas, quas ut asseris felicis recordationis G.[3] papa predecessor noster progenitoribus quondam Guidonis de Polenta avi tui intuitu devotionis, quam ad Romanam habebant ecclesiam, dinoscitur concessisse, quasque felicis recordationis I[nnocentius] papa III[4] predecessor noster dicto Guidoni, cuius tu et Guido Rizutus ac Guido de Polenta fratres, consobrini tui, estis heredes, sub annuo censu duodecim solidorum Lucensium confirmavit, pro ea portione, qua te contingunt, sicut illam iuste ac pacifice possides, sub parte dicti census pro rata huiusmodi portionis auctoritate tibi apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus — non obstante[a] quod dicti consobrini tui veritate tacita nulla de te mentione facta sibi supradicta omnia ex integro confirmari, ut dicitur, per sedem apostolicam procurarunt, aut aliis quibuscumque litteris super hiis per veri suppressionem a sede obtentis eadem. Nulli — nostre protectionis et confirmationis etc.

Dat. Viterbii, XIII Kalendas Aprilis, anno quarto.

477.

Alexander IV papa [Waltero] episcopo Tornacensi mandat, ne defendat, quominus bigami et viduarum mariti clericalem deferentes tonsuram in collectis villae Brugensis contribuant. *1258, Mart. 28.*

Al. IV Reg. Vol. II, 134; Lib. IV, 100. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

a) *ita R.*

1) *Pro civitate Argentinensi Potthast 17159 et 17224.* 2) *Ex occ. civ. Cesena.* 3) *Hic Gregorius VIII, a. 1187, Oct. 21 — Dec. 17, fuisse videtur; sed ap. Iaffé-Löwenfeld, Reg. pont. litteras de hac re scriptas non invenimus. Possessiones praedictas de terra comitissae Mathildis fuisse suspicamur.* 4) *Ita sine dubio recte scriptum; nam Innocentii IV nomini Alexander numerum 'IV' non apponebat.*

Episcopo Tornacensi.

Ex parte dilectorum filiorum scabinorum et universitatis ville Brugensis tue diocesis fuit propositum coram nobis, quod nonnulli bigami et viduarum mariti, clericalem deferentes tonsuram, illius pretextu statutis[a] patrie subiacere ac in talliis, collectis et aliis oneribus dicte ville, sicut ceteri eiusdem laici, contribuere indebite contradicunt, in eorum preiudicium et gravamen. Quocirca mandamus, quatinus, si est ita, tales, quominus eisdem statutis subiaceant et in premissis talliis, collectis et oneribus contribuant, ut tenentur, aliquatenus non defendas.

Dat. Viterbii, V Kalendas Aprilis, anno quarto.

478.

Alexander IV papa [Palmerio] episcopo Tricaricensi mandat, ut postquam inquisitionem de [Alberto] episcopo Ratisponensi fecerit, et ipsum et capitulum Ratisponense ad sedem apostolicam citet. *1258, Apr. 21.*

Al. IV Reg. Vol. II, 137; Lib. IV, 130. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Episcopo Tricaricensi.

Cum ad clamosam et importunam instantiam dilectorum filiorum . . prepositi et capituli Ratisponensium tibi negotium inquisitionis super diversis articulis contra venerabilem fratrem nostrum . . Ratisponensem episcopum per nostras litteras sub certa forma duxerimus committendum[1], mandamus, quatinus, postquam in negotio ipso processeris iuxta traditam tibi formam, tu partem utramque peremptorie auctoritate nostra citare procures, ut infra duos menses post citationem tuam per se vel procuratores ydoneos compareant coram nobis, iustam dante Domino sententiam recepture. Diem vero citationis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes exponere fideliter non omittas.

Dat. Viterbii, XI Kalendas Maii, anno quarto.

479.

Alexander IV papa [Palmerio] episcopo Tricaricensi mandat, ut de vitio nefandissimo [Alberti] episcopi Ratisponensis inquirat. *1258, Apr. 27.*

Al. IV Reg. Vol. II, 136; Lib. IV, 118. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Posse, Analecta Vaticana p. 13, n. 149.

Episcopo Tricaricensi[2].

Post multa enormia cordis nostri gravissime pungitiva, que procuratores Ratisponensis capituli de venerabili fratre nostro . . episcopo Ratisponensi nobis olim pluries[b]

---

a) statuti *R.* b) *litt.* i *superscr.*

1) *Cf. n. 463 et 467. A. 1257, Dec. 11 papa decano S. Andreae Frisingensis ad preces magistri Leonis canonici Ratisponensis mandaverat, ut postquam idem L. pro suis et ecclesiae Ratisponensis negotiis iter ad sedem apostolicam arripuisset, quicquid in eius praeiudicium attemptatum inveniret, in statum debitum revocaret; Lib. IV, 103. A. 1258, Ian. 8 decano S. Viti Frisingensis mandaverat, ut episcopum Ratisponensem compelleret ad exequendum mandatum, quod ab Innocentio IV in favorem eiusdem Leonis recepisset sed executus non esset; Lib. IV, 18; cf. p. 440, lin. 30.* 2) *Cf. n. 478.*

Ephes. 5, 6

retulerunt, eo tandem in nostra et fratrum nostrorum presentia constituto fuit propositum, quod episcopus ipse de vitio nefandissimo, propter quod ira Dei venit in filios diffidentie, infectus existat et graviter diffamatus. Cum autem detestatio vitii huiusmodi, non solum auditu set etiam horribilis cogitatu, et odor bone fame, quo specialiter redolere debet episcopus, nos compellant plenam obtinere de hoc notitiam et scientiam manifestam, mandamus, quatinus ad Ratisponensem civitatem et diocesim te personaliter conferens et hoc denuntians eidem episcopo, tu super vitio ipso a testibus fide dignis earundem civitatis et diocesis ac aliis, quos videris expedire et per quos id melius sciri possit, cuiuslibet diffugii et appellationis impedimento cessante veritatem diligenter inquiras. Si vero prefatus episcopus testes, quos contra eum duxeris admittendos, voluerit reprobare, tu illos, qui pro parte sua super reprobatione huiusmodi producti fuerint, infra duos menses, computandos a tempore, quo testes supradictos ibidem receperis, nec non alios, quos pars eiusdem capituli super reprobatione testium ipsius episcopi infra duos alios menses illis immediate proximos producere voluerit, prudenter recipere ac diligenter examinare procures. Que autem inveneris super negotio memorato et dicta omnium testium productorum fideliter in scriptis redacta tu nobis personaliter studeas presentare. Testes autem, qui etc. usque: perhibere. Ceterum, ne dicti sceleris veritatem pretextu occasionum, quibus digne obviare possumus, occultari contingat, volumus, ut omnes illos, qui tibi ad testificandum super eo necessarii vel utiles videbuntur, si forsitan per episcopum ipsum a tempore, quo pro parte dicti capituli fuit ab eo ad sedem apostolicam appellatum, excommunicati fuerunt hactenus vel pendente negotio fuerint in futurum, ita propter hoc per te vel per alium nostra vice absolvas, quod de notoriis excessibus, pro quibus huiusmodi excommunicatione tenentur astricti, prius satisfaciant competenter et super dubiis de parendo iuri prestent ydoneam cautionem.

Dat. Viterbii, V Kalendas Maii, anno quarto.

480.

Alexander IV papa abbati de Amelungesbernen mandat, ut cum redditus ecclesiae Hildeshemensis guerra per duodecim annos in illis partibus durante destructi sint, proventus praepositurae S. Mauricii et thesaurariae Hildeshemensis, quae per promotionem [Iohannis] ad episcopatum Hildeshemensem vacent, in solutionem debitorum ecclesiae Hildeshemensis per quinquennium convertat. 1258, Apr. 29.

Al. IV Reg. Vol. II, 136—137; Lib. IV, 125. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Finke, l. c. edidit.

Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 280, n. 597.

. . abbati monasterii de Amelungesbernen[a1] Cisterciensis ordinis Hildesemensis diocesis.

Cum ex iniuncto nobis apostolatus officio omnium ecclesiarum curam et sollicitudinem gerere teneamur[b], libenter, quantum cum Deo possumus, utilitatibus ipsarum intendimus et indempnitatibus precavemus. Exhibita siquidem nobis venerabilis fratris

---

a) Amelungesberneñ *R.* b) tenemur *R.*

1) *Amelunxborn ex sept. civ. Holzminden.*

nostri . . episcopi et dilectorum filiorum . . decani et capituli ecclesie Hildesemensis petitio continebat, quod bone memorie Henricus Hildesemensis episcopus[1] predecessor episcopi supradicti prefatam ecclesiam obligavit nonnullis creditoribus non modica pecunie quantitate, propter quod magno gravata est onere debitorum, cuius redditus guerra per[a] duodecim annos in partibus illis durante[2] destructi sunt et adeo diminuti, quod non solum idem episcopus creditoribus satisfacere nequit, quin immo sustentari non potest de redditibus memoratis. Cum autem capitulum ecclesie sancti Mauricii Hildesemensis de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine ad preposituram ipsius, cum eam vacare contingit, teneantur eligere in eorum prepositum aliquem de capitulo ipsius ecclesie Hildesemensis, dictaque prepositura et thesauraria eiusdem Hildesemensis ecclesie per promotionem ipsius episcopi ad predictam Hildesemensem ecclesiam[3], qui ipsas olim obtinuit, vacare dicantur, nos, eorundem episcopi, decani et capituli ecclesie Hildesemensis supplicationibus inclinati, circa eandem ecclesiam gerentes super hoc pie compassionis affectum, mandamus, quatinus prepositure, si ad hoc capitulorum ipsorum accedat assensus, nec non et thesaurarie predictarum proventus, si dictis episcopo, decano et capitulo Hildesemensibus placeat, per quinquennium ad tuas manus recipiens, proventus ipsos convertas integraliter in solutionem huiusmodi debitorum, contradictores etc.: proviso quod prepositura et thesauraria predicte debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura, si qua ipsis imminet, nullatenus negligatur.

Dat. Viterbii, III Kalendas Maii, anno quarto.

481.

Alexander IV papa omnes servos et ancillas Ecelini de Romano haeretici et Alberici germani eius, fautoris haereticorum, qui omnibus privilegiis a sede apostolica concessis privatus sit, plenariae libertati tradit. *1258, Iul. 3.*

Al. IV Reg. Vol. II, 144; Lib. IV, 170a. Exemplar, quod Verci, Storia degli Ecel. t. III, p. 399 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17331.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia homines natura pares peccati servitus fecit esse subiectos, iustum profecto videtur, ut qui ab eo, a quo est omnis potestas in celo et in terra, concesso sibi dominio abutuntur, ingratitudinis merito in servos sibi commissa potestate priventur, et qui Deo potius quam hominibus obedientes dominorum nequitiam zelo fidei contra Christum sequi contempnunt, ut vere sint liberi, ab omni servitute humana pro premio eximantur, quatinus hoc exemplo persecutores ecclesie et catholice fidei condigne punctionis aculeo urgeantur, ut, si possibile sit, a sua perversitate resiliant et se convertant ad studium devotionis debite ac viam veritatis agnoscant, sitque fidelibus in gaudium intendere virtutum cultui, dum sibi provenientibus gratiarum premiis perspiciunt reprobos pro iniquitate sua deprimi et bonorum penitus ubertate privari. Sane Eczelinus de Romano tamquam hereticus dudum ab ecclesiastica unitate precisus extitit et Albericus germanus eius per nos tamquam fautor et defensor hereticorum est vinculo excommunicationis astrictus ac privatus omnibus indulgentiis et privilegiis sibi ab apostolica sede

---

a) *corr. ex* propter.

1) *Obierat a. 1257, Mai. 25.* 2) *Cf. t. II, p. 162, n. 215 et supra n. 427.* 3) *Iohannes episcopus electus est a. 1257, Iun. 13; Döbner, U. B. d. St. Hildesheim t. I, p. 124, n. 247.*

Iob 41, 15. Is. 57, 20. concessis[1]. Sed ipsi cordibus suis induratis velut malleatoris incus quasi mare fervent et ecclesiam ac devotos ipsius tamquam hostes et persecutores catholice fidei spiritu ad superbiam obfirmato non desinunt impugnare. Quia vero dignum est, ut Eezelinus et Albericus predicti de iniquitate sua doleant se iacturam aliquam reportasse, omnes servos et ancillas ipsorum cum eiusdem conditionis filiis et nepotibus, qui redierunt vel redibunt ad ecclesie unitatem et in eiusdem obedientia et devotione permanserint, cum suo peculio de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica tradimus plenarie libertati et eos liberos esse decernimus, ita quod ipsi peculia sua libere valeant retinere et ea libertate gaudere, qua gauderent, si liberi nati essent. Nulli — nostre traditionis et constitutionis etc.

Dat. Viterbii, V Nonas Iulii, anno quarto[2].

482.

Alexander IV papa Pisanis, cum super omnibus, ex quibus guerrae inter ipsos et Ianuenses exortae fuerint, arbitrio papali compromiserint, mandat ad praesens, salvis aliis mandatis, ut Ianuensibus firmam pacem de cetero servent. *1258, Iul. 6.*

Al. IV Reg. Vol. II, 144; Lib. IV, 173a. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1258, § 33—35, contulimus Regestis.

Potthast, Reg. 17333; Posse, Analecta Vaticana p. 13, n. 153.

. . potestati, capitaneo, consilio et populo Pisanorum[a].

Inter alia, que nobis ex suscepte incumbunt officio servitutis, animarum precipue nos convenit invigilare saluti, ut eas regi regum, qui nos illarum licet inmeritos voluit preesse regimini, lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Ad hoc enim nostra intendit intentio, hoc totis complectimur desideriis, circa id continue meditatio nostra versatur et ad id operam iuxta insufficientie nostre possibilitatem efficaciter adhibemus, ut singuli erectis ad Deum oculis affectibusque directis tutis ad ipsum sub conscientie pure fiducia tendant gressibus, ab eo sine fine perennem gloriam habituri. Sane, sicut olim accepimus et referimus cum dolore, pacis invidus et seminator discordie tantum inter vos et dilectos filios cives Ianuenses odium seminavit, quod invalescente guerra gravissima inter partes, alter alterius destructionem in personis desideravit hactenus et in rebus; ex quo inter alia miserabile regnum Ierosolimitanum, multis attritum et concussum angustiis et pressuris, ad extremam poterat desolationem perduci[3], in derogationem et contemptum fidei Christiane; propter quod nos, licet immeriti iuxta
Ierem. 1, 10. verbum prophete constituti super gentes et regna universe terre, in quibus Dominus invocatur, volentes animarum et personarum periculis obviare, ad vos tamquam ad devotos ecclesie filios venerabilem fratrem nostrum . . Messanensem archiepiscopum[4] duximus destinandum. Vos vero, qui hactenus ecclesie Romane paruistis reverenter

---

a) Pisañ *R.; in n. 173e* Pisanorum.

1) *Cf. n. 348. Albericus a. 1257, Mai. 8 cum fratre suo se reconciliaverat; Ann. Veron. a. 1257; SS. t. XIX, p. 15. De Ezelino cf. etiam Böhmer-Ficker 5495.* 2) *Eodem die [Bartholomaeo] Vicentino et [Alberto] Tervisino episcopis mandavit, ut libertos illos manutenerent; Lib. IV, 170b; Posse, l. c. n. 152; Potthast 17332 sub Iul. 4. A. 1258, Apr. 26 episcopo Tervisino mandaverat, ut contra Ezelinum in Lombardia, Romaniola, patriarchatu Aquilegiensi, regno Alamanniae et Venetiis crucem praedicaret; Potthast 17249.* 3) *Cf. Ann. Ianuen. a. 1258; SS. t. XVIII, p. 238.* 4) *Iohannem, qui ad Ianuenses quoque destinatus erat; ad Venetos [Guillelmum] archiepiscopum Panormitanum [quondam episcopum Olenensem; cf. Lib. IV, 46] miserat; Lib. IV, 173c.*

monitis et mandatis[1], zelantes pacem et concordiam et bonum statum regni predicti ac augmentum fidei orthodoxe, ad nos super hiis sollempnes ambaxatores et nuntios[2] destinastis, qui plenum et sufficiens a vobis mandatum habentes super omnibus, ex quibus dissensionis et guerre inter vos et eosdem Ianuenses exorta fuerat materia, precise compromiserunt vestro nomine arbitrio, laudo, dispositioni et ordinationi nostre sub certa pena stare, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos itaque, qui cunctis Christi fidelibus pacem et concordiam procurare tenemur ex officio pastorali, volentes vobis et ipsis, quos sincera in Domino caritate complectimur, salubri super hoc remedio providere, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, presentium vobis tenore tam apostolica quam arbitraria seu compromissaria potestate districte precipiendo mandantes ad presens, salvis aliis mandatis vobis semel et pluries a nobis in posterum faciendis, quatinus dictis Ianuensibus et eorum iurisdictioni subiectis pacem firmam de cetero et inviolabilem ubique servetis, ab omni molestia et offensione ipsorum Ianuensium et eorum ditioni subiectorum tam in terra quam in mari ubique per vos et vestre ditioni subiectos desistentes omnino, eos secure ad civitatem et districtum vestra et loca vobis subiecta venire et per ipsa ire et in ipsis morari et redire sine aliqua lesione vel impedimento personarum et rerum libere permittendo; et ut inter partes ex nunc omnis cesset materia dissensionis et guerre, vos in civitate vestra infra triduum a receptione presentium faciatis voce preconia publice proclamari, ut omnes concives vestri omnesque, quos ditio vestra regit, Ianuensibus et subiectis eisdem concordiam et pacem observent ipsosque in aliquo non offendant, sed secure in societatibus, mercimoniis et aliis utantur ubilibet cum eisdem, mandantes nichilominus in proximo passagio mensis Augusti vel ante, si fieri poterit, per nuntium et litteras speciales consulibus, admiratis seu capitaneis Pisanorum et aliis Pisanis in Ultramarinis partibus existentibus et alibi, ubicumque fuerint, qualiter in huiusmodi negotio, super quo in nobis compromissum est, existat processum, et quod legatus seu nuntius apostolice sedis ad partes Ultramarinas celeriter transmittetur ad pacem et concordiam peragendam ac solidandam super omnibus, super quibus orta est discordia inter partes, et quod iidem pacem et concordiam teneant et observent Ianuensibus et subiectis[a] eisdem et cessent omnino ab offensionibus eorundem. Volumus insuper et mandamus, ut eo tempore, quo legatus seu nuntius apostolice sedis propter hoc ad partes Ultramarinas accesserit seu applicaverit, nuntii seu procuratores vestri, habentes a vobis super omnibus negotium contingentibus mandatum sufficiens, super quo compromissum est in nobis, ad reformationem pacis et ad omnia, que necessaria sunt ad eam, in civitate Acconensi compareant coram eo, ita quod eos non oporteat ex aliqua causa occasione dicti negotii ad vos iterum habere recursum. Ad hec precipimus et mandamus, quod nullum stolium, armamentum seu navalem exercitum galearum, navium seu quorumcumque lignorum ultra mare mittatis, litteras quoque nostras, quas Ianuensibus, Pisanis et Venetis commorantibus in Ultramarinis partibus destinamus[3], una cum vestris litteris predicta continentibus celeriter destinetis eisdem; mandatum

a) subiectos *R.*

1) *Cf. p. 391, not. 2. A. 1258, Ian. 29 Pisanos rogaverat, ut civitati Lucanae seu parti Guelforum nullam guerram hoc praesertim tempore facerent sed eis contra Manfredum quondam principem Tarentinum eiusque fautores, qui totius Tusciae libertatem ancillare conarentur, oportunum auxilium praeberent; Potthast 17165 a. Et Ianuenses et Veneti cum Manfredo pacta inierant; Böhmer-Ficker 4664—4667, 4676, 4692, 4693, 4704, 4709.* 2) *Nomina nuntiorum partium ap. Ann. Ian. l. c.* 3) *Lib. IV, 173c sub eodem die. Veneti et Pisani contra Ianuenses coniuncti erat.*

nostrum super hiis taliter impleturi, quod huiusmodi discordia Deo previo reformata vobis et dictis Ianuensibus exinde divine retributionis premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Viterbii, II Nonas Iulii, anno quarto[1].

483.

Alexander IV papa Iohanni rectori S. Christofori extra muros Leodienses et Bechinis parrochiae ipsius ecclesiae indulget, ut extra civitatem Leodiensem per litteras apostolicas in causam trahi nequeant. *1258, Aug. 7.*

Al. IV Reg. Vol. II, 152—153; Lib. IV, 220. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Iohanni rectori ecclesie sancti Christofori extra muros civitatis Leodiensis et dilectis in Christo filiabus[a] Bechinis habitantibus in parrochia ipsius ecclesie.

Desideriis vestris in hiis affectu benivolo libenter annuimus, per que materia summota gravaminis vestri status tranquillitas procuretur. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut tu, fili rector, vel aliqua vestrum, filie Beghine, extra civitatem Leodiensem trahi non possitis in causam per litteras sedis apostolice vel legatorum ipsius, nisi littere sedis eiusdem de indulgentia huiusmodi plenam et expressam fecerint mentionem: presentibus post quinquennium minime valituris. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Viterbii, VII Idus Augusti, anno quarto.

484.

Alexander IV papa decano S. Salvatoris Metensis mandat, ut [Iacobo] episcopo Metensi occasione debitorum excommunicato beneficium absolutionis impendat. *1258, Dec. 4.*

Al. IV Reg. Vol. II, 159; Lib. IV 254. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Decano Sancti Salvatoris Metensis.

Cum venerabilis frater noster . . episcopus Metensis occasione debitorum, in quibus tenetur nonnullis mercatoribus Senensibus, sententia excommunicationis apostolica fuerit auctoritate ligatus et tandem inter eum et dictos mercatores mediante dilecto filio nostro H[ugone] tituli Sancte Sabine presbytero cardinali sub certa forma extiterit ordinatum, discretioni tue de assensu et voluntate procuratorum mercatorum eorundem per apostolica scripta mandamus, quatinus eidem episcopo super eadem sententia beneficium absolutionis impendas[2].

Dat. Anagnie, II Nonas Decembris, anno quarto.

---

a) *ita in marg.;* fil' *in rubro.*

1) *In eundem modum Ianuensibus eodem die scriptum est; Lib. IV, 173b. De dissensione, quae inter Pisanos et Ianuenses super villa S. Giliae Calaritanae diocesis vertebatur, papa sub Iul. 6 et 7 scripsit Lib. IV, 173d et e; Potthast 17335 et 17336; cf. 17428.* 2) *Cf. n. 459. Frater episcopi Rainaldus comes de Castris [cf. p. 217, not. 2] et nepos Fridericus dux Lotharingiae Alfonso regi favebant; Böhmer-Ficker 5501, 5502.*

485.

Alexander IV papa Henrico abbati Fuldensi confirmat curam monasterii Hersfeldensis, ab H[ugone] tituli S. Sabinae presbytero cardinali tunc legato ei commissam, postquam Wernherus quondam abbas Hersfeldensis primo a legato et post novam occupationem de mandato apostolico amotus fuerit. *1258, Dec. 11.*

Al. IV Reg. Vol. II, 166; Lib. IV, 303. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Henrico abbati monasterii Fuldensis ordinis sancti Benedicti Herbipolensis diocesis[a].

Ex tua et dilectorum filiorum . . decani, . . prepositi et conventus monasterii Hersfeldensis ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis petitione accepimus[1], quod cum Wernherus quondam abbas monasterii eiusdem regimini abbatie ipsius primo sponte cessisset ac eam postmodum per violentiam occupasset, tandem dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, eum exinde amoveri exigente iustitia faciens ac attendens dictum monasterium, quod per malitiam et incuriam prefati Werucheri[b] erat non modicum in spiritualibus temporalibusque collapsum, per tuam industriam posse in utrisque feliciter reformari, curam et administrationem ipsius monasterii tam in spiritualibus quam in temporalibus auctoritate sue legationis tibi commisit usque ad nostre beneplacitum voluntatis[2]. Cumque postmodum supradictus W. monasterium ipsum denuo per laicalem potentiam occupasset[3] ac nos dilectis filiis . . de Slutere[4] et . . de Arnespurch[5] abbatibus dedissemus sub certa forma per nostras litteras in mandatis[6], ut, si esset ita, eundem W. a dicto monasterio ammoverent, contradictores etc.: idem abbas de Slutere ac dilectus filius . . decanus ecclesie sancte Marie in Campis Maguntine, cui prefatus abbas de Arnespurc commisit super hoc, prout ex beneficio nostrarum litterarum dictarum habebat, totaliter vices suas, quia eis de premissis legitime constitit, memoratum Weruherum[c] iuxta tenorem litterarum ipsarum ab eodem monasterio sententialiter amoverunt. Quare pro parte dictorum decani, prepositi et conventus humiliter petebatur a nobis, ut cum idem monasterium per te utilius quam per alium secundum temporis imminentis exigentiam gubernari ac reformari valeat et a malignorum incursibus defensari, huiusmodi commissionem tibi de dicto monasterio factam a cardinali prefato apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque, ipsorum ac tuis supplicationibus inclinati, commissionem eandem ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, III Idus Decembris, anno quarto.

---

a) *ita in marg.; rubra desunt in Lib. IV inde ab ep. 293.* b) Weruch̄ *R.* c) Weruh̄ *R.*

1) *Cf. n. 400.* 2) *In n. 488 legimus rectius 'usque ad apostolice sedis beneplacitum voluntatis', nam res tempore Innocentii IV facta est, ut videtur a. 1253; cf. n. 498.* 3) *Haec occupatio eadem fuisse videtur, quam supra commemoravit; cf. n. 400 et 498 et Chron. abb. Fuldens. ap. Schannat, Hist. Fuld. Cod. prob. p. 11.* 4) *Schlüchtern inter cir. Fulda et Gelnhausen.* 5) *E. mer. cir. Giessen.* 6) *Hoc factum est post n. 400 et, ut videtur, non multo ante hanc ep.; cf. n. 488. A. 1258, Iul. 1 Wernherus in pacifica possessione abbatiae Hersfeldensis adhuc fuisse videtur; Böhmer-Will, Reg. archiep. Magunt. t. II, p. 343, n. 221.*

486.

Alexander IV papa magistro Sigero canonico S. Stephani Maguntini, nuntio Gerhardi archiepiscopi Maguntini, pro expediendis negotiis suis contrahendi mutuum 150 marcarum sterlingorum facultatem concedit. *1259, Ian. 2.*

Al. IV Reg. Vol. II, 187; Lib. V, 4. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Magistro Sigero canonico ecclesie sancti Stephani Maguntine, nuntio venerabilis fratris nostri Gerhardi archiepiscopi Maguntini.

Cum, sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, pro expediendis venerabilis fratris nostri G. archiepiscopi et ecclesie Maguntinorum[a] negotiis te subire oporteat onera expensarum: ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos, tuis precibus inclinati, contrahendi propter hoc mutuum usque ad summam quadringentarum et quinquaginta marcarum sterlingorum novorum ac predictum archiepiscopum et successores suos et predicte ecclesie bona creditoribus obligandi ac renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis nec non et conventioni iudicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cuiuscumque tenoris imposterum impetrari contigerit, plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, ita tamen quod archiepiscopus et successores predicti huiusmodi pecuniam solvere nec non et ad dampna, expensas et interesse, si in termino a te statuendo pecunia eadem persoluta non fuerit, teneantur et dictis creditoribus pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis aut cuiuscumque privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem et per que archiepiscopus et successores predicti amplius in aliquo se tueri possint, dictam pecuniam in utilitatem ipsius ecclesie versam esse probandi necessitas non incumbat.

Dat. Anagnie, IIII Nonas Ianuarii, anno quinto[1].

487.

Alexander IV papa [Gregorio de Montelongo] patriarchae Aquilegiensi mandat, ut Bertholdo electo Bambergensi, qui ob debita ecclesiae suae sedem apostolicam adire nequeat, si electio eius canonice celebrata fuerit, munus consecrationis impendat.

1259, Ian. 11.

Al. IV Reg. Vol. II, 187; Lib. V, 6. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 17449.

. . patriarche Aquilegensi[b][2].

Ex parte dilectorum filiorum . . prepositi, . . decani et capituli ecclesie Bambergensis fuit propositum coram nobis, quod eadem ecclesia, que ad Romanam ecclesiam

---

a) Maguntiñ *R.* b) *ita in marg.; rubra ad solas epp. 1—5 huius libri picta sunt.*

1) *Idem magister Sigerus a. 1259, Sept. 22 Erfordiae sub instrumento Gerhardi archiepiscopi testis reperitur, per quod idem recognocit, in quibus debitis patri Conrado comiti Silvestri et Emichoni fratri suo obligatus esset; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 348, n. 257.* 2) *Ecclesia Bambergensis magna territoria in Carinthia possedit.*

nullo medio pertinet, pastoris regimine destituta[1], ipsi, prout moris est convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata dilectum filium Bertholdum eiusdem ecclesie canonicum, virum utique providum et discretum ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, in suum episcopum et pastorem canonice ac concorditer elegerunt[2], nobis humiliter supplicantes, ut cum eadem ecclesia, cuius possessiones et bona a nonnullis detinentur, tanta prematur sarcina debitorum, ut idem electus propter hoc nequeat absque ipsius ecclesie gravi dispendio personaliter sedem apostolicam adire pro confirmationis et consecrationis munere obtinendo, confirmari electionem huiusmodi et impendi eidem electo consecrationis munus — non obstante constitutione a nobis edita, ut electi ecclesiarum, que ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinent, ad eandem sedem pro consecratione sua personaliter teneantur accedere[3] — in illis partibus faceremus. Nos igitur, ipsos super hoc eiusdem electi meritis ac progenitorum suorum, quam ad Romanam habuerunt ecclesiam, devotione ac fidelitate pensatis[4] favore specialis gratie prosequentes, fraternitati tue de fratrum nostrorum consilio presentium auctoritate mandamus, quatinus inquisita de modo electionis, studiis eligentium et electi meritis diligentius veritate, si electionem ipsam inveneris de persona ydonea canonice celebratam, ipsam auctoritate nostra confirmans, eidem electo ascito tibi legitimo episcoporum numero munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus ab eo postmodum pro nobis et ecclesia Romana fidelitatis solite iuramentum iuxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin eadem electione cassata mandes prefatis preposito, decano et capitulo, quod eidem Bambergensi ecclesie de persona ydonea per electionem canonicam studeant providere; contradictores etc. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, de verbo ad verbum nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium nuncium studeas quantotius destinare.

Dat. Anagnie, III Idus Ianuarii, anno quinto[5].

488.

Alexander IV papa abbati de Urowe de Wernhero quondam abbate Hersfeldensi simili modo scribit atque in n. 485; mandat, ut Henricum abbatem Fuldensem in possessionem monasterii Hersfeldensis inducat. *1259. Ian. 20.*

Al. IV Reg. Vol. II, 203; Lib. V, 99. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . . abbati monasterii in Urowe[6] ordinis sancti Benedicti Herbipolensis diocesis.

Dilecti filii . . abbas Fuldensis et . . decanus. . . prepositus et conventus monasterii Herfeldensis[a] ordinis sancti Benedicti sua nobis petitione monstrarunt, quod

a) *ita R.*

1) *Cf. p. 430, not. 4.* 2) *A. 1257: Ussermann p. 155.* 3) *Hanc constitutionem ignoramus; cf. similem Lib. III, 615; Potthast 16958.* 4) *Bertholdus e genere comitum de Liningen, frater Henrici electi Spirensis erat.* 5) *Eidem patriarchae papa a. 1257. Iun. 10 indulserat, ut ad solutionem feudorum et aliarum concessionum, quas quondam B[ertholdum] praedecessorem eius propter importune petentium instantiam et malitiam temporis facere oportuisset, non teneretur; Lib. III, 364; cf. etiam Potthast 17312 et 17314.* 6) *Aura prope cir. Kissingen.*

cum Wernherus quondam abbas ipsius monasterii ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis Maguntine diocesis abbatiam eiusdem monasterii, cuius regimini primo sponte cesserat, per violentiam occupasset, dilectus filius noster H. tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus, ipsum exinde amoveri exigente iustitia faciens et attendens, quod dictum monasterium, quod per malitiam et incuriam eiusdem W. erat non modicum in spiritualibus temporalibusque collapsum, per industriam Henrici abbatis monasterii Fuldensis poterat in utrisque feliciter reformari, curam et amministrationem ipsius tam[b] in spiritualibus quam in temporalibus auctoritate sue legationis commisit eidem abbati Fuldensi usque ad apostolice sedis beneplacitum voluntatis. Cumque postmodum supradicto W. prefatum monasterium Hersfeldense denuo per secularem potentiam occupante nos . . de Sluthere et . . de Arnspurg abbatibus Maguntine et Herbipolensis diocesum dedissemus sub certa forma nostris litteris in mandatis, ut, si esset ita, dictum W. ab eodem Hersfeldensi monasterio amoverent, contradictores per censuram etc.: idem abbas de Sluthere et . . decanus ecclesie sancte Marie in Campis Maguntine, cui dictus abbas de Arnspurg commiserat in hoc, prout ex beneficio dictarum litterarum nostrarum habebat, totaliter vices suas, quia eis de premissis legitime constitit, sepedictum W. iuxta tenorem litterarum ipsarum a nominato monasterio Hersfeldensi per diffinitivam sententiam amoverunt. Cum autem ipsius cardinalis commissionem et sententiam huiusmodi auctoritate apostolica duxerimus confirmandas, mandamus, quatinus, si est ita, sepefatum abbatem Fuldensem in corporalem possessionem iamdicti Hersfeldensis monasterii auctoritate nostra per te vel per alium iuxta tenorem commissionis premisse inducas et inductum hac vice, sicut iustum fuerit, tuearis; contradictores etc.

Dat. Anagnie, XIII Kalendas Februarii, anno quinto.

489.

Alexander IV papa decano et capitulo Bisuntinis quandam indulgentiam de non recipiendis canonicis concedit. *1259, Ian. 25.*

Al. IV Reg. Vol. II, 188; Lib. V, 11. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . decano et capitulo Bisuntinis.

Meritis vestre devotionis inducimur, ut vos specialis favore gratie prosequentes, que digne deposcitis, paterna benivolentia compleamus. Sane presentata nobis ex parte vestra petitio continebat, quod licet olim per constitutionem nostram receptiones canonicorum prebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis preter quasdam irritas decreverimus[a] et inanes[1], tamen nos vigintiquinque ac pluribus ecclesie vestre canonicis, quorum receptiones cassate erant per constitutionem eandem, ius canonicatus, quod eis ex prefatis receptionibus in eadem ecclesia fuerat acquisitum, per diversas litteras restituimus de gratia speciali, quorum octo admisisse dicimini auctoritate huiusmodi litterarum, qui non sunt adhuc prebendas in eadem ecclesia assecuti. Cum igitur non existat nostre intentionis super tot canonicorum restitutionibus ecclesiam gravare predictam sed potius ipsam a futuris gravaminibus, quantum cum Deo possumus, preservare: ut ultra predictos octo pretextu restitutionis huiusmodi per litteras apostolicas

---

a) tam *superscr.* b) decrevimus *R.*

1) *Cf. n. 391.*

obtentas seu etiam obtinendas, nisi de hac indulgentia et eius tenore ac de numero canonicorum prebendas ibidem expectantium vacaturas expressam fecerint mentionem, admittere aliquos minime teneamini, vobis auctoritate presentium indulgemus, decernentes nichilominus irritas et inanes excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in vos vel aliquem vestrum contra huiusmodi indulti tenorem contigerit promulgari. Nulli — nostre concessionis et constitutionis etc.

Dat. Anagnie, VIII Kalendas Februarii, anno quinto[1].

490.

Alexander IV papa M[argaritam] comitissam Flandriae et Hanoniae cum comitatibus, terris et iuribus sub protectione sua suscipit. *1259, Ian. 27.*

Al. IV Reg. Vol. II, 210; Lib. V, 112. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili mulieri M. comitisse Flandrie ac Hayonie[a].

Efficax tue devotionis meretur affectus[b], ut personam tuam sincera diligentes in Domino caritate, ipsam apostolice protectionis clipeo muniamus. Hinc est, quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, personam tuam in devotione ecclesie persistentem cum comitatibus, villis, terris, iuribus et iurisdictionibus, que impresentiarum rationabiliter possides, sub nostra et apostolice sedis protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli—nostre protectionis etc.

Dat. Anagnie, VI Kalendas Februarii, anno quinto[2].

491.

Alexander IV papa [Thomae] episcopo Senensi mandat, ut potestatem, capitaneum et consiliarios Senenses inducat, ut statuta et stantiamenta contra libertatem ecclesiasticam condita infra duos menses amoveant. *1259, Mart. 23.*

Al. IV Reg. Vol. II, 201; Lib. V, 89. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis. Posse, Analecta Vaticana p. 14, n. 164.

Episcopo Senensi.

Cum simus[c] in eminenti specula licet immeriti constituti, tanto nos convenit sollicitius quieti ecclesiarum consulere et indempnitatibus precavere, quanto securius in ipsarum quiete quiescimus et in indempnitatibus delectamur. Sane mirantes accepimus et iusta ratione movemur, quod . . potestas, . . capitaneus et consiliarii Senenses, non-

a) *ita R.* b) effectus *R.* c) *litt.* i *corr. ex* u.

1) *Cf. n. 492.* 2) *Eodem die eidem, licet similes indulgentias Innocentii IV revocasset [cf. n. 408], attendens, quod filia [Balduini] imperatoris Constantinopolitani esset, necnon devotionem, quam ad papam et ecclesiam Romanam haberet, indulsit, ut in eam excommunicationis et interdicti sententiae promulgari non possent sine speciali mandato apostolico; Lib. V, 34. Apr. 5 eidem, quamdiu in viduitate permaneret, idem per septennium indulsit; Lib. V, 118. Mai. 15 eidem eandem epistolam, verbis paululum mutatis et deficiente termino 'per septennium', direxit; Lib. V, 140a; Posse, l. c. p. 14, n. 165.*

nulla ordinamenta, statuta et stantiamenta iuramento firmata contra ecclesiasticam libertatem condentes, tot onera et insolitas servitutes clericis et ecclesiis nec non bonis ecclesiarum frequenter imponunt, quod deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divine notitiam non habebat. Nolentes igitur, sicut nec debemus, talia, que sine salutis interitu committi non possunt, ab eisdem potestate ac aliis clausis oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, potestatem et alios predictos moneas attentius et inducas, quod — iuramento non obstante prefato — ordinamentis, statutis et statiamentis[a] huiusmodi de codicibus eorum infra duos menses post monitionem tuam prorsus amotis, ipsa seu quascumque consuetudines contra libertatem ecclesiasticam introductas aliquatenus non observent nec faciant ab aliis observari, quinimo a gravaminibus huiusmodi de cetero conquiescant. Alioquin tu eos ex tunc singulis diebus Dominicis et festivis per te vel alios pulsatis campanis excommunicatos publice nunties et facias ab aliis artius evitari: contradictores etc.

Dat. Anagnie, X Kalendas Aprilis, anno quinto[1].

492.

Alexander IV papa [Guillelmo] archiepiscopo, decano et capitulo Bisuntinis confirmat statuta edita contra nobiles vicinarum partium et vassallos ecclesiae Bisuntinae, qui contra eandem conspiravrint. *1259, Apr. 28.*

Al. IV Reg. Vol. II, 204; Lib. V, 107. Pertzii exemplar collatum cum illo, quod Gallia Christ. t. XV, Instrum. p. 89, n. 96 praebet, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17546.

. . archiepiscopo et decano et capitulo Bisuntinis.

Ea, que pro Deo dicatis personis ad reprimendum illorum insolentiam, qui clericis oppido sunt infesti, provide statuuntur, tanto amplius digna sunt apostolico munimine roborari, quanto tutius est in hiis per compendium circumspecte providentie ante tempus occurrere quam post commissum excessum et irrogatam iniuriam remedium invenire. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos, filii decane et capitulum, attendentes quod nobiles vicinarum partium et presertim ecclesie vestre vassalli, contra vos et eandem ecclesiam nequiter conspirantes ac in nonnullas vestre et aliarum ecclesiarum personas manus sacrilegas extendentes, quasdam ex ipsis ausu temerario capere et diro mancipare carceri presumpserunt, deliberato consilio provide statuistis[2], ut si aliquis laicus, cuiuscumque conditionis vel dignitatis fuerit, occiderit vel vulneraverit seu temere ceperit aliquem de canonicis ecclesie supradicte, filii eius per rectam lineam descendentes ab illo usque ad quartum gradum non possint in eadem ecclesia vestra locum seu[a] beneficium obtinere, tuo, frater archiepiscope, ad hoc accedente consensu, prout in litteris inde confectis ac sigillis vestris [munitis[b]] plenius asseritis contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, statutum huiusmodi ratum habentes et gratum, ipsum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, IIII Kalendas Maii, anno V[3].

---

a) *ita R.* b) seum *R.* c) munitis *deest R.*

1) *A. 1259, Mai. Senenses Manfredo se subiecerunt; Böhmer-Ficker 4699—4701; cf. etiam Potthast 17946.* 2) *A. 1257, Mai.; Gallia Christ. t. XV, Instrum. p. 88, n. 95.* 3) *A. 1259, Mai. 7 papa decano et capitulo Bisuntinis indulsit, ut quia ecclesiam eorum his diebus nobilium diocesis Bisuntinae pressuris expositam oporteret ministros instituere, per quos ab huiusmodi pressuris valeret respirare, de*

493.

Alexander IV papa [Guillelmo] Papiensi et fratri Raynerio Maynensi episcopis et priori Praedicatorum Papiensium mandat, ut Papienses, a fide quondam Fr[iderici II] ad ecclesiam redeuntes, a censuris ecclesiasticis absolvant, recepto iuramento de stando mandatis ecclesiae et in regem vel imperatorem Romanorum illum recipiendo, quem sedes apostolica approbarit. *1259, Apr. 30.*

Al. IV Reg. Vol. II, 191; Lib. V, 59. Pertzii exemplar, suppletum ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1259, § 9, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17555.

. . Papiensi et fratri Raynerio Maynensi[1] episcopis et . . priori fratrum Predicatorum Papiensium.

Miserationes et misericordias Domini, que super omnia opera sunt ipsius, et benig- (Ps. 144, 9) nitatis eius affluentiam circa genus considerantes humanum, in ipsius laudibus delectabiliter iocundamur, eique, a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, (Iac. 1, 17.) devotas et debitas gratias exsolventes, de noviter concepta letitia ingenti iubilo exultamus, quod videlicet misericors et miserator Dominus, qui nichil eorum que fecit odivit, (Sap. 11, 25.) nolens mortem peccatorum sed ut convertantur et vivant, nobilem virum . . potestatem, consilium et comune civitatis Papiensis, qui a longis retro temporibus, quasi cum morte fedus pepigissent, a devotione matris ecclesie dampnabiliter deviarant, ad devotionem ipsius non violenta manu sed veritatis spiritu misericorditer revocavit. Nuper namque dicti potestas, consilium et comune, qui Deum et Romanam ecclesiam graviter offenderunt, contra eam quondam Fr. olim Romanorum imperatori eiusque filiis et fautoribus in proprie salutis dispendium adherendo, ad cor divina gratia illustrante reversi, ad vitam ecclesiasticam, a qua dudum ob premissam causam per excommunicationum sententias precisi fuerant, redire humiliter affectantes, a sententiis huiusmodi per dilectos filios N. priorem et L. fratrum Domus Nove Papiensis ordinis Humiliatorum, procuratores et speciales nuntios suos, a nobis se absolvi multa devotionis instantia petierunt, parituros se mandatis nostris et ecclesie super hoc humiliter offerentes[2].

Nos igitur, illius, qui propter penitentiam peccata dissimulans parcendo ac miserando maxime suam omnipotentiam manifestat, in terris vicarii licet immeriti contituti, absolutionem querentes non vinculum animarum, mandamus, quatinus a potestate ac syndico consilii et comunis civitatis predicte de parendo mandatis nostris et ipsius ecclesie publice iuramento recepto, quod etiam a procuratoribus predictis recipi ad firmitatem maiorem fecimus, et iniuncto eisdem potestati, consilio et comuni vice nostra sub debito prestiti iuramenti, quod nulli deinceps contra predictam ecclesiam adherebunt, quodque in regem vel in imperatorem Romanorum illum recipient[3], quem apostolice sedis provisio approbabit, tam potestatem, consilium et commune predictos quam omnes alios universos et singulos de districtu civitatis eiusdem a predictis excommunicationum sententiis per vos vel per alios auctoritate nostra iuxta formam ecclesie absolvatis, ac relaxantes interdictum, cui occasione predicta civitas et districtus subiacent

---

personatibus, dignitatibus et officiis, cum vacarent, possent ordinare, prout ad ipsos pertineret; Lib. V, 110. Cf. etiam Potthast 17527a et Bibl. de l'école des chartes a. 1873, t. XXXIV, p. 395.

1) *In Peloponneso, ex sept. promontorii Matapan. De episcopo Raynerio de Papia ordinis Minorum cf. Lib. I, 498 et Lib. II, 244; Potthast 15925 et 16236.* 2) *Adhuc a. 1259, Febr. — Mart. Papienses cum Gibellinis Lombardiae coniuncti erant; Ann. Placent. Gib. a. 1259, SS. t. XVIII, p. 510.* 3) *Cf. Potthast 17512 et 17549.*

antedicti. potestatem. consilium et comune ac alios supradictos denuntietis et denuntiari faciatis in locis, in quibus expedire videritis, absolutos. Alia vero, que prefatis potestati, consilio et communi propter hoc secundum Deum iniungendum viderimus, nostre prudentie reservamus. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, II Kalendas Maii, anno quinto[1].

494.

Alexander IV papa magistro Iacobo de Castellione, consanguineo suo, electo Regino, qui propter potentiam Manfredi ecclesiam suam adire non possit, recipiendi ordines et munus consecrationis terminum prorogat. *1259, Mai. 6.*

Al. IV Reg. Vol. II, 209; Lib. V, 132b. Exemplar Pertzii contulimus cum Regestis.

Magistro Iacobo de Castellione, consanguineo nostro, electo Regino[2].

Cum propter adversam Manfredi quondam principis Tarentini, qui se facit regem Sycilie appellari, potentiam commissam tibi Reginam ecclesiam sine periculo persone adire ac in ea pastorale nequeas exercere officium, tuis supplicationibus inclinati, quod ad diaconatus et presbyteratus ordines promoveri ac ad recipiendum consecrationis munus, donec pacificam et quietam eiusdem ecclesie possessionem fueris assecutus, minime tenearis — constitutione, quam contra cathedralium ecclesiarum electos, quod infra sex mensium spatium huiusmodi consecrationis munus suscipere teneantur, edidimus[3], non obstante —, de gratia tibi concedimus speciali. Nulli — nostre concessionis etc.

Dat. Anagnie, II Nonas Maii, anno quinto[4].

495.

Alexander IV papa decano et capitulo Hammenburgensibus confirmat consuetudinem, secundum quam canonici praebendas minores in eadem ecclesia habentes ad maiores, cum vacent, tantummodo assumantur, si digniores existant. *1259, Mai. 14.*

Al. IV Reg. Vol. II, 205; Lib. V, 122. Pertzii exemplar, collatum cum Regestis, contulimus cum illo, quod Lappenberg, Hamburg. U. B. t. I, p. 525, n. 639 ex Lib. copial. capituli f. 8 edidit [A.]. Potthast, Reg. 17573 sub Mai. 15.

1) *Robolini, Stor. di Pavia t. IV, pars I, p. 155 refert epistolam huius tenoris a. 1259, Mart. 23 [ut videtur, legas Mai. 23] in palatio novo communis Papiae praesentatam esse. — Ann. Cremon. in Archiv. stor. Ital. a. 1856, Nuova Ser. t. III, p. 27 narrant: a. 1260 marchio Palavicinus 'fuit dominus civitatum Cremone, Brixie, Placencie, Terdone, Alexandrie, Papie, Turini, Mediolani'. De marchione cf. etiam Böhmer-Ficker 5363.* 2) *A. 1259, Mart. 11 papa eum ecclesiae Reginae diu vacanti de fratrum consilio praefecerat, non obstante aliqua electione vel postulatione contra constitutionem papalem generalem de ecclesiis regni Siciliae editam in ecclesia Regina facta; Lib. V, 132a; Potthast 17510; Posse, l. c. p. 14, n. 162.* 3) *Cf. p. 351, not. 4.* 4) *A. 1258, Nov. 20 papa Diasprum de Pyscro electum Umbriacensem, a canonicis ecclesia vacante electum et ab archiepiscopo S. Severinae confirmatum, confirmaverat; Lib. IV, 292. A. 1259, Iun. 25 papa commemoravit se Iohannem ministrum Minorum in provincia Barensi ecclesiae Barensi in archiepiscopum praefecisse; Potthast 17627. A. 1259, Mart. 13 archiepiscopum Cusentinum pro reformatione monasterii Virziliacensis Aeduensis diocesis destinavit; Lib. V, 79; Posse, l. c. p. 14, n. 163. A. 1259, Iun. 20 Iacobus archiepiscopus Sipontinus et magister Matthaeus de Salerno testes Anagniae fuerunt; Lib. V, 145.*

. . decano et capitulo ecclesie Hammenburgensis Bremensis diocesis.

Cum a nobis petitur etc. usque: ad effectum[a]. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod in ecclesia vestra de antiqua et approbata consuetudine fuit hactenus pacifice observatum, quod illi ex canonicis eiusdem ecclesie minores in ea prebendas habentibus ad maiores, cum vacant, tantummodo assumantur, qui digniores existunt et magis videntur ipsi ecclesie fructuosi. Quod si forte aliquam prebendam maiorem ibidem vacare contingat et nullus inter eos ad illam sufficiens reputetur, vos, ad quos prebendarum collatio pertinet in ecclesia memorata, prebendam huiusmodi persone ydonee confertis ipsamque recipitis ad eandem prebendam[b] in canonicum et in fratrem, prefatis canonicis tam diu prebendas maiores expectantibus, donec ad ipsas[c] suis exigentibus meritis assumantur. Quare pro vestra parte humiliter petebatur a nobis, ut huiusmodi consuetudinem laudabilem, ex qua non modicum divini cultus procedit augmentum, apostolico curaremus munimine roborare. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, consuetudinem ipsam, sicut rationabiliter obtenta est et hactenus pacifice observata, ratam et firmam habentes, eam auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, II[d] Idus Maii, anno quinto[1].

496.

Alexander IV papa [Hildeboldo] archiepiscopo Bremensi et Iohanni Lubicensi et Henrico Hamburgensi scolasticis, canonicis et procuratoribus ecclesiae Bremensis, pro expediendis negotiis suis contrahendi mutuum 2500 marcarum sterlingorum facultatem concedit. *1259, Iun. 11.*

Al. IV Reg. Vol. II, 208; Lib. V. 127. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . archiepiscopo Bremensi[2] et Iohanni Lubicensi et Henrico Hamburgensi scolasticis, canonicis et procuratoribus ecclesie Bremensis.

Cum, sicut in nostra proposuistis presentia constituti, pro expediendis tuis, frater archiepiscope, et ecclesie et capituli Bremensium negotiis vos subire oporteat onera expensarum, ne pro defectu ipsarum eadem inexpedita remanere contingat, nos, vestris supplicationibus inclinati, contrahendi mutuum propter hoc usque ad summam duorum milium et quingentarum marcarum sterlingorum ac te, frater archiepiscope, et dictum capitulum ac tuos et ipsius capituli successores et eiusdem ecclesie bona creditoribus obligandi et renuntiandi constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali et beneficio restitutionis in integrum et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis ac etiam impetrandis nec non et conventioni iudicum, si ipsorum creditorum nomine apostolicas litteras cuiuscumque tenoris imposterum impetrari contigerit, plenam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem, ita tamen quod tu, frater archiepiscope, et dictum capitulum ac successores predicti creditoribus ipsis huiusmodi

---

a) ad debitum perducatur effectum *A.; cf. t. I, p. XV, n. 1.* b) preb. eand. *A.* c) *sequitur in R. parvus locus rasus.* d) II *deest A.*

1) *Cf. etiam Potthast 17263.* 2) *A. 1259, Apr. 17 papa electionem eius confirmaverat; Potthast 17535; cf. etiam Hist. archiep. Brem. ap. Lappenberg, Gesch.-Qu. des Erzstifts und der Stadt Bremen p. 12.*

pecuniam solvere nec non et ad dampna, expensas et interesse tenemini, si in termino a vobis statuendo pecunia eadem dictis creditoribus non fuerit persoluta, quibus pretextu alicuius constitutionis canonice vel civilis aut cuiuscumque privilegii vel indulgentie, de quibus in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem et per que tu, frater archiepiscope, et capitulum ac successores predicti amplius in aliquo vos tueri possitis, dictam pecuniam in utilitatem ipsius ecclesie versam esse probandi necessitas non incumbat.

Dat. Anagnie, XVIII Kalendas Iulii, anno quinto[1].

497.

Alexander IV papa S. Burcardi et S. Stephani Herbipolensium et in Urowe abbatibus mandat, ut si Wernerus abbas Hersfeldensis per iudices a sede apostolica delegatos post appellationem suam excommunicatus fuerit, in causa eius ipsi procedant, alioquin eam ad examen iudicum illorum remittant. *1259, Iun. 19.*

Al. IV Reg. Vol. II, 213: Lib. V, 151b. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

..sancti Burcardi et . . sancti Stephani Herbipolensium et.. in Urowe Herbipolensis diocesis monasteriorum abbatibus[2].

Sua nobis Warnerus abbas monasterii Hersfeldensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis petitione monstravit, quod . . decanus et conventus ipsius monasterii Maguntine diocesis, falso asserentes quod ipse regimini abbatie ipsius monasterii cesserat et omnes sibi subditos ab obedientia qua sibi tenebantur absolverat, seque postmodum ad eiusdem monasterii regimen reassumi per secularem potentiam procurarat, dictum monasterium occupatum contra iustitiam detinendo, nec non quod Conradum prepositum celle sancti Iohannis ad dictum monasterium immediate spectantis cella eadem et quosdam alios monachos eiusdem monasterii obedientiis et officiis post appellationem ab eis ad sedem apostolicam interiectam contra iustitiam spoliarat, in eos et nonnullos dicti monasterii monachos diversis excommunicationum sententiis promulgatis, ad . . de Arnesburg et de . . Sluchene abbates Maguntine et Herbipolensis diocesum contra eum sub certa forma litteras apostolicas impetrarunt. Sed idem abbas Hesfeldensis[a] ex eo sentiens ab eodem abbate de Sluchere et decano Sancte Marie in Campis Maguntine, cui dictus abbas de Arnesburg super hoc vices suas commiserat, indebite se gravari, quod ad locum non tutum citabant eundem, alium sibi contra iustitiam denegantes assignare securum humiliter requisiti, ad sedem apostolicam appellavit. At iidem iudices huiusmodi appellatione contempta in eum excommunicationis sententiam promulgarunt. Quocirca mandamus, quatinus, si dictam excommunicationis sententiam post appellationem eandem temere inveneritis attemptatam[b], in causa ipsa iuxta priorum continentiam litterarum appellatione remota previa ratione procedatis. Alioquin partes ad predictorum abbatis de Sluchere et decani remittatis examen, appellantem in expensis legitimis condempnando. Testes etc. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, XIII Kalendas Iulii, anno quinto.

---

a) *ita R.* b) attemptatum *R.*

1) *Cf. etiam Potthast 17612 et 17613.* 2) *Cf. n. 488 et 498.*

498.

Alexander IV papa S. Burcharti et S. Stephani abbatibus et scolastico Novi Monasterii Herbipolensium narrat processum contra Wernherum abbatem Hersfeldensem habitum; mandat, ut, Wernhero ad abbatiam Hersfeldensem restituto, causam audiant et terminent. *1259. Iun. 27.*

Al. IV Reg. Vol. II, 212; Lib. V, 151a. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

. . sancti Burcharti et . . sancti Stephani monasteriorum abbatibus et scolastico ecclesie Novi Monasterii Herbipolensium.

Sicut dilectus filius Wernherus abbas monasterii Hersfeldensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Maguntine diocesis nobis exposuit[1], dudum . . priore et conventu ipsius monasterii falso imponentibus ei coram[2] clare memorie W. rege Romanorum, quod ipse bona monasterii dilapidabat eiusdem, dictus abbas ad tollendam materiam scandali consensit, ut ad tempus committeretur alii administratio bonorum monasterii memorati: propter quod idem rex administrationem bonorum ipsorum usque ad certum tempus abbati Fuldensi eiusdem ordinis Herbipolensis diocesis duxit de facto, cum de iure non potuerit, committendam. Postmodum vero dilectus filius noster H[ugo] tituli Sancte Sabine presbyter cardinalis, tunc in partibus illis apostolice sedis legatus[3], pro eo quod sibi suggestum fuerat dictum W. abbatem in manibus ipsius regis cessisse regimini abbatie prefati monasterii ac eundem regem propter hoc administrationem huiusmodi ad certum tempus commisisse abbati Fuldensi predicto, dilectis filiis . . Sancti Georgii[4] et . . de Billedehusen[5] abbatibus dedit per suas litteras in mandatis, ut, si esset ita, prefatum Wernherum ad cedendum regimini dicti monasterii per censuram ecclesiasticam cohartarent ac recepta cessione ipsius administrationem eiusdem monasterii in spiritualibus et temporalibus dicto abbati Fuldensi committerent usque ad ipsius cardinalis vel summi pontificis voluntatem. Sed iidem Sancti Georgii et de Billedehusen abbates, de hiis nullatenus cognito, cum alias de ipsis minime constitisset, administrationem huiusmodi monasterii abbati Fuldensi commiserunt eidem. Porro, cum dicti prior et conventus, demum considerantes attente quod administratio ipsius monasterii per eundem W. commodius et utilius quam per alium poterat exerceri, eum ad administrationem resumpsissent eandem, id demum tam bone memorie P[etri] Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis[6], tunc in predictis partibus fungentis legationis officio, quam litterarum nostrarum auctoritate extitit confirmatum[7]. Et licet idem W. post resumptionem et confirmationem huiusmodi administrationem ipsius monasterii gessisset per quatuor annos et amplius pacifice et quiete, dictus tamen abbas Fuldensis, procurantibus ut dicitur priore et conventu prefatis, eundem W. abbatia predicti monasterii, quam canonice adeptus fuerat et aliquamdiu possederat, sine lite per violentiam spoliavit eamque detinet in ipsius W. preiudicium et gravamen. Cum igitur spoliatis

---

1) *Cf. n. 485, 488, 497.* 2) *Chron. abb. Fuld. ap. Schannat, Hist. Fuld. Cod. prob. p. 11 narrat regem Fuldae lites monachorum Hersf., quas contra praelatum suum haberent, audivisse. Willelmus circa initium mensis Dec. a. 1252 in hac regione erat; cf. Böhmer-Ficker 5133, 5134.* 3) *Usque ad auctumnum a. 1253 legatus erat; cf. p. 205, not. 6.* 4) *An Vallis S. Georgii, Georgenthal e mer. civ. Gotha?* 5) *Ex sept. et or. civ. Kissingen.* 6) *Petrus obiit Mai. 19 [a. 1259]; Necrol. Adriense ap. Bindi, Monum. degli Abruzzi p. 240.* 7) *Cf. n. 400.*

iniuste sit restitutionis beneficio succurrendum, mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi, eodem[a] W. ad abb tiam ipsam sicut iustum fuerit restituto, audiatis causam et appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod etc. usque: observari, non obstantibus aliquibus litteris veritati et iustitie preiudicantibus pro parte altera super hoc a sede apostolica impetratis. Testes autem etc. usque: perhibere. Quod si non omnes etc.

Dat. Anagnie, V Kalendas Iulii, anno quinto.

499.

Alexander IV papa Alberto episcopo quondam Ratisponensi confirmat chartam trium cardinalium, per quam eidem, postquam resignavit episcopatui suo ob odia, quae incurrit quondam Fr[idericum II] impugnando, de mandato apostolico in quadam annua pensione providerunt. *1259, Oct. 11.*

Al. IV Reg. Vol. II, 231; Lib. V, 240a. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

Alberto episcopo quondam Ratisponensi.

Que de mandato nostro .... *etc. usque*[b]: confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari; qui talis est:

Divina gratia O[do] Tusculanus et S[tephanus] Penestrinus episcopi et R[iccardus] Sancti Angeli diaconus cardinalis ad perpetuam rei memoriam. Venerabilis pater Albertus episcopus quondam Ratisponensis, prudenter attendens quod odia, que impugnando ad mandatum ecclesie Romane quondam Fr. olim Romanorum imperatorem incurrit[1], adhuc in illis partibus vigebant inextinguibiliter contra ipsum, et quod ipse propter hoc maxime in regimine commisse sibi Ratisponensis ecclesie pacem corporis et animi non poterat obtinere nec sibi subditis propter eorum duritiam ut debebat proficere ad salutem, considerans etiam quod occasione inquisitionis, quam sanctissimus pater et dominus Alexander papa ad instantiam capituli Ratisponensis mandavit fieri contra eum[2], predicta Ratisponensis ecclesia grave poterat in spiritualibus et temporalibus incurrere detrimentum, ac propter hoc eligens sibi pacem et tranquillitatem quoad corpus et animum procurare, prefata odia frangere dicteque Ratisponensi ecclesie ab huiusmodi dispendiis providere, in manibus eiusdem domini pape libere dictum regimen resignavit[3]; idemque dominus videns ipsius episcopi laudabilem intentionem huiusmodi resignationem admisit, episcopali dignitate sibi attamen reservata, inquisitione etiam irritata. Volens quoque labores, quos episcopus ipse in promovendo negotium ecclesie contra dictum F. et sequaces eius sustinuisse noscitur, condigna gratia compensari ac eidem episcopo, ne propter paupertatem nimiam vilesceret in eo episcopalis dignitas, provideri, nobis viva voce mandavit, ut ei tam in beneficiis ecclesiasticis etiam curam animarum habentibus civitatis et diocesis Ratisponensis ad cuiuscumque collationem spectantibus quam de bonis sedis Ratisponensis provisionem trecentarum marcarum argenti assignare ac concedere curaremus. Nos igitur auctoritate huiusmodi et de speciali mandato eiusdem domini canonicatum predicte Ratisponensis

---

a) eundem *R.* b) *confirmat papa chartam infra datam.*

1) *Cf. t. II, p. 163, not. 4.* 2) *Cf. n. 478 et 479.* 3) *Post a. 1259, Mai. 11 resignasse videtur; Potthast 17567. Cf. etiam Mon. Boica, t. XXIX, pars II, p. 145, n. 145.*

ecclesie cum plenitudine iuris canonici et thesaurariam, que ibidem vacare dicitur, nec non prebendam, si qua nulli alii debita vacat ibidem ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, episcopo conferimus supradicto, quod si aliqua non vacat ad presens ibidem, vacaturam proximo[a] conferendam sibi donationi apostolice reservantes ac decernentes irritum et inane, si secus de ipsa contigerit attemptari. Vacantem etiam parrochialem ecclesiam de Cambe[1] Ratisponensis diocesis ad collationem Ratisponensis episcopi pertinentem, nulli alii ut dicitur debitam, nec non castrum de Eglovesheim[2] cum iuribus, iurisdictionibus, vaxallis et ministerialibus ac popularibus, redditibus ac aliis pertinentiis suis ad sedem Ratisponensem spectantibus similiter conferimus, concedimus et etiam assignamus, eisdem prebenda, thesauraria, parrochiali ecclesia et castro annua centum marcarum valentia estimatis. Possessiones quoque, quas dicta sedes in diocesi Pataviensi obtinet, que centum marcas annuatim valere dicuntur, castrum preterea de Werda[3] cum vaxallis, ministerialibus, popularibus, iuribus, redditibus et omnibus eius pertinentiis ad sedem predictam similiter pertinens, quod licet valentiam ducentarum marcarum annuatim dicatur attingere, pro eo tamen quod est diversis creditoribus obligatum, nonnisi centum marcas annuatim ut dicitur poterit episcopo predicto valere, ipsi episcopo similiter conferimus, concedimus et etiam assignamus, ita quod si contingat castrum ipsum per episcopum Ratisponensem, qui erit pro tempore, ab huiusmodi exonerari debitis, in ipsius A. episcopi obtione consistat, ut, si velit, omnes proventus et iura in vaxallis et aliis castri predicti taliter exonerati pro ducentis marcis annuis pacifice obtineat et quiete, dimissis possessionibus supradictis. Sin autem, possessiones easdem retinens, in redditibus ipsius castri annuatim obtineat tantummodo centum marcas, ut superius est expressum, ita tamen quod si dicte thesauraria et ecclesia parrochialis aliis fuerint fortasse collate, episcopus Ratisponensis, qui substituitur, de camera sua equivalentem redditum conferat et assignet, donec in beneficiis ecclesiasticis tantundem valentibus sibi duxerit providendum. In cuius rei testimonium et perpetuam memoriam presentes litteras fieri fecimus et nostra in eis apponi sigilla. Dat. Anagnie, anno M°CCL°VIIII, pontificatus domini Alexandri pape IIII anno quinto, IIII Kalendas Octobris.

Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, V Idus Octobris, anno V[4].

500.

Alexander IV papa [Conrado] archiepiscopo Coloniensi confirmat id, quod amovens campsores, magistros civium, scabinos et scabinorum fratres civitatis Coloniensis ab officiis eorum et subrogans eis alios ordinaverit. *1259, Oct. 18.*

Al. IV Reg. Vol. II, 235; Lib. V, 263. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

a) proxima *R.*

1) *Cham ad Regen fl.* 2) *Alteneglofsheim e mer. civ. Ratisponensis.* 3) *Wörth prope Danubium infra Ratisbonam.* 4) *Eodem die [Iohanni] episcopo Pragensi et abbati de Plaz Pragensis diocesis mandavit, ut Albertum in possessionem praedictorum inducerent; Lib. V, 240 b; Potthast 17677. Oct. 4 Alberto indulserat, ut quamdiu coram delegatis apostolicae sedis iustitiam exhibere paratus esset, episcopus Ratisponensis et alii episcopi, in quorum diocesibus provisio eius consisteret, suspensionis, interdicti et excommunicationis sententias in eum promulgare non possent; Lib. V, 241. De eodem cf. Potthast 17815 et 17829.*

Archiepiscopo Coloniensi.

Ex parte tua et dilectorum filiorum capituli, priorum, iudicum, scabinorum, consulum, iuratorum et universitatis civium Coloniensium fuit propositum coram nobis, quod cum campsores sive monete tue Coloniensis magistri, qui husgenoeten[a] vulgariter appellantur, ac magistri civium et scabini, qui tunc erant in civitate Coloniensi, in qua tu[b] iurisdictionem obtines temporalem, et quidam alii officiales, qui appellantur scabinorum fratres, publica infamia laborarent, videlicet quod dicti campsores sive monete magistri monetam falsabant eandem, alii vero fraudulenter et inique commissa sibi officia exercebant, condempnando innocentes et impios absolvendo, tu, cui de hoc legitime constitit, prout spectabat ad te, campsores, magistros, scabinos et alios predictos, uno scabinorum ipsorum Bruvone[c] dicto Kranz videlicet, qui scabinatus officium fideliter et laudabiliter executus fuerat, dumtaxat excepto, a commissis sibi officiis auctoritate propria sententialiter amovisti[1] iustitia exigente, et eisdem[d] campsoribus abiudicasti feuda, que occasione officii cudendi monetam a te detinebant, et loco campsorum, magistrorum, scabinorum et aliorum predictorum Gerardum[e] de Scintkulen[f], Ricolfum Grun[g], Willelmum de Hundegaeten[h], Theodericum filium Cuerstolz[i], Gerlacum et Conradum fratres, Henricum de Wassenberg, Theodericum de Ponte, Henricum Theclonearium[k], Iohannem de Rile, Iohannem filium Wichmanni et alios cives Colonienses in eisdem officiis subrogasti, prout in litteris inde confectis tui capituli et universitatis predictorum munitis sigillis plenius dicitur contineri. Nos itaque, tuis, capituli, priorum, iudicum, scabinorum, consulum, iuratorum et universitatis predictorum supplicationibus inclinati, quod super hiis a te provide factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli etc.

Dat. Anagnie, XV Kalendas Novembris, anno quinto.

501.

Alexander IV papa [Gerhardo] archiepiscopo et praelatis provinciae Maguntinae mandat, ut monasterium in Wunnental Constantiensis dioecesis contra malefactores protegant. *1259, Oct. 23.*

Al. IV Reg. Vol. II, 169; Lib. IV, 321. Ultima ep. Libri IV. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

.. archiepiscopo Maguntino[2] et eius suffraganeis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis per Maguntinam provinciam constitutis.[l]

Non[3] absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonice sententie severitas enervatur, ut

---

a) Husgeno et en *R.* b) tui *R.* c) *leg.* Brunone. d) et ab eisdem *R.* e) *Nomina contulimus cum instrumento, quo archiepiscopus a. 1259, Apr. 17 personas infra enumeratas investivit; Ennen, Quellen z. Gesch. d. St. Cöln t. II, p. 412, n. 395 [A.]. Ibi plura nomina et alio ordine leguntur.* f) Santeulin *A.* g) Grin *A.* h) Hundega et en *R.*; Huntgazzen *A.* i) Overstolz *A.* k) *prima litt.* c *corr. fortasse in* o; thelonearium *A.* l) *ita in marg.; rubrum deest; cf. p. 449, not. a.*

1) *Monetarios amovit a. 1259, Mart. 24, alios Apr. 17; Ennen, Quellen t. II, p. 407, n. 393 et 394; cf. Hegel, Verf.-Gesch. v. Cöln p. 45.* 2) *Gerhardus archiepiscopus a. 1259, Sept. 25 mortuus erat; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 348, n. 261.* 3) *Eadem forma litterarum saepius usitata est; cf. Wirtemb. U. B. t. IV, p. 261, n. 1193 et t. V, p. 295, n. 1529.*

viri religiosi et hii maxime, qui per sedis apostolice privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecte in Christo filie . . priorissa et sorores monasterii beate Marie in Wunental[1] ordinis sancti Augustini Constantiensis diocesis secundum instituta fratrum Predicatorum viventes[2], tam de frequentibus iniuriis quam de ipso cotidiano defectu iustitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores earum prompta deberetis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos predictarum sororum irreverenter invaserint aut iniuste detinuerint ea, que predictis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsas sorores vel ipsarum aliquam contra sedis apostolice indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare vel decimas de nutrimentis animalium suorum spretis apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis singuli vestrum in diocesibus et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis; si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis sororibus plenarie satisfaciant et tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum iniectione in sorores easdem vel ipsarum aliquam anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi.

Dat. Anagnie, X Kalendas Novembris, anno quinto[a][3].

502.

Alexander IV papa Margaritae comitissae Flandriae et Hanoniae indulget, ut per litteras apostolicas, quae de comitatu Flandrensi mentionem non fecerint, conveniri nequeat. 1259, Nov. 20.

Al. IV Reg. Vol. II, 228; Lib. V, 217. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Nobili mulieri Margarite comitisse Flandrie et Haonie[b] comitisse.

Efficax devotionis, quam erga nos et apostolicam sedem habere dinosceris, promeretur affectus, ut petitionibus tuis, per quas tue quieti consulitur, favorabiliter annuamus. Cum igitur titulus comitatus Flandrensis adeo insignis sit, ut vix credatur ab hiis, qui contra te apostolicas litteras impetrant, sine malitia subticeri, nos, et illorum fraudibus obviare et quieti tue consulere cupientes, tuis supplicationibus incli-

a) *ita R. Ab ep. 295 usque ad hanc ultimam ep. Libri IV epp. annorum I—V ad diversas partes mundi directae registratae sunt.* b) *ita R.*

1) *Wonnenthal in Brisgowia prope civ. Kenzingen, fundatum a Rudolfo de Usenberg: cf. Potthast 15396, 15397, 15400, 16545.* 2) *Cf. Berger 1486 et 1487, et Potthast 17856.* 3) *A. 1259, Dec. 3 monasterium sub protectione sua recepit; Lib. IV, 320; privilegium sine subscriptionibus papae et cardinalium.*

nati, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut per huiusmodi litteras, que de comitatu predicto mentionem non fecerint, nequeas[a] conveniri. Nulli — nostre concessionis etc.: **presentibus[b] post triennium etc.**

Dat.[c] Anagnie, XII Kalendas Decembris, anno quinto[1].

503.

Alexander IV papa [Henrico] archiepiscopo Ebredunensi legato committit, ut absolutionem per quendam religiosum Pelavicino, Bosio de Doara et illis Cremonensibus, qui tunc contra quondam Ezelinum in exercitu extiterint, temere praestitam irritam decernat; si vero Pelavicinus et Bosius ad mandatum ecclesiae redire et confoederationem cum Manfredo initam abiurare velint, eis beneficium absolutionis impendat. 1259, Dec. 13.

Al. IV Reg. Vol. II, 230; Lib. V, 231. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1259, § 6–8, edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17724.

Archiepiscopo Ebrudunensi[d], apostolice sedis legato[2].

Satis ex devota tuarum serie litterarum, satis etiam ex nostra mente collegimus, quam implicitus et confusus, quam detestabilis et dampnosus dudum fuerit et sit hodie Lombardie status, que in hoc potissime vigere dinoscitur, quod dispendiosis litibus et periculosis discordiis non sine offensa Dei[e] gravissima implicetur, nobis sicut et quibusdam Romanis pontificibus predecessoribus nostris fundentibus propter hoc sepe profunda suspiria et etiam lacrimosa. Procedit ex hiis, quod et super valetudine corporali et multimoda cordis angustia, quam sub multorum de partibus illis detestanda versutia frequentissime pertulisse dinosceris, tibi paternis affectibus condolemus, ac etiam te plenis in Domino prosequimur actionibus gratiarum, quod suscepte legationis officium cum omni diligentia et virtute prosequi studuisti. Ad hec, quia instanter ac humiliter petivisti, ut super diversis articulis, quos predicte tue littere continebant, tibi nostrum beneplacitum exponere curaremus, nos fraternitati tue duximus respondendum, quod beneficium absolutionis per quandam religiosam personam Pelavicino et Bosio de Doata[3] ac etiam Cremonensibus illis, qui tunc contra quondam perfidum et impium Ezelinum in exercitu existebant[4], temere prestitum, cum nullam super hoc potestatem habuerit et ecclesie formam in aliquo non servarit, fratribus Minoribus et Predicatoribus pretermissis, per quos iuxta ordinationem tuam huiusmodi absolutio debuit provenisse, irritum esse auctoritate nostra decernas ac illud publice denunties non tenere, proviso quod si predicti Pelavicinus et Bosius redire velint ad mandatum ecclesie reverenter et in eius devotione persistere pura fide ac societatem seu confederationem penitus abiurare, quam cum Manfredo quondam principe Tarentino seu quisbuscunque aliis

a) nequeat *R.* b) presentibus — triennium *in loco raso; formula ante verbum* Nulli *ponenda erat; cf. t. II, p. X, sub n. 4.* c) Dat.—Decembris *in loco raso.* d) *ita R.* e) de *R.*

1) *Cf. n. 490 et Böhmer-Ficker 5343, 5369, 5395, 5500.* 2) *Hic secundum Rolandinum Patav. Lib. XI, 11 legatus in marchia Tervisina erat, ad preces civitatum marchiae a. 1259 tempore vernali vel paulo post a papa nominatus; SS. t. XIX, p. 132. De eodem cf. Böhmer-Ficker 5066a.* 3) *Legas ‚Doara', i. e. Dovara, Dovera ex sept. civ. Lodi.* 4) *A. 1259, Sept. 27 Ezelinus apud Cassianum ad Adduam flumen devictus et captus erat; vulnere in proelio accepto Oct. 1 obiit; Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 510.*

Dei et ecclesie inimicis dampnabiliter inierunt[1], nec non super hiis, pro quibus per sedem apostolicam excommunicationis vinculo sunt astricti, satisfactionem congruam impertiri, tu eis, recepta prius ab ipsis de hiis observandis idonea cautione, absolutionis beneficium iuxta formam ecclesie largiaris, facturus id ipsum circa Cremonenses et quoscunque alios aut communitates etiam Lombardie seu marchie Tervisine, quoad excommunicationis et interdicti sententias relaxandas, si tamen ipsi iuxta predictum modum ad mandatum ipsius ecclesie cum debita velint humilitate redire. Circa satisfactionem vero prestandam ab eis, cum vix aut numquam posse provenire credatur, ac etiam super obtinenda ydonea cautione, quod ipsi mandatum ecclesie fideliter observabunt, procedas, prout tua discretio melius viderit expedire, diligentiam quam poteris habiturus, ut ecclesiis et personis ecclesiasticis bonorum immobilium omnino, nec non et mobilium, si qua extant, competens fiat restitutio, que predicti Pelavicinus et Bosius seu communitates olim eisdem ecclesiis et personis indebite abstulerunt. Provideas etiam diligenter, quod si qua ipsi iuga vel onera ecclesiis et personis eisdem imposuerunt hactenus vel de cetero duxerint imponenda, illorum et statutorum ac omnium aliorum fiat amotio, que redundant in earum preiudicium et libertatis ecclesiastice detrimentum. De facienda quidem confederatione vel societate inter aliquas civitates ecclesie Romane nomine, cum ipsam talibus non deceat implicari, te nullatenus intromittas. Preterea, quia merentium consolator Dominus gemitus ecclesie sue clementer audivit et lacrimis plurimorum, qui eius misericordiam super tantis ipsorum angustiis assidue implorabant, finem imposuit affectatum, brachio sue potentie confringendo predicti cornua Ezelini, crucem amodo non predices nec facias predicari. Votorum etiam redemptiones non exigas nec facias ab illis exigi, qui olim contra Ezelinum eundem crucis signaculum assumpserunt, quia nos oportuno tempore, prout expediens fuerit, super hoc curabimus providere. Ceterum tue circumspectioni committimus, ut in partibus illis maneas et tue legationis officium iuxta morem prudenter ac laudabiliter exequaris, dummodo consideratis circumstantiis oportunis fiduciam habeas, quod super hiis, que honorem contingunt ecclesie, possis Deo propitio prosperari. Si vero tua presentia ibidem non fuerit fructuosa, licentiam tibi concedimus, quod ad nos duce Domino revertaris.

Dat. Anagnie, Idibus Decembris, anno quinto.[2]

504.

Alexander IV papa decano et capitulo Ratisponensibus mandat, ut Alberto ordinis Praedicatorum, lectori Coloniensi, de quo ecclesiae Ratisponensi per cessionem [Alberti] episcopi vacanti providerit, tamquam pastori animarum oboediant. 1260, Jan. 5.

Al. IV Reg. Vol. II, 239; Lib. VI, 21. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Ripoll, Bull. Praedicat. t. I, p. 387, n. 258 edidit.

Potthast, Reg. 17738; cf. Posse, Analecta Vaticana p. 14, n. 170.

.. decano et capitulo Ratisponensibus.

Suscepte servitutis officium nos inducit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa ecclesias sollertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus inten-

1) *Cf. foedus a. 1259, Iun. 11 factum ap. Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 610, n. XVII. Manfredus ducentos milites Teutonicos in auxilium Uberti contra Ezelinum miserat; Ann. Plac. l. c.*
2) *Cf. etiam Potthast 17805, 17806, 18072.*

damus, in eo maxime ut viduatis, ne longe vacationis dispendia patiantur, de talium nostre diligentie studio provideatur substitutione pastorum, per quos et spiritualibus proficiant institutis et incrementis temporalibus augeantur. Sane Ratisponensi ecclesia per cessionem venerabilis fratris nostri . . episcopi quondam ipsius ecclesie pastoris solatio destituta[1], nos, ad relevandum statum eiusdem ecclesie paternis, prout ad nostrum spectat officium, affectibus intendentes, de persona dilecti filii fratris Alberti de ordine fratrum Predicatorum, lectoris Coloniensis[2], nobis et fratribus nostris merito sue probitatis accepta, eidem[a] ecclesie de ipsorum fratrum nostrorum consilio duximus utiliter providendum. Cum enim idem frater de legis divine fonte adeo salutifere fluenta doctrine potarit, quod eiusdem doctrine in suo pectore vigeat plenitudo, sibique presto sit in hiis que Dei sunt iudicium rationis, indubitatam spem gerimus, quod ecclesie pre- [2. Par. 24,13.] dicte, que in spiritualibus et temporalibus asseritur multipliciter deformata, cicatrix obduci et ruina per sue diligentie studium poterit restaurari. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus eundem fratrem ad supradictam ecclesiam accedentem recipientes ylariter et honeste tractantes, ei tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis eidem obedientiam et reverentiam debitam et devotam, eius salubria monita et mandata suscipiendo devote ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Anagnie, Nonis Ianuarii, anno sexto.[3]

505.

Alexander IV papa Henrico decano Metensi mandat, ut Folmaro de Riste clerico de quadam praebenda ab H[ugone] tituli S. Sabinae presbytero cardinali tunc legato concessa provideri faciat. *1260, Febr. 2.*

Al. IV Reg. Vol. II, 247; Lib. VI, 61a. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Henrico decano Metensi, capellano nostro.

Exhibita nobis petitio dilecti filii Folmari de Riste clerici continebat, quod ipse olim a decano et capitulo ecclesie Argentinensis, concessa eis a dilecto filio nostro H. tituli Sancte Sabine presbytero cardinali, tunc in partibus illis apostolice sedis legato, recipiendi eum per suas litteras facultate, in eadem ecclesia receptus extitit in canonicum et in fratrem. Verum quia receptiones prebendas expectantium vacaturas factas in ecclesiis, quatuor dumtaxat exceptis, decrevimus irritas et inanes[4], ipsius F. receptio est cassata. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, predicto F. obtentu dilecti filii . . decani Metensis, capellani nostri[5], nobis pro eo suo tempore supplicantis, intendentes facere gratiam specialem et ius, quod eidem in ipsa ecclesia ex receptione huiusmodi competebat, —

---

a) eiusdem *R.*

1) *Cf. n. 499.* 2) *De eodem cf. Lib. IV, 169; Potthast 17323.* 3) *Eodem die idem fere fratri Alberto verbis competenter mutatis scripsit; sub Lib. VI, 21; Potthast 17737.* 4) *Cf. n. 391.* 5) *Alteram ep. eiusdem tenoris, non decano Metensi sed Folmaro missam, papa dedisse videtur, cui haec verba convenerunt, et utraque ep. ex eadem minuta mutatis mutandis scribenda erat; unde cum haec ep. ex minuta illa etiam registrata sit, hunc errorem ortum esse credimus; cf. n. 235.*

constitutione a nobis super hoc edita non obstante — in statum pristinum suscitantes, ac nolentes ut sibi super receptione sua in predicta ecclesia, iure ipso et assecutione prebende in ea per eandem constitutionem aliquod preiudicium generetur, mandamus, quatinus, si est ita, eidem F. de prebenda, nulli alii de iure debita, si qua vacat ad presens in prefata ecclesia vel quamprimum ad id se facultas obtulerit, per te vel per alium providere procures — non obstante si aliis similem gratiam fecerimus in ecclesia supradicta —; contradictores etc.

Dat. Anagnie, IIII Nonas Februarii, anno sexto[1].

506.

Alexander IV papa [Gertrudae] abbatissae et capitulo Quedlinburgensibus confirmat chartam, per quam Volradus episcopus et capitulum Halberstadenses eis quoddam servitium recepta quadam pecuniae quantitate totaliter remiserint. *1260, Mai. 27.*

Al. IV Reg. Vol. II, 249–250; Lib. VI, 76. Pertzii exemplar contulimus cum editione duorum authenticorum, quam Schmidt, U. B. des Hochst. Halberstadt t. II, p. 235, n. 1010 praebuit [A]. In tergo alterius authentici legitur: Claromonten. R | R | LXXVI — capitulo anno sexto. *Nimirum epistola ex hoc exemplari registrata est.*

Potthast, Reg. 17873.

Dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et capitulo secularis ecclesie in Quidelingeburg, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, Halberstadensis diocesis.

Inducunt nos vestre devotionis merita, ut vos prosequamur benivolentia gratiosa. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod Halberstadenses episcopi, qui fuerunt pro tempore, ad ecclesiam vestram in dominica in ramis palmarum annis singulis consueverunt accedere vosque ipsis tunc consuevistis providere in victualibus et in festo purificationis beate Marie virginis[2] annuatim septem candelas et unum fertonem auri Halberstadensi ecclesie exhibere a tempore cuius memoria non existit. Porro venerabilis frater noster . . episcopus et capitulum Halberstadenses, attendentes quod ex hoc interdum eadem ecclesia vestra multipliciter gravabatur, vobis et predicte ecclesie vestre premissa omnia totaliter remiserunt, recepta propter hoc a vobis quadam pecunie quantitate. Ad hoc cum inter vos ex parte una et eosdem episcopum et capitulum super ecclesia de Walbeke[3] ad predictam ecclesiam vestram *etc.* . . . . .[a] Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod super hiis ab eisdem episcopo et capitulo provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum presentibus inseri facientes; qui talis est:

Volradus[b] Dei gratia Halberstadensis ecclesie episcopus, Hermannus prepositus, Wikertus[c] decanus totumque eiusdem ecclesie capitulum omnibus in perpetuum. Propter variabiles hominum voluntates, presentis temporis brevem vitam et precipue propter

---

a) *sequuntur ea, quae in charta infra proposita continentur.* b) *instrumentum contulimus cum duobus authenticis ap. Schmidt, l. c. t. II, p. 223, n. 997 [A 1, 2].* c) Wickerus *A.*

1) *Eodem die scripsit in favorem Corradi de Riste clerici ad preces eiusdem decani, cuius nepos esset; Ian. 23 ipsi decano, qui ad sedem apostolicam pro suis negotiis accessisset, gratiam fecerat; Lib. VI, 33 et 60; cf. etiam 61b et c. A. [1260], Nov. 19 Alexander Henricum [de Vinstingen] decanum Metensem ecclesiae Treverensi electum transmisit; Gesta Trever. SS. t. XXIV, p. 415.* 2) *Febr. 2.* 3) *Ex sept. et or. civ. Helmstedt.*

oblivionem, que ratione corruptionis nature humane virtutem memorie obfuscavit, opere pretium est ea, que perpetuo inviolabiliter observari debent, roborari testimonio scripturarum, ut supervenientibus novis preterita tamquam presentia cognoscantur. Hinc est, quod notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod cum ita fuisset antiquitus observatum, ut episcopus Halberstadensis, qui pro tempore extitit, in ramis palmarum veniens ad monasterium Quidelingeburg[a] ad ampliandum cultum Dei ob reverentiam diei sancte, licet numerus[b] evectionum fuisset sibi aliquando per venerabilem Conradum, Portuensem episcopum, tunc legatum sedis apostolice, constitutus[1], tamen per nobiles terre, milites et plures alios, qui ad sollempnitatem huius diei confluebant, dictum monasterium plurimum gravabatur; item quod in festo purificationis septem candele nostre dabantur ecclesie, ferto auri, qui similiter nostre ecclesie a iam dicto monasterio tradebatur. Quia hec omnia monasterio Quidelingeberg dampnosa fuerunt, eo quod in preiudicium libertatis monasterii fieri videbantur et ecclesie nostre utilitatis modicum conferebant, ita duximus de prudentum virorum, clericorum, laicorum, ministerialium utriusque ecclesie, [consilio][c] ordinandum, ut receptis a prefato monasterio ducentis marcis Halberstadensis argenti relaxavimus omnia supradicta, nos et successores nostros tenore presentium obligantes, quod nec ius nec consuetudinem nec aliquid aliud, quocumque nomine appellari possit, contra monasterium sepedictum super huiusmodi ullo umquam tempore allegabunt, omnibus etiam exceptionibus, que circa tenorem presentis scripti oriri possent, renunciantes penitus et in totum. Adicimus preterea de cenobio Walbeke, de quo aliquando inter antedictum monasterium et ecclesiam nostram orta fuerat materia questionis, quod in eodem cenobio nec in temporalibus nec in spiritualibus nec in prepositi loci illius institutione aut destitutione nobis nichil iuris penitus dicimus aut dicemus, nec etiam prepositus venire ad synodum aliquatenus teneatur, quia in privilegiis monasterii Quidelingeburg invenimus cenobium Walbeke ad hec omnia non teneri[2], sed monasterium Quidelingeburg in prefato cenobio Walbeke, quemadmodum in cenobio sancte Marie ordinis sancti Benedicti in Monte[3], sancti Wichberti ordinis beati Augustini et in Wonethusen[d][4], pleno iure gaudeat et omnimoda libertate, hoc adiuncto quod parrochie ville Walbeke prepositus loci, qui pro tempore fuerit, sacerdotem preficiet, qui ab archidiacono loci curam recipiet animarum. Huius rei testes sunt: Hermannus prepositus, Wicketus[e] decanus, Burchardus vicedominus, Cono de Diefolt, Rodulphus portenarius, Volradus de Kireberg, Evervinus prepositus Sancti Bonifatii, Henricus de Regensten, Widekindus de Nivenberg[f], Henricus de Drondorp[g], Hermannus scolasticus, Albertus de Aldenburg, Bertoldus de Cleetenberg[h], Cristianus de Scalberg[i], Hermannus Hodo, Ludegerus Struz, Guntherus de Mannesvelt, Ludolfus de Dalem, Octo prepositus Wallebicon.[k], Arino[l] de Heymburg, Withmatinus[m] de Barbvic[n], Heidenricus de Schartvelt, Heidenricus de Tangenberg, nostre maioris ecclesie canonici. Laici vero: Fridericus comes de Kireberge, Wernerus de Sheronbeke[o], Evetardus[p] de Suseliz, nobiles. Ministeriales autem nostre ecclesie: Iohannes de Katersleve[q], Nicolaus de Heymburg, Alvericus pincerna, Gevehardus de Slage, Iacobus de Severthusen, Henricus Isenborde. Ministeriales vero Quidelingeburgensis ecclesie: Bernardus marscalcus, Bertoldus de Ditforde, Tidericus pincerna, Tydericus filius suus, Iohannes de Wederstide, Henricus

---

a) Quidelingeburgense *A; ita infra quoque.* b) licet certus numerus *A 2.* c) consilio *deest R. et A.* d) Wenethusen *A.* e) Wickerus *A.* f) Nuwenburg *A.* g) *A.;* D'rondorp *R.* h) Clettenberg *A.* i) Stalberg *A.* k) Wallebicon̄ *R.;* Wallebicensis *A.* l) Anno *A.* m) Wichmannus *A.* n) Barbuie *A.* o) Scherenbeke *A.* p) Everardus *A.* q) Gatersleve *A.*

1) *Cf. t. I, p. 226, n. 297.* 2) *Cf. instrum. Silvestri II a. 999 ap. Iaffé-Löwenfeld 3902.* 3) *Berge e mer. civ. Magdeburg.* 4) *Thale.*

de Aqua, Iohannes Knotel, Octo camerarius, Iohannes Albus, Henricus et Bernardus fratres de Ditforde, Olricus et Iohannes fratres[a] de Morsleve[b], Henricus de Grotunge[c], Thidericus Marroch, Conradus et Gerardus fratres cognomento Struven et alii quamplures milites et servi. Acta sunt hec anno gratie M°CC°LVIIII°, indictione III[d]. Dat. Halberstad., II Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno quarto.

Nulli — nostre confirmationis etc.

Dat. Anagnie, VI[e] Kalendas Iunii, anno sexto.

507.

Alexander IV papa cum Henrico comite de Chastel et nata Ludowici comitis de Ottingen ad preces Ludowici comitis et pro bono pacis super matrimonio contrahendo dispensat. *1260, Iul. 15.*

Al. IV Reg. Vol. II, 252; Lib. VI, 95. Damus Pertzii exemplar.

Posse, Analecta Vaticana p. 15, n. 175.

Nobili viro Henrico comiti de Chastel[1] et nobili mulieri . . nate dilecti filii nobilis viri Ludevici comitis de Ottingen[2] Herbipolensis et Augustensis diocesum.

Licet contractum coniugalis copule in quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu sacri canones interdicant, consuevit tamen sedes apostolica in hoc casu necessitate vel utilitate inspecta cum devotis et benemeritis dispensare. Cum igitur, ut asseritis, quarta sitis ad invicem linea consanguinitatis coniuncti, nos, vestram et progenitorum vestrorum devotionem et fidei constantiam erga Deum et ecclesiam attendentes, devotis patris tui, filia . ., precibus inclinati, ut matrimonium ad invicem contrahere ac consumare contractum et in eo etiam remanere licite — non obstante impedimento quod ex predicta consanguinitate provenit — valeatis, pro bono pacis et tranquillo patrie vestre statu vobiscum auctoritate presentium de speciali gratia et potestatis nostre plenitudine dispensamus. Nulli — nostre dispensationis etc.

Dat. Anagnie, Idibus Iulii, anno sexto.

508.

Alexander IV papa [Iohanni III] Pragensi et [Brunoni] Olomucensi episcopis mandat, ut cum [Wernerus] electus Maguntinus a sede apostolica nondum confirmatus sit, ipsi [Otakaro] regi Bohemiae unctionem impendant et capiti eius imponant diadema regale. *1260, Oct. 6.*

Al. IV Reg. Vol. II, 259—260; Lib. VI, 124a. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Reg. Bohem. t. II, p. 102, n. 268 praebent.

Potthast, Reg. 17947; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 352, n. 26.

a) fratres *deest A.* b) Marsleve *A.* c) Groninge *A.* d) presidente monasterio Quidelingeburgensi venerabili domina Gertrude abbatissa *add. A. 2. Sequitur in A 1 et 2:* Ut autem hoc factum omni evo inviolabiliter observetur, presentem paginam exinde conscriptam et [et *deest A 2*] sigillis tam nostro quam ecclesie nostre munitam [muniendam et *A 2*] sepedicto monasterio Quidelingeburgensi ad cautelam dedimus habundantem. e) VII *A.*

1) *Castell in prov. Unterfranken, ex or. civ. Kitzingen.* 2) *Öttingen ex sept. et or. civ. Nördlingen; cf. Böhmer-Ficker 4773. De Udelhilda comitissa cf. etiam Inn. IV Reg. Lib. X, 595.*

. . Pragensi et . . Olomucensi episcopis.

Quoniam ad subsistentiam multorum et regimen preesse oportet unum singulare precipuum[a], quia pluralitas in presistentia scissuram induceret et solidam gubernaculi disrumperet firmitatem, preminent quidem ob hoc singulis regnis et mundi provinciis singula regnantium solia et singule principantium potestates, quia dum reges populis imperant et populi regibus reverenter intendunt, dum hii humiliter subsunt et illi benigne presunt, dum congruis illi preeunt[b] iussibus et devotis isti animis obsecuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium unitas animorum, misericordia et veritas sibi ob-
Ps. 84 11. viant et iustitia et pax se ad invicem complectuntur. Ideo namque a summo illo rege, per quem singuli reges regnant et principes principantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum terrenis est regibus attributa potestas, ut assumpto ab eis dominandi officio iudicent in equitate populos et dirigant in terris subiectas sibi
Ps. 118,77. gentium nationes, quatenus sit voluntas eorum in executione iustitie ac meditatio in lege rectitudinis et observantia sancte pacis. Ad que utique perfectius exercenda iidem reges unctionis sacre virtute, quam per venerabiles Christi ministros antiquo more suscipiunt, donum gratie recipiunt potioris, ut et in prosecutione iusti regiminis fortius convalescant et tam in se quam in eorum subditis prudentiori et santiori[c] spiritu dirigantur; nam etsi differat principis unctio a pontificis unctione, quia in capite pontifex ungitur, princeps autem in brachio sive humero vel in armo, in quibus principatus congrue designatur, quia etiam illius capud consecratur crismate, brachium vero istius oleo delinitur, vehemens tamen est in ipsis regibus huius efficacia sacramenti, quoniam inuncto Saule insiliit spiritus Domini super eum et in virum alterum est mutatus et in David unctione subscepta spiritus Domini est directus. Ad insinuandum quoque, quod in regibus esse debeat plenitudo virtutum quodque in eis est integra dominii temporalis auctoritas, capiti principis honorabile ac venerabile sub circulari forma imponitur diadema; a quo siquidem principe, qui talibus decoratur insigniis et titulis presignitur, tanquam a capite subditis velud membris recte vivendi modus indicitur et modestie regula componitur et dictatur. Sane carissimus in Christo filius noster . . illustris rex Boemie, devotissimus ecclesie filius, premissa veluti princeps catholicus diligenter attendens ac sperans per huiusmodi unctionem spiritualis gratie rore perfundi, nobis humiliter supplicavit, ut cum proienitores sui reges Boemie inuncti et coronati in reges extiterint per archiepiscopos Maguntinos, qui fuere pro tempore, ac ipse per dilectum filium . . Maguntinum electum, pro eo quod nondum est eius electio per sedem apostolicam confirmata[d], inungi et coronari non possit, eum in regem inungi et regale diadema suo imponi capiti faceremus. Nos igitur, dicti regis devotionem multimodam attendentes, et considerantes quod progenitoribus suis, qui fuerunt ardentes catholice fidei zelatores, non solum derivatione sanguinis sed et puritatis ac bonitatis imitatione succedit, ac cupientes ob hoc eum in hiis specialiter honorari, ipsius supplicationibus benignius inclinati, fraternitati vestre mandamus, quatinus vos vel alter vestrum, adhibito vobiscum decenti episcoporum numero tum propter eiusdem regis honorificentiam tum propter reverentiam sacramenti, sibi auctoritate nostra huiusmodi unctionem impendere et capiti eius imponere regale diadema curetis. Volumus autem atque statuimus, ut nullum ex hoc in posterum pontificibus Maguntinis, qui erunt pro tempore, et ecclesie Maguntine aliquod[e] preiudicium generetur, quin circa ipsius regis successores exequantur libere, quod ad eos pertinet in hac parte. Ea vero, que exhibiturus esset idem rex archiepiscopo Maguntino, si inungeret et coronaret eundem, integre ab eodem

a) singularem principatum *corrigendum videtur*. b) p̄unt *R*. c) *ita R*. d) confirmari *R*. e) *ita R*.

rege recipiatis, illa dicto electo, si ei confirmari contingat, alioquin ei, qui predicte Maguntine ecclesie regimini prefuerit, fideliter transmissuri.

Dat. Anagnie, II Nonas Octobris, anno sexto.[1]

509.

Alexander IV papa [Otakaro] regi Bohemiae declarat nequaquam intentionis suae esse, ut Nicolaus filius vel filiae eius titulo legitimitatis decorati regnum Bohemiae obtinere vel in eo succedere possint. 1260, Oct. 21.

Al. IV Reg. Vol. II, 260; Lib. VI, 124b. Exemplar, quod Reg. Bohemiae t. II, p. 105, n. 271 praebent, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 17956.

. . illustri regi Boemie.

Ex parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum tu coniugatus dilectum filium nobilem virum Nicolaum, natum tuum, et duas quas ad presens habes filias genueris ex soluta[2], ipsum Nicolaum easdemque filias legitimitatis decorare titulo auctoritate apostolica curaremus, eadem auctoritate concedentes eisdem, ut — huiusmodi suorum natalium non obstante defectu — omnes[a] dignitates, honores et principatus seculares, ad quas vel ad quos ipsum N. et dictas filias legitime assumi seu quas vel quos licite eis conferri contigerit, libere valeant obtinere. Nos igitur, attendentes quod tu semper erga Romanam ecclesiam puritate fidei, devotionis sinceritate sedulique prosecutione obsequii specialiter claruisti, ac volentes ex hoc eiusdem Nicolai et ipsarum filiarum personas precipui favoris gratia communire, ut quo habundantius apostolici uberis dulcedinem suxerint, tanto vehementius in nostris et predicte ecclesie beneplacitis delectentur, tuas in hac parte supplicationes libenter ad exauditionis gratiam duximus admittendas[3]. Et ecce apostolicas super huiusmodi dispensatione litteras per dilectum filium magistrum Berardum de Furcone[b] scriptorem nostrum, latorem presentium, tue magnitudini destinamus. Verumtamen scire te volumus, quod nequaquam nostre intentionis extitit vel existit, quod idem Nicolaus vel dicte filie aut aliqua ex eis per huiusmodi litteras seu earum pretextu obtinere vel habere possint regnum Boemie vel eiusdem regni regiam dignitatem aut succedere in eisdem. Predictum autem scriptorem ideo ad tuam duximus presentiam transmittendum, ut huiusmodi intentionem nostram tibi aperte predicat et hec omnia coram te ex parte nostra publice protestetur.

Dat. Anagnie, XII Kalendas Novembris, anno sexto[4].

510.

Alexander IV papa [Annoni] magistro et fratribus ordinis Teutonicorum significat se ecclesiam S. Leonardi de Lamabolaria, ob incursum Sarracenorum de Luceria collapsam, pro reformatione ordini ipsorum univisse. 1260, Nov. 26.

Al. IV Reg. Vol. II, 261; Lib. VI, 132a. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.

---

a) ad omnes *R.* b) Furcon *R.*

1) *Cf. etiam Potthast 17941.* 2) *Legitimos liberos rex tum non habebat.* 3) *Sub Oct. 6 et 7; Lib. VI, 123a et b; Potthast 17948 et 17949.* 4) *Eodem die Berardo de Furcone de eadem re scripsit; Lib. VI, 125; Potthast 17957.*

. . magistro et fratribus hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane.

Provisionis nostre provenire decet auxilio, ut religiosa loca seu quecumque alia divino dicata cultui, que in lapsum detestabilem seu ruinam Deo ac hominibus displicentem venisse percipimus, ab omnimoda destructione preripi et votive restaurationis effectum divino cooperante subsidio valeant adipisci. Ex parte siquidem dilectorum filiorum canonicorum ecclesie sancti Leonardi de Lamabolaria[1] ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Sipontine diocesis fuit olim propositum coram nobis, quod licet eadem ecclesia sancti Leonardi, priore vacans, in spiritualibus et temporalibus florere consueverit ab antiquo, propter malitiam tamen temporis et incursum Sarracenorum de Lucora[2], que vicinatur[a] eidem, ac etiam propter incuriam aliquorum ex prioribus, qui ei pro tempore prefuerunt, ita collapsa esse dinoscitur, quod spes aliqua, ut per seipsam possit resurgere, non habetur. Hac enim de causa olim nobis predicti canonici supplicarunt, ut cum vos observantie regulari piisque intenti operibus ac in partibus illis tali fulti potentia existatis, quod dicta ecclesia sancti Leonardi per fratres vestros in eisdem partibus constitutos cito poterit in statum exurgere salutarem, ipsam reformari de vestri hospitalis ordine facientes, eam prefato unire ordini ac regimini dictorum fratrum committere in perpetuum curaremus. Quia vero tunc nobis constare non poterat de premissis, nos, de circumspectione venerabilis fratris nostri . . Melfitensis episcopi ac dilecti filii . . prioris fratrum de ordine Predicatorum de Baralo[b] diocesis Tranensis confisi, eis direximus nostras litteras, continentes ut ipsi personaliter accedentes ad locum tam super exemptione ipsius ecclesie sancti Leonardi quam super aliis supradictis eorumque circumstantiis diligenter ac sollicite inquirerent veritatem et quod invenirent nobis per suas litteras fideliter intimarent. Porro episcopus et prior predicti, sicut ex litteris eorum accepimus, personaliter ad locum accedentes eundem, quam pluribus apostolice sedis privilegiis sollerter inspectis, de prefata invenerunt ecclesia, quod et iam dicte sedi nullo medio est subiecta et in spiritualibus ac temporalibus tam enormiter deformata, quod iam non domus vel aula Dei dicitur sed spelunca latronum fere ab omnibus reputatur, sedetque miserabilis et despecta nec non spoliata divitiis et destituta servitoribus ac ministris, nullaque sibi est possibilitas vel facultas, ut abiecto desolationis obprobrio et habitu tristitie derelicto stolam iocunditatis et status antiqui decorem possit assumere, nisi hec[c] sibi ab eiusdem sedis proveniant pietate. Quare pro parte dictorum canonicorum sicut semel sic[d] et iterum fuit a nobis suppliciter postulatum, ut super tanta deformatione ipsius ecclesie salutare remedium adhibentes, de reformatione ac unione et commissione huiusmodi providere sibi misericorditer curaremus. Nos itaque, firma ducti fiducia, quod eadem ecclesia per vestram ac predictorum fratrum vestrorum discretionem providam et diligentiam studiosam cito in statum laudabilem et felicem Deo propitio resumatur, eam[e] cum iuribus et pertinentiis suis auctoritate presentium ordini vestro pro reformatione huiusmodi consequenda in perpetuum duximus uniendam, statuentes ut ipsa semper fratrum eiusdem ordinis subsit regimini et per eos in omnibus ac per omnia gubernetur, sitque Romane ecclesie ad exemptionis indicium in una uncia auri annis singulis, sicut olim[f] fuerat, censualis; proviso quod vos eisdem canonicis, si regulariter se gesserint et honeste,

a) vitimatur *corr. ex* intimatur. b) *ita R.* c) *corr. ex* hoc. d) fit *R.* e) *verba* eam — suis *desunt hoc loco; in marg. sinistro additum est*: eam c. i. e. pert. suis; *in dextero*: eam c. i. e. pert. memoratis. f) olim *superscr.*

1) *Locus ex occ. Siponti situs fuisse videtur; cf. 'Lama' apud Winkelmann, Acta t. I, p. 772, lin. 12.* 2) *Luceria.*

vite necessaria, quoad vixerint[a], congrue ministretis, nullaque de ordine canonicorum ipsorum post eorum obitum fiat substitutio in ecclesia memorata, sed vos, quamcitius fieri poterit, de fratribus vestri ordinis competens ibi collegium pro divine laudis obsequio statuatis. **Nulli—nostre unionis et constitutionis etc.**

Dat. Lateran., VI Kalendas Decembris, anno sexto[1].

511.

Alexander IV papa clerum Lucanae civitatis et dioecesis, qui episcopo Monopolitano exulanti per unum annum providerit, ab hac provisione de cetero absolvit, cum redditus cleri eiusdem per guerras valde diminuti sint. *1260, Dec. 9.*

Al. IV Reg. Vol. II, 262; Lib. VI, 137. Exemplar tabularii contulimus cum Regestis.

Clero Lucane civitatis et diocesis.

Desideriis vestris in hiis affectu benivolo libenter annuimus, per que materia submota gravaminis vestri status tranquillitas procuretur. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod nos dilecto filio magistro Dalfinati de Neapoli capellano nostro dedimus nostris litteris in mandatis, ut venerabili fratri nostro . . Monopolitano episcopo[2], donec ad ecclesiam suam redire possit ibique secure morari, in centum et decem libris Provisinorum faceret a vobis annis singulis provideri: contradictores etc.; vosque dicto episcopo per unum annum in huiusmodi pecunia providistis. Quare nobis supplicastis humiliter, ut cum nimia gravemini paupertate vestrique redditus et proventus propter guerrarum discrimina sint non modicum diminuti[3], et vos[b] in procurationibus legatorum et nuntiorum sedis apostolice frequenter per partes vestras transeuntium sepius aggravari contingat, providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, vos ab huiusmodi provisione ipsius auctoritate presentium absolvimus de gratia speciali. Nulli — nostre absolutionis etc.

Dat. Lateran., V Idus Decembris, anno sexto.

---

a) quo adviserint *R.* b) nos *R.*

1) *Nov. 22 papa episcopo Melfitensi et priori Praedicatorum de Barulo mandaverat, ut magistrum et fratres vel eorum procuratorem in possessionem eiusdem ecclesiae inducerent: Lib. VI, 132b.* 2) *Willelmus electus Monopolitanus a. 1256, Iul. testis Anagniae erat; Dec. 22 iam consecratus clero ecclesiae suae a papa commendatus erat; Lib. II, 364; Lib. III, 2.* 3) *Lucani, Florentini Guelfi eorumque socii a. 1260, Sept. 4 apud Montemapertum a Senensibus victi erant.*

EX URBANI IV REGISTRO.

512.

Urbanus IV papa magistro et fratribus Hospitalis in Alamannia indulget, ut ius patronatus ecclesiarum provinciae Maguntinae, si sibi a patronis laicis conferatur, recipere valeant, non obstante statuto, quod [Wernerus] archiepiscopus Maguntinus in concilio provinciali promulgaverit. 1261, Oct. 9.

Urb. IV Reg. Vol. I. 5: Lib. I, 18. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Finke, l. c. edidit.

Posse, Analecta Vaticana p. 128, n. 9; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 355, n. 52; Finke, Westfal. U. B. t. V, p. 288, n. 617; Böhmer-Ficker-Winkelmann 9260.

. . magistro et fratribus Hospitalis Ierosolimitani in Alemannia.

Exigentibus vestre religionis meritis, votis vestris libenter annuimus et ab hiis, per que possent vobis evenire dispendia, vos affectu benivolentie preservamus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod venerabilis frater noster . . archiepiscopus Maguntinus in provinciali concilio [1] pro sua voluntate statuit [2], ut ius patronatus alicuius ecclesie sue civitatis vel diocesis aut provincie religiosis aliquibus a personis secularibus nullatenus conferatur, et si forte huiusmodi ius a predictis secularibus religiosis eisdem conferri contingat, conferens ius, quod in eisdem habebat ecclesiis, ipso facto amittat, illudque diocesano cedat episcopo, nisi forte idem conferens ius ipsum ab alio teneret in feudum, quod tunc ad feudi dominum[a] libere devolvatur[b]. Statuit etiam archiepiscopus supradictus, ut collegio, cui facta fuerit huiusmodi collatio, nullum ius ex ipsa collatione penitus acquiri debeat, immo, si habeat aliquas ecclesias in usus proprios in diocesi, ubi talem collationem ei fieri contigerit, eedem ecclesie ipso iure vacent et per loci diocesanum seu archidiaconum, in cuius archidiaconatu consistunt, personis idoneis conferantur. Quare nobis humiliter supplicastis, ut, ne per huiusmodi statutum vobis preiudicari possit, providere paterna sollicitudine curaremus. Vestris itaque supplicationibus favorabiliter annuentes, ne occasione huiusmodi statuti aliquod preiudicium vobis et Hospitali vestro in posterum generari valeat, quominus ius patronatus ecclesiarum earundem civitatis vel diocesis aut provincie, si a patronis earum laicis illud vobis pietatis intuitu licite conferri contigerit, recipere ac habere libere valeatis, ita tamen quod bona ecclesiarum, in quibus huiusmodi ius patronatus vobis taliter collatum fuerit, auctoritate vestra vel per vos appropriare

---

a) dñium *R.* b) *ita F. et Po.;* revolvatur *P.*

1) *A. 1261, Mai. 1; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 354, n. 43; cf. BFW. 11887.* 2) *Hartzheim, Concilia Germ. t. III, p. 611, cap. 47, quod incipit: 'Religiosi plerique, modum avaritiae non ponentes'.*

vestris usibus vel in illos convertere non possitis, vobis auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo etc.

Dat. Viterbii, VII Idus Octobris, anno I°[1].

513.

Urbanus IV papa magistro Alberto de Parma scriptori suo mandat, ut [Bertholdum] episcopum Bambergensem inducat, ut cardinalium collegio centum marcas argenti solvat, quas eis promiserit in curia constitutus; inobedientem excommunicet ac denique suspendat. — In eundem modum eidem contra alios episcopos. 1261, Oct. 23–28.

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 7, ep. 2 et 5. In capite f. 7 legitur: Littere directe magistro Alberto de Parma scriptori nostro pro exigendis in diversis locis pecuniis promissis cardinalibus. — *Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis.*

Hauthaler, Aus den Vatic. Registern, Archiv f. österr. Gesch. t. LXXI, p. 282, n. 77 = II; Böhmer-Ficker-Winkelmann 9261.

I.

Urbanus etc. dilecto filio magistro Alberto de Parma scriptori nostro salutem etc.[a]

Cum venerabilis frater noster . . episcopus[2] Pambergensis collegio fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium, sicut ex eorum relatione accepimus, centum marcas argenti promiserit[b] solvere in Romana curia constitutus[3], nec eis adhuc satisfactum fuerit de eisdem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictum episcopum, quod infra unius mensis spatium post monitionem tuam ipsas tibi eorundem cardinalium nomine sublato cuiuslibet dilationis et difficultatis obstaculo exhibeat, per te vel per alium seu alios moneas attentius et inducas[c]; quod si monitis tuis infra predictum terminum non paruerit in hac parte, tu, in eundem episcopum extunc appellatione remota auctoritate nostra excomunicationis ferens sententiam, tamdiu ipsum[d] singulis diebus dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excomunicatum publice nunties et facias ab aliis per omnia loca, in quibus expedire videris, nuntiari et ab omnibus arctius evitari, donec predictam pecuniam tibi integre curaverit assignari. Si vero prefatus episcopus sententiam ipsam per unum mensem sustinere presumpserit, tu extunc eum suspendas ab amministratione spiritualium et temporalium, citans ipsum nichilominus peremptorie, ut infra duos menses post citationem tuam sic suspensus coram nobis personaliter compareat[e] pro meritis recepturus, — non obstante[f] si eidem episcopo a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possit[g] per litteras apostolicas non

---

a) Eidem *R.* b) *sequitur in R.:* etc. usque: mandamus c) *sequitur in R.:* etc. usque: in eundem episc. d) *sequitur in R.:* etc. usque: pro meritis recepturus, verbis competenter mutatis. e) c̈omp. p̈erson. *R.* f) *ita R.* g) *sequitur in R.:* etc. usque in finem.

1) *Cf. Urbani IV epistolam ordini Theutonicorum a. 1262, Apr. 5 datam; Böhmer-Will t. II, p. 357, n. 68.* 2) *[Bertholdo] 'electo' Bambergensi Urbanus a. 1264, Mart. 18 pallium transmisit; Lib. III, 138; Posse, l. c. p. 137, n. 13; Hauthaler, l. c. p. 283, n. 79. Sed in aliis epistolis eidem a. 1264, Ian. 23, Mart. 18 et Apr. 4 concessis Urbanus eum 'episcopum' appellavit; Vol. IV [beneficia], f. 130, n. 291; f. 145, n. 392 = Potthast 18834; f. 157, n. 473.* 3) *Post a. 1259, Jan. 11; cf. n. 487. Adhuc a. 1259, Mart. 5 Bertholdus 'electus' in Germania fuisse videtur; cf. chartam Iringi episcopi Herbipolensis in 19. Bericht d. hist. Ver. zu Bamberg a. 1856, p. 5. Licet ep. n. 487 aliud dicere videatur, Bertholdum, ut confirmaretur et consecraretur, ad curiam profectum esse pro certo tenemus; cf. ea quae ad episcopos infra nominatos annotavimus; cf. etiam BFW. 11878.*

facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, seu qualibet alia ipsius sedis indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, et constitutione de duabus dietis edita in concilio generali — ; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Diem autem citationis et formam, et quicquid inde feceris, nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas fideliter intimare.

Dat. Viterbii, X Kalendas Novembris, anno primo[1].

II.

Eidem.

Cum venerabilis frater noster . . archiepiscopus Salzeburgensis[2] collegio fratrum nostrorum sancte Romane ecclesie cardinalium, sicut ex eorum relatione accepimus, mille et octingentas sexaginta duas marcas argenti promiserit solvere hactenus[a] in Romana curia constitutus[3], nec adhuc satisfecerit de eisdem diutius expectatus, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictum archiepiscopum, quod infra unius mensis spatium *etc. ut supra verbis mutatis*[b].

Dat. Viterbii, VI Kalendas Novembris, anno I[4].

In eundem modum eidem contra . . archiepiscopum Ispalensem[5] super centum marcis sterlingorum. Dat. Viterbii, VII Kalendas Novembris, anno primo.

In eundem modum eidem contra . . archiepiscopum Bremensem[6] super mille libris Proveniensium etc. ut in prima per totum.

In eundem modum eidem contra . . archiepiscopum Treverensem[7] super nongentis marcis argenti. Dat. Viterbii, X Kalendas Novembris, anno primo.

In eundem modum eidem contra . . archiepiscopum Maguntinum[8] super quingentis marcis argenti. Dat. Viterbii, VII Kalendas Novembris, anno primo.

In eundem modum eidem contra . . episcopum Herbipolensem[9] super quinquaginta marcis sterlingorum. Dat. Viterbii, V Kalendas Novembris, anno primo.

---

a) *ita R.* b) *in R. fusius ea, quae in ep. I leguntur.*

1) *A. 1263, Oct. 21 Urbanus eidem Alberto facultatem concessit exigendi in Alamannia omnia ea, quae de censu, denario S. Petri vel alia ratione sedi apostolicae deberentur; Vol. II [cameralia], f. 143', n. 3; Potthast 18684. De censu episcopi Bambergensis cf. etiam Clem. IV cameralia f. 19, ep. 49; BFW. 9566; et Potthast 19856.* 2) *Ulricus.* 3) *A. 1257—1258; cf. n. 464.* 4) *Cf. n. 514.* 5) *Raimundum, qui c. a. 1259 de ecclesia Segontina translatus erat.* 6) *Hildeboldum, qui a. 1259 apud curiam papalem fuit; cf. n. 496. A. 1263, Oct. 31 Urbanus praefato Alberto mandavit, ut eundem archiepiscopum compelleret ad solutionem 2000 librarum Proveniensium senatus, in quibus camerae sedis apostolicae teneretur; Vol. II [cameralia], f. 144', n. 2. A. 1264, Iun. 5 papa precibus archiepiscopi annuit; Vol. IV [beneficia], f. 185, n. 678.* 7) *Henricum, qui a. 1260 apud curiam fuit; cf. p. 467, not. 1. A. 1262, Ian. 25 Urbanus Henrico archidiacono Treverensi dicto de Bolandia mandavit, ut 'electum' [ita etiam infra sub a. 1262, Nov. 30] Treverensem admoneret, ut 2000 marcarum sterlingorum, quas tempore Alexandri IV nominatis mercatoribus Florentinis nomine camerae apostolicae promisisset sed nondum solvisset, nominatis mercatoribus Senensibus, campsoribus camerae apostolicae in Francia commorantibus, usque ad dominicam palmarum proximam [Apr. 2] persolveret, alioquin, cum papa intolerabili onere debitorum premeretur, electum excommunicaret et ministeriales ecclesiae Treverensis a fidelitate absolveret; Vol. II [cameralia], f. 6, n. 2. Ibid. f. 6', n. 1 = Potthast 18250; cf. 18520 et Böhmer-Ficker 5401.* 8) *Wernerus a. 1260, circa m. Oct. — Nov. apud curiam erat, ubi post Oct. 6 [cf. n. 508] confirmatus et consecratus est; Böhmer-Will, l. c. t. II, p. 352, n. 27 et 28. A. 1263, Oct. 24 Urbanus praefato Alberto scripsit Alexandri IV tempore archiepiscopum promisisse camerae apostolicae 1000 marcas argenti et familiae Alexandri 50 marcas se soluturum esse nec solvisse ab Urbano amicabiliter monitum; mandavit, ut eum induceret, ut infra duos menses praedicta solveret, alioquin eum excommunicaret et alias contra eum procederet; Vol. II [cameralia], f. 144, n. 2.* 9) *Ex instrumentis Iringi [Mon. Boica t. XXXVII et Lang, Reg. Boica t. III] conicere licet eum post initium a. 1256 [cf. supra n. 425 et 430] apud curiam non fuisse. A. 1262, Iun. 1 papa epi-*

514.

Urbanus IV papa [Thomae] episcopo Squillacensi, in Alamannia commoranti, mandat, ut [Ulricum] archiepiscopum Salisburgensem iuxta litteras, sede papali vacante a cardinalibus datas, protegat, proviso quod idem de quattuor milibus marcarum argenti infra festum purificationis proximum ecclesiae Romanae satisfaciat. *1261, Oct. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 8, ep. 1. Exemplar, quod Hauthaler, l. c. edidit, contulimus cum Regestis.

Hauthaler, l. c. p. 279, n. 75.

. . episcopo Squillacensi, in Alamania commoranti.

Venerabilis frater noster . . Salzeburgensis archiepiscopus nobis significare curavit, quod cum Iohannes de Oera clericus, asserens se fore apostolice sedis nuntium, eidem archiepiscopo mandavisset, ut sibi ecclesie Romane nomine quatuor milia marcarum argenti, in quibus archiepiscopus ipse ecclesie predicte tenetur [1], infra unum mensem extunc solvere procuraret, ex parte ipsius archiepiscopi fuit ab eodem Iohanne, propositis quibusdam legitimis exceptionibus infra huiusmodi terminum coram eo, ne contra dictum archiepiscopum in aliquo procederet occasione huiusmodi, ad sedem appellatum eandem. At predictus Iohannes, legitima eiusdem archiepiscopi appellatione contempta, in eum excommunicationis sententiam promulgavit [2]. Ceterum venerabiles fratres episcopi et dilecti filii nostri presbyteri et diaconi sancte Romane ecclesie cardinales, ad quos idem archiepiscopus, tunc ipsa sede vacante [3], super hoc recursum habuit, volentes eidem archiepiscopo et Salzeburgensi ecclesie super hoc salubriter providere, te ad partes illas destinare curarunt, tibi super hoc sub certa forma suas litteras dirigendo. Cum igitur, sicut accepimus, iuxta mandatum predictorum cardinalium procedere [a] inceperis in hac parte, nos, volentes id ad debitum effectum perduci, et quod a te super hoc auctoritate litterarum huiusmodi factum est, ratum habentes et firmum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in huiusmodi procedas negotio secundum predictarum directarum ad te eorundem cardinalium continentiam litterarum ac nichilominus quoslibet iniuriatores ipsius archi-

---

a) procede *R.*

scopo interdixit, ne Iacobo Giberti et Raynerio Bellindotis civibus Florentinis excommunicatis, qui in civitatem Florentinam aufugissent, debita solveret; Vol. II [cameralia], f. 17', n. 1; sed Iun. 6 eisdem Florentinis, cum parati essent ad curiam accedere, posituri cum camera rationem, petitam securitatem concessit; ibid. f. 12; Nov. 30 absoluti iam erant; ibid. f. 54, n. 1; Potthast 18432. A. 1262, Mai. 23 episcopo ad solutionem debitorum quandam gratiam fecerat; eodem die Lodorico monacho, quondam abbati de Billitusen, mandavit, ut episcopum, qui camerae apostolicae in 765 marcis teneretur, nisi infra annum pecuniam in domo fratrum Praedicatorum Herbipolensium deposuisset, excommunicaret et alias contra eum procederet; eodem die episcopo indulsit, ut ad solvenda debita praedecessorum suorum non teneretur; ibid. f. 27. A. 1263, Oct. 25, cum episcopus de praefatis 765 marcis non satisfecisset, Urbanus contra eum magistro Alberto mandatum dedit simile illi, quod pridie [v. not. 8] eidem contra archiepiscopum Maguntinum direxerat; ibid. f. 144', n. 1. Papa, cum episcopo Herbipolensi mandasset, ut quandam pecuniae summam, in qua camerae Alexandri IV teneretur, nomine ecclesiae Romanae [Nicolao] episcopo Trecensi assignaret, huic a. 1263, Oct. 8 mandavit, ut, si pecuniam vel portionem eius recepisset, eam nominatis mercatoribus nomine ecclesiae Romanae assignaret; ibid. f. 143, n. 1. A. 1266, Mart. 5 Clemens IV eidem Alberto de Parma scripsit de praefatis 765 marcis a bonae memoriae Iringo non solutis; Clem. IV cameralia, f. 11, ep. 18; cf. ep. 19 = Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 314, n. 667. Cf. etiam Urb. IV Lib. III, 313; Potthast 19000.

1) *Cf. n. 464 et 513 II.* 2) *Et omnia iura episcopalia ei interdixit; quam ob rem Ulricus iter ad curiam arripuit; Ann. S. Rudberti Salisb. a. 1260; SS. IX, 795. Neque vero ex hac epistola satis apparet, num usque ad curiam pervenerit; cf. Ann. S. Rudb. a. 1262.* 3) *A. 1261, Mai. 25 — Aug. 29; cf. epistolam suffraganeorum ecclesiae Salisburgensis cardinalibus de eadem re directam ap. Regesta Bohemiae t. II, p. 155, n. 405, quam eodem tempore scriptam credimus.*

episcopi, cuiuscumque ordinis, dignitatis vel conditionis existant, quod ab eius iniuriis omnino desistant, prelatos quoque et clericos Salzeburgensis civitatis et diocesis ac vassallos et ministeriales et homines predicte Salzeburgensis ecclesie, quod prefato archiepiscopo obediant et intendant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellas[1] — non obstante si aliquibus est a predicta sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia sedis eiusdem, per quam effectus presentium impediri valeat seu etiam retardari —; proviso quod idem archiepiscopus de dicta summa pecunie[a] satisfaciat eidem Romane ecclesie infra festum purificationis beate Marie virginis proximo venturum[2] iuxta tenorem litterarum cardinalium eorundem. Alioquin excommunicationis sententiam extunc ipsum archiepiscopum incurrere volumus, quam procures, sicut expedire videris, publicare.

Dat. Viterbii, X Kalendas Novembris, anno primo.

515.

Urbanus IV papa universo clero mandat, ut magistro Alberto de Parma scriptori suo, pro negotiis ecclesiae ad diversas partes Galliae, Alamanniae, Angliae, Scotiae et Hispaniae misso, de necessariis vitae provideant. 1261, Oct. 28.

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 1, ep. 2. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. BFW. 9262.

Venerabilibus[b] fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris seu plebanis et aliis ecclesiarum prelatis eorumque capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus domorum militie Templi et Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, Calatravensis et Velensis, ad quos etc.[c]

Cum dilectum filium magistrum Albertum de Parma scriptorem nostrum[3], de cuius nota nobis et fratribus nostris fide ac discretione plene confidimus, ad diversas partes Gallie, Alamanie, Anglie, Scotie et Ispanie pro quibusdam ecclesie Romane et fratrum predictorum negotiis destinemus, universitatem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes[d], quatinus dictum magistrum cum tribus equitaturis et quatuor personis, familiaribus suis, cum per vos[e] vel loca vestra transitum fecerit, pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipientes ac tractantes eundem, ei de necessariis suis vel pro eis, si idem loci aut temporis qualitate suadente maluerit[f], in viginti solidis Turonensium quolibet die nec non de securo conductu in eundo, morando et etiam redeundo honeste ac liberaliter providere curetis.

---

a) pec. sum. *R.* b) Eisdem etc. usque: sancti Iohannis *etc. R.* c) *scil.* littere iste pervenerint. d) attente etc. usque: mandantes *R.* e) *sequitur in R.:* etc. usque: tractantes. f) suadente m *in loco raso.*

1) *Sed cf. Reg. Bohemiae t. II, p. 126, n. 331.* 2) *Febr. 2. a. 1262. Eodem anno Ulricus, quia pecuniam non solvit Romanae curiae, ab episcopo Squillacensi excommunicatus est; Ann. S. Rudb. a. 1262. Cf. epistolas Urbani IV et Clementis IV ap. Hauthaler, l. c. n. 76 et sequ. et Lorenz, Deutsche Gesch. t. I, p. 182, not. 1.* 3) *Cf. n. 513.*

Si autem eundem magistrum oportuerit in quovis loco moram facere longiorem, ne illius loci[a] ecclesie pro suis et suorum necessariis plus congruo aggraventur vel ipse substinere cogatur dispendium vel defectum, singule alie ecclesie vicinorum locorum sibi procurent pro huiusmodi necessariis, cum ab ipso requisite fuerint, in pretaxata summa pecunie providere, ita quod uniuscuiusque diei procuratio summam predictam et procurationum numerus sive in victualibus sive in pecunia numerum dierum, quibus moram aut iter fecerit, non excedat. Et ne ipse ultra vel preter id quocumque pretextu vel modo quicquam in pecunia vel vestibus seu rebus quibuslibet exigat aut recipiat a quocumque, aut sibi vel alicui familiarium eius seu alii pro ipso vel pro eis aut eorum quocumque quicquam detur ab aliquo aut etiam sub specie cuiuscumque muneris offeratur, districtius inhibemus, nisi forsan contigerit aliquam de predicto numero equitaturarum eius aliquo casu deficere vel impedimento teneri; et tunc in huiusmodi necessitate sibi teneantur, qui ab ipso requisiti fuerint, de supplemento congruo eiusdem numeri sine difficultate qualibet subvenire ac idem magister subvenienti taliter suas patentes litteras exhibere, per quas appareat eum equitaturam huiusmodi recepisse; alias autem, qui requisitus fuerit, dare sibi equitaturam huiusmodi nullatenus teneatur; preceptum nostrum taliter impleturi, quod cum idem magister ad nos redierit, de vobis grata nobis referre valeat et accepta et nos[b] sinceritatem vestram debeamus exinde merito commendare. Alioquin sententiam, quam ipse tulerit in rebelles, ratam[c] habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari — non obstantibus[d] si est aliquibus ab apostolica sede indultum, quod legatis vel nuntiis[1] sedis ipsius aliquam procurationem exhibere vel in ipsa contribuere minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto tenore ipsius plenam et expressam non fecerint mentionem, seu aliquibus privilegiis vel indulgentiis[e] quibuscumque personis, locis vel ordinibus sub quavis forma verborum ab apostolica sede concessis, de quibus et eorum totis tenoribus plenam et expressam oporteat in nostris litteris mentionem fieri et per que id quomodolibet valeat impediri.

Dat. Viterbii, V Kalendas Novembris, anno primo[2].

516.

Urbanus IV papa episcopo Narniensi mandat, ut Narnienses, quia castrum S. Gemini ditioni suae subicere nitantur, ad sedem apostolicam citet, ita ut potestas et capitaneus personaliter, consilium vero et commune per procuratorem compareant.

1262, Mart. 6.

Urb. IV Reg. Vol. I, 15; Lib. I, 59. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18239.

. . episcopo Narniensi.

Quia nimis excresceret malitia plurimorum et in aliorum offensas eorum temeritas desaeviret, si virga deficeret corrigentis, expedit, ut presidentis providentia castigetur temeraria presumptio subditorum. Sane te novimus non latere nosque id non

a) *sequitur in R.:* etc. usque: teneatur. b) *sequitur in R.:* etc. usque: commendare. c) *sequitur in R.:* etc. usque: observare. d) *ita R.* e) *sequitur in R.:* etc. ut supra usque: oporteat.

1) *Albertus 'nuntius' erat; cf. Potthast 18250 et BFW. 9566.* 2) *De magistro Petro de Portecarro archidiacono Gradicensi pro colligenda pecunia in Ungariam, Bohemiam et Poloniam misso cf. Vol. II [cameralia], f. 3; Potthast 18131; et saepius in Reg. Bohemiae t. II.*

sine vehementi mentis turbatione referimus et aeris doloris amaritudine recensemus, qualiter Narnienses castrum sancti Gemini[1], quod existit Romane ecclesie speciale quodque propter singularem fidelitatis sue constantiam singularis apud nos benivolentie privilegium promeretur, variis modis impetere ac pro posse dampnificare in personis et rebus presumpserint hactenus nequiter et presumunt[a], illudque nituntur sue ditioni subicere non sine apostolice sedis et nostra iniuria et contemptu. Quia vero tolerari non debet tante temeritatis audacia, que sic in apertam vergit contumeliam dicte sedis, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obediencie districte precipiendo mandamus, quatinus visis litteris ad civitatem rediens Narniensem, infra quatuor dies a receptione presentium . . potestatem, . . capitaneum, consiliarios et commune Narnienses ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra decem dies post citationem huiusmodi dicti potestas et capitaneus personaliter, consilium vero et commune per procuratorem vel syndicum, habentem ab eodem communi de parendo mandatis ecclesie super hoc sufficiens et speciale mandatum, compareant coram nobis, parituri super premissis nostris et ipsius ecclesie beneplacitis et mandatis, nichilominus denuntiaturus eisdem, quod si ad eundem terminum ipsi forte venire contempserint, ecclesiam et civitatem Narnienses spirituali et temporali iurisdictione, si quam in idem castrum et eius homines obtinere noscuntur, presentium auctoritate decernimus extunc fore privatos. Insuper precipimus et hoc per te volumus executioni mandari, ut tu et clerus tue civitatis et diocesis usque ad unum miliare a civitate ipsa, cuiuscumque religionis seu professionis existant, monialibus et sex presbyteris, qui tantum in extremis laborantibus et volentibus ad ecclesie redire mandatum ecclesiastica sacramenta ministrent, dumtaxat exceptis, egrediamini processionaliter civitatem eandem et totum districtum ipsius, educto de civitate ipsa pretioso corpore redemptoris, non redituri ad eadem loca sine nostra speciali licentia et mandato. Diem vero citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter intimare procures, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus[b], quod de inobedientie vitio redargui nequeas set de obedientia potius commendari, nosque tue devotionis promptitudinem exinde merito commendemus.

Dat. Viterbii, II Nonas Martii, anno I°[2].

517.

Urbanus IV papa [Alfonso] regi Castellae postulanti, ut ad imperii fastigium evocetur, respondet votis eius, Ricardo quoque comite Cornubiae ius suum super negotio imperii prosequente, ad praesens annuendum non esse, praesertim cum nuntii utriusque partis se nolle in hoc sedis apostolicae subire iudicium frequenter proposuerint.

1262, Apr. 17.

Urb. IV Reg. Vol. I, 20; Lib. I, 91. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18272; BFW. 9277.

---

a) *ita R.* b) tal. impl. in hac p. *R.*

1) *Ex sept. et oc. civ. Terni.* 2) *Cf. infra sub a. 1262, Dec. 23. A. 1262, Mai. 14 clerum et populum castri S. Gemini ab omni iurisdictione spirituali et temporali civitatis Narniensis liberavit, ita ut sedi apostolicae dumtaxat subessent; Lib. I, 98; Potthast 18316. A. 1263, Aug. 4 Helyae canonico Belvacensi capellano suo mandavit, ut in castro de S. Gemino aream inveniret, in qua arx fundanda esset; Lib. II, 190; Potthast 18616. A. 1264, Iun. 14 Narnienses ad ecclesiam reversos absolvi et processus contra eos et ecclesiam Narniensem propter castrum de S. Gemino habitos revocari iussit; Lib. III, cur. 134; Posse p. 33, n. 410. A. 1264, Iun. 3 excommunicati adhuc fuerant; Lib. III, cur. 130; Potthast 18933; de eadem re Lib. III, cur. 129.*

..illustri regi Castelle ac Legionis.

Cesserunt nobis ad gaudii et exultationis multe materiam ea, que dilectus filius magister Rod.[a][1] notarius tuus, a te pro imperii Romani negotio ad sedem apostolicam destinatus, vir utique industrius et sedulus, tui zelator honoris, ad tui exaltationem nominis et magnitudinis tue laudem proposuit in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus. Inter alia namque inclita celsitudinis regie ac tuorum progenitorum merita, que facunde recensuit et fecunde, prudenter exposuit te devotionem sinceram et intentionem puram erga Deum et Romanam ecclesiam matrem tuam incessanter habuisse hactenus et constanter habere velle indefesso proposito in futurum, quodque intentis studiis ipsius ecclesie comoda prosequi votive desideras eiusque humiliter parere beneplacitis et consiliis firmiter adherere proponis, circa quod tuum laudabile propositum et regiam prudentiam dignis in Domino laudibus extollentes, divinam imploramus clementiam, ut ille, in cuius manu regum corda consistunt et ubi voluerit ea (Prov. 21, 1.) pro beneplacito sue voluntatis inclinat, serenitatem tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integre religionis studio in tempora longiora conservans, virtutibus tuis semper adiciat et ipsas successivis adaugeat incrementis. Licet autem idem magister, comisse sibi legationis fidelis et diligens prosecutor, inter cetera, que circa imperii predicti negotium petiit, postularet instanter te per nos ad ipsius imperii fastigium evocari, coronam eiusdem de nostris manibus suscepturum, nosque personam tuam potentia et magnanimitate sublimem sinceris affectibus prosequamur: ex officii tamen debito libram iustitie gestantes in dextera, ipsius iussibus vota nostra subicimus, ipsam illesam servare studemus. Et ideo, dilecto filio nobili viro Riccardo comite Cornubie super huiusmodi negotio imperii ius suum ut asserit prosequente ac suis nuntiis super eodem multa coram nobis et eisdem fratribus nostris proponentibus pro parte ipsius, moleste ferre regia mansuetudo non debet, si, rebus sic se habentibus, votis eiusdem magistri ad presens annuendum non duximus in hac parte, presertim cum tam tui quam prefati comitis nuntii apud sedem apostolicam constituti se nolle in hoc ipsius sedis subire iudicium frequenter duxerint proponendum. Ceterum memoratum magistrum Rod.[a], quem in tui prosecutione negotii fidelem comperimus, quem discretum suis consideratis actibus reputamus et suis exigentibus meritis carum habemus, ad tuam presentiam, quia ipsius reditus tuis comodis expediens creditur, redeuntem tue celsitudini comendamus. Et si forsan ipsum vel alios nuntios apud eandem sedem te habere contigerit, eos gratanter videbimus et ad nos in quibuslibet tuis negotiis volumus recurrere confidenter.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Maii, anno I°.

518.

Urbanus IV papa Ottocaro regi Bohemiae scribit se matrimonium eius olim cum Margarita quondam Romanorum regina de facto contractum irritum denuntiare et cum ipso et Kunigundi nepte regis Ungariae dispensare, ut in matrimonio contracto, impedimento non obstante, remaneant. *1262, Apr. 20.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 58', ep. 1. Exemplar, quod Reg. Bohem. t. II, p. 137, n. 355 praebent, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18277; BFW. 9279.

---

a) Rod' *R.*

1) *Rodulfus de Podio Bonizi [ex sept. et occ. civ. Siena], quem Alfonsus a. 1264, Febr. 1 [BF. 5513] magistrum et notarium suum appellavit; cf. infra sub a. 1264, Aug. 27.*

Carissimo in Christo filio Ottocaro regi Boemie illustri.

Cum summus pontifex, collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis, ligandi obtineat pontificium et solvendi, nonnunquam supra ius de iure dispensans, necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat provide de sue potestatis plenitudine circa quosdam. Ex parte siquidem tua fuit propositum coram nobis, quod olim nobilis mulier Margareta, quondam Romanorum regina, in provinciali capitulo fratrum Predicatorum apud Treverim congregato sollempni voto castitatis emisso, ordinem sororum secundum instituta fratrum predictorum viventium se servaturam ac obedientiam in manibus H. tunc in Alamania prioris provincialis eorundem fratrum Predicatorum promittens, habitum ibidem religionis assumpsit, et tandem ad monasterium sororum sancti Marci Herbipolensis secundum instituta predicta viventium, cuius curam et regimen prior ipse gerebat, se transferens, per annum et amplius sub eodem habitu in dicto monasterio moram traxit[1]. Cum qua postmodum de facto matrimonium contraxisti[2], ei aliquamdiu cohabitans ut uxori. Demum vero tam tu quam dicta nobilis, attendentes quod non poteratis in prefato[a] matrimonio, quod nullum erat, sine proprie salutis interitu remanere, voluistis abinvicem separari, alterutro ab altero divertente[3]. Que quidem omnia in litteris plurium episcoporum illarum partium et predicte nobilis, que propter hoc ad sedem apostolicam certum nuntium destinavit et alias etiam, existens libera, hoc sponte confessa extitit, continentur. Quidam quoque religiosi et alii de dictis partibus, apud sedem existentes eandem, asseruerunt eadem esse vera. Tuque carissimam in Christo filiam nostram Kunigundim illustrem reginam Boemie, neptem carissimi in Christo filii nostri . . regis Ungarie illustris, tibi matrimonialiter copulasti[4], que tibi quarto consanguinitatis et tertio affinitatis gradibus est coniuncta. Cum autem, sicut accepimus, ex persistentia matrimonii taliter inter te et dictam Kunigundim contracti pax in Ungarie atque Boemie regnis et aliis vicinis provinciis conservetur, ac fideles illarum partium roborentur ad resistendum perfidie Tartarorum necnon aliis hostibus fidei Christiane, multorumque liberatio, qui alias subicerentur perpetue servituti, ac plures alie utilitates provenire noscantur: nos, hiis et aliis premissis diligenter pensatis, denuntiamus, veris existentibus supradictis, matrimonium, quod, ut predictum est, tu et dicta nobilis contraxistis ad invicem, non tenere, ac tuis et prefati regis apostolicam super hoc gratiam implorantis supplicationibus inclinati, ut — non obstante impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate ac affinitate provenit, — tu dictaque Kunigundis in predicto matrimonio contracto inter vos possitis licite remanere, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus. Nulli ergo etc. nostre denuntiationis et dispensationis etc. Siquis autem etc.

Dat. Viterbii, XII Kalendas Maii, anno primo.

519.

Urbanus IV papa [Iacobo] regi Aragonum, qui ad concordiam inter Manfredum quondam principem Tarentinum et ecclesiam Romanam tractandam personaliter partes suas

---

a) *sequitur parvus locus rasus.*

1) *Cf. BF. 5553 m.* 2) *A. 1252, Febr. 11.* 3) *Adhuc a. 1261, Apr. 28 Ottocarus rex Margaritam uxorem suam appellavit; BF. 5562 a.* 4) *A. 1261, Oct. 25.*

interponere paratus sit, narrat multiplices offensas a Manfredo ecclesiae illatas; rogat, ne sinistris eius suggestionibus auditum praestet nere prosecutioni matrimonii inter primogenitum suum et filiam Manfredi contrahendi amplius insistat. *1262. Apr. 26.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 20–21; Lab. I, 92. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1262, § 9–15, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18283; Capasso n. 368; BFW. 9280.

. . regi Aragonum illustri.

Dilectus filius frater Guillelmus de Pontons magister militie Templi in regnis tuis, nuntius tuus, vir utique providus, quem contemplatione mittentis et sue insuper probitatis obtentu affectione paterna recepimus, nostram presentiam adiens, M. quondam principis Tarentini querelas, de duritia, quam ipse imponit ecclesie Romane, confictas, ac oblationem pacis, quam se idem M. multipliciter ab eadem ecclesia expetiisse[1] asserit, proculdubio simulatam, prudenter exposuit, et speratum tue sinceritatis ac devotionis affectum ad nos et eandem ecclesiam nobis et nostris fratribus reseravit. Retulit namque dictum M. tibi per suas litteras et nuntios graviter fuisse conquestum, quod licet ipse ad obtinendam sedis apostolice gratiam studiis continuatis institerit et per tractatus varios totis viribus laborarit, multiplici tamen ipsius instantie opposuit semper rigor ecclesie sine causa repulsam. Quare idem se in hoc beneplacitis tuis exponens petiit, ut ad tractandam concordiam inter ipsum et dictam ecclesiam interponeres personaliter partes tuas. Ad cuius instantiam tu, credens ipsum in veritatis simplicitate procedere ac intendens in hoc nostra et ipsius ecclesie commoda procurare, id te facturum nobis per eundem nuntium et litteras liberaliter obtulisti.

Sane, fili carissime, tuam tuorumque progenitorum devotionem ad memoratam ecclesiam frequenter operis exhibitione probatam fratrum ipsorum et communi testimonio novimus, ipsamque ac tua et eorundem progenitorum gesta magnifica, que ad exaltationem sui nominis et Christiani cultus ampliationem dignatus est ipse summus opifex tuo et ipsorum ministerio misericorditer operari, habentes in apostolice mentis conscripta sacrario et infra pectoris cellam meditatione frequenti ac commemoratione celebri recensentes, illam concepimus de tua serenitate fiduciam, hoc de te spe firma
et indubitata tenemus, quod sic in te Dei caritas vigeat, sic zelus domus Domini te Ps. 68. 10.
comedit[a], quod ad ea, que ipsius incrementa respiciunt vel procurare possent aut conservare prosperum statum eius, te libenter exponeres nec in hoc laboribus parceres vel expensis. Sed illud profecto in admirationem, immo in stuporem quodammodo nos inducit, quod licet universis mundi nationibus pateat memorati M. malitia, licet ipse
tanquam in malorum profundum demersus, Deum contempnens et homines, quasi Jerem. 3. 3.
frons meretricis facta sit ei, nimis impudenter fere cunctis publicaverit detestabiles actus suos, ipsaque rei evidentia doceat eum, quo ad tractatus concordie, in falsitatis
duplicitate procedere ac in corde et corde prosequi, immo solum proloqui verba pacis: Ps. 11. 3.
quia tamen providentia regia eius suggestionibus fraudulentis aures, quod ex tua forsan puritate procedit, inclinare videtur, cogimur, licet inviti, aliqua de abhominationibus suis et multiplicibus ac importabilibus offensis, quas contra Deum et matrem ecclesiam continuando multiplicat et multiplicando accumulat incessanter, tibi non sine multa cordis amaritudine saltem summotenus explanare.

Hic siquidem, licet a principio post obitum Conradi fratris sui felicis recordationis Innocentio pape predecessori nostro, fidelitatis prestito corporaliter[b] iuramento.

---

a) *ita R.* b) corporaliter—regnum *in loco raso.*

1) *Cf. BF. 4733a.*

ipsum regnum Sicilie pacifice intrare permiserit, cum et Romanam ecclesiam verum eiusdem regni[a] dominum recognoscens, licet idem predecessor, cum tamen ipsum non ignoraret de viperea stirpe progenitum, affectu paterno cupiens eum mansuetudinis multe dulcedine ad sui creatoris gratiam revocare, ipsum ut filium receperit in visceribus caritatis et principatum Tarentinum sibi de mera liberalitate, cum nullum idem M. ius haberet in eo, sponte concesserit et alias eum largifluis munificentiis et munificis largitionibus honorarit[1]: tamen quasi e vestigio tantorum beneficiorum oblitus et ad omnia factus ingratus, ut [per][b] fusi sanguinis semitas sui faceret processus initium, cum conceptum virus amplius celare non posset, quondam B[urrello] de Anglone comite, fideli ecclesie, in conspectu quasi predecessoris eiusdem crudeliter interempto[2], dum ecclesia quadam materna fiducia in ipso quiesceret, erigens statim captata oportunitate rebellionis calcaneum contra eam, ad Sarracenos Lucerie, per quos in Christianos immanitates exercuit et exercet innumeras, declinavit[3]; ac pactionibus et colligationibus initis cum eisdem contemptoribus et persecutoribus Crucifixi ac nominis Christiani, ad occupationem predicti regni manus extendens, illud sub simulata nepotis sui nati memorati Conradi protectione tutoria[4] presumpsit occupatum aliquamdiu detinere; ac tandem idem iniquitatis filius, ut se de radice colubri regulum probaret egressum, non solum successor paterne malitie set excessor, eiusdem nepotis morte conficta regnum ipsum tamquam hereditatem propriam usurpavit[5]: et nativitatis sue primordia non attendens, utpote quem labes adulterina, immo etiam incestuosa produxit[6], non erubuit, sed presumpsit in regalis dignitatis obprobrium et cunctorum fulgentium huiusmodi claritate, quam ipse sua contagione commaculat, regium in eo nomen assumere per se ipsum, tante proditionis notam in suum nepotem, cuius se tutorem asserebat et baiulum, non abhorrens nec ostentationem sue confusionis aspernans, cum dignitas indignis obveniens non dignos efficiat, sed prodat potius et ostentet indignos. Et ut tali principio sequentia concordarent et ipse non rector, sicut nec erat, set raptor potius appareret, vacantes in eodem regno ecclesias occupavit et occupat, non vacantes spoliat, prelatos ipsarum et alios clericos, quorum aliquos diris carceribus mancipavit, quos etiam, sicut et laicos, talliis et exactionibus aggravat, facit [sibi][c] in contemptum clavium, cum per predecessorem nostrum sit variis excommunicationum sententiis innodatus, et contra interdictum ecclesie[7], quod certe suspicione non caret heretice pravitatis, [celebrare vel][d], quantum in eis est, prophanare divina. Nonnullos quoque barones regni prefati, pro eo quod predecessori et ecclesie predictis, licet de ipsius beneplacito, adheserunt, crudeliter interemit, quamplures incolas regni eiusdem, magnates et alios, inhumaniter exulare cogendo nec in hiis parcendo sexui vel etati.

Numquid igitur, ut ceteras obscenitates ipsius, quibus labia nostra polluere nolumus[e], omittamus, saltem ista tam publica, tam manifesta te latent? Numquid ista tuum preterire potuerunt auditum? Hec tamen in ipso, si penitens se habilitaret ad gratiam, ob salutem ipsius libenter, prout deceret, pertransisset ecclesia, et ei ad
Luc. 15. suum gremium redeunti, tamquam filio perdito venienti de longe, apertis bracchiis occurrisset, immolatura pro eo in ubertate divine laudis vitulum saginatum. Propter

---

a) regni — recognoscens *in loco raso.* b) per *deest R.* c) solū *R.* d) *deest R.; cf. sub a. 1262, Nov. 11.* e) *post litt.* l *una litt. erasa est.*

1) *Cf. n. 318 et 319.* 2) *A. 1254, Oct. 18; Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 432, not. 28.* 3) *A. 1254, Nov. 2 Luceriam venit; BF. 4644 q* 4) *Tutor Conradini non erat, sed baiulus pro eo in regno Siciliae; Rodenberg, Innoc. IV u. d. Kgr. Sicilien p. 169.* 5) *A. 1258, Aug. 10; BF. 4670a.* 6) *Manfredus illegitime natus erat; sed eum a patre legitimatum esse pro certo teneri potest; de his et de incestu Friderico crimini dato cf. BF. 4632b.* 7) *De interdicto regni cf. epistolam Alexandri IV a. 1255, Mart. 25 ap. BFW. 8966; cf. 9191.*

quod tam tempore felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri quam nostro suos nuntios, non sine multorum scandalo, quamquam ipsius malitia sibi non esset incognita, ut tamen obstetricante saltem manu colubrum educeret tortuosum et Iob 26, 13 ipsum a peccatorum nexibus liberatum de faucibus sempiterne mortis eriperet, eadem ecclesia benigne recepit et varios cum ipsis tractatus inivit. Sed ipse illis pendentibus a suarum iniquitatum prosecutione non destitit, immo ipsis eo vacavit instantius eoque periculosius institit, quo minus poterant eo tempore fideles ecclesie de ipsius insidiis dubitare. Huiusmodi namque tempore idem per suos satellites quondam Bussarium, nuntium memorati sui nepotis in terra ecclesie ac sub ipsius securitate morantem, procuravit occidi[1], et in ecclesie devotos in Tuscia versutiis et armis insiliens, ipsos, non sine multa strage hominum, dampnis et iniuriis multis afflixit, ut de morte quondam Petri de Calabria, quem simili modo peremit[2], et de occupatione marchie Anconitane, que est ecclesie specialis, ac invasione Tuscie aliarumque terrarum imperii per suos ministros et ceteris similibus, immo etiam longe deterioribus taceamus. Post que omnia in nimiam erectus superbiam, et quasi pullum onagri se Iob 11, 12 liberum natum putans, tractatus omnes, quamquam eos non acceptasset ecclesia, sicuti nec debebat, prorsus omisit. Licet enim post vocationem nostram ad apostolatus officium ad nos plures nuntios destinarit nosque ipsos benignitate solita duxerimus admittendos, nulla tamen per ipsos nisi delusoria quedam audivimus nec digna relatu.

Propter quod magnificentiam tuam decere non credimus nec te volumus, quantumcumque tua libenter frueremur grata[a] presentia, pro huiusmodi tractatibus laborare; sed de liberali oblatione tua tibi grates uberes referentes, celsitudinem tuam affectuose rogamus, quatinus sinistris eius suggestionibus non prestes auditum nec ipsius fraudibus te patiaris involvi. Ceterum, quia zelo sinceritatis intime circa tue magnitudinis incrementa semper intendit ecclesia, quia continuate benivolentie studio gessit ab olim et gerit in votis augmentis exaltare magnificis et insignire titulorum adiectione sublimium nomen tuum, nos, qui predecessorum nostrorum vestigia circa te imitari proponimus in affluentia benedictionis et gratie, silere non possumus, quin mentem nostram tibi paternis affatibus exprimamus. Considera igitur, fili, considera tui generis claritatem, quantaque a diebus antiquis, quorum memoria non existit, generositate illustris claruerit domus tua, quanta tibi dederit Dominus potentia et persone strenuitate vigere, quot et quanti regie dignitatis participes tibi proxima consanguinitatis et affinitatis linea coniunguntur. Quomodo igitur cadere potuit in cor tuum, quomodo potuit animi tui sublimitas inclinari, ut de contrahendo matrimonio inter primogenitum tuum illustrem[3] et natam[4] memorati M. verba etiam patereris audire? Numquid contempnitur ab aliis mundi principibus natus tuus? Numquid deerit

a) grata frueremur *R.*

1) *Aestate a. 1260, non multo ante pugnam apud Montemapertum Sept. 4 factam; cf. BF. 4777a. Id tum factum esse etiam ex verbis sequentibus concludimus, quae pugnam illam dicere videntur, cum invasio Tusciae infra iterum commemoretur. Verba 'in terra ecclesiae' concordant cum Saba Malasp. Lib. I, 5, ap. Muratori t. VIII, p. 798 A. A. 1263, Oct. 31 Urbanus I[ohanni] S. Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, rectori Sabiniae, mandavit, ut castrum Octonelli Sabinensis diocesis ad dominium ecclesiae revocaret, cum Raullus dictus Surdus, civis Romanus, qui illud occupasset, ex interfectione Conradi dicti Bussarii, nuntii Conradi pueri nati Conradi etc., in qua ecclesiam graviter offendisset et immensam ei iniuriam intulisset, castro praedicto privari mereret, etiamsi illud legitime obtinuisset; Lib. III, cur. 12; Posse, l. c. p. 25, n. 301; cf. Potthast 19747.* 2) *Cf. Saba Malasp. Lib. I, 5; Muratori t. VIII, p. 796 D. Interfectus est post a. 1256, Febr. 2; Iamsilla, ibid. p. 578 A. A. 1257, Apr. 28 Alexander IV Guidam viduam eius sub protectione sua suscepit; BFW. 9103.* 3) *Petrum.* 4) *Constantiam, quae a. 1262, Apr. 23 legato regis Aragoniae tradita iam erat; BF. 4734a.*

ei de stirpe regia decens coniux? O quantum dedecus tali conubio tantam generis dedecorare prosapiam! O, quam fedum cum tam fedo federa cuiusquam affinitatis inire! O quam detestabile tam devotum ecclesie filium ipsius inimico et persecutori manifesto vinculo tante coniunctionis astringi! Nonne posses amare dolere, si ex tali nuru tibi proles accresceret, toti tuo generi eique coniunctis et tibi maxime pudori futura? Certe in te non bene primis ultima responderent, sed ipsi tibi omnino dissimilis appareres, si tu, ab ipsa etate tenera inimicos ecclesie ac Christiane fidei persecutus, nunc maturiorum constitutus annorum, talium aliquem in tui derogationem nominis tanto favore ac benivolentia prosequaris. Non enim preterit regie considerationis intuitum, quod ex tali coniunctione memorato M. nimius favor accrescet, non sine magna offensa Dei et ecclesie, quam ipse totis persequitur nisibus, et tue magnitudinis lesione, dum ei te coniungendo, qui sic eandem impugnat ecclesiam, ab ipsa separari et adversari nimirum videreris eidem. Absit itaque, absit, quod in gloria tua maculam tantam ponas! Absit, ut talis umquam tibi nota possit imponi! Absit, ut contra claram tuam et eiusdem generis tui famam suspitio in te qualiscumque succrescat, quod a solitis devotionis et affectionis semitis erga Deum et Romanam ecclesiam dicaris quomodolibet claudicare! Profecto, princeps inclyte, si te nequaquam ab huiusmodi coniunctione retraheret nativa nobilitas et votum debite conservationis ipsius, devotio saltem ad matrem ecclesiam, in te ac tuis progenitoribus radicata, revocare deberet. Placeat igitur excellentie tue paternis acquiescere monitis et nostris exhortationibus promptum accomodare consensum, ut prosecutioni coniunctionis huiusmodi amplius non insistas, sed ab ea tam tui tuorumque honoris intuitu quam divini amoris obtentu omnino desistas, ut tibi fame servetur integritas et illibata tui generis claritas[a] conservetur[1].

Dat. Viterbii, VI Kalendas Maii, anno I°[2].

520.

Urbanus IV papa [Otakarum] regem Bohemiae laudat, quod sedi apostolicae significaverit, qualiter [Wernerus] archiepiscopus Maguntinus ipsi et aliis principibus electoribus diem et locum assignare curaverit, quo convenirent de electione futuri regis tractaturi, et qualiter rumor insonuerit ad hoc tendere intentionem, ut Conradus puer natus quondam Conradi IV ad culmen imperii sublimetur. Rogat eum, ut provideat, ne eligendo praedictum puerum excommunicetur. *1262, Iun. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 24; Lib. I, 102. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1262, § 5—8, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18346; BFW. 9285.

..illustri regi Boemie.

Dilectum filium magistrum Petrum capellanum et nuntium tuum[3] nec non et litteras, quas nobis ex parte regia presentavit, affectione paterna recepimus, et tam

---

a) claritas generis *R.*

1) *Cf. Potthast 18402.* 2) *A. 1264, Mart. 21 Urbanus regi non nominato [Aragoniae?] scripsit se magistrum Synitium camerae suae clericum ad partes Aragoniae et Hispaniae et alias regiones pro colligendis censibus et debitis ecclesiae Romanae destinare, mandans, ut annuum censum pro praesenti et praeteritis annis, a tempore quo solutus non esset, integre assignari sibi faceret; Vol. II [cameralia], f. 131, ep. 1. Ibid. f. 133' sub eodem die legimus regem Aragoniae in 250 obol. auri annuatim teneri. A. 1264, Iul. 26 papa eidem regi gratiam fecit; ibid. f. 136.* 3) *Hic postea protonotarius, denique cancellarius regis et praepositus Wissegradensis factus est.*

ea, que idem nuntius, quem de multa diligentia, sollicitudine ac prudentia commendamus, quam etiam que eedem littere continebant, plene advertimus et intelleximus diligenter, uberem tue circa Romanam matrem ecclesiam devotionis affluentiam ex eo specialiter dignis laudum titulis efferentes, quod regie circumspectionis industria, de honore ipsius ecclesie sollicita, pervigil et attenta, ea, que circa negotium Romani imperii in Alemannie partibus disponuntur ad presens, presentiens, per eundem nuntium nec non et per predictas litteras nobis ad nostram dicteque ecclesie premunitionem atque cautelam inter alia significare decrevit, qualiter venerabilis frater noster . archiepiscopus Maguntinus tibi et aliis principibus regni Theutonie, ad quos Romanorum regis in imperatorem promovendi spectat electio, certum de novo diem et locum prefigere ac assignare curavit, quo personaliter conveniatis in unum de electione ac creatione futuri regis adinvicem tractaturi, et qualiter etiam in illis partibus vulgaris rumor insonuit, quod nonnullorum ex predictis principibus ad hoc tendit intentio, ut videlicet Corradus puer[1] natus quondam Corradi filii quondam Fr. olim Romanorum imperatoris ad Romani culmen imperii sublimetur. Nos autem, attendentes quod ad intimandum nobis talia ex multa cordis, quam ad nos et predictam geris ecclesiam, puritate ac sinceritate animi processisti, tuam propter hoc devotionem multiplicibus gratiarum actionibus prosequendam [duximus][a], superno regi, per quem regni tui moderaris habenas, laudes debitas exolventes, quod tam carum, tam placitum[b] tamque devotum habemus in te filium, probitate quidem ac bonitate prefulgidum et multarum virtutum gratia prepollentem; propter quod ad personam tuam copiosa mentis affectione dirigimur, cogitantes semper et infra cordis intima revolventes, quid gratie, quid favoris filio possimus impendere tam excelso, et quibus honorificentiis suum insignire statum magnificum valeamus.

Verum[2], quia predictus Fr. eiusque progenitores et posteri, aliorum persecutorum excedentes tyrampnidem, gravioribus eandem ecclesiam affecerunt iniuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in cedem et exterminium eius tendentes furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam ubilibet tribulavere flagellis et usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt: nos, considerantes quod in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt, ac volentes periculis, que predicte imminerent ecclesie, si dictus Corradus puer assumeretur, quod absit, ad regiam vel imperatoriam dignitatem, apostolica diligentia precavere, predictum archiepiscopum et alios ecclesiasticos principes, coelectores ipsius, felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri super hoc inherendo vestigiis[3], monendos, rogandos attente duximus et hortandos, nostris eis in virtute obedientie sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenentur, ac sub pena excommunicationis, quam extunc[4] in eos protulimus, districte dantes litteris in preceptis, ut memoratum C. puerum nullo umquam tempore in regem eligant nec nominent neque consentiant in eundem, ita quod excommunicati existant, si contra mandatum nostrum facere vel venire presumpserint et eundem Corradum nominaverint vel elegerint aut in ipsum consenserint seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, impenderint, et etiam, si eius nominationem et electionem non impediverint toto posse, ut, si forte ad ipsius electionem vel nominationem aliquo tempore processerint, noscant se prius excommunicatione ligatos. Aliis vero coelectoribus suis auctoritate

---

a) duximus *deest R.* b) placidum *R.*

1) *Attendas Conradino titulum adscriptum non esse; cf. sub a. 1264, Aug. 13.* 2) *Cf. p. 398, lin. 37.* 3) *Cf. ibidem.* 4) *Scil. per ep. n. 521.*

apostolica firmiter inhibeant, ne ipsum Corradum ad hoc nominent vel eligant nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc inhibitionem venire temptaverint, ita quod si eum ullo umquam tempore nominare vel eligere aut in ipsum consentire presumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo alligatos, ut ex hoc ipso, si de predicto Corrado quicquam in hac parte attemptatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum et inane. Nos quoque nichilominus in omnes electores, qui premissum puerum ad hoc nominare vel eligere seu in ipsum consentire aut opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, dare presumpserint, excommunicationis sententiam duximus promulgandam, quam statim per illos[1], antequam ad nominationem vel electionem aliquam aliquo tempore procedatur, reliquis suis coelectoribus precepimus innovari; quod si non fecerint, eo ipso se noverint excommunicationis laqueo innodatos. Ideoque serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus huiusmodi processum nostrum prudenter considerans et discutiens sapienter, sic illum semper habeas ante oculos tue mentis, ut si ullo umquam tempore electioni faciende de rege Romanorum te interesse contigerit, attente provideas, ne huiusmodi excommunicationum sententiis quomodolibet involvaris nominando vel eligendo predictum puerum aut exhibendo ad hoc, ut eligatur, consilium, auxilium vel favorem.

Dat. Viterbii, III Nonas Iunii, anno 1°.

521.

Urbanus IV papa [Wernero] archiepiscopo Maguntino sub poena excommunicationis mandat, ne Conradum puerum natum quondam Conradi IV ullo unquam tempore in regem eligat vel nominet vel consentiat in eundem, et ut aliis principibus electoribus sub eadem poena inhibeat, ne id facere praesumant. *1262, Iun. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 25—26; Lib. I, 107. Damus Pertzii exemplar.
Potthast, Reg. 18348; Böhmer-Will t. II, p. 358, n. 74; BFW. 9286.

. . archiepiscopo Maguntino.

Iac. 1 17. Postquam supernus ille hominum pater, a quo data optima et dona perfecta pro-
Sap. 8, 1. veniunt et qui celum implet et terram, disponens suaviter omnia, nos licet immeritos super hereditatem suam unexit in principem et in eminenti summi apostolatus cathedra collocavit, mens nostra, quantumcumque in ipso nostre nove promotionis initio se circumquaque conspiceret diversarum cogitationum multipliciumque curarum obsidione vallatam, intermissis ceteris particulariter ei incumbentibus negotiis, de generali statu reipublice Christianitatis cepit principaliter esse sollicita, vias et modos perquirendo varios, quibus tranquillitatem et pacem nobis et ecclesie ac mundo diris guerrarum commotionibus et periculosis discordiarum divisionibus lacerato parare ac quietem Christiano populo, quem alterni bellorum incursus continue hactenus vexaverunt, illo
Matth. 8, 26. nobis favente ac cooperante qui mari et ventis imperat et statuit procellas in auras, exhibere possemus. Cumque, Romane archivis ecclesie reseratis, predecessorum nostrorum Romanorum videlicet gesta et regesta pontificum nostra ob hoc specialiter sollicitudo revolveret, cum omni diligentia et attentione disquirens, si forsitan ex eorundem predecessorum processibus aliquid nobis occurreret, per quod possemus sufficienter instrui, qualiter valeret ac deberet per nos huiusmodi tam pium, tam utile tamque

---

1) *Scil. archiepiscopos.*

salubre negotium promoveri. demum tenor litterarum felicis recordationis A. pape predecessoris nostri nostris se obtutibus obtulit[1]; per quem utique tenorem nobis constitit evidenter, quod idem predecessor — intellecto quod instabat tunc tempus electionis celebrande de rege Romanorum in imperatorem postmodum promovendo, considerans quod super hoc tanto propensior adhibenda erat diligentia et cautela, quanto altius et difficilius erat negotium, quod in hac parte tunc temporis gerebatur, quantoque res, si aliqua in ea interveniret negligentia seu improvidentia vel desidia, deteriorem habere posset effectum et exitum graviorem, pensans etiam quod hic erat vehementer vigilandum, hic perspicaciter intuendum, hic considerandum prudenter, hic mature deliberandum, hic provide precavendum, hic erant aperiendi oculi, hic habende aures intente, hic mens esse debebat non rudis et torpida, sed diligens, pervigil et consulta, ubi de advocato agebatur ecclesie et de defensore tractabatur ipsius, ne pro advocato impugnator et pro defensore assumeretur vel eligeretur offensor, propter quod undique summe cogitationis erat acies perferenda et circumquaque districta explorandum indagine, ut talis cooperante Domino repperiretur et eligeretur, qui fidelis et devotus existeret et de prosapia procederet devotorum ac idoneus et sufficiens reputaretur merito ad obtinendum tanti honoris culmen et imperii regimen exercendum. — bone memorie archiepiscopo Maguntino predecessori tuo per huiusmodi exposuit litteras, quod patens erat et cognitum toti orbi, qualiter quondam Fridericus olim Romanorum imperator eiusque progenitores et posteri erga matrem ecclesiam se gesserint, et qualem ei retributionem de beneficiis ab ipsa perceptis impenderint *etc.*[a] *usque:* nosceret vinculo excommunicationis astrictum.

Nos igitur, attendentes quod idem Alexander predecessor noster ad premissa cum omni providentia, circumspectione, attentione, maturitate ac deliberatione processit, ac previdentes pericula, que memorate Romane imminerent ecclesie, si dictus Conradus puer ullo umquam tempore assumeretur ad huiusmodi regiam vel imperatoriam dignitatem, et cupientes talibus periculis apostolica sollicitudine precavere, huiusmodi eiusdem Alexandri predecessoris nostri processum de fratrum nostrorum consilio ex certa scientia ratificamus et approbamus ac auctoritate apostolica confirmamus. Verum, quia dictus predecessor tuus de carnis ergastulo migravit ut speramus ad Dominum, nos, dubitantes ne tu, qui eidem tam in honore quam in onere successisti, huiusmodi processus inscius et ignarus existas, processum ipsum in personam tuam duximus innovandum. Ideoque fraternitatem tuam monemus, rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta in virtute obedientie et sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie Romane teneris, ac sub pena excommunicationis, quam ex nunc in te proferimus, districte precipiendo mandantes, quatinus memoratum Conradum puerum nullo umquam tempore in regem eligas nec nomines neque consentias in eundem, ita quod excommunicatus existas, si contra mandatum nostrum facere vel venire presumpseris et eundem Conradum nominaveris vel elegeris aut in ipsum consenseris seu opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, impenderis, et etiam si eius nominationem et electionem non impediveris toto posse, ut[b] si ad ipsius electionem vel nominationem aliquo tempore forte processeris, scias te prius excommunicatione ligatum. Aliis vero principibus coelectoribus tuis, tam ecclesiasticis quam secularibus, auctoritate nostra firmiter inhibeas, ne ipsum ad hoc nominent vel eligant nec in eum consentiant, promulgando eadem auctoritate in eos excommunicationis sententiam, si contra hanc tuam inhibitionem venire temptaverint, immo nostram, ita quod si eum

a) *sequitur p. 398, lin. 37 usque in finem, verbis competenter mutatis.* b) aut *R.; cf. ep. antecedentem.*

1) *N. 440.*

ullo unquam tempore nominare vel eligere aut in ipsum consentire presumpserint, noscant se prius excommunicationis vinculo alligatos, ut ex hoc ipso, si de predicto Conrado quicquam in hac parte attemptatum fuerit, sit prorsus vacuum, irritum et inane. Mandatum itaque ac preceptum super hoc apostolicum sic fideliter, sapienter ac efficaciter adimpleas, quod ex hiis nos et prefatam Romanam ecclesiam tibi et ecclesie tue artius obliges nosque gaudere possimus id, quod in hoc intendimus, tuo sollerti studio salubriter provenisse. Ceterum nichilominus in omnes electores, qui nominatum puerum ad hoc nominare vel eligere seu in ipsum consentire aut opem vel operam, consilium, auxilium vel favorem, ut eligatur, dare presumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus, quam statim per te, antequam ad nominationem vel electionem aliquam aliquo tempore procedatur, reliquis tuis coelectoribus precipimus nuntiari; quod si non feceris, eo ipso te noveris excommunicationis laqueo innodatum.

Dat. Viterbii, III Nonas Iunii, anno I°.

In eundem modum Henrico Treverensi electo.

In eundem modum Engilberto electo in Coloniensem archiepiscopum, sicut fertur[1].

522.

Urbanus IV papa populo Guarcinati Alatrinae dioecesis nuntiat se duas partes castri eorum ab Alexandro IV Gratiano Belmontis civi Romano concessas revocare, cum idem nobilis totum castrum usurpaverit et eos, qui sibi non obedirent, coram senatoribus Urbis citari fecerit. *1262, Iun. 29.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 26; Lib. I, 109. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Populo Guarcinati[2] Alatrine diocesis.

In nostris semper haberi decet affectibus, ut iura Romanè ecclesie illibata penitus conservemus, et si de ipsis quicquam aliquando contingat adimi, virtute promptissima procuremus illud in statum pristinum revocari, maxime cum simus absque intermissione vigiles, ut ecclesiis universis et singulis assistamus efficaciter in suis iuribus conservandis. Sane mirantes audivimus, sed non utique acceptamus, quod cum felicis recordationis Alexander papa predecessor noster vobis dederit sub certa forma per litteras apostolicas in mandatis, ut duas partes omnium proventuum et reddituum, quos ecclesia Romana in castro vestro dinoscitur obtinere, nobili viro Gratiano Belmontis civi Romano assignaretis, certo super hoc per alias suas litteras ut dicitur executore concesso, idem nobilis huiusmodi gratia ipsius predecessoris abutens, eius pretextu omnimodam iurisdictionem in castro ipso nititur exercere. Laicos quoque et, quod est[a] gravius, clericos eiusdem castri multipliciter propter hoc aggravans et molestans, domos eorum frangere et quandoque bona ibidem inventa temere asportare presumit, illos eorum, qui sibi super iurisdictione ipsa, que ad eum non pertinet, obedire denegant, faciendo coram senatoribus Urbis malitiose citari. Quendam autem Iudeum sortilegum illuc ducere non est veritus in nostri contumelia redemptoris, qui se nequiter iactando cognoscere asserit universa occulta, que ab hominibus et mulieribus

---

a) *sequitur iterum ē.*

1) *De hoc cf. infra sub a. 1263, Ian. 13. — De eadem re simili modo etiam [Eberhardo] episcopo Constantiensi, qui tutor Conradini erat, eodem fere tempore scripsit; Potthast 18347.* 2) *Ex sept. civ. Alatri.*

committuntur ibidem, in nostrum et apostolice sedis contemptum ac iniuriam et ipsius ecclesie Romane preiudicium et vestrum non modicum detrimentum. Quia vero sepe dictum castrum ad nos et eandem ecclesiam pertinet pleno iure, nos, pati nolentes ut ipsi ecclesie huiusmodi seu quecumque iura vel redditus aliquatenus subtrahantur, cum omnia bona ipsius quoquomodo distracta intendamus ad ius et proprietatem eiusdem ecclesie revocare, universitati vestre sub pena centum marcarum argenti solvendarum nostre camere, si quod iniungimus non feceritis, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus eidem nobili nec supradictas duas partes premissorum proventuum et redditum solvere nec ei super hiis et aliis intendere de cetero presumatis. Nos enim nichilominus prefatas ipsius predecessoris nostri litteras pro eodem nobili vobis aut cuicumque executori directas et quamlibet concessionem, per ipsas aut quascumque litteras alias de premissis et quibuscumque aliis iuribus in predicto castro ad nos et supradictam ecclesiam pertinentibus nobili factam eidem[a], auctoritate presentium revocamus et volumus vires aliquas non habere.

Dat. Viterbii, III Kalendas Iulii, anno I[o] [1].

523.

Urbanus IV papa abbati Villariensi et priori Praedicatorum in Lovania scribit quondam H[enricum III] ducem Brabantiae in ultima voluntate votum suum transmarinum Gerardo domino de Marbais consiliario suo exequendum commisisse et pro eo quattuor milia librarum Lovaniensis monetae legasse; de executione voti et collectione pecuniae mandata dat. *1262, Aug. 31.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 33; Lib. I, 123. Damus Pertzii exemplar.
Posse, Analecta Vaticana p. 17, n. 202; BFW. 9292.

..abbati monasterii Villariensis[2] Cisterciensis ordinis et ..priori fratrum Predicatorum in Lovanio Leodiensis diocesis.

Ad nostram pervenit audientiam, quod quondam H. dux Lothoringie ac Brabantie, dum ageret in extremis[3], de anime sue salute sollicitus crucis assumpsit signaculum in subsidium Terre Sancte, ac demum quatuor milia librarum Lovaniensis monete dicte terre in ultima voluntate legavit, committens huiusmodi votum crucis nobili viro Gerardo domino de Marbais[4], tunc eius consiliario[5], ad importunam eiusdem Gerardi instantiam, per eum cum huiusmodi pecunia exequendum. Cum igitur nostra intersit de dicte terre subsidio disponere ac etiam ordinare, nos, tam ipsius terre quam etiam anime dicti ducis profectibus providere volentes, discretioni vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus totam huiusmodi pecuniam facientes vobis protinus assignari, detentores illius ad exhibendam eam vobis per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, mille libras eiusdem monete dicto Gerardo pro sui voti executione ac alias mille libras dilecte in Christo filie nobili mulieri

a) nobili f. eidem *in loco raso.*

1) *De eadem re cf. Vol. II [cameralia], f. 63; Potthast 18542.* 2) *Villers-en-Brabant.* 3) *Obierat a. 1261, Febr. 28; cf. BFW. 11881.* 4) *Prov. Brabant, arrond. Nivelles, canton Genappe.* 5) *A. 1253, Sept. 17 Innocentius IV Iohanni canonico fratri G. de Marbais domini de Brucho, consiliarii ducis Brabantiae, dispensationem super pluralitate beneficiorum concesserat; Lib. XI, 195. A. 1263, Febr. 8 Urbanus commemoravit eidem G. de M. domino de Bruco nobilem virum [ita in loco raso] ducem Brabantiae, cuius tunc consiliarius esset, annis singulis 200 libras Lovanienses de camera sua exhiberi fecisse nomine pensionis; Vol. II [cameralia], f. 53, n. 2.*

Aleydi, relicte predicti ducis, expendendas per ipsam pro remedio anime ipsius ducis, prout expedire viderit, assignare, reliqua vero duo milia librarum predicte monete in aliquo tuto loco sub sigillis vestris et fide dignarum personarum testimonio deponere nostro nomine — non obstante cuiuslibet contradictione — curetis, in predicte terre subsidium iuxta dispositionem nostram utiliter convertenda; contradictores etc. — non obstante etc.[a] usque: mentionem —; rescripturi nobis fideliter, ubi et coram quibus predictam pecuniam deposueritis et quicquid super hoc duxeritis faciendum.

Dat. apud Montemflasconem, II Kalendas Septembris, anno I°[1].

524.

Urbanus IV papa Senensibus excommunicatis narrat, quomodo Petrus Scotti et socii eius, concives ipsorum, sedi apostolicae in quadam pecuniae summa satisfacere et litteras Alexandri IV papae de colligendo subsidio regni Angliae ipsis assignatas sed postea revocatas restituere noluerint; rogat, ut eos ad id compellant. 1262, Oct. 6.

Urb. IV Reg. Vol. I, 49; Lib. II, f. 2, ep. 6. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Posse, Analecta Vaticana p. 17, n. 203; BFW. 9293.

..potestati, ..capitaneo, anzianis, consilio et communi Senensibus spiritum consilii sanioris[2].

Mater vestra, que vos baptismi regeneratione parturivit in filios, per indevotionis invia dampnabiliter et periculose nimis vos oberrare conspiciens, apertis circa vos compassionis materne visceribus frequenter ad vos litteris clamavit et monitis, ut ad viam salutis et rectitudinis redeuntes, relicto eius persecutore converteremini ad dulces ipsius matris amplexus, in illius gremio, a quo vos fecistis vestris culpis exigentibus alienos, cum aliis Christi fidelibus confovendi. Et licet vos eius obaudientes monita usi fueritis hactenus circa ipsam et utamini duritia privignorum, nos tamen, qui licet immeriti eiusdem ecclesie regimini presidemus, nolentes propter hoc a tam pii propositi prosecutione desistere, postquam summi sacerdotii cathedram divina dispositione conscendimus, excogitare cepimus vias et modos, quibus possemus vos ad sinum eiusdem matris ecclesie salubriter revocare. Ac demum, quia visum est nobis, quod plenius apud vos et commune vestre civitatis possemus in hac parte proficere, si questiones et causas, quas Romana ecclesia contra singulares personas civitatis eiusdem super quibusdam pecunie summis habebat, sedare ac sopire prius iudicio vel concordia curaremus, Petrum Scotti eiusque socios et quosdam alios concives vestros, quos certam pecunie quantitatem eidem ecclesie mutuasse ac in regno Anglie et alibi etiam magnas pro eadem ecclesia pecuniarum summas ultra eorum mutuum recepisse comperimus, ad nostram fecimus presentiam evocari, ut cum dilecto filio Petro decano Senonensi, camerario nostro, super datis et receptis hinc inde pecuniis diligentem ponerent rationem, et si dicta ecclesia eis in aliquo teneretur, illud protinus de camera nostra reciperent, et nobis solverent, quicquid eos nobis et ipsi ecclesie debere con-

a) *ut videtur, suppleas:* aliqua indulgentia, de qua in nostris litteris plenam et expressam oporteat fieri mentionem.

1) *A. 1263, Mart. 15 Urbanus abbati Alnensi mandavit, ut receptis illis 4000 librarum defuncti animam et G. praedictum a voto crucis absolveret; Vol. II [cameralia], f. 53, n. 3. A. 1263, Ian. 30 Aldae uxori Girardi domini de Bruco gratiam fecit; ibid. f. 58, n. 1.* 2) *De excommunicatione eorum cf. etiam Vol. II [cameralia], f. 15, n. 1 et f. 39' et Potthast 18754.*

staret[1]. Eisdem igitur Petro Scotti eiusque sociis et aliis quampluribus vestris concivibus propter hoc apud sedem apostolicam constitutis nobisque sperantibus ipsos debere nobiscum super hiis in omni veritate ac puritate procedere, tandem compositione cum nobili viro Petro Tholomei milite, qui cum eodem camerario tota mentis sinceritate processit, facta de plano tam super pecunia communiter cum eisdem Petro Scotti et sociis quam etiam super certa summa, quam idem singulariter per seipsum eidem ecclesie mutuarat, dicti Petrus Scotti et socii, a via veritatis et rectitudinis recedentes et per dispendiosas et longas incedentes ambages, se ad subterfugia et mendacia converterunt, ad circumveniendum nos et dictam ecclesiam cunctis studiis laborantes; et cum facta ratione cum eodem camerario appareret, quod ipsi tenebantur eidem ecclesie in magna pecunie quantitate, quam receperant ultra sortem, nosque vellemus quatuor milia librarum Turonensium de apostolica eis benignitate remittere, ad hoc, ut nobis de residuo dicte pecunie satisfactionem debitam exhiberent, ipsi, cupiditatis et avaritie stimulis concitati, precise nobis et improbe responderunt, quod satisfacere nobis et dicte ecclesie in aliquo de hiis, que ultra sortem receperant, nullatenus intendebant. Et ut iniurias iniuriis et violentias violentiis cumularent, quasdam litteras apostolicas, per quas felicis recordationis Alexander papa predecessor noster quedam subsidia pecuniaria pro ecclesia eadem a quibusdam monasteriis aliisque religiosis ipsius regni Anglie colligi mandaverat et eisdem Petro Scotti et sociis assignari, licet idem predecessor noluerit postmodum per eas quoquo modo procedi[2], et quas etiam penes se iidem Petrus Scotti et socii habere noscuntur, nobis illas ab eis cum instantia requirentibus, restituere penitus recusarunt, nec aliquorum mediatorum apud eos profuere monita nec comunium amicorum consilia duram eorum in hac parte potuerunt pertinaciam emollire, quamquam de ambaxatoribus, quos ad nos cum eis providentia vestra transmisit, non immerito dicere valeamus, quod non mediatorum, immo verius advocatorum pro eis apud nos officium assumpserunt. Nos igitur, evidentius agnoscentes quod nequaquam apud eos blandis persuasionibus proficere poteramus, ut dampnabilem eorum proterviam sibi fore cognoscerent non solum inutilem sed dampnosam, a proposito remittendi eis huiusmodi quatuor milia librarum Turonensium non indigne destitimus, intendentes omnino totum illud, in quo ipsos nobis et dicte ecclesie teneri compertum est, exigere et recipere integraliter ab eisdem. Cum itaque iidem Petrus Scotti et socii a memorata sede recesserint, nolentes et recusantes satisfacere nobis ac predictas apostolicas reddere litteras, prout superius est expressum, nos premissa omnia ideo ad vestram notitiam presentium tenore deducenda fore providimus, ut vos, cause nostre iustitiam et violentam iniuriam et iniuriosam violentiam, quam dicti Petrus et socii nobis et prefate ecclesie inferre conantur, plenius et liquidius advertentes, ipsos, ut nobis totum id, quod debent eidem ecclesie, cum integritate persolvant et predictas restituant litteras, potestate vobis tradita compellatis, quoniam, etsi adversario eiusdem ecclesie duxeritis adherendum, non tamen propter hoc credimus, quod pati quoquo modo velitis, ut bona ipsius ecclesie detineantur a quibuscumque vestris concivibus violenter. Ideoque universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus predictis omnibus provida meditatione pensatis habeatis nostram super hiis innocentiam excusatam, et vel predictos Petrum Scotti et socios, ut de toto eo, in quo nobis ipsos apparuit posita ratione teneri et de quo nichil prorsus eis remittere seu dimittere volumus, plenarie nobis et dicte ecclesie satisfaciant ac predictas restituant litteras, coartare curetis vel non moleste nec indi-

---

1) *De re simili cf. p. 477, lin. 29.* 2) *Cf. Potthast 16051.*

gnanter feratis, si nos vias inveniamus et modos, quibus ius suum predicta ecclesia non amittat.

Dat. apud Montemflasconem, II Nonas Octobris, anno II°[1].

525.

Urbanus IV papa magistro Alberto notario suo scribit se nuntios Ludovici [IX] regis Francorum super regno Siciliae missos non recepisse; mandat, ut de processu, si quem super eodem negotio cum Carolo comite Andegariae et Provinciae habuerit, scribat; si nullum habuerit tractatum, tractet cum eo, neque vero quicquam firmet.

1262, Oct. 25.

Urb. IV Reg. Vol. I, 49—50; Lib. II, f. 2, ep. 8. Damus Pertzii exemplar.
Capasso n. 378; Posse, l. c. p. 17, n. 205; BFW. 9296.

Magistro Alberto notario nostro[2].

Scripsisti nobis totum processum tuum habitum super negotio regni Sicilie cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico illustri rege Francorum necnon et responsionem, quam dictus rex tibi duxit super eodem negotio faciendam, et in tuis litteris adiecisti, qualiter te, in itinere constitutum eundi ad dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem pro habendo cum eo super negotio predicto tractatum, idem rex ad suam presentiam per regias litteras revocavit, tibique secrete dixit, quod cum ipse post responsionem, quam tibi super ipso negotio fecerat, quasdam a nobis per nobilem virum Iohannem de Valencenis[a] dominum Cayphe[3] litteras recepisset, nequaquam ei videbatur expediens, ut in negotio ipso cum aliquo alio deberes procedere, nisi primo a nobis, quos super quibusdam, que nostre littere continebant, per proprium nuntium volebat consulere, responsio proveniret; verumtamen noluit tibi, que in huiusmodi nostris continebantur litteris, revelare. Subiunxisti insuper, quod tu ex hiis, que idem rex tibi de novo dixerat, vehementer admirans, et quid sibi vellent verba talia, frequenti meditatione revolvens, coram eodem rege proponere curavisti, quod predicti retardatio negotii multum poterat esse dampnosa quodque durum tibi non immerito videbatur super ipso negotio, quod nos sic ex animo tue commiseramus industrie, nullo in contrarium a nobis recepto mandato, cum alio non

a) Valenceñ *R.*

1) *A. 1263, Ian. 5 magistro Miloni forisdecano Bruiatensi [Claromontensis dioecesis; Vol. IV [beneficia], f. 145, ep. 389], scriptori suo, significavit: dudum reprobos Senenses, Manfredo in turbatione pacis Tusciae et contrectatione bonorum imperii adhaerentes, excommunicationi se involvisse; unde Alexander IV et postmodum ipse Urbanus eos invitasset, ut ad ecclesiam redirent et Lucanos et alios sedis apostolicae devotos de Florentia et aliis partibus Tusciae non impugnarent; sed quia monita respuissent, se ei [Miloni] mandasse, ut eos per Franciam, Alamanniam et circumadiacentes provincias excommunicatos nuntiaret et interdiceret, ne eis de debitis satisfieret; statuit, ut nominati cives, qui ecclesiae se submisissent, his sententiis non subiacerent; Lib. II, 37; Posse, l. c. p. 18, n. 209; cf. infra sub a. 1263, Aug. 9.* 2) *Hic tempore verno a. 1262 in Franciam missus videtur; cf. condiciones de regno Siciliae Carolo conferendo sub a. 1262, Mart. 23 compositas, quas Alberto traditas credimus; Potthast 18256a.* 3) *Hunc pro Manfredo laborasse scripsit Balduinus imperator Constantinopolitanus a. 1263, Iul. 2; Martène, Thes. t. II, p. 25 F. Ei et Aegidio archiepiscopo Tyrensi negotium Terrae Sanctae in regno Franciae et adiacentibus dioecesibus commissum erat; Potthast 18461, 18501, 18525, 18526, 18564, 18788, 18789, 18912. A. 1263, Iul. 6 papa archiepiscopo inhibuit, ne litteras, quas ei concessisset super absolutione eorum, qui pro favore Friderici II et natorum eius excommunicati essent, ad Italicos et specialiter ad Senenses et Florentinos extenderet; Lib. II, 140; cf. Potthast 19510.*

tractare; propter quod dictus rex tibi respondit, quod placebat eidem, ut versus Provinciam dirigeres gressus tuos cum eodem comite super predicto negotio tractaturus, ita tamen quod nichil ad effectum perduceres, nisi primo tibi nostre super hoc voluntatis beneplacitum mandaremus. Nos igitur, receptis tuis litteris et perlectis, quia nondum ad nos quicquam de premissis ab eodem rege pervenerat, sperantes[a] aliquos eiusdem regis propter hoc in brevi recipere nuntios, huiusmodi nuntiorum adventum, priusquam ad te nostrum in hac parte emanaret responsum, fore decreveramus aliquandiu expectandum. Sed quia nullos adhuc nuntios nullasque super hoc litteras a predicto rege recepimus, nos, nolentes quod animus tuus remaneret diutius in suspenso, latorem presentium ad te duximus remittendum, mandantes, quatinus de processu tuo, si quem super ipso negotio cum eodem comite postmodum habuisti, necnon et de ipsius qualitate processus et de eo etiam, quod inveneris in ipso et ab ipso comite, reddas nos tuis litteris certiores. Si vero nullum adhuc habuisti cum comite predicto tractatum, volumus, quod discrete, sapienter et caute tractes cum eo super negotio prelibato. Verumtamen ad firmandum quicquam cum ipso quomodolibet non procedas, cum, sicut nosti, nullam firmandi aliquid super ipso negotio a nobis habeas potestatem, set rescribas nobis omnia seriatim. Nos enim, si nuntios vel litteras aliquas a prefato rege super premissis recipere nos forte contigerit, providentie tue super hiis, que idem rex miserit, si respondendum tibi fore viderimus, curabimus respondere.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Kalendas Novembris, anno II°[1].

526.

Urbanus IV papa episcopo Reatino mandat, ut Offreducium de Miranda potestatem civitatis Reatinae super restitutione roccae de Miranda peremptorie citet, ut infra octo dies post citationem personaliter coram papa compareat. *1262, Oct. 27.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 36', ep. 1. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

. . episcopo Reatino.

Nobilis vir Offreducius de Miranda[2] civitatis Reatine potestas nuper a te de speciali mandato nostro citatus extitit, ut infra certum terminum in nostris quas tibi super hoc misimus litteris comprehensum compareret personaliter coram nobis, facturus precise que iniungeremus eidem. Ipse vero[b], pretendens quod causa propter quam citabatur non erat in litteris ipsis expressa, quodque, nisi prius a nobis securitatem haberet, venire ad nostram presentiam dubitabat, ad nos accedere pro sue voluntatis libito pretermisit. Nolentes igitur quod pretextu eorum, que idem proposuit nobilis, eius quomodolibet ad nos retardetur adventus nostreque salubris impediatur intentionis effectus, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis districte precipiendo mandamus, quatinus iterato prefatum nobilem ex parte nostra peremptorie citare sibique sub pena quingentarum marcarum argenti precipere districte procures, ut infra otto dies post citationem tuam personaliter nostro se conspectui representet, super restitutione rocce de Miranda, quam ad demanium Romane ecclesie pertinentem idem nobilis occupatam detinet, nostris precise mandatis et beneplacitis pariturus. Nos enim plenariam eidem, quantum in nobis est, in persona et bonis suis in veniendo, morando et redeundo securitatem auctoritate apostolica

---

a) nos sperantes *R.* b) non *apogr.*

1) *Cf. etiam Potthast 18440; BFW. 9297.* 2) *E mer. et or. civ. Terni.*

elargimur. Tu ergo, securitatem huiusmodi sibi expresse denuntians, aperte predicas eidem, quod si infra huiusmodi terminum coram nobis comparere contempserit, nos extunc adversus eum et bona sua ad exactionem predicte pene et alias etiam procedi spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, auctoritate divina faciemus. Diem vero citationis et formam et quicquid super hoc feceris nobis tuis litteris harum seriem continentibus studeas fideliter intimare[1].

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Novembris, anno secundo[2].

527.

Urbanus IV papa universis Christi fidelibus notum facit se die coenae Domini proximo praeterito Manfredum quondam principem Tarentinum citasse, ut Kal. Augusti coram se compareret; quo facto idem per quosdam familiares suos petivisset, ut cum personaliter venire vellet, plenaria securitas veniendi sibi concederetur; quae cum ei data fuerit, inhibet, ne quis illum ad sedem apostolicam accedentem offendat.

1262, Nov. 11.

Urb. IV Reg. Vol. I, 52; Lib. II, f. 5, ep. 13. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1262, § 65—71, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18428 et 18709; Capasso n. 380; BFW. 9298.

Universis nostris et ecclesie Romane ceterisque Christi fidelibus.

Olim in die cene Domini[3] proximo preterito, quo videlicet die annis singulis apud sedem apostolicam de universis mundi partibus innumerabilis fidelium convenit multitudo, Manfredum quondam principem Tarentinum super certis articulis presente ipsa multitudine manifeste citavimus, ut in Kalendis Augusti proximo preteritis coram nobis per se vel per sollempnes procuratores cum sufficienti mandato comparere curaret, facturus et recepturus super illis, quod iustitia suaderet: videlicet super destructione civitatis Arianensis[4], quam per Sarracenos fecit funditus dissipari, et super interfectione turpissima Thomasii de Oria[5] et Thomasii de Salice ac super crudeli et proditiosa occisione Petri de Calabria comitis Catanzarii[6] et horrenda effusione sanguinis multorum fidelium; nec non super eo, quod in derogationem auctoritatis ecclesiastice vel censure, que fulcimentum est catholice fidei atque robur, et in ipsius debilitationem ac detractionem fidei pluribus iam annis sibi fecit et facit adhuc publice celebrari vel, quantum in eo est, potius prophanari divina, quod non caret scrupulo heretice pravitatis[7], et citatus propter hoc a felicis recordationis Alexandro papa predecessore nostro, quia in prefixo ei termino nec post etiam comparere curavit, fuit per predecessorem eundem excommunicationis vinculo hac de causa specialiter

---

1) *Iam a. 1261, Dec. 13 papa ancianis, consilio et communi Reatinis sub debito fidelitatis mandaverat, ut a Nicolao de Antignano potestate eorum, qui quaedam bona ad ecclesiam Romanam spectantia occupasset, cautionem reciperent, ut infra octo dies a receptione praesentium conspectui apostolico se repraesentaret; Vol. II [cameralia], f. 4, ep. 4.* 2) *A. 1263, Ian. 6 episcopo Interamnensi mandatum dedit de Offreducio potestate amovendo et castro Mirandae restituendo; in eundem fere modum consilio et communi Reatinis; ibid. f. 36, ep. 1 et 2. A. 1263, Apr. 11 episcopo Reatino ad preces Citadini civis Urbevetani, potestatis civitatis Reatinae, mandavit, ut cum cives Offreducium a regimine civitatis iuxta mandatum apostolicum expulissent, eos, qui eidem confoventes excommunicati essent, absolveret; ibid. f. 20', ep. 1; Potthast 18515. A. 1263, Oct. 30 episcopum reprehendit, quod eis absolutionem praecipitanter impendisset, nulla servata forma; Lib. III, cur. 13; Potthast 18696.* 3) *Apr. 6.* 4) *A. 1257; cf. Iamsilla ap. Muratori t. VIII, p. 582 B.* 5) *Cf. ibid. p. 581 E.* 6) *Cf. p. 485, not. 2.* 7) *Cf. p. 484.*

innodatus[1]; super eo etiam, quod ipse, Sarracenorum ritus amplectens illosque in suis cotidianis obsequiis notabiliter secum tenens et preferens Christianis in obprobrium fidei orthodoxe, regnum ipsum Sicilie ad servilem et ignominiosum statum redegit, eius incolis et habitatoribus propter acerbas et intolerabiles exactiones vix valentibus respirare; ac super dira nece proximis sibi sanguine illata per ipsum[2]; super eo insuper, quod Conradum Bussarii nuntium et vassallum Conradi pueri, nati quondam Conradi filii quondam Fr. olim Romanorum imperatoris, fecit proditionaliter trucidari[3]; et super enormibus et fedis eius excessibus, de quibus manifesta infamia denotatur, et pluribus aliis, que in huiusmodi nostre citationis forma plenius continentur.

Sed idem Manfredus quosdam suos nuntios tunc ad presentiam nostram misit, qui aliqua pro eo in nostro consistorio proponentes, nisi sunt eundem multipliciter excusare. Nos autem, auditis et intellectis que iidem proposuere nuntii, diximus fore in negotio per viam inquisitionis in hiis, in quibus oportunum foret, et alias etiam procedendum, prout videremus secundum iustitiam expedire. Verumtamen, quia quidam ex fratribus nostris absentes erant, et plures ex hiis, qui tunc aderant, non erant moram continuaturi nobiscum, huiusmodi nostrum processum usque ad octavas Nov. 18. festivitatis beati Martini proximo future duximus suspendendum, predicentes quod extunc in prefato negotio, prout suaderet iustitia, procedere curaremus. Eodem igitur appropinquante termino, idem Manfredus iudicem Aytardum de Venusio et Iohannem de Brundusio notarium[4], familiares suos, ad sedem apostolicam destinavit, qui a nobis et predictis fratribus cum instantia petierunt, ut cum idem Manfredus tam arduum tamque grave ac grande negotium aliquibus committere nuntiis seu procuratoribus non intendat, set velit pro illo personaliter nostro se conspectui presentare, securitatem ei plenariam et licentiam veniendi ad nos tute per terram et districtum ecclesie largiremur.

Nos autem, volentes super hiis, presertim cum fidei negotium agatur, specialiter in hac parte cum ea maturitate ac gravitate procedere, ut processus noster nequeat aliquorum detractorum morsibus vel obloquiis subiacere, petitam securitatem eidem Manfredo de fratrum nostrorum consilio sub certa forma, inferius annotata, in veniendo hac vice pro eodem negotio et morando ac per octo dies, in quibus exire possit terram ecclesie, postquam a nobis licentiam redeundi habuerit, tenore presentium elargimur, dantes ei licentiam et liberam facultatem ingrediendi propter hoc terram et districtum ecclesie ac tute ad nos per terram et districtum huiusmodi veniendi et universis nostris et ipsius ecclesie fidelibus firmiter inhibentes, ne ipsum, cum infrascripto armatorum ac personarum et evectionum numero ad nostram presentiam accedentem, in persona vel rebus turbare vel offendere seu quomodolibet molestare aut impedire presumant. Verum quia ipse tamquam temerarius ad terram ecclesie, sicut evidenter apparet de marchia Anconitana et nonnullis aliis terris ad ecclesiam ipsam spectantibus, violentas manus extendit, volumus ad presens hoc saltem modo nobis et eidem ecclesie ab huiusmodi suis temeritatibus precavere, quod non in occulto, sed in dilectorum filiorum fratris Gualasci de ordine fratrum Minorum penitentiarii et Iacobi prepositi Ebredunensis capellani nostrorum, has litteras deferentium, et plurium aliorum presentia corporale iuramentum exhibeat vel per alium in animam suam faciat exhiberi, quod nullos armatos nullasque personas et evectiones ducet nec patietur venire secum ultra numerum infrascriptum, et quod sic veniendo vel morando aut

---

1) *Primo a. 1255, Mart. 25; BFW. 8966; cf. 9191.* 2) *Iam tum rumor sonuisse videtur Fridericum patrem et Conradum fratrem per eum interfectos esse; Schirrmacher, Friedr. II, t. IV, p. 487; Die letzten Hohenst. 423; Saba Malasp. ap. Muratori t. VIII, p. 791.* 3) *Cf. p. 485, not. 1.* 4) *Cf. p. 294, not. 7 et BF. 4715, 4726.*

redeundo ecclesiam vel terram seu fideles ipsius non offendet[a] nec per suos offendi faciet vel permittet, neque operabitur vel machinabitur aliquid in dispendium ecclesie, terre aut fidelium predictorum, quodque moram nisi tantum in predictis octo diebus in terra eiusdem ecclesie non faciet plus, quam ei fuerit de licentia nostra permissum.

Ceterum, quia ubi de negotio fidei agitur, omnis sinistre suspicionis, violentie vel impressionis cuiuslibet est prorsus amovenda materia, ne labores et studia, que pro laude Dei et prospero statu suorum fidelium impenduntur, in eorum, quod absit, dispendium convertantur, propter quod sic intendimus[b] eidem Manfredo in huiusmodi suo ad nos adventu[c] de oportuna securitate consulere, quod in turbationem ipsius negotii non redundet ac tranquillus status terrarum eiusdem ecclesie non turbetur: ipsi Manfredo auctoritate apostolica districtius prohibemus, ne ultra octingentarum personarum, de quibus possint esse centum dumtaxat armate, et septingentarum evectionum numerum, quem eis auctoritate predicta taxamus, ad sedem apostolicam secum ducat; immo quod contra formam prohibitionis huiusmodi terram ipsius ecclesie aliquatenus ingredi non attemptet. Si enim contra huiusmodi taxationem nostram terram ingrederetur eandem, tunc manifestum esset et liquidum, quod ipse non ad[d] subeundum ecclesie iudicium ut pacificus et quietus accederet, set potius tamquam hostis ad impedimentum et confusionem negotii fidei orthodoxe, quod agitur, ne in eo debitus posset haberi processus, et ad turbationem status ipsius terre ac eorundem fidelium prosiliret; propter quod si id fieri contingeret, liquidius et evidentius de pravitate heretica suspectus et notabilis redderetur, nosque liberius et rationabilius possemus super hoc procedere contra eum, cum impedire vel confundere dictum negotium esset evidenter fovere huiusmodi hereticam pravitatem. Quod si forte ingredi terram eandem [presumpserit][e] huiusmodi non prestito, ut dictum est, iuramento, vel plures armatos, personas et evectiones duxerit vel secum venire permiserit, quam taxatio predicta contineat, spreta prohibitione predicta, aut longiorem moram, nisi solum in prefatis octo diebus, traxerit in eadem terra, postquam a nobis habuerit licentiam redeundi, vel in veniendo aut morando seu redeundo ecclesiam aut terram vel fideles ipsius offenderit vel fecerit seu per suos permiserit offendi, aut operatus vel machinatus fuerit aliquid in dispendium ecclesie, terre seu fidelium predictorum: eo ipso sit anathematis vinculo innodatus, et nichilominus huiusmodi nostre securitatis littere vacue sint penitus et inanes, nullam ei securitatem quomodolibet tribuentes. Predictos autem penitentiarium et capellanum, viros utique providos et discretos et nobis ac fratribus nostris acceptos, ad eundem Manfredum duximus destinandos, ut ei litteras easdem assignent et referant sibi nichilominus ex parte nostra premissa omnia viva voce, quodque predictum iuramentum in eorum prestetur presentia, sicut superius est expressum.

Dat. apud Urbemveterem, III Idus Novembris, anno II°[1].

528.

Urbanus IV papa populum insulae Marthanae fideles suos ab omnibus obligationibus, in praeiudicium sedis apostolicae communi civitatis Urbevetanae et Iacobo eiusque fratribus natis quondam Guitti de Bisentio factis, absolvit. *1262, Nov. 15.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 53; Lib. II, f. 6, ep. 17. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 144, n. 270 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18429.

---

a) *sequitur locus vacuus rasus octo fere litterarum.* b) intendentes *R.* c) adventu ad nos *R.* d) ad non *R.* e) *tale quid deest R.*

1) *Cf. BF. 4737a—4739a.*

Populo insule Marthane[1], fidelibus nostris.

Sicut insenescente iam mundo execrabilis invaluit dominandi ambitio, crevit inextinguibilis ardor habendi et ceca cupiditas habundavit, quod non solum tyrampni et alii Romane persecutores ecclesie feralibus lacerant morsibus eius substantias[a] temporales, verum etiam et illi, qui ligii eiusdem ecclesie sunt vassalli et qui regalia beati Petri ex fidelitatis debito manutenere ac defensare et etiam recuperare tenentur, ad castra et alia bona, quibus devota et inclita liberalitas antiquorum catholicorum imperatorum et principum eandem magnifice dotaverunt ecclesiam, avidas et occupantes manus extendere non verentur. Cum igitur commune civitatis Urbevetane[2] in vos et insulam Marthanam, que sedis apostolice specialis existit, oculos aviditatis iniecerit ac nobiles viri Iacobus eiusque fratres, nati quondam Guitti de Bisentio[3], Urbevetane diocesis prefatam insulam aliquandiu occupatam detinuerint in predicte sedis preiudicium manifestum, vosque nonnullas obligationes et promissiones tam eidem communi quam predictis Iacobo et fratribus duxeritis faciendas, vos eis sub certis pactis et conditionibus astringentes in derogationem iurium, iurisdictionum et dominii dicte sedis: nos, qui predictam insulam ad ius et proprietatem prefate ecclesie duximus revocandam, volentes tam vobis quam ipsi ecclesie apostolica super hiis sollicitudine providere, omnes promissiones, obligationes, pactiones, conditiones ac cetera, quibus in preiudicium dicte sedis astrinxistis vos communi ac Iacobo et fratribus supradictis, nec non et instrumenta omnia super illis confecta apostolica auctoritate cassamus, annullamus, evacuamus et etiam irritamus, decernentes vos universos et singulos pretextu talium promissionum, obligationum, pactionum, conditionum, etiam si sint penis et iuramentis, a quibus apostolica vos auctoritate absolvimus, roborate, nec non et instrumentorum eisdem communi ac Iacobo et fratribus ad aliquid non teneri. Nulli ergo etc. nostre cassationis, annullationis, evacuationis, irritationis, constitutionis et absolutionis etc[4].

Dat. apud Urbemveterem, XVII Kalendas Decembris, anno II°[5].

529.

Urbanus IV papa Guidonem Marchionem et alios Guelfos Civitatis Castelli, devotos ecclesiae, cum bonis sub protectione suscipit. *1262, Nov. 29.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 104; Lib. II, f. 57, ep. 167. Damus Pertzii exemplar. Posse, l. c. p. 17, n. 206; BFW. 9300.

---

a) sub'as *R.*

1) *In lacu Vulsiniensi; cf. Vallicoloris V. Urbani IV ap. Muratori SS. t. IIIb, p. 411 et Ann. Urbevet. SS. t. XIX, p. 270.* 2) *Urbevetanis gratiam fecerat a. 1262, Febr. 13; Cod. dipl. d'Orvieto p. 232, n. 374.* 3) *Ex occ. lacus Vulsiniensis. De his cf. infra sub a. 1264, Febr. 29 et Cod. dipl. d'Orvieto p. 233, n. 377 et 378.* 4) *A. 1262, Sept. 13 papa Iacobo praefato mandavit, ut a contractu in tenimentis Quintemiani seu Montisbelli castrum construendi cum Tuscanensibus facto, utpote iuribus ecclesiae contrario, recederet; Lib. II, 2; Potthast 18400. A. 1262, Oct. 9 Tuscanensibus mandavit, ne ullum indevotum et specialiter Petrum Roman. [cf. infra sub a. 1263, Dec. 19] vel quemvis alium Romanum absque assensu papae ad regimen civitatis suae eligere presumerent; Vol. II [cameralia], f. 36', ep. 2. Contra quendam civem Tuscanensem, qui bona ecclesiastica iniuste detineret, sub Oct. 1; ibid. f. 16, ep. 1.* 5) *A. 1263, Iul. 21 castrum de Valentano [ex occ. lacus Vulsiniensis] ad ius ecclesiae revocavit, quorum homines Urbevetanis pluries promisissent se soluturos annuatim decem libras Senensium minutorum, daturos castrum munitum et immunitum, exbannitos Urbevetanos pro exbannitis habituros et facturos eis exercitum, parlamentum, guerram ac pacem, alias quoque se eis submittentes; Lib. II, 170; Posse p. 21, n. 247; cf. Vallicoloris V. Urbani IV, l. c.*

Nobili viro Guidoni Marchioni et aliis, qui Guelfi vulgariter appellantur, Civitatis Castelli, ecclesie Romane devotis.

Devotionis, quam erga Romanam ecclesiam geritis, promeretur sinceritas, ut vos speciali gratia prosequamur. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus inclinati, personas vestras in devotione Romane ecclesie persistentes cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidetis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus etc. usque: communimus. Nulli ergo — nostre protectionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Decembris, anno II°.

530.

Urbanus IV papa Guillelmo de Waltmanshusen [guardiano] fratrum Minorum de Wezele et fratri Roberto de Warnesperg de ordine Minorum iterum mandat, ut in negotio contra Henricum Treverensem electum eis commisso saltem nunc tanta sollicitudine procedant, ut praecedentem inobedientiam purgent. *1262, Nov. 30.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 56, Lib. II, f. 9, ep. 28. Pertzii exemplar, collatum cum Regestis, contulimus cum authentico, quod insertum est Gestis Treverorum, SS. t. XXIV, p. 419 [A].

Potthast, Reg. 18431; Goerz, Mittelrhein. Reg. t. III, p. 411, n. 1834; BFW. 9301.

Guillelmo de Waltmanshuse[1] [guardiano][a] fratrum Minorum de Wezele[b,2] Treverensis diocesis et fratri Roberto[c] de Warnesperg[d,3] de ordine fratrum Minorum in conventu Treverensi.

Per exigentiam sollicitudinis pastoralis, quam nobis dispensatio divina commisit, contra Henricum Treverensem electum super diversis articulis volentes inquiri[4], certas ad hoc personas providimus assumendas, de quarum industria et constantia firmam fiduciam habebamus[5]. Quia vero persone ipse minus studiose preter spem nostram negotium prosequebantur iniunctum, ipsius executionem vobis in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis sub certa forma duximus iniungendam[6], non dubitantes illud in vestris manibus debere proficere, quod apud dictas personas deficere miserabiliter videbamus, constantia, quam vestri natales conspicui, sacra religio et zelus divini nominis pollicebantur, apostolice sedi de vobis super hoc nobis firmam certitudinem inducente. Sed ecce, quod, sicut apud illos, sic apud vos nostra videtur fiducia defraudata, dum, prout intelleximus, sicut illi, sic et vos ipsum negotium non memorie sed neglectui commendastis. Hinc est, quod nos discretioni vestre per iterata scripta in virtute obedientie ac sub pena predicta, quam extunc vos incurrere volumus, si mandatum nostrum in hac parte neglexeritis adimplere, districte precipiendo mandamus, quatinus in negotio ipso saltem nunc tanta sollicitudine procedatis iuxta traditam vobis formam, quod precedentem inobedientiam purgasse probemini per obedientiam subsequentem et nos vobis super hoc aliter scribere non cogamur. Quod si non ambo etc.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Decembris, anno II°[7].

---

a) *A.*; guardiano *deest R.* b) Wesele *A.* c) Rorico *A.* d) Warnesperḡ *R.*; Warnisperch *A.*

1) *Reg.-Bez. Wiesbaden, Kr. Limburg.* 2) *Oberwesel.* 3) *Warsberg.* 4) *Cf. etiam p. 476, not. 7.* 5) *Cf. Potthast 18157.* 6) *A. 1262, Apr. 6; Potthast 18268; cf. 18269.* 7) *Cf. permultas alias epistolas papales ad hanc rem pertinentes in Gestis Treverorum; SS. t. XXIV, p. 416 et sequ.; que in Regesta relatae non sunt.*

531.

Urbanus IV papa Spoletanis excommunicatis mandat, ut omnem societatem cum Narniensibus indevotis initam dissolvant, per syndicum ad papam missum iurent se Narniensibus contra homines de S. Gemino auxilium exhibituros non esse, et omnia instrumenta et iura, quae de terra Arnulforum se habere asserant, coram papa proponant. *1262, Dec. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 52, ep. 2. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke. BFW. 9302.

potestati, ..priori, consilio et communi Spoletanis spiritum consilii sanioris.

Cum, sicut existit notorium, cives Narnienses[1] spiritu rebellionis assumpto se inobedienter ab ecclesie Romane devotione subduxerint et tamquam ingratitudinis filii mandatis apostolicis parere contempnant et ob id excommunicationis et interdicti sententiis sint ligati, volumus et presentium vobis auctoritate sub debito fidelitatis, qua ecclesie predicte tenemini, districte precipiendo mandamus, quatinus infra diem Veneris proximo futurum[2] omnem societatem, colligationem et confederationem inter vos et cives eosdem initas penitus dissolvatis, interim ad presentiam nostram vestrum syndicum destinantes, ad hoc specialiter constitutum, qui prestet in animabus vestris corporaliter iuramentum, quod prefatis Narniensibus, dum propter hoc excommunicati extiterint, contra homines de Sancto Gemino nullum exhibeatis consilium, auxilium vel favorem. Preterea simili vobis auctoritate mandamus, quatinus infra dictum diem Veneris, quem vobis terminum peremptorium duximus assignandum, instrumenta, litteras, indulgentias, privilegia et quaslibet concessiones omniaque iura, que de Arnulphorum terra[3] et eius hominibus vos habere proponitis, coram nobis exhibere ac proponere studeatis, ut circa id provideamus, sicut extiterit secundum Deum et iustitiam providendum[a].

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Ianuarii, anno secundo.

532.

Urbanus IV papa E[ngelbertum II] archiepiscopum Coloniensem acriter reprehendit, quod, exorta olim tempore C[onradi] archiepiscopi inter ecclesiam et quosdam cives Colonienses controversia, ipse post varios excessus civium cuidam arbitrio se submiserit in grave praeiudicium ecclesiae suae; mandat, ut omnia in statum priorem reducat, alioquin de Steinvelt et de Hamburne abbates ipsum ad id compulsuros esse. — Abbatibus eisdem de eadem re scribit. — Eisdem mandata dirigit ad expellendos cives proscriptos de civitate Coloniensi. *1263, Ian. 13 et 16.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 67—68; Lib. II, f. 20—21, ep. 59—61. Pertzii exemplaria contulimus cum Regestis.
BFW. 9305, 9306.

---

a) *litt.* vi *in loco raso alia tinctura.*

1) *Cf. n. 516.* 2) *Dec. 29.* 3) *Sita inter territoria civitatum Spoletanae, Interamnensis, Narniensis et Tudertinae; cf. t. II, p. 340, n. 478 et infra n. 533 et Vallicoloris V. Urb. IV ap. Muratori SS. t. IIIb, p. 412.*

I.

E. archiepiscopo Coloniensi.

Cum dilecti filii capitulum Coloniensis ecclesie, ad ipsius ecclesie regimen aliquam personam assumere proponentes, per quam eius iura non solum conservari, sed etiam adaugeri valerent, ad personam tuam suos duxerint oculos[a] dirigendos[1]: tibi ad confusionem quodammodo cedere videretur, si iura ipsa, que conservare ac promovere debueras, per tuum invenirentur consensum vel improvidentiam diminuta[2]. Sane didicimus, quod[3] bone memorie C. Coloniensis archiepiscopus predecessor tuus campsores sive monete tue Coloniensis magistros, qui husgenotem vulgariter appellantur, ac magistros civium et scabinos, videlicet Hermannum Comitem, Theodericum Sapientem, Theodericum dictum de Mulengassen et Henricum fratres, Leodericum eiusdem Theoderici filium, Iohannem de Lingassen et Gerardum fratres, Henricum dictum Clingedane[4], Theodericum dictum Gerin[5], Gerardum dictum Gier, Ildegerum Brichin[6], Henricum dictum Rufum et Henricum Handewest[7] et eorum complices et quosdam alios officiales, qui appellantur scabinorum fratres, civitatis Coloniensis, in qua iurisdictionem obtines temporalem, pro eo quod dicti campsores sive monete magistri monetam falsabant eandem, alii vero fraudulenter et inique commissa sibi officia exercebant, condempnando innocentes et impios absolvendo, prout de hoc contra ipsos publica laborabat infamia et alias de hoc ipsi predecessori legitime constitit, a commissis sibi officiis auctoritate propria, prout spectabat ad ipsum, sententialiter amovit iustitia exigente, et eisdem campsoribus abiudicavit feuda, que pro cudenda moneta a sede Coloniensi tenebant, et loco campsorum, magistrorum, scabinorum et aliorum predictorum alios cives Colonienses in eisdem officiis subrogavit. Demum, quia iidem sic amoti, concipientes propter hoc erga eundem predecessorem tuum animum malignandi, in tantam proterviam proruperunt, quod adiunctis sibi suis consanguineis et complicibus, congregatis aciebus et vexillis explicitis contra eundem archiepiscopum, tunc in palatio suo existentem, insurgere hostiliter presumpserunt: predecessor ipse, pro ecclesiastica libertate viriliter se opponens, captivavit quosdam ex eis et quosdam convertit in fugam. Alii vero ex eis male sibi conscii proprio motu fugierunt; quos tandem idem predecessor coram se in ius vocatos et se contumaciter absentantes sententialiter exigentibus huiusmodi excessibus, qui erant adeo notorii quod nulla poterant tergiversatione celari, proscripsit et perpetuo forbannivit[8], proscriptione et forbannitione huiusmodi per sedem apostolicam confirmatis.

Tu vero, quorundam nobilium devictus instantia et sperans, quod vexatio daret eisdem omnibus intellectum, eos, quos captivos inveneras, liberasti et eis habitationem

---

a) "dux. oc. "suos *R.*

1) *A. 1257, Dec. 22 Alexander IV Engelbertum de Valkenborg archidiaconum Leodiensem, ut eo ferventius apostolicae sedis obsequiis insisteret, capellanum suum admiserat; Lib. IV 39. A. 1262, Dec. 31 Urbanus IV Engelbertum, in praesentia sua constitutum, qui, tunc praepositus Coloniensis, in archiepiscopum canonice electus esset [a. 1261, Oct. 2 vel 8; SS. t. XVI, p. 736 et SS. t. XXIV, p. 363], confirmaverat eique munus consecrationis impenderat et pallium tribuerat; Lib. II, 64; Posse p. 129, n. 10; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 292, n. 627. Engelbertum tum 2000 marcarum argenti Petro tunc decano, nunc archidiacono Senonensi nomine camerae apostolicae promisisse Urbanus sub a. 1263, Oct. 31 Alberto de Parma scriptori suo narravit, cui mandavit, ut eum ad solvendum induceret; Vol. II [cameralia], f. 144', ep. 3.* 2) *Huius expostulationis, quae consecrationem e vestigio secuta est, non capitulum sed populares Colonienses auctores fuisse videntur; v. infra p. 503, not. 2; cf. etiam Ennen u. Eckertz, Quellen t. II, p. 441, n. 424. Adhuc a. 1263, Ian. 8 Urbanus precibus archiepiscopi annuerat; Potthast 18455; cf. 18454 et 18456.* 3) *Cf. n. 500.* 4) *I. e. Cleingedanc.* 5) *I. e. Grin.* 6) *I. e. Hildegerum Birklin; cf. Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 420, n. 401.* 7) *I. e. Hardevust.* 8) *Ante a. 1260, Apr. 15; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 428, n. 411; cf. Hegel, Verf-Gesch. v. Cöln p. 46. Conradus obiit a. 1261, Sept. 28.*

in Colonia concessisti. Proscriptis autem de speciali gratia indulsisti, ut extra Coloniam in villis et oppidis tuis possent libere commorari, donec per te et per magnates terre discussum existeret, quo iure vel qua gratia possent reditum in Coloniam obtinere. Cum autem occasione huiusmodi portas et munitiones civitatis Coloniensis in tuam custodiam recepisses, sicut id poteras tamquam eiusdem civitatis dominus temporalis, et esses in earundem portarum et munitionum possessione pacifica, iidem malefici per verba mendacii coadunatis sue venenose machinationi popularibus Coloniensibus ex improviso portas et munitiones ipsas hostiliter invaserunt et quosdam de tuis ibidem captos crudeliter occiderunt. Sed tu, qui pro conservandis iuribus et honoribus ipsius ecclesie super hiis etiam gravi te debueras exposuisse periculo, super iniuriis tibi et eidem ecclesie taliter irrogatis et nonnullis iuribus spectantibus ad sedem Coloniensem ratione temporalis iurisdictionis predicte, in quorum eras possessione pacifica, quorundam clericorum et laicorum arbitrio interpositis fide ac iuramento, litteris et fideiussoribus datis et penis adiectis te minus provide summisisti[1]; qui super hoc iniquum arbitrium contra te et eandem ecclesiam protulerunt, cuius pretextu ipsa ecclesia in predictis iuribus et aliis rebus enormem lesionem dicitur incurrisse. Verum cum inter cetera, que idem arbitrium continebat, hoc esset expressum, quod tu Coloniam intrare deberes, recepturus emendam in arbitrio ipso expressam et fidelitatem ab omnibus supradictis, et in palatio tuo resideres[a] fidelitatem recepturus eandem, tu, per impressionem populi non rationis sed voluntatis sententiam dictans seu per quosdam nobiles dictari tolerans, prefatos proscriptos sustinuisti Coloniensi restitui civitati; qui amotis illis, quos in memoratis officiis dictus C. archiepiscopus constituerat, sibi officia pristina usurparunt[2] in enormem lesionem ecclesie memorate.

Volentes igitur huiusmodi errata corrigi per te ipsum, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta in virtute obedientie ac sub pena excommunicationis districte precipiendo mandantes, quatinus — fide et iuramento seu litteris, penis, cautionibus et sententia predictis nequaquam obstantibus — prefatam ecclesiam ad eum statum, quoad omnia supradicta et eorum quodlibet, sine dispendio more ac difficultate reducas, in[b] quo erat, antequam dictis captivis habitationem in Colonia indulgeres; contradictores etc. invocato etc. Alioquin dilectis filiis . . de Steivelt[3] et . . de Hamburne[4] monasteriorum abbatibus Premonstratensis ordinis Coloniensis diocesis per nostras damus litteras in mandatis, ut te ad id monitione premissa auctoritate nostra[c] appellatione remota compellant — non obstante[d] si tibi a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possis per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu alia qualibet ipsius sedis[e] indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri.

Dat. apud Urbemveterem, Idibus Ianuarii, anno II°.

II.

.. de Steivelt et .. de Hamburne monasteriorum abbatibus Premonstratensis ordinis Coloniensis diocesis.

Cum dilecti filii *etc. ut supra*[f] invocato ad hoc etc. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus archiepiscopus mandatum nostrum

---

a) presideres *R.; cf. ep. III.* b) in — antequam *in loco raso minus clare.* c) auctoritate nostra *in loco raso minus clare.* d) *ita R.* e) ipsius sedis *in loco raso.* f) *res iterum narratur.*

1) *A. 1262, Iun. 16; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 453, n. 434.* 2) *Hoc Engelberto absente factum videtur; cf. p. 502, not. 2.* 3) *Reg.-Bez. Aachen, Kr. Schleiden.* 4) *Ex sept. civ. Ruhrort. Eisdem abbatibus adhuc a. 1262, Dec. 31 mandata in favorem archiepiscopi direxerat; Lib. II, 42 et 47; cf. 46 et 48; Finke, Westf. U. B. t. V, p. 291, n. 624 et 625; cf. n. 626 et 628.*

in hac parte neglexerit adimplere, vos eum ad id monitione premissa auctoritate nostra appellatione remota cogatis — non obstante etc.

III.

Eisdem.

Ad audientiam nostram pervenit, quod bone memorie C. Coloniensis archiepiscopus quosdam campsores etc. ut in secunda proximo superiori, verbis competenter mutatis, usque: Verum[a] cum inter cetera, que idem arbitrium continebat, hoc esset expressum, quod dictus E. archiepiscopus Coloniam intrare deberet, recepturus emendam in arbitrio ipso expressam et fidelitatem ab omnibus supradictis, et in palatio suo resideret fidelitatem recepturus eandem, ipse per impressionem populi quandam non rationis sed voluntatis sententiam super restituendis proscriptis ipsis civitati prefate dictavit seu per quosdam dictari nobiles toleravit; cuius sententie pretextu sic proscripti ad civitatem ipsam presumptuose reversi scabinatus officium, quod prius gerebant, assumere ac amovere illos, quos in memoratis officiis dictus C. archiepiscopus constituerat, et[b] sibi officia pristina usurpare temere presumpserunt, magistris fraternitatum seu officiorum ac civibus Coloniensibus, quibus iidem magistri presunt, eos potissimum manutenentibus favore dampnabili in huiusmodi presumptione. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, circa dictum archiepiscopum fide et iuramento huiusmodi relaxatis, dictos proscriptos, quod huiusmodi officio dimisso civitatem exeant supradictam, et eosdem magistros et cives quibus presunt, quod ab omni super hoc eorundem proscriptorum favore et auxilio desistentes et eis in hiis, que ad dictum scabinatus officium pertinent, nullatenus intendentes, ipsi archiepiscopo ad amovendum ipsos ab huiusmodi officio et expellendum eos ab eadem civitate oportunum ac debitum auxilium largiantur, monitione premissa per excommunicationis in personas et, si eorum protervitas meruerit, interdicti in civitatem Coloniensem [sententias][c] appellatione remota cogatis, invocato ad hoc etc. — non obstante[d] si scabinis, campsoribus, magistris et civibus Coloniensibus communiter vel divisim a sede apostolica indultum existat, quod extra civitatem Coloniensem vel certum locum in iudicium evocari non possint per litteras apostolicas[1], etc. ut in tertia proximo superiori usque: differri et de qua deberet in nostris litteris fieri mentio specialis.

Dat. apud Urbemveterem, XVII Kalendas Februarii, anno II°.

533.

Urbanus IV papa notum facit se commune Spoletanum ad restitutionem terrae Arnulforum ad ius ecclesiae Romanae pertinentis condemnare. 1263, Ian. 23.

Urb. IV Reg. Vol. I, 66; Lib. II, f. 19, ep. 55. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 145, n. 271 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18475; BFW. 9308.

Ad perpetuam rei memoriam.

Olim intellecto, quod commune Spoletanum detinebat occupatam terram Arnulphorum[2] ad Romanam ecclesiam pertinentem, nos dilectum filium magistrum Rayne-

---

a) *cf. p. 503, lin. 16.* b) et *deest R.* c) sententias *deest R.* d) *ita R.*

1) *A. 1262, Febr. 15; Potthast 18229.* 2) *Cf. n. 531.*

rium de Viterbio capellanum nostrum[1] Spoletum duximus destinandum, sibique dedimus nostris litteris in mandatis, ut in consilio loci eiusdem dictam terram ad demanium eiusdem ecclesie revocaret ac eidem communi ex parte nostra sub certa pena preciperet, ut terram eandem nobis et eidem ecclesie dimittentes, permitterent ipsam per nuntios nostros regi et libere gubernari. Cumque dictus capellanus fuisset in hac parte mandatum apostolicum executus et tandem ad castrum Porcarie situm in eadem Arnulphorum terra se personaliter contulisset, iidem commune, ad dictum castrum universaliter et hostiliter accedentes, illud obsidere ac prefatum capellanum existentem ibidem, ut exiret exinde, compellere presumpserunt, invadendo temere castrum ipsum pro sue libito voluntatis. Unde, cum tante temeritatis excessus ad nostram audientiam pervenisset, nos dictum commune per dilectum filium magistrum Petrum dictum Romanum de Ferentino, capellanum nostrum, quem illuc propter hoc specialiter misimus, fecimus peremptorie citari, ut certo die comparerent per sufficientem syndicum coram nobis, super hiis mandatis apostolicis parituri et ostensuri nichilominus, quecumque iura se habere crederent in terra predicta. Porro quidam ambassatores ex parte dicti communis ad nostram presentiam accedentes exhibuerunt nobis et fratribus nostris transcripta quarundam litterarum, quas super dicta terra se habere dicebant, transcriptum videlicet quarundam litterarum felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, continens inter alia, quod idem predecessor bone memorie R[aynerio] Sancte Marie in Cosmidin diacono cardinali in patrimonio beati Petri in Tuscia, ducatu Spoletano et marchia Anconitana commisit in spiritualibus et temporalibus vices suas, concedens ei exercendi, quicquid honori ipsius ecclesie et utilitati fidelium illarum partium expedire videret in utrisque, liberam potestatem[2]. Insuper exhibuerunt transcriptum cuiusdam articuli contenti, ut dicebant, in litteris dicti cardinalis, tunc in eodem ducatu vices gerentis huiusmodi[3]; qui quidem articulus talis erat: videlicet quod idem cardinalis volens exaudire petitiones Spoletanorum, quantum indulte sibi auctoritatis se possibilitas extendebat, predictam terram Arnulforum eisdem in fidelitate ac devotione sedis apostolice perseverantibus concedebat. Exibuerunt et aliud transcriptum quarundam litterarum dicti predecessoris[4], in quo narrabatur, quod idem cardinalis quedam eis duxerat concedenda quodque idem predecessor confirmabat, quod per eundem cardinalem provide factum erat. Tertium quoque transcriptum produxerunt quarundam litterarum pie memorie Alexandri pape predecessoris nostri[5], quod erat continentie talis: videlicet quod idem predecessor A. omnia castra, villas, tenimenta, iura, conditiones et consuetudines eorum Spoletane civitatis et diocesis, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidebant, eisdem Spoletanis de novo concessit et auctoritate apostolica confirmavit.

Nos vero, transcriptis eisdem non adhibentes fidem, sicut nec etiam debebamus, dictis ambassatoribus nomine prefati communis certum prefiximus terminum, in quo per sufficientem comparerent syndicum coram nobis, ostensuri autenticas litteras et quascumque alias de terra prefata rationes haberent, nostrisque super hiis parituri mandatis. Ipsi autem Spoletani nec sufficienter in eodem termino apostolico se conspectui presentarunt neque nobis aliquas scripturas autenticas obtulerunt. Nos autem, volentes ad eorum malitiam convincendam, ut ipsorum contumaciam et pertinaciam nostra patientia superaret, dictum commune per eundem capellanum iterato peremtorie

---

1) *Hunc Alexander IV papa a. 1260, Mart. 5, Iul. 5 et [a. 1261, Ian. 12] rectorem patrimonii beati Petri in Tuscia appellaverat; Potthast 17801, 17911, 18010.* 2) *A. 1244, Iun. 28; cf. t. II, p. 561, n. 758; Ciavarini, Collez. Marchigiana t. V, p. 93, n. 87.* 3) *A. 1247, Nov. 13; Sansi, Storia di Spoleto, Docum. p. 288, n. 42.* 4) *A. 1249, Mai. 20; Sansi, l. c. p. 291, n. 43.* 5) *A. 1255, Febr. 9; Sansi, l. c. p. 299, n. 48.*

citari fecimus, ut infra certum terminum post citationem suam cum omnibus iuribus, munimentis, privilegiis et litteris autenticis ac rationibus suis coram nobis per ydoneum syndicum comparerent, denuntiato eisdem, quod, sive taliter venirent sive forte venire contempnerent, nos nichilominus — eorum absentia non obstante — ad pronunciationem, sententiam et mandata procedere curaremus in ipso negotio, prout expedire honori nostro et ecclesie prefate videremus ac iustitia suaderet. In ipso itaque termino syndico dicti communis ad nostram presentiam accedente, tam per eum quam alios nonnulla pro parte dicti communis fuerunt proposita coram nobis, super quibus nos et fratres nostri plenam audientiam eis duximus exhibendam. Nos igitur, pensatis et perspectis ecclesie Romane iuribus, auditis etiam et plenius intellectis, que pro eodem communi in nostra et fratrum nostrorum presentia proposita extiterunt, eisque cum ipsis fratribus plena deliberatione discussis, prefatum syndicum nomine dicti communis et ipsum commune ad dimissionem et restitutionem dicte terre Arnulphorum et pertinentiarum ipsius eidem ecclesie plenarie faciendam, cuius iuris et proprietatis existit, ita quod eadem terra per eandem ecclesiam et nuntios vel officiales suos, sicut proprium ipsius ecclesie demanium, possit de cetero regi et libere gubernari, de predictorum fratrum consilio sententialiter condempnamus. Nulli ergo etc. nostre condempnationis etc.

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Februarii, anno II°[1].

534.

Urbanus IV papa episcopo Viterbiensi mandat, ut Viterbienses ecclesiae fideles peremptorie citet, ut per procuratorem coram papa iura ostendant, quae in Castro Marthae se habere contendant. *1263, Ian. 30.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 52, ep. 3. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Episcopo Viterbiensi.

Cum ad nostram audientiam pervenisset, quod in domibus, terris, vineis, possessionibus, piscaria ac aliis pertinentiis, que Romana ecclesia obtinet in Castro Marthe[2], quod est sedis apostolice speciale, nonnulli ius sibi contenderent vendicare, nos, iura ipsius ecclesie sic manutenere ac conservare volentes, ut in iure suo nulli molestiam vel iniuriam faciamus, dilecto filio magistro Gregorio de Neapoli, subdiacono et capellano nostro, nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipse, personaliter ad locum ipsum accedens, per loca circumposita, in quibus expedire videret, auctoritate nostra denuntiari publice faceret, ut, quicumque in predictis se confiderent[a] aliquod ius habere, infra certum terminum coram eo comparerent, quicquid de iure suo vellent proponere ostensuri, illis super predictis non audiendis de cetero, qui in prefixo termino nollent vel negligerent comparere. Verum, sicut ex fideli relatione prefati capellani cognovimus, . . syndicus communis Viterbiensis in prefixo termino coram capellano predicto comparens proposuit prefatum commune in possessionibus Castri Marthe et piscariis fluminis[3] ac in castro Cornosse et lacu Wlsene ac eorum pertinentiis ius habere, que

---

a) confideret *R.*

1) *Roccam de Cesis [in terra Arnulforum, ex sept. civ. Terni] nuper restitutum esse papa commemoravit a. 1262, Oct. 1; Vol. II [cameralia], f. 11, ep. 5. De custodia eius scripsit a. 1264, Apr. 5 et Iul. 6; Vol. IV [beneficia], f. 298, ep. 305; f. 299, ep. 311; f. 331, ep. 1774; cf. Vallicoloris V. Urbani IV ap. Muratori SS. t. IIIb, p. 409 D [castrum venerabile Chesae].* 2) *E mer. lacus Vulsiniensis.* 3) *Scil. Marthae fl., quod venit ex lacu Vulsiniensi.*

omnia ipsi communi dilectos filios Tibuldum filium quondam Mathei Symonis, Bartholomeum et Petrum fratres, filios dicti Tibuldi, Benvennate[a] et Ranucium filium eius asseruit vendidisse, super hoc exhibendo publicum instrumentum. Nolentes igitur communi prefato ac hominibus Viterbiensibus, qui sunt ecclesie Romane filii speciales, in iure suo deesse, qui sumus omnibus in iustitia debitores, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus . . potestatem, capitaneos ac commune prefatum peremptorie citare procures, ut infra otto dies post citationem tuam per syndicum seu procuratorem sufficienter instructum compareant coram nobis, ostensuri super premissis omnia iura sua ac audituri et recepturi super eisdem[b] quod ordo dictaverit rationis, denuntiando eisdem, quod super predictis non audientur de cetero, si coram nobis in prefato termino noluerint vel neglexerint comparere, et nichilominus in ipso negotio procedemus, prout iusticia suadebit, — ipsorum absentia non obstante. Diem autem citationis et formam et quicquid super premissis duxeris faciendum per instrumentum publicum, quod exinde fieri facias, ac per tuas litteras harum seriem continentia [nobis][c] fideliter intimare procures.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Februarii, anno secundo[1].

535.

Urbanus IV papa R[icardo] S. Angeli diacono cardinali mandat, ut trecentas libras Proveniensium, quas a Velletrensibus pro iniuriis receperit, in reparationem Roccae Larianae convertat. *1263, Febr. 2.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 50, ep. 3. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meyncke.

Dilecto filio R. Sancti Angeli diacono cardinali.

Significavit nobis dilectus filius Oliverius castellanus Rocce Lariane[2], quod tu iura ecclesie Romane prosequendo viriliter nuper trecentas libras Proveniensium a Velletrensibus recepisti pro quibusdam iniuriis, quas ipsi eiusdem rocce hominibus intulerant in territorio Lariani. Quia vero dicta rocca, muris ipsius ruinam minantibus pre nimia vetustate, reparatione noscitur indigere, sinceritati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus pecuniam ipsam prefato castellano pro reparatione rocce predicte facias assignari.

Dat. apud Urbemveterem, IIII Nonas Februarii, anno secundo.

536.

Urbanus IV papa Guidoni de Pileo subdiacono et capellano suo, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, mandat, ut inhibeat, ne praefectura Urbis, per mortem

a) Bēvennate *R.* b) easdem *R.* c) nobis *deest R.*

1) *Iam a. 1262, Dec. 11 papa eidem episcopo mandaverat, ut potestatem Viterbiensem ad sedem apostolicam citaret; Vol. II [cameralia], f. 52, ep. 1. A. 1263, Febr. 20 papa Guidoni de Pileo subdiacono et capellano suo, patrimonii b. Petri in Tuscia rectori, mandavit, ut alios quoque citaret, qui ius in praefato castro se habere contenderent; ibid. f. 52', ep. 1. A. 1263, Sept. 8 magistro Raynerio de Viterbio mandavit, ut Viterbienses ab omni confoederatione cum Tudertinis et Spoletanis inita vel ineunda desistere iuberet; Lib. III, cur. 2; Potthast 18639.* 2) *Cf. t. II, p. 503, n. 681 XXVI. A. 1261, Dec. 18 papa Oliverio de Farentia, servienti suo, custodiam Roccae L. commiserat; Dec. 28 homines Roccae L. monuerat, ut constantiam fidei sicut hactenus servarent; eodem die Velletrensibus mandaverat, ut eosdem homines favore benevolo prosequerentur; Vol. II [cameralia], f. 11, ep. 1—3; ep. 3 = Potthast 18198. De castro Ariciae cf. ibid. f. 11, ep. 4; Potthast 18297.*

praefecti Urbis vacans, per cessionem vel alias in aliquem indevotum ecclesiae transferatur. *1263, Febr. 17.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 52', ep. 2. Epistolam, ex Regestis descriptam a V. Cl. Meynke, contulimus cum illo exemplari, quod Calisse in Arch. della Soc. Rom. t. X, p. 448, n. 48 edidit. Eadem epistola Vol. II [cameralia], f. 66', ep. 1.

BFW. 9312.

Guidoni de Pileo subdiacono et capellano nostro, patrimonii beati Petri in Tuscia rectori[a].

Inclite recordationis . . prefecto Urbis[1] viam nuper sicut accepimus universe carnis ingresso, presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus statim receptis presentibus sub pena excommunicationis ex parte nostra districte inhibeas et inhiberi facias per loca circumposita, in quibus videris expedire, ut nullus de domo seu genere ipsius prefecti, ad quem spectet vel spectare posset ius huiusmodi prefecture, ius ipsum per cessionem vel alias quomodolibet in aliquem excommunicatum, infidelem seu indevotum sedis[b] apostolice vel rebellem transferre presumat, cum nos, ad quem ius ipsum pertineat, cognoscere intendamus. Nos enim exnunc cessionem seu translationem iuris eiusdem, si quam presumi contingeret, irritam decernimus et nullius existere firmitatis.

Dat. apud Urbemveterem, XIII Kalendas Martii, anno secundo[2].

537.

Urbanus IV papa Manfredo electo Veronensi, capitaneo et rectori Ducatus et Marchiae, mandat, ut postulationes in monasterio S. Victoris de Clusis Camerinensis dioecesis vacante celebratas, cum terra de Clusis Manfredo adhaereat, irritas nuntiet, et eidem monasterio de Andacondeo altero postulatorum vel de alia persona provideat.

1263, Mart. 19.

Urb. IV Reg. Vol. I, 72; Lib. II, f. 25, ep. 77. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke.

Manfredo Veronensi electo, capitaneo et rectori ducatus Spoletani et marchie Anconitane.

Intelleximus, quod, monasterio sancti Victoris de Clusis ordinis sancti Benedicti Camerinensis diocesis pastoris solatio destituto, quidam ex monachis ipsius monasterii dilectum filium Andacondeum sancti Angeli de Monte Nucerine, reliqui vero Gratianum sancti Antimi Clusine diocesium monasteriorum eiusdem ordinis abbates ad regimen ipsius monasterii sancti Victoris in discordia postularunt. Cum igitur terra de Clusis, in qua monasterium ipsum sancti Victoris consistit, adherere dicatur Manfredo quondam principi Tarentino persecutori Romane ecclesie manifesto nosque olim de fratrum nostrorum consilio duxerimus inhibendum universis capitulis, collegiis et conventibus omnium ecclesiarum et monasteriorum existentium in terris predicto Manfredo adherentibus seu faventibus, ne ad providendum ecclesiis et monasteriis ipsis de pastoribus, cum vacaverint, per electionem vel postulationem procedere quoquomodo presumant, decernentes irritum et inane quicquid contra huiusmodi inhibitionem nostram contingeret attemptari, propter quod constat postulationes[c] huiusmodi utpote contra

a) Eidem *R.; antecedit ep. p. 507, not. 1.* b) sc. *R.* c) postulationem *apogr.*

1) *Petro de Vico; cf. Potthast 17825.* 2) *Cf. infra sub Apr. 24.*

et post inhibitionem ipsam presumptas et quicquid ex eis secutum est vel ob ipsas penitus nulla esse: volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus, postulationibus huiusmodi auctoritate nostra cassatis, immo potius cassis et irritis nuntiatis, ad providendum eidem monasterio sancti Victoris, ne ex vacatione diutina incurrat gravia in spiritualibus et temporalibus detrimenta, de predicto Audacondeo, de cuius firma devotione circa nos et Romanam ecclesiam laudabile nobis testimonium perhibetur, vel de alia persona ydonea, que tanto congruat oneri et honori, apostolica auctoritate procedas, prout bono statui ipsius monasterii et honori ecclesie videris expedire, faciens ei, de quo dicto monasterio sancti Victoris provideri contigerit, a monachis et aliis ipsius monasterii subditis tamquam patri et pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi; contradictores etc. usque: compescendo — non obstante commissione aliqua per nos sub quacumque forma facta alicui vel aliquibus super ordinatione vel provisione de abbate ipsi sancti Victoris monasterio facienda, seu si personis aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, plenam et expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim irritum et inane decernimus, quicquid contra huiusmodi mandati nostri tenorem circa provisionem eiusdem monasterii sancti Victoris fuerit attemptatum.

Dat. apud Urbemveterem, XIIII Kalendas Aprilis, anno II°[1].

538.

Urbanus IV papa decernit, ut cum Petrus de Vico castra Bledae et Civitatis Veteris et cetera bona quondam Petri praefecti Urbis, ad ius ecclesiae Romanae pertinentia, indebite occupaverit, per modum inquisitionis ex officio papali, oblatione libelli et sollempnitate iudiciorum praetermissis, de iuribus ecclesiae et praefati nobilis indagetur. 1263, Apr. 24.

Urb. IV Reg. Vol. I, 123; Lib. II, f. 76, ep. 230. Epistolam, ex Regestis descriptam a V. Cl. Monaci, contulimus cum illo exemplari, quod Calisse in Arch. della Soc. Rom. t. X, p. 449, n. 49 edidit. Ut videtur, eadem epistola legitur Vol. II [cameralia], f. 63.

BFW. 9319.

Ad futuram rei memoriam[2].

Nuper nobili viro Petro de Vico per nostras dedimus litteras in mandatis, ut castra Blede[3] et Civitatis Veteris[4] ac cetera bona quondam Petri prefecti Urbis, que ad ius et proprietatem ecclesie Romane pertinere noscuntur, et que idem nobilis post mortem ipsius prefecti indebite occupavit, nobis et nuntio nostro infra octo dies post receptionem litterarum ipsarum tradere et assignare curaret, alioquin infra quindecim dies eosdem octo proximo subsequentes compareret per se vel per procuratorem ydoneum peremptorie coram nobis, ostensurus iura, que in castris et bonis obtinebat eisdem, et recepturus super hiis quod iustitia suaderet. Eodem igitur Petro castra et bona ipsa nobis vel dicto nuntio tradere non curante, Bonus Iohannes familiaris et

1) *A. 1262, Nov. 22 Manfredo etc. rectori marchiae Anconitanae mandavit, ut cessionem P. abbatis S. Laurentii in Campo Fanensis dioecesis, senio et infirmitate gravati, reciperet et conventui iniungeret, ut infra quindecim dies cum consilio eiusdem rectoris de abbate idoneo sibi providerent; Lib. II, 85; cf. etiam Potthast 18729. — Cum Alexander IV Manfredo indulsisset, ut beneficia, quae tempore promotionis suae habuisset, per quinquennium retineret una cum episcopatu suo, idque Urbanus confirmasset, idem papa a. 1264, Ian. 20, eius servitia laudans, ei indulsit, ut finito quinquennio ea per aliud quinquennium retineret; Vol. IV [beneficia], f. 91, ep. 69; alia gratia eidem sub a. 1264, Apr. 1; ibid. f. 145, ep. 396.*
2) *Cf. n. 536.* 3) *E mer. civ. Vetrallae; cf. t. II, p. 370, n. 528; p. 386, n. 548.* 4) *Civitavecchia.*

procurator suus, in termino statuto in presentia nostra comparens, inter alia proposuit coram nobis, quod cum nobilis ipse civis esset Romanus, non tenebatur super hiis apud sedem apostolicam litigare. Verum cum alium super hiis terminum assignavissemus Bono Iohanni predicto, ipse, tunc et postmodum etiam expectatus diutius et in audientia publica citatus pluries, non comparuit coram nobis. Porro, ne per aliqua subterfugia super premissis posset veritas aliquatenus occultari, interloquendo decrevimus, quod idem nobilis — hoc[a] non obstante — super hiis in nostra debebat presentia stare iuri quodque super castris et bonis eisdem admitterentur probationes ecclesie supradicte. Nichilominus autem ad ipsius nobilis malitiam superandam eundem per litteras nostras iterato citari mandavimus, ut certo die personaliter, si vellet, alioquin per ydoneum procuratorem sufficienter instructum cum omnibus instrumentis, rationibus et iuribus suis compareret peremptorie coram nobis, docturus de iure quod se habere asserit in premissis et visurus iura ipsius ecclesie ac legitimas inspecturus probationes eiusdem et tandem sententiam auditurus. Sane dicto procuratore[b] prefati Petri in nostra presentia comparente ac procuratore a nobis specialiter constituto petente nomine ecclesie Romane in negotio ipso procedi, pro parte eiusdem nobilis petitum extitit, quod super hiis prefato procuratori suo porrigeretur libellus et in causa ipsa iudiciorum ordo sollempnis et solitus servaretur. Nos igitur, attendentes quod castra et bona prefata in patrimonio ecclesie prefate consistunt, et considerantes quod qui sumus omnibus in iustitia debitores, sic ius suum cuique debemus reddere, quod eadem ecclesia in suis iuribus non ledatur, quodque sic illa manutenere et servare tenemur, quod iniuriam nemini faciamus, pensantes etiam laudabilem ecclesie Romane consuetudinem, que a predecessoribus nostris Romanis pontificibus est in talibus preteritis temporibus observata: decernimus habito fratrum nostrorum consilio fore per modum inquisitionis ex officio nostro, oblatione libelli et sollempnitate iudiciorum huiusmodi pretermissis, in ipso negotio procedendum et tam de ipsius ecclesie quam prefati nobilis iuribus esse sollicite indagandum. Postquam vero eadem iura inquisita, visa et intellecta fuerint ac plene discussa, nos ad pronuntiandum vel sententiandum super hiis, prout tam ipsius ecclesie quam prefati nobilis iuribus et rationibus plenius intellectis suadente iustitia expedire viderimus, auctore Domino procedemus.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Kalendas Maii, anno secundo.

539.

Urbanus IV papa diffinit condiciones, sub quibus Carolo Andegaviae et Provinciae comiti regnum Siciliae conferre paratus est. — Accedunt mutationes condicionum, quas admittere vult. *1263, Iun. 17.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 89—93; Lib. II, f. 42—46, ep. 132 et 133. Primum exemplar damus ex illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 9 edidit, cum Regestis collatum a V. Cl. Monaci; alterum ex Pertzii apographo, in quo locos apud Martène, l. c. discrepantes cum Regestis denuo contulimus.

Potthast, Reg. 18567 et 18568; Capasso n. 387; BFW. 9324, 9325.

I.

Conditiones super negotio regni Sicilie.

Iste sunt conditiones super negotio regni Sycilie et totius terre, que est citra Farum, usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta terra inferius

---

a) hoc *in loco raso.* b) p̃curatorẽ dicto *R. [sic].*

annotata, que ipsi ecclesie remanebit, nobili viro Karolo Andegavie ac Provincie comiti ostendende[1].

[1.][a] Remanebit[2] Romane ecclesie tota terra, que remansit eidem per pacem olim initam inter dilectum filium nostrum O[ctavianum] Sancte Marie in Via Lata diaconum cardinalem, tunc in regno Sicilie apostolice sedis legatum, et Manfredum quondam principem Tarentinum[3], et ultra etiam usque Beneventum per viam Vallis Gaudii et ipsa Vallis Gaudii. Dictus vero comes terram ipsam cum omni diligentia et studio acquiret et totaliter liberabit et acquisitam ac liberatam statim ecclesie tradet et assignabit eidem. Fines autem ipsius terre inferius exprimentur.

[2.] Item civitas Beneventana, quam hactenus Romana ecclesia sibi retinuit et in suum demanium et dominium cum omnibus iuribus suis et pertinentiis reservavit[4], et totum tenimentum civitatis eiusdem cum finibus eius antiquis eidem ecclesie et in eius proprietate libere remanebit, nullo iure ipsi comiti vel cuicumque alii de regno predicto ibidem retento seu quomodolibet reservato. Fines autem seu termini territorii seu districtus aut tenimenti civitatis eiusdem, cum de illis ad presens constare non possit, tempore, quo tractatus sive negotium consumandum erit, per aliquas deputandas ad hoc personas ydoneas distinguentur.

[3.] Idem[5] autem comes et sui heredes in dicta civitate et eius territorio aut in alia terra, que ipsi remanebit ecclesie, vel in Urbe seu in Campania vel Maritima sive in ducatu Spoletano aut marchia Anconitana vel in patrimonio beati Petri in Tuscia seu in aliis[6] quibuscumque terris aut demaniis sive feudis ipsius ecclesie ubilibet constitutis ex successione vel legato aut venditione sive donatione aut alio quocumque iure vel titulo seu contractu nichil umquam sibi acquirent vel vendicabunt seu poterunt acquirere vel quomodolibet vendicare, ac nullam potestariam seu capitaniam vel rectoriam nullumque alium honorem nullamque dignitatem seu potestatem, senatoriam vel quamcumque aliam, aut administrationem vel commendam nec quodcumque aliud officium recipient seu recipere poterunt in eisdem.

[4. 5.] Item pro predicta civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos exponet per septennium[7] pro lignaminibus omnia nemora predictorum regni et terre et omnem materiam ad edificia oportunam, puta lapides, arenam que puteolana vocatur, cementum et similia, sine preiudicio iuris singularium personarum, ad unam dietam prope Beneventum. Prestabit quoque ipsis Beneventanis securitatem per totum regnum et terram predictam, nisi in terra sua de novo delinquant; propter quod ad ipsum de iure iustitia pertinebit. Privilegia etiam dicte civitati a regibus et principibus concessa illibata servabit. Omnia statuta per quondam Fr. olim Romanorum imperatorem seu quoscumque alios reges Sicilie facta contra libertatem civitatis eiusdem revocabit, et in omnibus et per omnia que libertatis fuerint ceteris regnicolis parificabit eandem, nec aliqua statuta seu aliquas leges condet in posterum, per que dicte civitati directe vel indirecte possit preiudicium generari[8]. Et pro apostolice

a) *numeros nos apposuimus secundum rationem, qua Albertus notarius articulos numeravit; papa ipse eos alio modo computavit; cf. Martène, l. c. t. II, p. 35 et sequ.*

1) *Annotavimus articulos concordantes et discrepantes condicionum a. 1253; supra p. 178—181, n. 208 X; et modificationes, quas admittendas esse Urbanus eodem Iun. 17 statuit; infra n. II; et eas, de quibus a. 1264, Ian. 9 Alberto notario et a. 1264, Mai. 8 Simoni cardinali legato scripsit: Martène, Thes. t. II, p. 35—46, n. 17 et 18; et p. 77, n. 49; Potthast 18773, 18774 et 18899 = infra a. 1264, Mai. 8. Cf. Potthast 18715; BFW. 9369.* 2) *Cf. n. II et Martène p. 35 E, 37 E, 43 F, 51 C, 77 E.* 3) *A. 1255, Aug.; BF. 4652e.* 4) *Cf. n. 156 et 208 X.* 5) *Cf. Martène p. 35 F, 38 E—39 D, 44 B.* 6) *Scil. quas ecclesia temporibus posterioribus possessura esset; cf. § 10, 17.* 7) *'Per septennium' deest p. 179, § 9.* 8) *'Nec e converso eadem civitas condet vel statuet aliqua, per que regi vel regno preiudicium generetur' add. p. 179, lin. 18.*

sedis et beati Bartholomei patroni civitatis eiusdem reverentia fidantias ab omnibus remitti faciet et remittet eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas et terras excolere ipsarumque fruges et fructus recolligere ac easdem vineas et terras vendere et de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere vel etiam datione.

[6.] Item[1] totum eiusdem regni residuum perpetuo concedetur in feudum eidem comiti et heredibus suis ex eo legitime descendentibus sub infrascriptis conditionibus, que, prout competet, in concessionis privilegio exprimentur, ita videlicet quod si in eius vel heredum ipsorum obitu legitimum heredem de proprio corpore ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere revertatur.

[7.] Item[2] pro toto generali censu ipsorum regni et terre duo milia unciarum auri ad pondus Romanum in festo beati Petri, ubicumque Romanus pontifex fuerit, ipsi Romano pontifici et Romane ecclesie annis singulis persolventur. Si vero idem comes vel illi, qui ei in predictis regno et terra succedent, aliquo termino non solverint censum ipsum et expectati per duos subsequentes menses de illo non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicati; et si in secundo termino in ipsius census solutione defecerint nec satisfecerint de ipso infra alios proximos duos menses, regnum et terra predicta interdicto ecclesiastico subiacebunt, salvis aliis penis et processibus, que vel qui de iure inferri et haberi poterunt per Romanum pontificem in hoc casu.

[8.] Item[3], postquam dictus comes prefatum regnum vel tantum de ipso acquisiverit[a] et habuerit, quod, etiam si alique civitates vel munitiones aut aliqua alia loca ipsius regni adhuc ei rebellia fuerint, reputetur et possit ipsius regni rex et dominus reputari, solvet Romane ecclesie quinquaginta milia marcarum sterlingorum per certos et diversos terminos ad hoc statuendos tempore, quo erit tractatus sive negotium consumandum. Quod si dictus comes in huiusmodi terminis illa non solverit, liberum erit Romano pontifici contra ipsum comitem pro singulis terminis ad penas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire.

[9.] Item[4] in quolibet triennio dabit rex Romano pontifici unum palafridum album, pulchrum et bonum in recognitionem veri dominii eorundem regni et terre.

[10.] Item[5], quandocumque Romanus pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super indigentia huiusmodi ipsius Romani pontificis simplici verbo stetur, idem comes vel heredes eius requisiti ab eo ad Urbem, in Campaniam et Maritimam, in patrimonium beati Petri in Tuscia, ducatum Spoletanum, marchiam Anconitanam et in premissam terram vel ipsius regni partem, que remanebit ecclesie, et in omnes alias terras ipsius ecclesie per Italiam[6], trecentos milites equis et armis bene ac decenter munitos et paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas ad minus, in obsequium et subsidium ecclesie predicte transmittent, per tres menses integros in ipsius vel dictorum heredum sumptibus et stipendiis, semel tamen in anno, in servitio eiusdem ecclesie moraturos, mensibus ipsis a die, quo iidem milites terram sui dominii vel fines sui districtus egressi fuerint, per vulgares dietas et solitas computandis[7]. Quod si maluerit ecclesia eadem ingruenti necessitate, super qua stetur verbo Romani pontificis ut est dictum,

---

a) acquisieverit *R.*

1) *Cf. p. 178, § 2 et p. 179, § 11; infra n. II; Martène p. 35 F, 40 C [ibid. 'artic. quintus'], 40 C—41 B, 45 A, 78 B.* 2) *Cf. p. 180, § 24; infra n. II; Martène p. 36 A, 37 E, 44 C.* 3) *Cf. p. 181, § 28 et sequ.; Martène p. 43 A.* 4) *Cf. p. 179, § 10.* 5) *Cf. p. 180, § 25; Martène p. 36 B, 38 B, 39 D [ibid. 'artic. octavus'].* 6) *Cf. p. 511, not. 6.* 7) *Cf. p. 181, § 33.*

navali iuvari exercitu, predicti milites debita taxatione ac recompensatione prehabita in navale stolium commutentur.

[11.] Item[1] tam ipse quam heredes sui domino pape suisque successoribus canonice intrantibus et ecclesie Romane ligium homagium facient et iuramentum fidelitatis prestabunt secundum formam inferius annotatam, et singulis ipsis successoribus et eidem Romane ecclesie renovabunt tam ipsum homagium quam huiusmodi iuramentum. In optione autem et beneplacito erit Romane ecclesie ipsum et heredes suos vocare ad prestandum personaliter iuramentum fidelitatis et ligium homagium Romano pontifici et eidem ecclesie, dummodo ad hoc sibi tutum locum statuant et assignent, vel aliquem cardinalem ipsius ecclesie seu alium, qui vice Romani pontificis iuramentum iuxta eandem formam et homagium recipiat, destinare.

[12.] Item[2] dictus comes et eius heredes regnum et terram prefata nullatenus divident, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus immediate ac in capite a Romana tenebit ecclesia; et tam idem comes quam ipsius heredes nobis et successoribus nostris canonice intrantibus et ecclesie Romane ligium homagium facient et fidelitatis iuramentum prestabunt in hunc modum:

'Ego[3] . .. plenum et ligium vassallagium faciens ecclesie Romane pro regno Sicilie et tota terra que est citra Farum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesie, excepta terra . . . . [et exprimentur terra et limites eius][a], ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro et domino meo pape . . suisque successoribus canonice intrantibus sancteque apostolice Romane ecclesie. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos sive per litteras, ad eorum dampnum me sciente nemini pandam; et si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid, quod sit ad ipsorum dampnum, illud pro posse impediam; et si impedire non possem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia sancti Petri tam in regno Sicilie et terra predictis quam alibi existentia adiutor eis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas et singulas condiciones contentas in apostolico privilegio, super ipsorum regni et terre concessione confecto, ac omnia et singula, que continentur in eodem privilegio, plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei evangelia'.

[13.] Item[4] ipse et singuli heredes sui Romano pontifici et singulis successoribus suis et ecclesie Romane, quando prestabunt huiusmodi iuramentum fidelitatis, iurabunt, se ad hoc specialiter obligantes, quod numquam per se vel alios seu quocumque modo procurabunt, ut eligantur vel nominentur in regem vel imperatorem Romanorum vel regem Theotonie[5] seu dominum Lombardie aut Tuscie vel maioris partis earundem Lombardie vel Tuscie; et si electionem vel nominationem ad imperium vel ad regnum Romanum[b] seu ad regnum Theotonie aut ad dominium Lombardie vel Tuscie seu maioris partis earum de ipsis celebrari contigerit, nullum huiusmodi electioni vel nominationi assensum prestabunt nec intromittent se ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romani seu regni Theotonie aut Lombardie seu Tuscie vel maioris partis earum, ad quodcumque horum nominati fuerint vel electi. Quod si ipse vel

a) *cf. § 1 et 34.* b) Romañ *R.; ita infra quoque.*

1) *Cf. p. 178, § 2; Martène p. 39 D [ibid. 'artic. nonus'].* 2) *Cf. n. II; Martène p. 36 B, 38 A, 39 E [ibid. 'artic. decimus'].* 3) *Cf. iuramentum Roberti Guiscardi in Reg. Gregorii VII, Lib. VIII, 1a ap. Iaffé p. 426; et supra n. 250 IV.* 4) *Cf. p. 178, § 3; Martène p. 36 B, 39 E [ibid. 'artic. duodecimus'], 41 B — 42 C, 45 D, 78 D, E.* 5) *Res nova erat regem Theutoniae secernere a rege Romanorum; cf. n. 561, ubi in imperatorem electis tres coronas deberi Urbanus scripsit.*

aliquis heredum suorum, studentibus et procurantibus eis, ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanum seu regnum Theotonie aut dominium Lombardie seu Tuscie vel maioris earum partis electi vel nominati fuerint, si hoc verum et manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii vel regni Romani seu regni Theotonie aut Lombardie seu Tuscie vel maioris ipsarum partis regimine se manifeste intromiserint, eo ipso a iure predictorum regni Sicilie et terre cadant ex toto ipsaque prorsus amittant[1]. Si autem electioni vel nominationi facte, non procurantibus ipsis aut procurantibus, consenserint, et ut huic electioni seu nominationi vel iuri omnino renuntient, et quod de imperio seu de aliquo alio premissorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se nullatenus intromittant, moniti infra quatuor mensium spatium post monitionem huiusmodi tali electioni seu nominationi vel iuri non renuntiaverint vel de ipso imperio seu aliquo premissorum, ad quod electi vel nominati fuerint, se intromiserint quoquomodo: ex hoc sint eisdem regno Sicilie et terra et omni eorum prorsus iure privati. Si vero ad ipsum comitem vel eius heredes non poterit comode talis monitio pervenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri comode nequeant, credetur et stabitur assertioni Romani pontificis sive dicto: sufficiet pro ea super hoc ipsius Romani pontificis monitio publica et sollempnis, ita quod si infra sex menses post illam non renuntiaverint aut de imperio seu de aliquo alio predictorum, ad quod electi seu nominati fuerint, se quomodolibet intromiserint, cadant ex hoc ab omni iure ipsorum regni et terre. Ceterum, si contigerit aliquem de suis heredibus, qui debent in predictis regno Sicilie et terra succedere, in regem vel imperatorem Romanorum seu in regem Theotonie vel dominum Lombardie aut Tuscie seu maioris partis earum nominari seu eligi vel assumi: nullatenus possessionem eorundem regni Sicilie ac terre nanciscatur vel habeat, nec se de illorum cura seu dominio et regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno Romano seu regno Theotonie aut dominio Lombardie vel Tuscie seu maioris earum partis, ad quodcumque eorum electus, nominatus fuerit vel assumptus, et omni iuri competenti sibi in illis omnino renuntiet, et illorum regimen, nec de iure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus. Alioquin cadat ab omni successione ac iure, que in regno Sicilie ac terra predictis sibi competerent, ipso facto, ita quod eadem regnum Sicilie et terra ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem plene ac libere devolvantur. Quod[2] si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno et terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum seu in regem vel imperatorem Romanorum electo aut regi vel electo in regem Theotonie seu domino Lombardie vel Tuscie aut maioris partis earum seu electo ad illarum dominium numquam matrimonialiter copuletur; et si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Sicilie regno et terra predictis maneatque prorsus ipsorum iure privata. Si autem ipse vel aliquis heredum suorum contra hec venerint, eo ipso excommunicati et insuper labe ac reatu periurii respersi et notati existant. In huiusmodi quoque iuramento addetur expresse, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanum aut regnum Theotonie vel dominium Lombardie sive Tuscie seu maioris earum partis aut easdem Lombardiam vel Tusciam vel maiorem partem ipsarum per se vel per alios seu alium occupabunt, capient vel acquirent aut sibi alias quomodolibet vendicabunt; et si secus fecerint, similes secundum prescriptam formam penas incurrent.

[14.] Item[3], si forte, deficientibus masculis, contigerit feminam in regno succedere, illa maritabitur persone, que ad ipsius regni regimen et defensionem existat ydonea, Romani tamen pontificis prius super hoc consilio requisito, nec nubet nisi viro catholico et ecclesie Romane devoto; et si contra hec fieret, licebit eidem Romano pontifici

1) *Cf. Martène p. 37C, F, 43B, 44F.* 2) *Cf. p. 178, § 2.* 3) *Cf. p. 178, § 2.*

contra ipsam ad privationem predictorum regni et terre sine figura iudicii et absque omni iuris solempnitate, in quacumque etate filia ipsa consistet, procedere, si hoc ei videbitur expedire.

[15.] Item[1] in regnum et terram predictam nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

[16.] Item[2] regnum Sicilie ac terra predicta imperio nullomodo subdentur seu sibi ullo umquam tempore in eadem persona quomodolibet unientur, et precise super hoc articulo tam per penas spirituales quam alias cautiones cavebitur iuxta ecclesie voluntatem, cum prorsus intentionis sit Romane ecclesie, ut regnum et terra predicta nullo umquam tempore imperio uniantur, ut scilicet unus Romanorum imperator et Sicilie rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni et terre cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem eorundem regni et terre cum regno Romano aut regno Theotonie seu cum Lombardia vel Tuscia sive cum maiori parte ipsarum Lombardie vel Tuscie intelligimus et volumus esse dictum.

[17.] Item[3], si ipse vel sui heredes predictam terram, que remanebit ecclesie, vel aliquam eius partem aut Campaniam vel Maritimam seu Urbem vel ducatum Spoletanum aut marchiam Anconitanam sive patrimonium beati Petri in Tuscia aut alias quascumque terras Romane ecclesie[4] ubilibet constitutas occupaverint vel occupari fecerint aut super hiis offenderint vel molestaverint ecclesiam seu fecerint molestari, et postquam super hoc a Romano pontifice moniti et requisiti fuerint, vel si comode moneri aut requiri nequiverint iuxta ipsius Romani pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse publice ac solempniter eos monuerit, infra tres menses non restituerint integre omnia occupata: eo ipso ab eorundem regni Sicilie et terre iure cadant totaliter, ipsaque regnum et terram prorsus amittant. Quod si etiam restituerint occupata, nichilominus ad plenum de universis iniuriis et dampnis illatis ad mandatum eiusdem Romani pontificis satisfacere teneantur.

[18.] Item[5] omnibus ecclesiis, tam cathedralibus quam aliis, regularibus et secularibus, necnon et omnibus prelatis et clericis ac universis personis ecclesiasticis, secularibus et religiosis, et quibuslibet religionis locis plenarie dimittentur et restituentur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint et per quoscumque detineantur. Mobilia vero, que extant et poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem. Hec autem restitutio fiet absque contradictione seu difficultate qualibet, sicut nanciscetur predictorum regni Sicilie ac terre possessionem, hoc modo scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni et terre, que sibi obediet, restitutio ipsa fiet ipsaque postmodum confirmabitur successive, sicut eadem regnum habebuntur et terra. Ne autem super hiis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum et arbitrium iurium et rerum immobilium et mobilium, que extant, restitutio plena fiet, ita quod ea, de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum et arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano et absque iudicii strepitu veritas diligentius inquiretur. Sufficiet autem vocari camerarium vel procuratorem seu ballivum, in cuius iurisdictione vel balliva seu territorio bona, de quibus agetur, consistent, ad videndum iurare testes, qui in huiusmodi inquisitione deponent.

[19.] Item[6] omnes ecclesie, tam cathedrales quam alie, regulares et seculares, necnon et omnes prelati ac clerici, et universe persone ecclesiastice, seculares et religiose, ac quecumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postula-

1) *Cf. p. 179, § 11.* 2) *Cf. p. 178, § 3.* 3) *Cf. Martène p. 40 A [ibid. 'artic. decimus quintus'].* 4) *Cf. p. 511, not. 6.* 5) *Cf. p. 178, § 7.* 6) *Cf. p. 178, § 5 et t. II, p. 436, n. 613.*

tionibus, nominationibus, provisionibus et omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem sive in electione vel post regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem ipse et heredes sui semper manutenebunt et conservabunt et manuteneri et conservari facient ab omnibus subditis suis; dicteque ecclesie ac persone utentur libere omnibus bonis et iuribus suis, salvo ei et suis heredibus iure patronatus in ecclesiis in tantum, quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi antiqui reges Sicilie huiusmodi ius patronatus in ipsis ecclesiis habuerunt. Omnes[1] etiam cause ad forum ecclesiasticum pertinentes libere et absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur et ventilabuntur coram ordinariis et aliis ecclesiasticis iudicibus et terminabuntur per eos; et si ad sedem apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere et absque inhibitione aliqua permittentur. Sacramenta[2] vero fidelitatis prestabuntur secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum prelatis, quorum predecessores antiquis illa Sicilie regibus prestiterunt. Ab illis[3] autem prelatis et ecclesiis, qui regalia sive temporalia bona tenent, siqui tamen sunt, qui huiusmodi bona teneant a domino regni et aliis dominis temporalibus, et qui ratione huiusmodi bonorum ab antiquo consueverunt regibus et ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, huiusmodi honesta et antiqua servitia eis secundum rationabilem et antiquam consuetudinem, et sicut instituta patiuntur canonica, impendentur, salva semper circa ecclesias cathedrales et alias regulares et seculares ac personas et loca ecclesiastica tam in faciendis provisionibus et electionibus confirmandis quam in omnibus quibuscumque aliis Romani pontificis et ecclesie Romane iurisdictione ac auctoritate plenaria et libera potestate.

[20.] Item[4] revocabit omnes constitutiones seu leges per predictum Fr. vel per reges Sicilie sive per Conradum ipsius Fr. filium aut Manfredum quondam principem Tarentinum, qui de facto regnum ipsum detinet occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem; nec statuta vel constitutiones aliquas edet aut etiam promulgabit, per que iuri vel libertati ecclesiastice derogetur.

[21.] Item[5] comes promittet, quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorundem regni et terre in civili vel criminali causa convenietur coram iudice seculari, nisi super feudis iudicio petitoris conveniatur civiliter, sed omnes ecclesie ac persone ecclesiastice omnimode erunt libere et in nullo regi vel principi subiacebunt.

[22.] Item[6] nullas tallias vel collectas imponet ecclesiis, monasteriis, clericis et viris ecclesiasticis vel rebus eorum.

[23.] Item[7] in ecclesiis vacantibus rex nulla habebit regalia nullosque fructus, redditus et proventus; nullas etiam obventiones ac nulla prorsus alia percipiet ex eisdem, custodia earundem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas iuxta canonicas sanctiones.

[24.] Item[8] comites, barones, milites et universi homines totius regni et terre predicte vivent in ea libertate et habebunt illas immunitates illaque privilegia ipsisque gaudebunt, quas et que tempore clare memorie Guillelmi secundi Sicilie regis[9] et aliis antiquis temporibus habuerunt.

[25.] Item[10] omnes exules regni Sicilie et terre predicte, cuiuscumque condicionis existant, ad mandatum ecclesie reducentur in regnum et terram predicta,

---

1) *Cf. p. 180, § 19 et t. II, p. 437, n. 613.* 2) *Cf. t. II, p. 437, n. 613.* 3) *Cf. ibid.* 4) *Cf. p. 178, § 4.* 5) *Cf. p. 180, § 19 et t. II, p. 437, n. 613.* 6) *Cf. p. 180, § 20; Martène p. 36 C, 37 F, 44 C.* 7) *Cf. p. 180, § 21.* 8) *Cf. p. 179, § 8.* 9) *Cf. n. 328, 338, 343, 344, 410 et p. 372, not. 2.* 10) *Cf. p. 180, § 16.*

ipsisque de bonis et iuribus eis debitis restitutio plena fiet. In huiusmodi autem restitutione secundum prescriptam formam in capitulo de bonis ecclesiarum restituendis contentam tam in notoriis quam in dubiis procedetur.

[26.] Item[1] nullam confederationem seu pactionem vel societatem faciet cum aliquo imperatore vel rege seu principe vel barone, Sarraceno, Christiano vel Greco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo contra Romanam ecclesiam vel in dampnum ecclesie.

[27.] Item[2] omnes captivos et obsides, qui tenentur in regno et terra predictis, Romanos, regnicolas et alios de terra ecclesie, Tuscos, Lombardos et illos de marchia Tervisina pro posse suo bona fide restituet libertati.

[28.] Super[3] comitatibus vero et aliis, si qua in regno et terra predictis Romane ecclesie aut aliis ecclesie Romane fidelibus a regibus et principibus sunt concessa, salvum omnino erit ius ipsius ecclesie ac fidelium eorundem, nec per ipsorum regni et terre concessionem comitatuum seu concessorum eorundem cuiquam, quo ad proprietatem seu possessionem, preiudicium generabitur, regio in hiis omnibus iure salvo.

[29.] Item[4] idem comes veniet cum mille ad minus ultramontanorum militum comitiva, quorum quilibet equitaturas quatuor secum ducet. Habebit etiam idem comes trecentos balistarios et tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii sufficere videbuntur.

[30.] Item[5] dictus comes usque ad annum a die consumationis tractatus huiusmodi computandum sic munitus cum tota sua huiusmodi comitiva fines comitatus Provincie versus Italiam sit egressus, et extunc infra tres menses immediate sequentes sit in terris conterminis regno Sicilie, nisi forsitan in Italia hostium impediatur obstaculo vel occursu: quorum impugnationi et debellationi quamdiu taliter munitus perseveranter institerit, intelligatur negotium prosequi, nec tempus predictorum trium mensium ei currat. Quod si dictus comes sic munitus usque ad annum huiusmodi non fuerit fines predicti comitatus egressus vel si infra eosdem tres menses tali non prepeditus obstaculo non fuerit in terris eidem Sicilie regno conterminis cum comitiva huiusmodi constitutus, vel in quocumque casu, eo prosecutioni negotii oportunam non impendente operam, ad easdem terras conterminas dicto regno infra ipsos tres menses non venerit sic munitus: liberum erit Romano pontifici ac in ipsius potestate remanebit dicere, pronuntiare vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum suorum, eodem comite vel alio etiam quocumque, cuius forsitan interesset, non vocatis et absque omni iuris solempnitate, concessionem eidem comiti et eius heredibus de regno et terra predictis factam vacuam omnino esse nullumque robur vel valorem habere, ac eam revocare, cassare et irritare ac ipsam cassam et irritam nuntiare. Liberum quoque erit eidem Romano pontifici hoc idem facere, si, quod absit, dictus comes vel longa prepeditus valitudine vel morte preventus dictum negotium iuxta eandem formam non assumpserit vel assumptum non fuerit prosecutus, nisi forte talis persona et tam ydonea iuxta formam eandem vices eius vel suorum heredum in hac parte suppleverit, que merito ad hoc sufficiens possit et debeat a Romana ecclesia reputari.

[31.] Item[6], postquam dictus comes predicta regnum Sicilie ac terram habuerit, iurare faciet omnes eorundem regni et terre comites, barones et nobiles ac milites, cives et burgenses ceterosque alios, quod toto posse facient et curabunt, quod dictus comes et eius heredes omnes et singulas huiusmodi conditiones ac universa et singula

---

1) *Cf. p. 179, § 15; Martène p. 36 D, 38 C.* 2) *Cf. p. 180, § 17.* 3) *Cf. infra n. II; Martène p. 36 D, 38 C [de comitatu Sorano].* 4) *Cf. Martène p. 36 E, 44 D, 51 F, 78 F.* 5) *Cf. p. 179, § 12; Martène p. 36 F, 42 C, 44 E.* 6) *Cf. Martène p. 37 A, 42 F, 45 E, 51 D, 79 A.*

premissa inviolabiliter observabunt nec ullo umquam tempore venient contra illa, et si eum vel heredes suos a predictis regno et terra in quibuscumque casibus iuxta tenorem conditionum et penarum cadere contigerit vel ipsos iuxta eundem tenorem illis privari seu concessionem factam eis de ipsis evacuari et irritari per Romanum pontificem, nullatenus eis, sed Romano tantum pontifici obedient et intendent tamquam regi Sicilie et ipsorum domino temporali. Hoc etiam iuramentum de decennio in decennium renovabitur, et tam idem comes quam singuli heredes sui, qui in eisdem regno et terra succedent, illud perpetuo singulis continuis decenniis renovari facient et prestari.

[32.] Item [1] omnes premissas conditiones, que in persona comitis apponentur, circa ipsius etiam heredes comitis intelligimus et volumus esse dictas.

[33.] Item, postquam tractatus huiusmodi negotii fuerit concorditer consumatus, fiet super hoc privilegium concessionis a domino papa, subscriptionibus cardinalium Romane ecclesie roboratum; et comes dabit privilegium suum eidem domino pape ac Romane ecclesie aurea bulla bullatum, in quo proprio iuramento fatebitur et recognoscet expresse regnum Sicilie ac totam terram, que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta terra que ecclesie remanebit eidem, ex sola gratia et mera liberalitate sedis apostolice sibi suisque heredibus de novo fore concessa, seque recipere ac tenere regnum et terram huiusmodi a dicta Romana ecclesia sub condicionibus et pactis hinc inde tractatis.

[34.] Fines autem terre, que remanebit ecclesie, isti sunt [2]: Terra Laboris ex parte una continuata est cum Principatu et dividitur per flumen quod dicitur Sarnum et quod intrat mare sub civitate que dicitur Castrum Maris de Surrento sive Stabium, et procedunt fines versus Montemlauri et versus Palmam. Et hec sunt loca ex illa parte superiori: castrum sive civitas que dicitur Sarnum, Castrum Montislauri, Palma, Avellum, Summa, Nola, Cicala et comitatus Acerrarum, Argentum et Arpagia, Matalonum, comitatus Caserte et Thelesie, Rocca Capue, Caiazia, Castrum sancti Angeli, baronia de Draconibus, baronia Mazan [a], baronia illorum de Rosel, et sicut currit fluvius Capue usque ad comitatum Molisii, Vayranum, Presenzanum, Minianum, Sanctus Germanus et tota terra monasterii Casinensis, Atinum et tota terra que dicitur Cominum, Sora, Insula, Arpinum, Fontana, Montenigrum, Castrumceli, rocca et villa Arcis, Pontecurvum et Insula inferior. Ex parte maris: Castrum Schifati, quod situm est ubi flumen Sarni intrat mare, Neapolis, Castrum Salvatoris supra mare, due insule, quarum altera dicitur Capri et altera Procida, item altera, que dicitur Insula et est, civitas Puteolana, Aversa, Capua, villa que dicitur Baronia, Castrum Maris de Vulturno, Rocca Montisdraconis, civitates Calinensis, Calvensis, Theanensis et Suessana, baronia Rogerii de Gallutio, Traiectum, Gaieta, comitatus Fundanus, Rocca Guillelmi, et quedam alia sunt iuxta istos fines. Extra istos vero fines vel nulla loca sunt vel pauca non magni valoris: Vallisgaudii, Ayrola, Montisarculum, Toccum, baronia Feniculi et Castrum sancti Martini [3]. Beneventum cum suo tenimento est in fine huius vallis cum territorio suo.

Dat. apud Urbemveterem, XV Kalendas Iulii, anno secundo.

---

a) *legendum videtur* Marzañ.

1) *Cf. Martène p. 39 F [ibid. 'artic. vicesimus nonus'].* 2) *Circumscribitur infra provincia Terrae Laboris; de locis cf. Winkelmann, Acta imp. ined. t. I, p. 769, n. 1005.* 3) *Etiam haec loca provinciae Principatus papa sibi reservavit, ut Beneventum per territorium papale adiri posset; cf. § 1.*

II.

Modificationes predictarum conditionum.

Iste sunt modificationes conditionum:

[*ad* 1.] Si, postquam ille, qui mittitur, diligenter tractaverit et institerit, quod prefata terra, de qua agitur, ecclesie Romane remaneat, hoc obtinere non poterit nec ad id comitem inclinare et idem comes omnino habere voluerit integrum regnum Sicilie et totam terram, que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, ita quod, excepta civitate Beneventana cum omnibus districtibus et pertinentiis suis, nichil eidem ecclesie de terra predicta remaneat: ad ampliationem census seu pensionis, sicut oblatum est per nuntios eiusdem comitis, videlicet ad annuum censum seu annuam pensionem decem milium unciarum auri ad pondus ipsius regni pro toto regno et terra predictis, ipse, qui mittitur, sapienter et caute procedat, salva semper exceptione predicte civitatis Beneventane cum suis districtibus et pertinentiis, prout in secundo articulo plenius et expressius continetur.

[*ad* 6.] Item, si articulus qui sic incipit: 'Item totum eiusdem regni residuum etc.' non admittitur, sicut est scriptus, cum hac adiectione modificari poterit, videlicet quod si contigerit dictum comitem decedere sine liberis ex eo legitime descendentibus, possit ei in regno et terra predictis succedere nobilis vir Alfonsus comes Pictavensis germanus eiusdem, et si dictus Alfonsus eidem Karolo non superviveret, possit ei succedere unus ex filiis Ludoici illustris regis Francie, videlicet maior natu post illum qui succedet in regno Francorum; et hec gratia vel successio tam ex parte ipsius Karoli quam ex parte illorum erit tantummodo personalis, ita scilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipsius Alfonsi, si Alfonsum ipsum premori Karolo predicto contigerit, huiusmodi successio se extendet, sed huiusmodi maior natu succedet in regno Sicilie et terra predictis. Similiter etiam nullus filiorum vel heredum ipsius maioris natu, si idem maior natu prefato Karolo non supervixerit, huiusmodi successionem habebit, sed regnum Sicilie ac terra predicta ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere devolventur. Si vero Alfonsum et maiorem natu predictos premori Karolo prefato contigerit, nullus alius ipsi Karolo sine liberis ex ipso legitime descendentibus decedenti in eisdem regno et terra succedet, sed liberum erit eidem Romane ecclesie de ipsis regno Sicilie ac terra disponere iuxta sue beneplacitum voluntatis. Si autem prefatos Alfonsum vel maiorem natu post successionem huiusmodi aut eorum heredes sine liberis ex ipsis legitime descendentibus mori contigerit, regnum Sicilie et terra predicta similiter ad eandem Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere revertentur.

[*ad* 12.] Item circa articulum qui sic incipit: 'Item dictus comes et eius heredes regnum et terram prefata nullatenus divident etc.' talis modificatio poterit adhiberi, si non admittatur, ut iacet, videlicet quod, regno et terra predictis eorumque dominio semper remanentibus penes unum, nec ratione hereditatis vel successionis aut concessionis seu donationis nec quocumque alio pretextu aliqua divisio vel diminutio fiet de ipsis regno et terra, per quam utique divisionem seu diminutionem ipsorum regni et terre dominium deformiter mutiletur vel regie dignitatis seu potestatis status enormem sustineat vel recipiat lesionem; sed si qui partes aliquas forsan habuerint de regno et terra predictis, illas tenebunt in feudum a rege Sicilie ipsumque regem exinde superiorem et dominum recognoscent eique certa servitia pro huiusmodi partibus exhibebunt.

[*ad* 28.] Item illa pars articuli, in quo agitur de restitutione captivorum et obsidum, que utique pars sic incipit: 'Super comitatibus vero et aliis etc.', si ab eodem comite non admittitur, sicut iacet, taliter modificari poterit, videlicet quod illud, quod ibi dicitur de comitatibus et aliis, que in regno et terra predictis Romane ecclesie

sunt concessa, totaliter auferatur, et fiat tantum mentio de illis comitatibus et aliis[a], que in eisdem regno et terra ipsius ecclesie fidelibus a regibus et principibus sunt concessa.

[*ad* 7.] Item, si comes omnino voluerit sub annuo censu decem milium unciarum auri totum et integrum regnum Sicilie et totam terram, que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, ita quod nichil de ipsis regno et terra, excepta civitate Beneventana cum districtibus et pertinentiis suis, eidem Romane ecclesie remaneat, prout in primo modificationum articulo plenius continetur: circa solutionem eiusdem census per infrascriptas penas erit ipsi ecclesie providendum, videlicet quod idem comes vel eius heredes, quocumque termino non solverint integre censum ipsum et expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfecerint, eo ipso erunt excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino et infra subsequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolverint, totum regnum Sicilie ac tota terra predicta ecclesiastico erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius eiusdem census sibi duxerint consulendum, ita quod transactis eodem tertio termino et duobus proximo sequentibus mensibus non sit de decem milibus huiusmodi primi termini ipsi ecclesie integre satisfactum, ab eisdem regno et terra ipsorumque iure cadent ex toto. Si autem de censu decem milium unciarum huiusmodi primi termini infra dictos tertium annum et duos sequentes menses plenarie satisfecerint, nichilominus semper pro singulis decem milibus singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverint vel illa non solverint, similes penas incurrent.

Dat. apud Urbemveterem, XV Kalendas Iulii, anno II°.

540.

Urbanus IV papa [Henrico III] episcopo Leodiensi scribit de testamento quondam C[onradi] archiepiscopi Coloniensis; mandat, ut pecuniam, quam civitas Coloniensis archiepiscopo ex quadam compositione per decem annos debeat, sed solvere deneget, colligat et primum de ea debita archiepiscopi cum quibusdam Senensibus contracta solvat, reliqua executoribus testamenti assignet. *1263, Iun. 17.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 102—103, ep. 2. Pertzii exemplar [1] collatum cum Regestis contulimus cum altera epistola ibidem f. 140 registrata, per quam Urbanus IV sub a. 1263, Sept. 27 eidem nuntiavit archiepiscopi procuratorem, apud sedem apostolicam constitutum, etiam a quibusdam mercatoribus Romanis 400 marcas sterlingorum mutuo recepisse, pro quibus archiepiscopum et ecclesiam Colonienses obligasset, neque vero satisfactum eis esse, eique mandavit, ut ex pecunia commemorata primo Senensibus, tum Romanis debita solvi faceret [2].
BFW. 9323.

. . episcopo Leodiensi.

Ex parte dilectorum filiorum Werneri prepositi Sancti Gereonis, Philippi thesaurarii et Wanrici maioris Coloniensis ac Lamberti Nusiensis ecclesiarum canonicorum et fratris Wolfardi de ordine hospitalis sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane, capellani et penitentiarii nostri, executorum testamenti bone memorie C. Coloniensis archiepiscopi, fuit propositum coram nobis, quod, olim iudicibus, scabinis, magistris civium et fraternitatum, consiliariis et universis civibus Coloniensibus eidem archiepiscopo subtrahentibus et exhibere denegantibus iura sua et orta inter ipsos ex parte

---

a) et in aliis *R.*

una et eundem archiepiscopum occasione huiusmodi ex altera dissensionis materia, predictus archiepiscopus propter hoc sustinuit grandes labores et incurrit dampna gravia et expensas. Postmodum autem mediantibus bonis viris super hiis inter partes amicabilis compositio intervenit, per quam iudices, scabini et alii predicti ad solvendum eidem archiepiscopo usque ad decem annos medietatem denariorum, qui cervisiales vulgariter appellantur, se inter alia obligarunt, super hoc appositis certis penis, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius dicitur contineri[1]. Processu vero temporis eedem partes, earum utilitate pensata, inter se ordinarunt, quod iudices, scabini et alii predicti loco huiusmodi denariorum solverent predicto archiepiscopo per eosdem decem annos qualibet die Dominica decem et octo marcas Colonienses, duodecim solidis pro marca qualibet computandis, se ad solvendum huiusmodi marcas eidem archiepiscopo vel eis, quibus ipsas solvi vel dari mandaret, sub penis et condicionibus appositis in priori obligatione nichilominus obligando[2]. Sane predictus archiepiscopus decubans in lectum[a] egritudinis, ex qua obiit, in ultima voluntate condidit testamentum, cuius executores prepositum, thesaurarium, canonicos et capellanum predictos constituit in presentia . . prepositi[3], . . decani et capituli Coloniensium, mandans inter cetera, quod iudices, scabini et alii prefati huiusmodi marcas iuxta tenorem ordinationis eiusdem executoribus solverent supradictis, quodque dicti executores prius solverent illa debita, in quibus prepositus Sancti Gereonis, Lambertus et capellanus predicti essent pro eodem archiepiscopo obligati, residuum vero expedirent, prout in testamento huiusmodi continetur. Eodem itaque archiepiscopo viam universe carnis ingresso, iudices, scabini, magistri, consiliarii et cives predicti prefatis executoribus dictas marcas, quas eis per duas septimanas[4] solverant[b], indebite[c] solvere contradicunt; sicque dicti executores huiusmodi debita non possunt solvere nec extremam voluntatem ipsius testatoris executioni debite demandare. Porro idem capellanus, tunc procurator ipsius archiepiscopi et apud sedem apostolicam constitutus, nomine predicti archiepiscopi, a quo habebat ad hoc speciale mandatum, a dilectis filiis Bonaventura Bernardini, Bartholomeo Guidi et eorum sociis, civibus et mercatoribus Senensibus, mutuo mille quingentas marcas sterlingorum recepit, pro quibus eundem archiepiscopum ac predictam Coloniensem ecclesiam et eorum bona predictis mercatoribus obligavit; dictique mercatores, postquam foret eis de huiusmodi pecunia satisfactum, camere felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri mille marcas sterlingorum solvere promiserunt. Verum quia predicte camere ac predictis mercatoribus de huiusmodi pecunie summis satisfactio aliqua non provenit, ac dignum existat et consentaneum rationi, ut camere nostre ac mercatoribus predictis de dicta pecunia, in qua predictus capellanus tamquam procurator suus in hoc eundem obligavit archiepiscopum, satisfiat, ad cuius etiam solutionem est predicta ecclesia obligata, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus predictas decem et octo marcas Colonienses ab eisdem iudicibus, scabinis, magistris, consiliariis et civibus pro tempore preterito et deinceps qualibet die Dominica usque ad terminum in predicta ordinatione statutum tibi faciens exhibere easque per te vel per alium aut alios fideliter colligens, ex illis ante omnia Andree Iacobi, Bonsignori Raynerii et Tholomeo Manentis, civibus et mercatoribus Senensibus, vel eorum alicui, sociis Bonaventure, Bartholomei Guidi

a) *ita 1 et 2.* b) solverant *ap. 1 in marg. minus perspicue alia tinctura; 2 perspicue.* c) indebite *ap. 1 in marg. prima manu.*

1) *A. 1258, Mart. 18; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 400, n. 385; cf. ibid. n. 382; cf. Hegel, Verf.-Gesch. v. Cöln p. 43.* 2) *Ut videtur a. 1261, Sept.; cf. not. 4. Sed hae 18 marcae non Conrado sed archiepiscopatui Coloniensi debebantur; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 453; n. 434.* 3) *Engelberti, postea archiepiscopi.* 4) *Ut videtur a. 1261, Sept. 18 et 25; Conradus obiit Sept. 28.*

sociorumque ipsorum, predictas mille quingentas marcas sterlingorum solvere non postponas, residuum autem assignes eisdem executoribus, expendendum per eos iuxta dispositionem testatoris eiusdem, contradictores per censuram etc. usque: compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, — non obstante constitutione de duabus dietis edita in concilio generali, vel excomunicationis sententia in cives Senenses ex certa causa generaliter promulgata[1], maxime cum predictos mercatores a sententia huiusmodi per nostras litteras duxerimus excludendos, seu si est aliquibus ab eadem sede indultum, quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia sedis eiusdem, de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri et per quam id impediri valeat vel differri —; proviso quod dicti mercatores instrumentum, per quod idem capellanus eis in huiusmodi pecunie summa predictam ecclesiam obligavit, ecclesie restituant supradicte. Quicquid autem super premissis duxeris faciendum, nobis per tuas patentes litteras[a] harum seriem continentes studeas fideliter intimare.

Dat. apud Urbemveterem, XV Kalendas Iulii, anno secundo[2].

541.

Urbanus IV papa [Morando] episcopo Callensi cives Callenses, ad devotionem ecclesiae a favore Manfredi redeuntes, ab excommunicationis et interdicti sententiis absolvendi facultatem concedit, formam absolutionis adiciens. *1263, Iun. 20.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 88—89; Lib. II, f. 41—42, ep. 128. Damus Pertzii exemplar. Posse, l. c. p. 20, n. 238; BFW. 9326.

. . episcopo Callensi.

Nobilis vir . . potestas, consilium et commune civitatis Callensis, ad devotionem apostolice sedis, a qua recesserant adherendo Manfredo quondam principi Tarentino, humiliter redeuntes[3], nobis humiliter supplicarunt, ut ipsos ab excommunicationis sententia, quam propter hoc incurrerunt, mandaremus absolvi. Nos itaque, ipsorum supplicationibus inclinati, absolvendi predictos potestatem, consilium et commune ac universos et singulos de ipso communi nec non iudicem et tabellionem ipsius potestatis et omnes officiales civitatis eiusdem et clericos Callensis civitatis et diocesis ab huiusmodi excommunicationis sententia et relaxandi interdictum, cui predicte civitas et diocesis sunt huiusmodi occasione supposite, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, ita tamen quod circa huiusmodi absolutionem infrascriptam formam studeas observare, videlicet quod predicti potestas, consilium et commune et eorum quilibet ac iudex, tabellio, officiales et clerici predicti prestent ante omnia de stando mandatis ecclesie corporaliter iuramentum, quibus mandabis sub debito prestiti iuramenti, quod de cetero eidem Manfredo nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebunt publice vel occulte quodque ab ipso nec litteras nec nuntios

---

a) litt. pat. *1.*

1) *Cf. n. 524.* 2) *Cf. etiam Lib. III, 165; Posse p. 138, n. 14.* 3) *A. 1263, Apr. 25 papa potestati et communi Eugubii indulsit, ut cum Callenses aliquibus apostolicae lenitatis persuasionibus emolliri non possent, comitatum eorum occupare et usque ad beneplacitum apostolicum retinere valerent; Bricchi, Annali di Cagli p. 125; cf. Potthast 18521 et 19820.*

neque munera magna vel parva recipient neque mittent eidem, quamdiu predictus Manfredus in excommunicatione lata contra ipsum per sedem eandem duxerit persistendum, salvis aliis mandatis nostris, que super hoc eis viderimus facienda.

Dat. apud Urbemveterem, XII Kalendas Iulii, anno II° [1].

542.

Urbanus IV papa magistrum Albertum notarium suum scire vult: si contingat negotium regni Siciliae inter ecclesiam et Karolum Andegaviae et Provinciae comitem consummari, se intendere super petitionibus comitis condescendere votis eius; quae petitiones contingant decimam Franciae, praedicationem crucis contra Manfredum, ne Conradus puer imperii culmen ascendat, et res alias. *1263, Iun. 26.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 93; Lib. II, f. 46, ep. 135. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Martene, Thes. t. II, p. 21 edidit.

Potthast, Reg. 18579; BFW. 9328.

Magistro Alberto notario nostro.

Cum te ad dilectum filium nobilem virum Karolum Andegavie ac Provincie comitem pro negotio regni Sicilie specialiter destinemus, presentium tenore scire te volumus, quod si contingat dictum negotium secundum conditiones tibi a nobis traditas inter Romanam ecclesiam et eundem comitem consumari, taliter super infrascriptis petitionibus, quas propter hoc dictus comes per suos nobis porrexit nuntios, intendimus auctore Domino condescendere votis eius, quod propterea dictum impediri vel retardari negotium non continget. Petitiones autem sunt hec: videlicet ut nos decimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Francie ac comitatus Provincie necnon et Lugdunensis, Viennensis, Ebredunensis, Tarantasiensis et Bisuntine provinciarum eidem comiti pro ipsius prosecutione negotii per triennium concedamus [2]; et faciamus verbum crucis proponi contra Manfredum quondam principem Tarentinum et Sarracenos Lucerie per omnes terras, in quibus decima concedetur eidem comiti, ac etiam per Lombardiam, Tusciam, marchiam Anconitanam et alias terras dicto regno Sicilie adiacentes, in quibus verbum huiusmodi poterit secure proponi, illamque indulgentiam ac illa privilegia et illas immunitates hiis, qui contra Manfredum et Sarracenos predictos signum crucis assumpserint, largiamur, que transfretantibus in Terre Sancte subventionem in generali concilio sunt concessa [3]; demus etiam dicto comiti omnes redemptiones votorum personarum illarum, que signum crucis in subsidium dicti negotii duxerint assumendum et redimere voluerint huiusmodi vota sua; totam

---

1) *A. 1263, Iun. 26 magistro Petro de Ferentino dicto Romano, capellano suo, ducatus Spoletani rectori [cf. n. 533; an vicario Manfredi electi Veronensis rectoris? cf. sub n. 550], ad preces Perusinorum mandavit, ut episcopum Callensem ad sedem suam reducens, civitatem Callensem pontificali dignitate gaudere faceret; Lib. II, 131; Potthast 18578; Bricchi, l. c. p. 128. A. 1264, Apr. 28 potestati, consilio et communi Call. scripsit se iis, tunc adhaerentibus Manfredo, terminum assignasse, infra quem ad ecclesiam redirent, alioquin civitatem dignitate episcopali privatam esse, litteris privationis confectis; cum autem rediissent, se nolle, ut per has litteras eis praeiudicium generaretur; Lib. III, 156; Potthast 18861; Bricchi, l. c. p. 131. Eodem die eisdem omnes sententias et poenas, quas ipse, Alexander IV aliique in eos tulissent, revocavit; Lib. III, 166; Posse p. 31, n. 376, Bricchi, l. c. p. 131. Eodem die Manfredo electo Veronensi rectori Marchiae mandavit, ut banna et poenas, quas Bellabranca quondam potestas Callensis imposuisset, quando civitas Manfredo adhaereret, remitteret; Lib. III, 167; Posse n. 377; cf. Lib. III, 155; Potthast 18869; Bricchi, l. c. p. 122; et infra sub Iul. 23.* 2) *Cf. infra sub a. 1264, Apr. 25 et Mai. 3.* 3) *Cf. Lib. III, cur. 103; Potthast 18891; et infra n. 589 et 606.*

quoque terram ipsius comitis et terras illorum, qui secum propter hoc venerint. sub nostra et apostolice sedis protectione recipiamus durante ipsius prosecutione ac promotione negotii, et in omnes illos, qui comitem et alios predictos in terris eorum turbare, molestare aut violentiam inferre presumpserint, generalem excommunicationis sententiam proferamus; nec ullo umquam tempore consentiamus, quod Conradus[1] puer natus quondam Conradi filii quondam Fr. olim Romanorum imperatoris vel aliquis per descendentem eorundem Fr. et Conradi lineam quomodolibet procreatus aut etiam aliquis, qui se in prefato regno[a] Sicilie vel aliqua eius parte contenderet seu posset contendere ius habere, imperii Romani culmen ascendat; et ut dictum Manfredum eodem regno Sicilie et omnibus aliis terris, que in regno ipso infra confinia terrarum dicte Romane ecclesie detinet, si comes ipse voluerit, per diffinitivam sententiam privare curemus, ac publicari faciamus ubique omnes spirituales et temporales sententias latas iam et ferendas in eum et in omnes consiliarios, adiutores et fautores ipsius[2]; omnes insuper illos, qui eidem Manfredo, postquam dictum regnum Sicilie fuerit comiti predicto concessum, adherere presumpserint, universis terris, feudis, bonis et iuribus, que a predicta Romana et aliis quibuscumque ecclesiis et personis ac locis ecclesiasticis obtinent, apostolica auctoritate privemus; denique ut vinculum confederationis et pacis fieri procuremus inter omnes illas personas, quas idem comes nobis nominaverit, dummodo persone tales existant, quarum confederatio vel unitas aut unanimitas nobis expediens videatur[3].

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Iulii, anno II°[4].

543.

Urbanus IV papa Spoletanis excommunicatis mandat, ut infra proximum diem lunae procuratorem ad sedem apostolicam mittant ad recipienda mandata super offensis, quas contra ecclesiam commiserint, et ut interim dominis de Arrone et de Castro Lacus, Interamnensibus, hominibus monasterii de Ferentillo, Cassiae et Nursiae aliisve fidelibus nullam guerram inferant. *1263, Iul. 9.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. II, f. 48, ep. 138. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke. Posse, l. c. p. 20, n. 240; BFW. 9329.

. . capitaneo, consilio, communi et populo Spoletanis spiritum consilii sanioris[5].

Nuper, postquam . . syndicus vester habens a vobis ad hoc speciale mandatum nostris iuravit stare mandatis, que vobis iniungeremus ratione offensarum a vobis hoc tempore contra nos et Romanam ecclesiam commissarum, nos dilectum filium magistrum Gregorium de Neapoli subdiaconum et capellanum nostrum[6] ad vestram pro huiusmodi negotio transmisimus civitatem, qui inter alia commissa ei super hoc auctoritate vobis iniunxit, ut syndicum cum sufficienti et pleno mandato ad audiendum huiusmodi mandata nostra eisque parendum ad nostram presentiam mitteretis. Vos

---

a) r̃egno p̃refato *R.*

1) *Cf. Potthast 18440.* 2) *Cf. n. 571.* 3) *De discordia inter Carolum et Margaritam reginam Franciae sopienda cf. Lib. II, 9; Potthast 18415; et infra sub a. 1264, Apr. 25 et Mai. 3.* 4) *Cf. Potthast 18604 et Martène, Thes. t. II, p. 23, n. 11.— A. 1264, Ian. 7 papa easdem petitiones se admissurum esse iterum promisit, adiectis duobus articulis de protectione uxoris et liberorum comitis, si eum in prosecutione negotii decedere contingeret, et de revocatione bonorum post a. 1245 per Fridericum, Conradum et Manfredum in regno concessorum; Potthast 18768.* 5) *Cf. n. 533.* 6) *Cf. n. 534.*

autem nobilem virum Bertuldum de Babingan.[a][1] potestatem et quosdam alios concives vestros ad sedem apostolicam destinastis. Sed quia nullus ex parte vestra comparuit syndicus coram nobis, qui mandata nostra et audire et implere valeret, nos, licet propter huiusmodi contumatiam vestram potuissemus contra vos de iure procedere, vobis tamen in hoc ad presens apostolica benignitate detulimus, et supersedentes expressioni huiusmodi mandatorum, eisdem potestati et concivibus peremptorie ac expresse mandavimus viva voce, ut infra diem lune proximo venturam[2] huiusmodi syndicum propter hoc ad presentiam nostram mittant, et nichilominus, quantumcumque tale mandatum nostrum eisdem potestati et concivibus factum sufficere videatur, vos in hac parte fore providimus requirendos. Ideoque universitati vestre mandamus, quatinus syndicum seu procuratorem ydoneum cum mandato plenario ad audiendum et recipiendum mandata nostra, que vobis premissa ratione facienda duxerimus, et ad parendum eisdem totaliter ad nos infra huiusmodi terminum, quem peremptorium[b] vobis prefigimus, sublato cuiuslibet difficultatis et occasionis obstaculo transmittatis, scituri quod, sive miseritis sive non, nos extunc nichilominus in huiusmodi negotio, prout suadente iustitia expedire viderimus, constanter auctore Domino procedemus. Ad hec volumus ac vobis auctoritate presentium firmiter inhibemus, ut nullam interim guerram nullamque molestiam vel offensam nobilibus viris dominis de Arrone[3] et de Castrolacus[4] ac Interamnensibus[c] necnon et hominibus monasterii de Ferenrillo[d][5] et Cassie[6] ac Nursie[7] aliisve nostris et ecclesie Romane fidelibus, qui de mandato nostro contra vos hoc tempore processerunt, inferre quomodolibet presumatis.

Dat. apud Urbemveterem, VII Idus Iulii, anno II°.

544.

Urbanus IV papa universis Theutonicis in Tuscia, Lombardia, marchia Anconitana et aliis Italiae partibus ad servitium Manfredi morantibus excommunicatis nuntiat se intendere pro recuperatione marchiae Anconitanae ducentos ex eis ad annum et ducentos alios ad tres menses ad obsequia ecclesiae retinere; hortatur eos, ut haec stipendia recipiant.

1263, Iul. 11.

Urb. IV Reg. Vol. I, 95; Lib. II, f. 48, ep. 139. Damus Pertzii exemplar. Posse, l. c. p. 20, n. 241; BFW. 9330.

Universis Theutonicis in Tuscia, Lombardia, marchia Anconitana et in aliis diversis Italie partibus ad servitium Manfredi principis quondam Tarentini suorumque fautorum morantibus spiritum consilii sanioris.

Militantibus vobis in castris dampnationis et mortis sub duce perfidie ac principe tenebrarum, Manfredo videlicet quondam principe Tarentino, persecutore Romane ecclesie manifesto, neque attendentibus, quod illius reprobata et iniqua sequendo vestigia sub eius precipiti et periculoso ducatu cum eo dampnabiliter properatis ad

---

a) Babingañ *R.* b) peremptorio *R.* c) Interamneñ. d) *inter litteras* r *et* i *locus rasus; leg.* Ferentillo.

1) *Rectius 'Bertuldum Balugani civem Bononiensem', ut Lib. III, cur. 128. Quidam Bertoldus Balugani iam a. 1229 occurrit ap. Savioli, Ann. Bologn. t. IIIb, p. 92.* 2) *Iul. 16.* 3) *Ex or. civ. Terni.* 4) *Casteldilago ex occ. castri Arronis.* 5) *E mer. civ. Spoletanae.* 6) *Ex or. civ. Spoletanae.* 7) *Ex sept. et or. Cassiae.*

interitum salutis eterne: nos, circa dolendum et flebilem statum vestrum paterna compassione commoti, cupientes vos apostolice exhortationis funiculo a finali casu retrahere, ne irreparabiliter corruatis, viam aperuimus ad vitam et iter ostendimus ad salutem, per quod de regione dissimilitudinis ad matris ecclesie gremium relictis 2. Cor. 6, 2 eius persecutoribus salubriter redeatis. Ecce itaque, nunc tempus acceptabile, ecce, nunc dies salutis, in quo, si vultis, diabolum eiusque ministrum deserere ac Deo et ecclesie sue sine detrimento vestro servire potestis. Intendimus etenim pro recuperatione Anconitane marchie aliorumque iurium dicte Romane ecclesie ducentos ex vobis, armis et equis decenter munitos, usque ad annum et ducentos alios usque ad tres menses ad ipsius ecclesie obsequia sub illis stipendiis, que percipitis a predicto Manfredo eiusve fautoribus, persolvendis unicuique iuxta conventionem, que super hoc inter nos et vos interveniet, retinere[1]. Quesumus igitur et discretionem vestram tenore presentium requirimus et rogamus, per apostolica vobis scripta mandantes ac in remissionem peccaminum nichilominus iniungentes, quatinus de vestrarum animarum et corporum salute solliciti ad paratos vobis materne susceptionis amplexus promptis animis redire curetis, ab ipsa ecclesia non solum huiusmodi pecuniaria sed etiam spiritualia stipendia recepturi, ita quod tempus, quod in servitio adversariorum ipsius ecclesie inutiliter consumpsistis, eidem serviendo ecclesie utiliter redimatis. Nos enim illos ex vobis, qui propter hoc ad nos venerint, beneficio eis iuxta formam ecclesie absolutionis impenso a vinculo excommunicationis, quo dictis persecutoribus favendo tenentur astricti, ad nostram et apostolice sedis gratiam liberaliter admittemus, et sicut eos in nostris servitiis fideles inveniemus et promptos, sic eos favoribus apostolicis prosequemur. Ut autem liberius a prefatis persecutoribus recedere valeatis, vos universos et singulos a iuramentis, si quibus eisdem persecutoribus astricti tenemini, apostolica auctoritate absolvimus et decernimus absolutos.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Iulii, anno II°.

545.

Urbanus IV papa episcopo Anagnino significat se conspirationes et confoederationes, quas clerici et laici Campaniae et Maritimae pro mutua subventione ausu temerario inierint, revocare, sub poenis inhibendo ne observentur; mandat, ut id publicet et eos, qui pecuniam a Manfredo receptam in subversionem contratae distribuant, excommunicet.

1263, Iul. 14.

Urb. IV Reg. Vol. I, 96—97; Lib. II, f. 49—50, ep. 145. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18588; nescimus, an ep. 18584 eadem fuerit.

. . episcopo Anagnino.

Etsi [circa][a] generalem pacem ac pacificum statum patrimonii beati Petri nos pervigil cura sollicitet, super civitate tamen Anagnina tanto diligentiorem debemus adhibere cautelam, quanto ipsius fuit erga Romanam ecclesiam fides sincerior ab antiquo et quanto maiorem sentiret eadem ecclesia de tanti membri lesione iacturam. Accepimus sane, quod nonnulli, tam clerici quam laici, nobiles, milites et pedites, civitatis et diocesis Anagnine diversas inter se et alios conspirationes, colligationes, societates seu confederationes ausu temerario inierunt, ordinando etiam seu statuendo

---

a) circa *deest R.*

1) *Cf. n. 548.*

inter alia, quod illatas eis in se vel aliis iniurias vindicabunt, et si eorum aliquem pro patrato homicidio seu dampno dato aut iniuria ab eo aliis irrogata pecunialiter puniri contingat, ceteri in huiusmodi pena equa contribuant portione, et quod ipsorum aliquis cum aliquo de illis, quos[a] partem adversam seu contrariam nominant, pacem non reformet ac familiaritatem non contrahat seu etiam parentelam; seque ad observationem conspirationum, colligationum ac ordinationis et statutorum huiusmodi iuramentis interpositis, penis adiectis et confectis exinde instrumentis publicis temeritate propria obligarunt in proprie salutis dispendium, civitatis predicte subversionem ac nostrum et prefate ecclesie preiudicium et contemptum. Nos igitur, attendentes quod pretextu conspirationum, colligationum et aliorum predictorum non solum pax in civitate predicta dissolvitur set tam in ipsa quam etiam in ceteris Campanie ac Maritime partibus non levis dissidii materia suscitatur, conspirationes, colligationes, societates, confederationes, conventicula et alia predicta, quocumque nomine censeantur, irrita et inania et nullius decernimus existere firmitatis, et ea nichilominus revocamus, cassamus, cassa et irrita nuntiamus, ac prefatos clericos, nobiles, milites et pedites a iuramentis, penis et obligationibus, quibus se invicem taliter astrinxerunt, absolventes omnino, ea omnia nec non et instrumenta super hiis confecta decernimus et denuntiamus penitus non tenere, inhibendo nichilominus clericis sub privationis ab officiis et beneficiis, nobilibus vero sub mille, militibus quoque quinquentarum et peditibus dicte civitatis ducentarum librarum Proveniensium senatus camere Romane ecclesie solvendarum penis, ne ipsorum aliquis huiusmodi conspirationes, colligationes, societates, confederationes seu conventicula et alia observare aut reformare vel similia facere, ac tabellionibus sub officii eorum privatione, ne super illis conficere de cetero presumant aliqua instrumenta. Huiusmodi autem penas illos, qui contra huiusmodi nostram inhibitionem venire presumpserint, incurrere ac ipsos in eas committere volumus ipso facto. Quocirca fraternitati tue sub pena excommunicationis, quam eo ipso incurras, si preceptum nostrum in hac parte neglexeris adimplere, per apostolica scripta mandamus, quatinus clero et populo civitatis predicte ad hoc specialiter convocatis huiusmodi revocationem, cassationem, nuntiationem, absolutionem, constitutionem, denuntiationem, inhibitionem et voluntatem nostras exponens et publicans coram eis, mandes illas in civitate ac diocesi supradictis perpetuo observari, et super huiusmodi expositione, publicatione ac mandato tuis per diversos tabelliones confici facias publica instrumenta. Quicquid autem super premissis feceris, nobis per tuas litteras presentium seriem continentes fideliter intimare procures. Ceterum, quia, sicut audivimus, nonnulli partium illarum, nobiles et alii, non absque infidelitatis nota relegato fidelitatis debito, quo ecclesie Romane tenentur, sententiam excommunicationis in fautores et auxiliatores Manfredi quondam principis Tarentini per sedem apostolicam generaliter promulgatam incurrere non verentes, pecunia et aliis muneribus diversis ab ipso Manfredo receptis, illa in subversionem contrate presumptuose distribuere non formidant, volumus et presentium tibi auctoritate sub eadem excommunicationis pena districte precipiendo mandamus, ut omnes tales generaliter, et nominatim illos, si quos specialiter scire poteris in hac parte culpabiles, per omnia loca, in quibus expedire videris, excommunicatos publice nunties et ab aliis facias nuntiari, eorum nomina, quos, ut predicitur, culpabiles noveris, sub tuo sigillo nobis fideliter nichilominus transmissurus.

Dat. apud Urbemveterem, II Idus Iulii, anno II[1].

---

a) qui *R.*

1) *A. 1263, Feb. 18 papa episcopo, capitulo et clero Anagninis indulsit, ne familiares et servientes eorum in foro civitatis Anagninae convenirentur neve in datiis et collectis civitatis solverent; Lib. II, 70;*

In eundem modum . . episcopo Ferentinati[1].
In eundem modum . . episcopo Alatrino[2].
In eundem modum . . episcopo Verulano[3].

546.

Urbanus IV papa archiepiscopo Arborensi mandat, ut Guillelmo iudici Arboreae, qui ad regnum Turritanum de manibus Manfredi eripiendum se accinxerit, auxilium impendat et in subsidium eius per totam Sardiniam contra Manfredum crucem predicet.

1263, Iul. 14.

Urb. IV Reg. Vol. I, 106; Lib. II, f. 59, ep. 184. Damus Pertzii exemplar.
Posse, l. c. p. 20, n. 244; BFW. 9331.

. . archiepiscopo Arborensi.

Dilectus filius nobilis vir Guillielmus iudex Arboree, prout accepimus, pro fidelitate ac devotione, quas gerit ad Romanam ecclesiam, cuius honoris precipuus zelator existit, ad eripiendum regnum Turritanum de manibus Manfredi quondam principis Tarentini, qui occupavit illud et detinet occupatum, prout nobilitatem suam decuit, viriliter se accinxit ad hoc exercitu congregato. Verum, quia eidem nobili [auxilium][a] tuum[b] et aliorum fidelium ad hoc esse dinoscitur plurimum oportunum, fraternitati tue mandamus, quatinus predicto nobili ob reverentiam nostram et apostolice sedis, cuius in hoc negotium agitur, impendens super hoc consilium, auxilium et favorem et ad hoc iuxta datam tibi a Deo prudentiam alios inducens, per totam Sardiniam per te vel per alium aut alios, tam religiosos quam seculares, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, contra eundem Manfredum in subsidium dicti nobilis predices verbum crucis et illam volentibus recipere largiaris, concessa illis, qui contra predictum Manfredum et fautores ipsius in eodem regno procedent in personis propriis et expensis, et eis, qui in propriis personis dumtaxat sed in alienis expensis, ac illis, qui in expensis suis illuc mittent ydoneos bellatores, illa suorum venia delictorum, de quibus veraciter corde contriti fuerint et ore confessi, de qua videris expedire; contradictores etc. usque: compescendo.

Dat. apud Urbemveterem, II Idus Iulii, anno secundo[4].

---

a) auxilium *vel tale quid deest R.; cf. not. b.* b) *verba* tuum et ali *eradi coepta sunt.*

cf. Potthast 17583 et 17603. A. 1264, Sept. 8 Iohanni de Columpna potestati et Theodoro de Brundusio indici Anagninis scribens precibus civitatis annuit; Lib. IV, cur. 3.

1) *Iacobo II. A. 1264, Mart. 21 eidem mandata dedit contra cives Ferentinates, qui ab ecclesia defecissent, et contra Landonem de Montelongo, quem capitaneum ad vitam elegissent; altera epistola contra eosdem sub Mai. 1; Lib. III, cur. 61 et 81; cf. etiam Potthast 20019.* 2) *Iohanni V.* 3) *Gregorio; cf. n. 582 et 621.* 4) *A. 1264, Mart. 23 Kalaritano et Arborensi archiepiscopis mandavit, ut Gottifredo olim de ordine Minorum episcopo Agrigentino, qui ecclesiae suae possessionem absque periculo introire non posset, in provinciis suis providerent; Vol. IV [beneficia], f. 139, ep. 350; Potthast 18837. A. 1264, Febr. 7 praelatis et clero Sardiniae et Corsicae nuntiavit se archiepiscopo Turritano apud eos plenae legationis officium commisisse; Lib. III, 99; Posse p. 28, n. 340. A. 1264, Mart. 4 P[rospero] archiepiscopo Turritano legato mandavit, ut census, et quae in Sardinia ecclesiae Romanae deberentur, exigeret; Vol. II [cameralia], f. 146, ep. 3.*

547.

Urbanus IV papa consulibus et universis hominibus artis lanae de Florentia excommunicatis notum facit, nisi usque ad festum assumptionis b. Virginis proximum a favore Manfredi et offensione civitatis Lucanae desistentes ad ecclesiam redierint, se Venetis et aliis fidelibus Italiae inhibiturum esse, ne ab ipsis pannos emant vel ipsis lanam vendant. 1263, Iul. 15.

Urb. IV Reg. Vol. I, 96; Lib. II, f. 49, ep. 142. Damus Pertzii exemplar.
Posse, l. c. p. 20, n. 245; BFW. 9334.

Consulibus et universis hominibus artis lane de Florentia spiritum consilii sanioris.

Recolimus vos nuper[1] per nostras sub certa forma litteras requisisse, ut ad miserabilem civitatis vestre statum debitum habentes compassionis affectum ac de salute vestra sollicite cogitantes, de regione dissimilitudinis, per quam post ducem perfidie et principem tenebrarum, Manfredum videlicet quondam principem Tarentinum, persecutorem ecclesie manifestum, periculose nimis inceditis, redire ad matris ecclesie gremium curaretis. Vos autem, ad exhortationes apostolicas obturantes more aspidum Ps. 57, 5. aures vestras, nedum redire ad ipsius ecclesie gremium contempsistis, verum etiam quam plura gravia perpetrare in offensionem civitatis Lucane, sedis apostolice devotissime, contra inhibitionem nostram temere ac dampnabiliter attemptastis, nullatenus attendentes quod potens ipsius ecclesie brachium lento gradu ad vindictas procedere consuevit, quodque moram, quam in puniendis excessibus adhibet, solet postmodum gravitate supplicii compensare. Cum igitur iam quasi liquido nobis constet, quod a vobis panditur omne malum, quod civitas Florentina, immo verius ecclesia in partibus Tuscie patitur hiis diebus, quodque vos soli estis et nulli alii, qui contra nos et eandem ecclesiam predictam detinetis hoc tempore civitatem, ad universitatem vestram presentium tenore deferimus, quod nisi infra festum assumptionis beate Virginis proximo venturum[2], quod pro peremptorio vobis prefigimus termino, humiliter et precise curaveritis ad ipsius ecclesie mandata redire ac reformationem ipsius procuraveritis civitatis, nos ex tunc tam Venetis quam ceteris Christi fidelibus per Italiam constitutis sub excommunicationis pena firmiter inhibere curabimus, ne vobiscum in aliquibus mercimoniis participare seu vestros a vobis vel aliis pannos emere vel lanam vobis vendere quoquomodo presumant, et nichilominus personas et omnia bona vestra exponemus libere fidelibus occupanda.

Dat. apud Urbemveterem, Idibus Iulii, anno II°[3].

548.

Urbanus IV papa Pensaurienses fideles suos hortatur, ut id, quod contra adversarios ecclesiae inceperint, prosequantur; se enim stipendiare milites ubique per Italiam et congregare exercitum, in succursum eorum in proximo destinandum. 1263, Iul. 15.

Urb. IV Reg. Vol. I, 97; Lib. II, f. 50, ep. 150. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 151, n. 280 edidit, contulimus cum Regestis et cum altero exemplari, quod, Fanensibus directum, Amiani, Mem. di Fano t. II, som. 56 et Zonghi, Repertorio dell' antico arch. comun. di Fano p. 169, n. 5 ex authentico ediderunt [A.].
Potthast, Reg. 18590; BFW. 9335.

---

1) *Cf. infra sub Aug. 9.* 2) *Aug. 15.* 3) *A. 1263, Aug. 30 papa commemoravit cives Florentinos, qui civitatem hoc tempore detinerent, propter excessus eorum multiplicis excommunicationis et anathematis vinculo innodandos se duxisse; Vol. II [cameralia], f. 41, ep. 1.*

..potestati, consilio et communi Pensauriensibus[a], fidelibus nostris.

Opera vestre devotionis et fidei, in quibus vos pro honore Romane ecclesie matris vestre hiis temporibus laudabiliter exercetis, nobis incognita non existunt, sed habentes illa coram oculis mentis nostre memoriter, vestre fidelitatis constantiam dignis in Domino laudibus attollendam fore decernimus et multiplicibus gratiarum actionibus prosequendam. Verum quia non qui inceperit sed qui perseveraverit coronam glorie promeretur, licet expediens non credamus vos in fidelitate ipsius ecclesie apostolicis exhortationibus confirmare, nichilominus tamen universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, mandantes[b] quatinus id, quod circa predictam ecclesiam contra eius adversarios magnanimiter incepistis, firmis et stabilibus animis prosequentes, eisdem adversariis potenter et viriliter resistatis. Nos enim, quia clamores nuntiorum vestrorum usque ad nostre mentis intima penetrarunt, nostris et predicte ecclesie non parcendo sumptibus stipendiare milites, ubicumque per Italiam strenuos possumus invenire[1], et alias etiam magnificum congregare exercitum non cessamus, in succursum vestrum in proximo auctore Domino destinandum. Confortemini ergo et estote animo fortes, quoniam cito finem dabit Altissimus malis vestris, ita quod merito gaudere poteritis vos constantem fidem et fidelem constantiam circa predictam ecclesiam observasse.

Dat. apud Urbemveterem, Idibus[c] Iulii, anno II°[2].

549.

Urbanus IV papa Callensibus mandat, ut Manfredo electo Veronensi, rectori Ducatus et Marchiae, obediant. *1263, Iul. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 99; Lib. II, f. 52, ep. 157. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18593.

Nobili viro ..potestati et communi Callensibus.

Ut ad devotionem ecclesie non labiis tantum sed corde et animo vos appareat rediisse, volumus et per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandamus, quatinus dilecto filio Manfredo Veronensi electo, ducatus Spoletani et marchie Anconitane rectori, tamquam alii eorundem ducatus et marchie devoti prompte ac humiliter intendatis, parendo devote ipsius debitis monitis et mandatis. Alioquin sententiam, quam ipse propter hoc spiritualiter et temporaliter rite tulerit in rebelles, ratam etc. usque: observari.

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Augusti, anno II°[3].

550.

Urbanus IV papa notum facit se praecipere communi Spoletano, ut terram Arnulforum ecclesiae Romanae restituant, neve dominis de Arrone et Castri Lacus guerram

a) Fanensium *A.* b) per apostolica vobis scripta mandantes *A.* c) *ita Amiani quoque;* V Idus *Zonghi.*

1) *Cf. n. 544.* 2) *De Transmundo milite, quondam cive Fanensi, a civitate forbannito, scripsit a. 1264, Ian. 9; Vol. IV [beneficia], f. 278, ep. 215; Potthast 18771.* 3) *Cf. n. 541. Iul. 20 praefato rectori de restitutione exulum scripserat; Lib. II, 156; Potthast 18592. A. 1263, Aug. 24 papa consilio et communi civitatis mandavit, ut Guidonem Marchionem de Monte Messanen. [eundem atque in n. 529?] in potestatem pro anno proxime futuro eligerent; Bricchi, l. c. p. 120; cf. etiam ibid. p. 135 sub a. 1263, Sept. 23.*

faciant, neve terras monasterii de Ferentillo, Castri Collisstalti, Castri Litaldi et Interamnensium inquietent. *1263. Iul. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 124; Lib. II, f. 77, ep. 232. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 152, n. 283 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18594.

Ad eternam rei memoriam[1].

Inter Romanam ecclesiam et Spoletanos occasione terre Arnulphorum, que est ipsius ecclesie demanium speciale et quam ipsi eidem ecclesie indebite restituere denegabant, licet super hoc esset per nos lata diffinitiva sententia contra eos, discordia suscitata, tandem Berardus Zeronis civis Spoletanus, communis Spoletani ad hoc syndicus specialiter constitutus, in nostra presentia ipsius communis nomine iuravit precise stare mandatis nostris sub pena mille marcharum sterlingorum super omnibus offensis, iniuriis et excessibus, occupationibus et universis, que dicti Spoletani contra nos et dictam ecclesiam tempore huiusmodi discordie commiserunt. Super quo etiam Odo de Aquasparta[2] civis Tudertinus, syndicus communis Tudertini, eiusdem communis nomine apud nos sub pena trium milium marcharum presentialiter fideiussit[3]. Dilectus etiam filius magister Gregorius[4] subdiaconus et capellanus noster, quem apud Spoletum direximus, pro predictis firmiter observandis nomine nostro et ecclesie Romane fideiussores viginti singulares personas et sex communia civitatum et castrorum ducatus Spoletani recepit. Idem quoque capellanus ipsis Spoletanis certum terminum peremptorium assignavit, quo coram nobis per sufficientem syndicum comparerent, audituri et recepturi, que pro premissis excessibus mandare vellemus eisdem. Et quamquam comparuissent . . potestas[5] et aliqui ambassiatores Spoletani in prefato termino coram nobis, quia tamen nullus syndicus comparuit, qui haberet mandatum sufficiens ad premissa, dictos potestatem et ambassiatores viva voce ac prefatum commune Spoletanum per litteras nostras citavimus, ut XVII Kalendas Augusti proximo preterito pro premissis comparerent peremptorie coram nobis. Comparentibus igitur die illa coram nobis . . potestate et quibusdam ambassatoribus Spoletanis ac Egidio Arnaldi syndico communis eiusdem, nos, nolentes quod nobis imputari possit ad culpam circa Spoletanos ipsos super premissis persequi totam culpam vel vindictam totaliter relaxare, predictum syndicum dicti communis Spoletani nomine communis eiusdem et in eo commune ipsum pro excessibus contra nos et predictam ecclesiam commissis ab eis in mille marcis sterlingorum infra quindecim dies proximo sequentes nobis solvendis vel satisfactione alia iuxta nostrum beneplacitum compensandis sententialiter condempnamus, iniungentes nichilominus dicto syndico communis Spoletani et in eo ipsi communi, quod dictam terram Arnulphorum integre nobis et predicte ecclesie Romane restituant et quod de cetero non inquietent seu molestent terram ipsam et homines eiusdem vel Romanam ecclesiam super illa, ac quod nobiles viros Anselmum de Arrone et Malgerium Castri Lacus dominos, quos ceperunt a Romana curia recedentes, infra octo dies proximo sequentes restituant libertati vel ipsos captivos in manibus nostris ponant, et quod ipsis vel etiam aliis dominis de Arrone et Castri Lacus nullam guerram faciant nec iniuriam vel molestiam inferant vel vassallis aut terris eorum absque mandato sedis apostolice speciali, cum ipsi sint coram nobis stare iuri parati et nos eis facere de ipsis iustitie complementum, ac quod homines et terram monasterii de Ferentillo occasione ponendi rectorem aut potestatem in ea seu

1) *Cf. n. 533 et 543.* 2) *E mer. et or. civ. Todi.* 3) *Inter Tudertinam et Spoletanam civitates a. 1259, Oct. 3 foedus factum erat; Sansi, Stor. di Spoleto, Docum. p. 310, n. 52.* 4) *De Neapoli; cf. n. 543.* 5) *Bertholdus Balugani.*

alio quocumque pretextu nullatenus inquietent nec aliqua ab eis exigant, nisi illa, que eis competunt de antiqua consuetudine vel de iure, ita quod si super hiis dubitationem oriri contigerit, partes super hoc nostro iudicio stent et cadant[1]. Ipsis quoque syndico et communi Spoletano precipimus, quod nichil omnino exigant in Castro Collisstatti[2] et Castro Litaldi[3] nec homines eorundem castrorum inquietent quomodolibet vel molestent occasione ponendi rectorem vel potestatem in castris eisdem vel alia qualibet ratione, cum castra ipsa sint speciale demanium ecclesie supradicte, quodque ipsi Spoletani nec guerram nec iniuriam vel molestiam inferant Interampnensibus aut terris eorum vel aliis, qui astiterunt nobis et ecclesie contra eos.

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Augusti, anno secundo.

551.

Urbanus IV papa fratri Iohanni de Cantia ordinis Minorum, nuntio suo in Anglia, mandat, ut [Henricum III] regem Angliae inducat, ut censum annualem, ecclesiae Romanae debitum, in cuius solutione diutius cessaverit, nominatis mercatoribus Florentinis exhibere faceret. *1263, Iul. 25.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 107; Lib. II, f. 60, ep. 189 bis. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Potthast, Reg. 18596.

Fratri Iohanni de Cantia[a] ordinis Minorum, nuntio nostro in Anglia.

Cum carissimus in Christo filius noster . . rex Anglorum illustris nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus annuatim in certa summa pecunie[4] census nomine teneatur et in illius solutione diutius cessasse noscatur, discretioni [tue][b] per apostolica scripta mandamus, quatinus regem ipsum ex parte nostra efficaciter moneas et inducas, ut pecuniam huiusmodi pro eo tempore, quo in illius solutione cessavit, dilectis filiis Rucho Cambii et Raynerio Abbatis civibus et mercatoribus Florentinis, sociis Iacobi de Scala concivis ipsorum, vel eorum alteri nostro et eorundem cardinalium nomine infra terminum competentem, quem ad hoc ei peremptorie prefigendum duxeris, sine difficultate faciat exhiberi[5]. Alioquin capellam ipsius regis supponas ecclesiastico interdicto — non obstante si eidem regi a sede apostolica sit indultum[c], quod ipsius capella per litteras apostolicas nequeat interdici, nisi de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum fecerint mentionem.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Kalendas Augusti, anno secundo[6].

---

a) Cant̄ *R.* b) tue *deest R.* c) sit in *[f. 61]* indultum *R.*

1) *A. 1263, Iul. 23 universis hominibus de abbatia Ferentilli, ecclesiae Romanae fidelibus, mandavit, ut Rogerio de Busso, cui custodiam terrae abbatiae commisisset, intenderent; Lib. II, 176.* 2) *Ex or. civ. Terni. A. 1263, Iul. 23 Rogerio de Busso custodiam castri de Collestacte, quod ad manus suas revocasset, commisit; Iul. 25 Guillelmo de Pennaforti castellano de Collestacte mandavit, ut Rogerio castrum assignaret; Iul. 21 hominibus de Collestacte, fidelibus suis, mandavit, ut Rogerio intenderent; Lib. II, 173—175; Posse p. 21, n. 248, 249.* 3) *Cf. t. II, p. 432, n. 610. A. 1263, Iul. 23 [Petro de Ferentino? cf. p. 523, lin. 33] in ducatu Spoletano vicario Manfredi Veronensis electi, Marchiae et Ducatus rectoris, mandavit, ut castrum Litaldi, a Spoletanis in praeiudicium ecclesiae occupatum, ad ecclesiam revocaret et Rogerio de Busso custodiendum committeret; Lib. II, 177; Posse p. 22, n. 258 sub Iul. 28.* 4) *Scil. mille marcarum.* 5) *Cf. n. 552 et 553.* 6) *De eodem cf. Vol. II [cameralia], f. 10 = Potthast 18178, 18182—18184, 18295; f. 33 = P. 18226; f. 51 = P. 18569, 18570; f. 55 = P. 18630, 18631; f. 142 = P. 18705.*

552.

Urbanus IV papa [Bartholomaeo] archiepiscopo Cusentino absolvendi H[enricum III] regem Angliae et Eadmundum natum eius ab omnibus obligationibus, quibus occasione negotii regni Siciliae ecclesiae Romanae astricti fuerint, postquam iidem ecclesiam similiter liberaverint, potestatem concedit. 1263, Iul. 25.

Urb. IV Reg. Vol. I, 103; Lib. II, f. 56, ep. 161. Damus Pertzii exemplar. Posse, l. c. p. 21, n. 252; BFW. 9339.

. . archiepiscopo Cusentino.

Cum te ad carissimum in Christo filium nostrum H. illustrem Anglorum regem ac nobilem virum Eadmundum natum eius pro negotio regni Sicilie, quod olim inter felicis recordationis Alexandrum papam predecessorem nostrum ex parte una et eosdem regem et Eadmundum ex altera tractatum extitit et firmatum sub certis condicionibus atque pactis, que adimpleta iuxta condiciones hinc inde habitas non fuerunt, de fratrum nostrorum consilio specialiter destinemus[1]: fraternitati tue, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, liberandi et absolvendi nostro et Romane ecclesie nomine prefatos regem et Eadmundum ab omnibus promissionibus, obligationibus, iuramentis et penis, quibus occasione predicti negotii nobis et eidem ecclesie tenentur astricti, postquam iidem rex et Eadmundus similiter liberaverint nos et eandem ecclesiam ab omnibus huiusmodi conventionibus et expresse renuntiaverint illis necnon et concessioni predicti predecessoris et quibusvis aliis concessionibus seu collationibus, quas de premisso regno eis vel eorum alteri ab apostolica sede vel eius nuntiis seu legatis factas fuisse proponunt, et omni iuri, quod in eodem regno ex quacumque causa se habere confidunt, liberam de predictorum fratrum nostrorum consilio et assensu concedimus tenore[a] presentium potestatem; et nichilominus te nostrum et predicte ecclesie procuratorem et nuntium specialem ad recipiendum vice nostra et ipsius ecclesie a rege et Eadmundo predictis absolutionem, liberationem et renuntiationem huiusmodi de ipsorum fratrum consilio et adsensu apostolica auctoritate statuimus, ratum habituri et firmum quicquid secundum premissa super hiis duxeris faciendum.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Kalendas Augusti, anno II°[2]

553.

Urbanus IV papa H[enrico III] regi Angliae et Eadmundo nato eius scribit, cum condiciones, sub quibus regnum Siciliae ab Alexandro IV papa ipsi Eadmundo concessum fuerit, adimpletae non sint, liberum esse ecclesiae de praedicto regno disponere; rogat, ne super hoc impedimentum ingerant; nuntiat se [Bartholomaeum] archiepiscopum Cusentinum propter hoc specialiter ad eos destinare. 1263, Iul. 28.

Urb. IV Reg. Vol. I, 102; Lib. II, f. 55, ep. 160. Exemplar, quod Rymer, Foedera t. I, p. 428 ex authentico edidit, contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18603; Capasso n. 393; Posse, l. c. p. 21, n. 251; falso sub Iul. 25; BFW. 9341.

---

a) tenorem *R.*

1) *Cf. n. 553.* 2) *Eodem die papa universis personis ecclesiasticis mandavit, ut archiepiscopo in necessariis providerent; Iul. 28 archiepiscopis, episcopis et praelatis regni Angliae mandavit, ut eum, ad Henricum et Eadmundum missum, honeste tractarent eique assisterent in negotiis commissis; eodem die priori fratrum Praedicatorum in Francia mandavit, ut ei, ad Ludowicum regem Franciae misso, consilium, auxilium et favorem praestaret; eodem die regem Franciae monuit, ut eum honeste reciperet et ei fidem adhiberet; Lib. II, 164, 162, 163 [= Potthast 18558, falso sub Iun. 5], 166; Posse, l. c. p. 21, n. 255, 253, 254, 257.*

H. illustri regi Anglie et nobili viro Eadmundo nato eius.

Non solum ad vestram, sed etiam ad generalem et publicam totius mundi credimus pervenisse notitiam, qualiter quondam Fr. olim Romanorum imperator eiusque nati et posteri Romanam matrem ecclesiam sub diversitate temporum vexaverunt. Hii[1] etenim, aliorum persecutorum excedentes tyrampnidem, gravioribus eam affecerunt iniuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in cedem et exterminium eius tendentes, furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illam tribulavere flagellis et usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt, quoniam in hoc pravo genere, patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione, sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Et licet ecclesia eadem ubique locorum, ad que persecutorum ipsorum se extendit potentia, crudelissimas eorum persenserit punctiones, in regno tamen Sicilie, quod ad ipsam ecclesiam pertinet pleno iure, tanto duriores et asperiores persecutiones pertulit ab eisdem, quanto liberius iidem persecutores sunt in eo longis temporibus debacchati quantoque severius et atrocius inibi ante ipsius ecclesie oculos uteri sui filios oppresserunt, quia[2] nec etiam ecclesias nec personas ecclesiasticas ipsius regni earumque iura, libertates et bona draconum illorum preteriere furores, sed in hec eo exscanduere ferocius, quo quicquid ecclesiastico discernitur nomine, abhorruerunt odio graviori. Et ideo predicta ecclesia, memorato Fr. et Conrado ipsius nato sublatis de medio, ad regnum ipsum habens
Thren. 1, 2. materne compassionis affectum, quia[3] erant adhuc lacrime in maxillis eius et in vultu suo apparebat squalor diutine passionis, ardenti desiderio consurrexit, ut benignitatis sue lintheo lacrimas ipsas dilueret et squalorem dextera propitiante detergeret dictumque regnum ad optate salutis, libertatis solite pacisque solide statum plene reduceret et illud in eo firma stabilitate favente Domino preservaret.

Verum, quia regnum ipsum cum omnibus districtibus et pertinentiis suis erat ad eandem ecclesiam eiusque dispositionem totaliter devolutum, felicis recordationis Alexander papa predecessor noster dictum regnum, pro cuius recuperatione ipsa ecclesia importabilibus non parcendo sumptibus ac multorum laborum minime devitando tedia diutius laboravit, rem utique ipsi ecclesie inter cetera temporalia sua bona carissimam, tibi, fili E., preferendo te in hoc universis catholicis orbis terre principibus, liberaliter contulit sub certis conditionibus atque pactis, prout in apostolico privilegio super hoc obtento plenius continetur[4]. Et quia sincera et firma voluntas in dilectionis et operis prosecutione cognoscitur, cum huiusmodi negotium propter ipsius regni statum, nondum tunc in toto tranquillum, multo indigeret consilio et favore magnamque requireret sollertiam[a] et sustentationis fulcimenta non modica, valida defensionis munimina et indeficientis subsidii firmamentum: idem predecessor e diversis partibus magnificos instauravit exercitus deputavitque legatos ad prosecutionem ipsius negotii, ut posset illud Domino adiutore perducere ad statum honorabilem et quietum. Cumque idem negotium laudabiliter convalesceret et successibus prosperis firmaretur, tandem, quia quorundam proditorum[5], qui eidem ecclesie tunc fraudulenter adheserant, faciente nequitia inopinato casu extitit impeditum[6], propter quod tanto festinatius erat eidem succurrendum negotio, quanto tibi propinquius imminebat confusio et discrimen, dictus predecessor te, fili rex, pluries requisivit[7], tibi cum instantia persuadens, ut, quia predicta ecclesia erat ulterius ad ferendum tantum

---

a) soll. requ. R.

1) *Cf. p. 398, lin. 37 et n. 521.* 2) *Cf. t. II, p. 435, lin. 26.* 3) *Cf. p. 37, lin. 28.* 4) *A. 1255, Apr. 9; Potthast 15784.* 5) *Marchionum de Hohenburg; cf. Potthast 16018; Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 444—445.* 6) *A. 1255, Aug.; BF. 4652e.* 7) *Cf. Potthast 16018, 16229, 16405.*

pondus penitus impotens ac multis et gravibus debitis obligata, succursum cum omni festinantia prepararès, ita quod, omni difficultate ac tarditate remota, copiosa et strenua militia cum ydoneo capitaneo mitteretur pro conservatione quarundam terrarum ipsius regni[1], que adhuc in devotione ipsius ecclesie persistebant et per quas ad alias eiusdem regni partes liber haberi poterat transitus et processus. Sed qualiter hec, que memoratus predecessor tibi pro eiusdem negotii sustentatione ac promotione persuasisse dinoscitur, feceris, non ignoras; qualiter etiam negotium ipsum adiuveris ac super illo provideris, cunctis luce clarius innotescit, cum nec tuas nec aliorum curas et vires ad huius rei prosecutionem curaveris adhibere. Quinimmo sic ipsum negotium per te ac tuos omissum extitit, quod, eo tuis speratis et oportunis subsidiis non suffulto, predicte terre, per quas residuum ipsius regni recuperari poterat, adversarii eiusdem ecclesie, Manfredi videlicet quondam principis Tarentini, agressibus paruerunt; qui postquam regnum ipsum totaliter occupavit, sic[2] protinus in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit, quod de virtute divina non tremuit humanamque parvipendit potentiam, et honorem ecclesie ac libertatem hominum dicti regni tyrampnide furibunda depressit. De multiplicis etenim necessitatis angusto, in quo serpens iste latuerat, ad affluentis opulentie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rabido cepit ore regnum laniare prefatum, sicque in bona et personas ipsius anexia exarsit ingluvie, quod hec insatiabili rapacitate discerpens, illud, proh dolor! ferus plus fera qualibet fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem neque ordinem pretermittens. Propter quod multotiens dolorose suspirat et lacrimatur amare apostolica sedes, quod regnum iuris et proprietatis sue, carum quippe sibi, dira et dura Pharaonice oppressionis mole prosternitur nec sinitur pia et leni consolationis apostolice dextera relevari.

Expectans enim expectavit diutius[3], quod sublime regni Anglie solium strenuaque domus gentis Anglicane potentia, quam dictus predecessor in ipsius regni collatione specialiter honoraverat, apprehenderent arma et scutum et exurgerent in adiutorium matris sue dictumque negotium constanter assumerent, et prefatam ecclesiam liberando magnifice ab inimicis eius, qui in circuitu eius sunt, ac extrahendo predictum regnum eiusque populum de faucibus persequentis, iugum oneris eius et sceptrum exactoris eius magnificentius superarent. Sed huiusmodi expectatio et spes, quam in vobis sedes eadem posuit, nullum sibi prorsus commodum attulit vel profectum, quinimmo sedes ipsa huiusmodi spe frustrata multas et innumerabiles propter hoc iniurias et ignominias pertulit pluraque et inextimabilia sustinuit detrimenta. Dictus namque Manfredus, occupatione ipsius regni Sicilie non contentus, ad Anconitanam marchiam et quamplures alias terras de patrimonio ipsius ecclesie et demum ad quandam partem Tuscie, que Romano imperio subiacet, avidas et occupatrices manus extendens, memoratam ecclesiam diversis persecutionum generibus incessanter affligit adeo, quod eadem ecclesia, multis malis afflicta, diversis attrita molestiis ac variis flagellis oppressa, vix potest ab huiusmodi oppressionibus respirare, quoniam ex hoc libere pullullant hereses, cultus divini nominis dispendia minorationis incurrit, incendia urbium, depopulationes castrorum, strages Christianorum et quamplura alia abhominabilia committuntur, que divine oculos maiestatis offendunt, scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant et conculcant; nec potest ipsa ecclesia, invalescentibus eiusdem Manfredi viribus, oportunum super hiis remedium adhibere.

Nos igitur, postquam fuit nostris cervicibus apostolice iugum servitutis impositum, diligentius attendentes quod a predicto regno Sicilie omne malum ipsius ecclesie

1) *Terrae Laboris, quam Manfredus non ante aestatem a. 1256 sibi subiecit; BF. 4656e.* 2) *Cf. t. II, p. 434, lin. 25 et sequ.* 3) *Cf. n. 445 et 470.*

pandebatur et causa periculorum huiusmodi procedebat, considerantes etiam quod dicta Romana ecclesia per vos non potuit neque poterat, quod inviti referimus, a suis calamitatibus et erumpnis, quantumcumque vos diutius expectaverit, liberari, propter quod omnino expediebat tam nobis quam ipsi ecclesie de prefato regno Sycilie aliter cogitare, necessario disposuimus in animo nostro de regno ipso tractare ac ordinare utiliter, prout expedire honori et profectui predicte ecclesie videremus. Cumque huiusmodi nostre intentionis[a] propositum produceremus in actum, tu, fili rex, hoc intelligens id grave tulisti, sicut accepimus, et molestum: de quo eo vehementiorem admirationem in mente concepimus, quo pleniorem semper de te predicta ecclesia fiduciam habuit, quod in cunctis eius necessitatibus sibi potenter et patenter assisteres ipsiusque honorem et commodum non solum penes te sed etiam penes alios affectuoso studio procurares, sicut retroactis temporibus dinosceris id laudabiliter peregisse. Quia ergo liberum est nobis et ipsi ecclesie de predicto regno Sicilie disponere ac iuxta nostrum beneplacitum ordinare, cum condiciones, sub quibus regnum ipsum a prefato predecessore concessum extitit, adimplete non fuerint, sicut nostis, nos, intendentes omnino urgente ad id nos necessitatis articulo, in quo est predicta ecclesia hoc tempore constituta, de regno ipso, prout pensato moderno ipsius ecclesie statu expedire viderimus, providere, magnificentiam vestram de fratrum nostrorum consilio rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem vobis peccaminum nichilominus iniungentes, quatinus premissa omnia infra vestrorum claustra pectorum meditatione provida revolventes et gerentes ad predictam ecclesiam super tot eius angustiis, habito ad radicem veritatis in hac parte respectu, filialis compassionis affectum, nullum deinceps nobis et ipsi ecclesie super huiusmodi dicti regni negotio ingeratis impedimentum nullumque contradictionis obstaculum opponatis, sed ab illis penitus desistentes non solum permittatis nos et eandem ecclesiam libere de regno ipso tractare ac facere, sicut viderimus faciendum, verum etiam et verbis ostendatis et litteris, quod vobis non displicet, immo placet, si dicta ecclesia super ipsius regni negotio tractet cum aliquibus mundi principibus suamque possit de ipso regno conditionem facere meliorem, preces super hoc apostolicas taliter impleturi, quod regem regum constituatis exinde vobis propitium et benignum et predictam Romanam ecclesiam reddatis propter hoc vobis perpetuis temporibus in vestris oportunitatibus favorabilem adiutricem. Et ecce venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Cusentinum[1], virum utique experte prudentie ac examinate virtutis, cuius super hiis acquiescatis monitis et exhortationibus, propter hoc specialiter ad vos de ipsorum fratrum consilio destinamus[2].

Quod si forsan in dicto regno Sicilie per huiusmodi prefati predecessoris seu per quamcumque aliam concessionem sive collationem, si quam aliam vobis vel vestrum alteri de ipso regno a memorata sede apostolica vel eius nuntiis seu legatis factum fore asseritis[3], vel ex quacumque alia causa creditis vos aliquod ius habere, nos,

---

a) intentionis nostre *R.*

1) *Cf. n. 552.* 2) *Haec sunt ultima verba epistolae, quam Rymer l. c. ex authentico edidit. Extitit ergo alterum exemplar huius epistolae sequentibus verbis adauctum, quod eodem tempore iam exaratum [propter ordinem Regestorum], regi exhibendum erat, si ius in regno Siciliae se habere contenderet. Ep. n. 552 primo exemplari congruere videtur, cum in ea de citatione regis nihil reperiatur. A. 1263, Dec. 25 papa Alberto notario suo mandavit, ut si Carolus condiciones papales acceptare paratus esset, sibi rescriberet; incontinenti archiepiscopum Cusentinum ad ea exequenda processurum esse, quae eidem circa negotium regis Angliae iniuncta essent; Martène, Thes. t. II, p. 31 E et D; Potthast 18750. Ergo terminus regi tum praefixus non erat. 1264, Apr. 25 Henricus et Eadmundus citati erant; v. infra sub a. 1264, Apr. 25 et Mai. 7 et Potthast 19037. A. 1265, Iun. Henricus regno Siciliae renuntiavit; Rymer, l. c. t. I, p. 457.* 3) *Cf. n. 446.*

reservata nobis tractandi, disponendi et ordinandi de ipso regno, cum quovis alio principe vel alia quacumque persona maluerimus, nostra et eiusdem ecclesie libertate, de predictorum fratrum consilio apostolica vos auctoritate citamus, ut infra quatuor menses, a die receptionis presentium computandos, quos vobis pro peremptorio assignamus termino, per vos vel per personas ydoneas de toto negotio sufficienter instructas cum omnibus iuribus et munimentis vestris apostolico vos conspectui presentetis, proposituri ius vestrum, si quod vos in predicto regno Sicilie habere confiditis, ac facturi de illo fidem plenariam et iustam dante Domino sententiam recepturi. Expresse quoque predicimus et prenuntiamus aperte, quod, sive comparueritis sive non, nos extunc ad ius predicte ecclesie declarandum et perpetuum silentium hiis, quos in eodem regno Sicilie ius non habere constiterit, imponendum et ad pronuntiandum, decernendum et statuendum, quicquid super hoc eidem ecclesie ipsiusque honori ac libertati suadente iustitia expedire viderimus, constanter auctore Domino — vestra non obstante absentia — procedemus.

Dat. apud Urbemveterem, V Kalendas Augusti, anno IIº [1].

554.

Urbanus IV papa magistro Alberto notario suo mandat, ut [Bartholomaeum] archiepiscopum Cusentinum super negotio quod noverit salubriter instruat. 1263, Iul. 30.

Urb. IV Reg. Vol. I, 102; Lib. II, f. 55, ep. 159. Epistolam nos inde descripsimus.
Posse, l. c. p. 22, n. 260; BFW. 9343.

Magistro Alberto notario nostro.

Ecce venerabilem fratrem nostrum . . archiepiscopum Cusentinum, virum utique experte prudentie et examinate[a] virtutis, in Franciam et in Angliam mittimus pro negotio, quod tu nosti [2], discretioni tue per apostolica scripta mandantes, quatinus eundem archiepiscopum, communicatis sibi hiis que super commisso tibi ab apostolica sede negotio facere te continget, salubriter instruas et utiliter dirigas, sicut honori Romane ecclesie et promotioni dicti negotii tibi commissi videris expedire.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Augusti, anno II.

555.

Urbanus IV papa fratri Mansueto capellano et poenitentiario suo et Sigerio de Sassecta marescalco suo mandat, ut paci inter Pisanos et Lucanos reformandae insistant. — Pisanos excommunicatos monet, ut a congregando contra Lucanos exercitu totaliter desistant et exhortationibus praedictorum nuntiorum aures praebeant. 1263, Iul. 30.

Urb. IV Reg. Vol. I, 105; Lib. II, f. 58, ep. 179 et 180. Primam epistolam nos inde descripsimus, alteram damus ex exemplari, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 497, n. 85 edidit, collato cum Regestis.
Potthast, Reg. 18612 et 18613; BFW. 9345; cf. 9344.

---

a) *litt.* minate — Fran *in loco raso.*

1) *Eodem die regi Angliae gratulatus est ex morbo recreato; Lib. II, 165; Potthast 18602. Gratiae ei factae etiam ap. Potthast 18234, 18426, 18651 = Lib. III, cur. 10.* 2) *Cf. n. 552 et 553.*

I.

Fratri Mansueto capellano et penitentiario[1] et nobili viro Sigerio de Sassecta[2] marescallo nostris[3].

Receptis vestris litteris et perlectis, ecce nostras tam ad Pisanos quam Lucanos litteras mittimus, sicut vos nobis in eisdem vestris litteris suasistis. Ideoque volumus et presentium vobis auctoritate mandamus, quatinus commisso vobis pacis tractatui diligentius et ferventius insistatis, rescribentes nobis frequenter statum negotii et quicquid super hoc facere vos continget.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Augusti, anno II°.

II.

..potestati, ..capitaneo, anzianis, consilio et communi Pisanis spiritum consilii sanioris.

Cupientes inter vos et cives Lucanos pacis et concordie federa ad laudem et gloriam divini nominis reformari, nuper dilectos filios fratrem Mansuetum ordinis Minorum, capellanum et penitentiarium nostrum, et nobilem virum Sigerium de Sassecta marescallum nostrum ad vos tamquam pacis angelos propter hoc specialiter duximus destinandos. Verum quia postmodum intelleximus, quod dicti cives Lucani tamquam exasperati ex hiis, que a vobis hiis temporibus pertulisse noscuntur, ad impugnationem et obsidionem Castri Aginulfi Lunensis diocesis, quod possidere dicimini, hostiliter processerunt, quodque vos hac de causa commoti contra civitatem Lucanam iterato exercitum congregatis: nos, toto mentis desiderantes affectu, ut omne removeatur obstaculum, per quod bonum pacis valeat quomodolibet impediri, ecce dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, anzianis, consilio et communi Lucanis nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis[4], ut statim, eisdem receptis litteris, sicut nostram et apostolice sedis caram habent gratiam, ab ipsius castri obsidione ac impugnatione recedant et ad propria revertantur. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus et vos etiam, attendentes quod si dicti Lucani provocati a vobis, ut nostis, fecerunt aliquid, quod vobis forte displicuit, non multum debetis hoc ad animum revocare, ob reverentiam apostolice sedis et nostram ab huiusmodi congregatione exercitus totaliter desistatis nullamque inferatis predicte civitati Lucane molestiam vel offensam, sed omni rancore deposito tractatui pacis, quem iam per dictos penitentiarium et marescallum inchoatum esse credimus, ferventius et diligentius insistere studeatis, prebentes eorum super hoc exhortationibus[a] efficaciter aures vestras, ita quod regem pacificum constituatis vobis exinde propitium et benignum nosque reddatis exinde ad procuranda vestra spiritualia et temporalia commoda promptiores.

Dat. ut supra[5].

---

a) exhortationibus — aures *in loco raso alia tinctura arte scriptum.*

1) *Cf. p. 391, not. 2.* 2) *Ex sept. civ. Piombino.* 3) *De his, ad Pisanos missis, cf. Lib. II, 147 et 148; Potthast 18586 et 18591. A. 1263, Iul. 15 Crasso canonico Pisano mandavit, ut potestati et consiliariis Pisanis inhiberet, ne O[ttonem Gualducii; cf. Potthast 18591] ad aliquod civitatis officium assumerent vel eum saecularibus occupationibus involvere praesumerent; Lib. II, 149; Posse p. 21, n. 246.* 4) *Cf. n. 556.* 5) *Cf. n. 559.*

556.

Urbanus IV papa Lucanis mandat, ut ab obsidione Castri Aginulfi, quod Pisani detineant, recedant, ita ut inchoatus iam inter ipsos et Pisanos tractatus pacis felicem exitum habeat. *1263, Iul. 30.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 106; Lib. II, f. 59, n. 181. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meyuke Posse, l. c. p. 22, n. 262; BFW. 9344.

..potestati, ..capitaneo, anzianis, consilio et communi Lucanis[1].

Intendentes ad laudem et gloriam divini nominis pacis vobis commoda procurare, libenter et diligenter omne removeri vellemus obstaculum, per quod tantum bonum posset quomodolibet impediri. Ecce itaque, dilecti in Domino filii, cum noster animus de vestre civitatis honore ac exaltatione sollicitus cogitationes pacis et concordie inter vos et Pisanos auctore Domino reformande attentione vigili cogitasset et certas personas ad hoc ydoneas ad civitatem Pisanam et ad vos etiam specialiter misissemus, subito ad nostrum pervenit auditum, quod procurante humani generis inimico, qui est divisionum actor, fraterne pacis emulus et tranquilli status fidelium anexius persecutor, et vos ipsi collectis undique vestre potentie viribus ad expugnationem et obsidionem Castri Aginulfi Lunensis diocesis, quod iidem Pisani detinent, hostiliter processistis et dicti Pisani contra vos et civitatem vestram iterato exercitum congregant et instaurant. Super quo eo vehementius nostra conturbata sunt viscera, quo ferventius affectamus, ut inter vos et eosdem Pisanos pacis federa reformentur, ita quod vos, qui estis tot guerrarum et bellorum insultibus macerati, possitis a vestris angustiis et vexationibus respirare. Cum igitur toto mentis desideremus affectu, ut vos, qui potastis hactenus discordiarum absinthium, dulcem et amabilem pacis fructum nostris saltem felicibus[a] temporibus auctore Domino degustetis, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, mandantes quatinus attendentes provide, quod si dictum castrum vos obtinere ac tractatum pacis effectum habere contigerit, illud vos restituere penitus oporteret, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, statim receptis presentibus ab impugnatione et obsidione predicti castri sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo recedentes ad propria redeatis, ita quod inchoatus iam super negotio pacis tractatus favente Deo processum prosperum et exitum valeat habere felicem. Nos enim communi et populo Pisanis nostris sub certa forma damus litteris in mandatis, ut ab huiusmodi exercitus congregatione omnino desistant nullamque vobis et civitati vestre inferant molestiam vel offensam. Taliter igitur precamina et mandata super hoc nostra implere curetis, ut nos, devotionis vestre promptitudinem dignis in Domino laudibus merito commendantes[b], vos amatores et sectatores pacis et concordie censeamus.

Dat. ut supra[2].

---

a) felicibus *alia tinctura superscr.* b) commendantes *in loco raso.*

1) *Cf. n. 555.* 2) *A. 1263, Iul. 30 magistro Gualoni, notario suo, apostolicae sedis legato, Iul. 31 priori fratrum Praedicatorum in Tuscia mandavit, ut apud Lucanos de hac re insisterent; Lib. II, 183 et 182; Potthast —, 18614; Posse p. 22, n. 264 et 263.*

557.

Urbanus IV papa dominos de Arrone et de Castro Lacus sub protectione sua suscipit, promittens, si Spoletani ad gratiam apostolicam admittantur, se ipsos in pace positurum esse. *1263, Iul. 31.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 105; Lib. II, f. 58, n. 178. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Meynke. Posse, l. c. p. 23, n. 275; BFW. 9347.

Nobilibus viris dominis de Arrone et de Castro Lacus, fidelibus nostris[1].

Quia vos castrum Peroculi[2] Spoletane diocesis, quod per vos hactenus tenebatur, in nostris manibus liberaliter resignastis, nos, in eodem castro ydoneis et fidelibus custodibus iuxta nostrum beneplacitum deputatis, personas vestras cum omnibus castris et aliis bonis vestris suscipimus sub protectione apostolice sedis et nostra, volentes quod vobis iura vestra in castro ipso integra et illibata serventur, iure Romane ecclesie semper salvo; nec castrum ipsum Spoletanis restituemus eisdem[a], si eius restitutionem iustitia prohibebit. Si vero contigerit nos Spoletanos ipsos velle ad gratiam nostram et dicte sedis admittere, vos cum eisdem Spoletanis in concordia et pace ponemus: et in pactis seu condicionibus, sub quibus dictos Spoletanos ad huiusmodi admittemus gratiam, continebitur specialiter et expresse liberatio nobilium virorum Anselmi et Malgerii aliorumque de Arrone et de Castro Lacus et etiam de terra monasterii de Ferentillo, quos iidem Spoletani detinent captivatos, nec non et restitutio bonorum, que vos habetis ac vobis in civitate et districtu Spoletanis de iure competere dinoscuntur. Super castro autem Montisfranci[3] predicte diocesis, in quo vos, domini de Arrone, ius habere asseritis, exhibebimus vobis iustitie complementum. Nulli ergo — nostre protectionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Augusti, anno II°[4].

558.

Urbanus IV papa decernit tam Ricardum comitem Cornubiae quam [Alfonsum] regem Castellae in litteris apostolicis nominandum esse 'in Romanorum regem electum', et exponit, quibus de causis id fieri debeat. *263, Aug. 7.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 120; Lib. II, f. 73, ep. 220. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1263, § 40—42, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18619; BFW. 9348.

---

a) *Cum Spoletani in antecedente parte epistolae commemoratae non sint, initium epistolae in Reg. deesse videtur.*

1) *Cf. n. 550.* 2) *Perocchio prope Spoletium. A. 1263, Aug. 4 papa universis hominibus terrae monasterii de Ferentillo ac ceteris ecclesiae Romanae fidelibus per circumadiacentes eiusdem terrae partes mandavit, ut fratri Raymundo militiae Templi latori praesentium ad defensionem eiusdem castri, cuius custodia ei commissa esset, intenderent; Lib. II, 191; Posse p. 23, n. 278. Cf. Vallicoloris V. Urbani IV ap. Muratori SS. t. IIIb, p. 412C.* 3) *E mer. civ. Spoletanae.* 4) *A. 1263, Aug. 20 dominis de Arrone, cum castrum de Arrone communi Spoletano vendere disponerent, sub poena 5000 marcarum argenti inhibuit, ne castrum, quod ab ecclesia Romana tenerent in feudum, alienarent; magistro Guillelmo canonico S. Antonini Placentini, capellano suo, mandavit, ut id inhiberet; Lib. II, 201 et 202; Posse p. 22, n. 271 et 272. Aug. 21 potestates, consilia et civitates Reatinorum et Interamnensium ac de Nursia et Cassia et homines terrae monasterii de Ferentillo ceterosque vallis Spoletanae monuit, ut eundem Guillelmum adiuvarent ad defendendos dominos castri de Arrone contra hostiles insultus Spoletanorum; Lib. II, 203; Potthast 18626.*

Diffinitio inter fratres super nominatione electorum in imperatorem.

Ordinato nuper imperii negotio[1], prout consideratis diligenter petitionibus partium vestrisque consiliis credidimus expedire, dubitatio incidit, quo titulo uterque ad idem imperium electus in nostris litteris sit censendus. Pro parte siquidem dilecti filii magnifici viri Riccardi comitis Cornubie dicebatur ipsum in eisdem litteris in Romanorum regem electum et coronatum nominari debere, cum per felicis recordationis Alexandrum papam predecessorem nostrum[2] et a nobis[3] etiam in quibusdam nostris litteris ad ipsum, licet super alio directis negotio, sic extiterit nominatus; sicque, cum iam sit in possessione vel quasi huiusmodi tituli, non potest de cetero ei talis titulus sine iniuria detrahi nec est aliquatenus detrahendus, presertim cum nonnulli ex vobis tempore predecessoris eiusdem super hoc deliberatione prehabita ipsum taliter nominarint; carissimo autem in Christo filio nostro . . regi Castelle illustri pro eo non deberi talis titulus videbatur, quia idem rex nec quoad hunc titulum, cum numquam per papales litteras taliter intitulatus extiterit, nec quoad alia fuerit in aliquo possessionem vel quasi regni Alemannie assecutus; nec debet status pendentis negotii cum alterutrius partis preiudicio immutari.

Pro memorato vero rege Castelle suggerebatur e contra nullo modo comiti memorato, sed ipsi regi regni Alemannie titulum ascribendum, cum plures de principibus electoribus vota sua direxerint in regem eundem et ipsum ad predicta regnum et imperium legitime duxerint eligendum, prefato vero comiti nec per electionem, que de ipso facta dicitur, cum nulla fuerit, in regno et imperio supradictis nec per superius allegata pro ipso in regio titulo sit ius aliquod acquisitum: littere namque dicti predecessoris nullum sibi quoad regium titulum ius dederunt, cum sint littere placentia quedam, ne dicamus adulatoria, non diffinitionem aliquam continentes; quod etiam ex eo apparet, quia licet super hoc per ipsum predecessorem et fratres suos fuerit interdum deliberatio habita, numquam tamen fuit aliquid diffinitum; et ideo non est verisimile, quod per dictas litteras voluerit super eodem aliquid diffinire.

Unde per easdem litteras nulla necessitas nobis indicitur observandi, quod continetur in eis, vel ipsius predecessoris in hoc vestigiis inherendi. Nec littere nostre, si etiam ut dicitur processerunt, ad id aliquid operantur, tum quia non super imperii negotio, sed super quadam pecunie quantitate, que ab ipso comite venerabili fratri nostro . . Portuensi episcopo[4] debita dicebatur, confecte dicuntur, propter quod super alio fidem non faciunt nec ius tribuunt, sicut per instrumentum super alio confectum, in quo vir et mulier se coniuges nominant, matrimonium non probatur, tum quia si data[a] earundem litterarum, si forsan appareant, attendatur, aperte liquebit, quod eo tempore transierunt, quando nos, qui non fueramus de collegio cardinalium, super[b] huiusmodi negotio non eramus nec esse poteramus instructi. Cardinalium etiam quorundam littere, per quas ipsi comiti sub regio nomine scriptum fuisse dicitur, nequaquam in hoc suffragari videntur eidem, cum non fuerint[c] habita communi

---

a) *litt.* a ea *in loco raso.* b) super — Cardinalium etiam *in loco raso.* c) cum non fuerint *in loco raso.*

1) *Scil. quomodo curia in hoc negotio procedere deberet; cf. p. 542, not. 1.* 2) *Potthast 17512, 17549; BFW. 9189.* 3) *Sed cf. n. 517.* 4) *Iohanni, qui antea tit. S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, inter a. 1262, Apr. 1 et a. 1263, Ian. 9 episcopus Portuensis factus est; Potthast p. 1541. Hic in epistola, data Viterbii Urbani a. I, Ricardum 'regem Romanorum' appellaverat; quem per regem Angliae monuit, ut nuntio suo de expensis satisfaceret, quas subiisset ad obtinendam Ricardo dignitatem senatoriam; Rymer, Foedera t. I, p. 410; cf. Potthast 18621. De alia epistola eius Ricardo directa cf. BFW. 11828. Epistola papae non superest.*

deliberatione nec de omnium consensu concesse; quod etiam ex eo apparet, quod non omnium cardinalium sed aliquorum tantummodo sigilla eisdem litteris fuisse dicuntur appensa.

Cum igitur ex predictis predecessoris, nostris vel cardinalium litteris nullum sit dicto comiti circa titulum, de quo agitur, ius vel possessio acquisita, nulla dici posset iniuria vel detractio fieri, si de cetero in litteris dirigendis ad eum idem titulus minime poneretur, nec status instantis negotii censeri posset in ipsius comitis preiudicium immutari, si predicto regi, qui, sicut predicitur, propter electorum pluralitatem potior allegatur in iure, adderetur electi titulus, cum rei veritate concurrens. Sed allegatio immutationis huiusmodi eidem comiti potius efficaciter videtur obstare, pro eo quod ascriptio tituli, quam per litteras dicti predecessoris, nostras[a] et cardinalium sibi factam allegat, pendente negotio, non cognitionaliter nec partibus constitutis cominus, facta fuit. Nos itaque, hiis et aliis, que circa hec moveri[b] poterant, plene discussis, auditis quoque vestris consiliis, ut lignum in medio paradisi positum veraciter presentemus, medium decrevimus eligendum nec subinclinari ad dexteram vel sinistram. Et ideo, cum tam memoratus comes quam prefatus rex electi fuerint, nos[c] veritatem sequentes sine alterutrius partis preiudicio utrumque ipsorum decrevimus in nostris litteris nominandum in Romanorum regem electum[1].

Actum apud Urbemveterem, VII Idus Augusti, anno II°.

559.

Urbanus IV papa magistro Alberto notario suo et Karolo comiti Andegaviae et Provinciae nuntiat se Florentinos fautores Manfredi, quia cum Pisanis, Senensibus et Pistoriensibus exercitu congregato contra Lucanos devotissimos processerint, anathematizasse et debitoribus eorum inhibuisse, ne debita eis restituant; mandat, ut pannos et res alias omnium praedictorum infidelium in Francia empta, quae sub signo civium Romanorum mittantur, arrestent usque ad beneplacitum papale. *1263, Aug. 9.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 111; Lib. II, f. 64, ep. 199. Epistolam nos inde descripsimus. Posse, l. c. p. 22, n. 270; BFW. 9349.

Magistro Alberto notario nostro et nobili viro Karolo Andegavie et Provincie comiti.

Olim in die cene Domini proximo preterito[2] cives Florentinos, qui civitatem Florentinam hoc tempore detinent[3], presente tunc fideli populo manifeste monuimus, ut usque ad sequens tunc festum ascensionis Dominice[4], quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni favore, quem impendunt Manfredo quondam principi Tarentino, persecutori ecclesie manifesto, desistere ac ad mandatum ecclesie redire curarent, aperte predicentes eisdem, quod si nostris super hoc non acquiescerent monitis et preceptis, nos ad faciendum arrestari bona ipsorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem predictam spiritualiter et temporaliter, prout videremus expediens, procedere curaremus. Set quia iidem cives infra predictum terminum redire ad mandatum ecclesie non curarunt, nos, licet de iure potuissemus

---

a) nostram *R.* b) movere *R.* c) *litt.* erint nos *in loco raso.*

1) *Sed adhuc a. 1263, Aug. 11 Urbanus Ricardum 'in Romanorum regem electum et coronatum' appellavit; Martène, Thes. t. II, p. 27, n. 12; Potthast 18621; cf. p. 541, not. 1.* 2) *Mart. 29.* 3) *Cf. n. 547.* 4) *Mai. 10.*

procedere contra eos, volentes tamen adhuc benignius et clementius agere cum eisdem, memoratos cives Florentinos in predicto festo ascensionis Dominice, presente tunc fidelium multitudine copiosa, iterato monuimus, ut usque ad festum apostolorum Petri et Pauli proximo preteritum[1], quod similiter pro peremptorio eis assignavimus termino, ab omni eiusdem Manfredi favore desisterent et humiliter ad mandatum et devotionem ecclesie predicte redirent; firmiter insuper eis duximus inhibendum, ne contra civitatem Lucanam sedis apostolice devotissimam exercitum congregare et adversus illam eiusve territorium seu districtum procedere quomodolibet attemptarent[2]. Prediximus quoque ipsis, quod nisi ab eiusdem Manfredi favore desisterent et redirent ad mandatum ecclesie infra terminum supradictum vel si contra huiusmodi inhibitionem nostram facere vel venire presumerent, nos ad faciendum capi bona et personas eorum, ubicumque invenirentur, et alias etiam contra ipsos et civitatem ipsorum durius et asperius spiritualiter et temporaliter procederemus, prout expediens videremus. Set quia iidem cives Florentini, monitis nostris omnino contemptis, infra huiusmodi terminum ab ipsius Manfredi favore desistere ac redire ad mandatum et devotionem ecclesie non curarunt, quinimmo contra inhibitionem nostram temere veniendo, adversus predictam civitatem Lucanam exercitu congregato una cum maledictionis filiis Pisanis civibus, perfidis Senensibus et protervis Pistoriensibus et quampluribus aliis eorum complicibus hostiliter procedere presumpserunt, eius territorium et districtum ignis incendio et aliis diversis depopulationum generibus devastando: nos, nolentes eorum iniquitatibus indulgere, prefatos cives Florentinos propter huiusmodi eorum presumptuosam contumaciam et contumacem presumptionem excommunicationis et anathematis vinculo duximus innodandos, universis et singulis eorum debitoribus et omnibus de bonis ipsorum habentibus, undecumque et cuiuscumque status, conditionis et dignitatis existerent, astante tunc fideli populo de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica sub pena excommunicationis districtius inhibentes, ne ipsis civibus Florentinis aliqua de debitis et bonis huiusmodi in parte vel in toto restituant sine mandato nostro vel licentia speciali, faciente plenam et expressam de inhibitione huiusmodi mentionem; sed illa tamquam arrestata tamdiu detinere procurent, donec aliud eis de debitis et bonis huiusmodi duximus iniungendum. Manifeste insuper prediximus, quod nisi dicti cives Florentini usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis proximo venturum[3], quod pro peremptorio eis prefiximus termino, ab omni prorsus eiusdem Manfredi[a] favore desisterent et ad mandatum ecclesie humiliter ac devote redirent, nos mandaremus extunc venerabilibus fratribus nostris universis patriarchis, archiepiscopis et episcopis ceterisque ecclesiarum prelatis, necnon principibus, ducibus, marchionibus, comitibus et baronibus, ac potestatibus, capitaneis, consulibus, consiliis et communitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum ubilibet constitutis, ut personas eorundem Florentinorum civium, quarum arrestationem apostolica tunc benignitate suspendimus, necnon et bona illorum in terris eorum dominio et iurisdictioni subiectis existentia caperent et detinerent, donec intimaremus eis nostre super hoc beneplacitum voluntatis, et nichilominus tam personas quam bona huiusmodi exponeremus libere tam ipsis quam ceteris fidelibus occupanda, et alias etiam ad duriora, graviora et asperiora contra ipsos et civitatem eorum spiritualiter et temporaliter, prout eorum protervia exigeret et videremus expediens, procedere curaremus.

Verum quia, sicut intelleximus, dicti cives Florentini, de huiusmodi nostra comminatione perterriti, ad hoc, ut pannos et alias res eorum, quos[b] nuper in nundinis

---

a) eidem Manfr. *R.* b) *ita R.*

1) *Iun. 29.* 2) *Cf. n. 555 et 556.* 3) *Aug. 15.*

Francie emisse noscuntur, possint sine impedimento ad terras sub predicti Manfredi dominio constitutas facere asportari et ut huiusmodi res et panni nullatenus arrestentur, pannos et res eosdem signari fecerunt signo civium Romanorum et aliorum Romane ecclesie devotorum, ut sub illo panni et res huiusmodi transeant incogniti penitus et intacti: nos, eorum fraudibus apostolica sollicitudine obviare volentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel alter vestrum omnes pannos cunctasque res et merces non solum predictorum Florentinorum sed etiam Senensium, Pistoriensium et Pisanorum civium et generaliter omnium de Italia arrestetis et arrestari faciatis, ac pannis et rebus ac mercibus infidelium a devotorum pannis, rebus ac mercibus cum omni diligentia separatis et illis, que inveneritis esse devotorum atque fidelium, dimissis libere, pannos, res et merces predictorum infidelium[a] tamdiu detineatis et faciatis etiam detineri, donec nostrum super hoc beneplacitum vobis duxerimus intimandum. Tu autem, fili magister Alberte, contradictores, si qui[b] super hoc fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas — non obstante si personis aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, plenam et expressam non facientes de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Augusti, anno II°.

In eundem modum nobili viro Raynerio Zeno duci Venetorum. Olim in die cene Domini etc. usque: ad hoc, ut pannos et res alias eorum, quos[c] emunt in civitate ac districtu Venetorum etc. usque: signari faciunt signo fidelium et Romane ecclesie devotorum etc. usque: civium arrestes et facias arrestari et tamdiu detineri, donec nostrum etc. usque: intimandum. Contradictores autem etc. usque: rebelles, potestate tibi tradita appellatione remota compescas.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Augusti, anno II°[1].

560.

Urbanus IV papa Ricardo in Romanorum regem electo scribit: ecclesiam iudicis partes super negotio imperii assumere ideo distulisse, quia nuntii tam ipsius quam A[lfonsi] examen et Alexandri IV et Urbani usque ad haec tempora expresse declinaverint; novissime vero procuratores partis utriusque, postquam iura, quae utraque circa

---

a) predictorum infidelium *in loco raso arte scriptum.* b) tradictores, si qui *in loco raso.* c) eorum, quos *in loco raso.*

1) *A. 1263, Aug. 5 papa statuit, ut nominati cives Florentini, qui ad ecclesiam rediissent, praedictis sententiis non subiacerent; Lib. II, 224; Posse p. 22, n. 267. Idem permultis aliis nominatis Florentinis postea concessum est; Lib. II, 225 et 226; Posse n. 268, 269; cf. Potthast 18632; BFW. 9353; Lib. III, 13, 14, 31—33, 50, 66, 68, 104, 160—164, 173, 303; cf. etiam 121—124, 139 et infra sub a. 1264, Mai. 28. — Similem processum contra Pistorienses habitum papa a. 1264, Apr. 30 narravit, quosdam cives ad ecclesiam reversos a sententiis latis eximens; Lib. III, 159; Posse p. 31, n. 383. Similiter pro aliis Pistoriensibus Lib. III, 295 et 304; Posse n. 428 et 432. — Lib. II, 137 sub a. 1263, Mart. 6 leguntur 'conditiones et pacta habita inter Rom. ecclesiam et Senenses morantes extra civitatem Senensem': papa permultos nominatos cives, qui per nuntium specialem de parendo ecclesiae iuramentum praestitissent, absolvit, promittens inter alia se mandaturum, ut in civitatibus et locis fidelium et praecipue in burgo Radicofani reciperentur; si vero civitas Senensis ad ecclesiam reditura esset, se inter eos et Lucanos et Guelfos de Florentia honorificae pacis consilia cogitaturum esse; Posse p. 18, n. 215. De absolutione aliorum Senensium Lib. III, 114 [Posse p. 29, n. 354] et 135. A. 1263, Iun. 4 statuit, ut bona Senensium usque ad decem milia marcarum publicarentur; Lib. II, 115; Posse p. 20, n. 235; cf. Lib. II, 116 et 117; Potthast 18556 et 18557; cf. p. 494, not. 1 et infra sub a. 1264, Ian. 25 et Iul. 18.*

imperium habere contendat, exposuerint, ad subeundum iudicium papale se paratos declarasse; ideoque citat Ricardum, sicut A[lfonsum], ut secundo mensis Maii proximi per procuratores idoneos apud sedem apostolicam compareat. *1263. Aug. 27.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 111–116; Lib. II, f. 67–69, ep. 212 et 213. Primam epistolam damus ex Raynaldi Ann. eccl. a. 1263, § 46–52, alteram ex Pertzii apographo, utramque cum Regestis denuo contulimus. Eas ex minutis registratas esse apparet; nam in ep. I aliquot locis superscriptum est, quae verba in epistola Alfonso mittenda immutari deberent. Cum autem partes quoque eiusdem epistolae alio ordine disponendae essent, forma abbreviata ep. II insuper confecta est.

Potthast, Reg. 18631; falso sub Aug. 31; BFW. 9354, 9356.

I.

Carissimo in Christo filio Riccardo in Romanorum regem electo.

Qui celum terramque regit, is nimirum celi novit ordinem et in terra potest celestis ponere ordinis rationem. Is exempla de superioribus ad inferiora derivans, sicut in firmamento celi duo luminaria magna constituit, ut mundum vicibus suis illustrent, sic et in terris maxima dona sua, sacerdotium videlicet et imperium, ad plenum spiritualium mundanorumque regimen, ad firmamentum ecclesie universalis instituens, utriusque potestatis ita discrevit officia, ut eorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat, sed in commissi executione regiminis ex officii debito in voti unitate concordet, et ipsorum proculdubio profutura concordia, alterutrius alternis[a] fulta presidiis ac utriusque mutuis fota favoribus, opus iustitie liberius operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens et nutriens unitatem. Imperium siquidem ad salutem sacerdotali auctoritate dirigitur et ipsius adiutum suffragiis, sedatis procellosis interdum imminentium tempestatum turbinibus, tranquillum redditur et quietum. Sacerdotium vero pium et tutum habere debet refugium imperialem mansuetudinem, cum sua veneratione coniunctam, ut imperii Romani fastigio presidens specialis advocati et defensoris precipui circa ecclesiam gerat officium, et in ipsius fortitudine brachii defensentur ecclesie libertates et iura manuteneantur ipsarum, extirpentur hereses, cultus Christiane fidei amplietur, et inimicis consternatis eiusdem in pacis pulchritudine sedeat populus Christianus et in requie opulenta quiescat. Verum humani generis inimicus, pacis impatiens, amator litium, discordie seminator, utriusque profectibus invidens, clare memorie Willelmo Romanorum rege rebus humanis exempto inter te et carissimum in Christo filium nostrum A. regem Castelle ac Legionis illustrem in Romanorum regem electum circa obtinendam eiusdem imperii dignitatem contentionis materiam suscitavit, ut vobis circa hoc contendentibus careret imperialis regiminis commodis orbis terre, et tanti brachii, tam utilis, tam necessarii, tam cari, carentiam ex ipsius imperii vacatione diutina molestam admodum et nocivam dampnosa experientia ecclesia predicta sentiret. Sensit utique, sensit mater ecclesia tam populi sibi commissi quam suam gravem de huiusmodi[b] contentione iacturam: crevit namque perversorum audacia, et ipsorum habundante malitia, dum eodem vacante imperio ipsi ecclesie defensionis debite suffragia subtrahuntur, liberius peccatis insistitur, hereses pullulant, scandala suscitantur, multiplicantur cedes et strages, iniurie invalescunt, in persecutionum turbinibus Petri navicula fluctuat, et interdum, qui fidelium ipsius censeri nomine gloriantur, in arcum perversum, fidei debitum non ser- Ps. 77, 57.
vando, conversi eam in suis iuribus iniuriose impetunt et molestant, illa nunc denegando pro libito, nunc illicite occupando. Propter quod eadem ecclesia non immerito huiusmodi vacationem deplorat imperii et de animarum periculis, que peccandi liber-

[a]) alterutrius alternis *in loco raso.* [b]) huius *R.*

tas ingerit, ex intimis longa trahens suspiria ingemiscit. Ex eo insuper quam dure, quam graviter materna eius viscera quatiuntur, quod ipsa[a], tam caros filios, tam inclitos principes in suo sentiens utero collidentes, prudenter advertit tuam et predicti regis[b] potentiam, in Christi blasphemos et inimicos nominis Christiani potenter et magnifice more solito exercendam, in proprium et grande domesticorum fidei detrimentum talibus contentionibus implicari.

Hec igitur et alia incommoda dissensionis huiusmodi eadem ecclesia materno pensans affectu, in hiis auxilii sui dexteram non subtraxit, sed vigilavit attentius, attentione sollicita vigilanter intendit multaque sollicitudine pervigil laboravit, ut discriminibus tantis occurreret teque ac ipsum regem[c] a discordiarum dispendiis preservaret. Et licet inter vos iudicis partes assumere distulerit, pro eo maxime quod tam tui quam ipsius regis[d] nuntii in recordationis felicis[e] Alexandri pape predecessoris nostri, nostra et fratrum nostrorum presentia constituti super predictis iudiciarium apostolice sedis examen expresse usque ad hec tempora declinarint[1]: dilationem tamen huiusmodi illa etiam utilitatis utriusque partis consideratio et paterne pietatis cautela, pro vobis consilium capiens, persuasit, ut vestris animis habilitatis interim ad reformanda inter vos amicitie federa congruentia tempora captarentur et remedia promptiora paterent, per que discordie occasione sublata vos glutinum solide caritatis uniret, ac in vestre soliditate concordie, quam tractatus, qui super hoc inter vos dicebantur haberi, promittere videbantur, sub sui principis ducatu pacifico daretur eidem sabatismus imperio, et sedatis scandalis ipsius subditis quietis optate iocunditas proveniret, pestis exterminaretur heretica, animarum pericula vitarentur, ecclesia imperiali munita presidio et ab hostilibus erepta persecutorum incursibus respiraret ac eorum, qui sub simulate fidelitatis audacia nocent fidentius, temeraria nocendi confidentia refrenata suorum iurium integritate gauderet. Hec quidem hactenus expectavimus anxii; hec desideravimus anxia expectatione diutius; in hiis predecessoris, nostra et fratrum ipsorum sollicitudo non defuit, secundum apostolice circumspectionis iudicium de contingentibus nil omittens. Et quamquam, ut votis nostris satisfieret in hac parte, hucusque non fuerit ex alto concessum, tamen ad id semper nostra suspiravit intentio, ad id plenis desideriis anxiamur, non proponentes a ceptis desistere,
Iob 5. 9. quin circa negotium huiusmodi sub spe illius, qui facit magna et inscrutabilia, qui facit concordiam in sublimibus, prosequi pacis semitas intendamus, quicquid per nuncios et procuratores partium coram nobis novissime hiis diebus propositum, petitum fuerit et responsum.

Et quidem venerabilis frater noster Laurentius episcopus et dilecti filii Willelmus archidiaconus Roffenses[2] ac Robertus de Baro[3], procuratores et nuntii tui, a te plenariam potestatem habentes, ut in nostro consistorio tua[f] proponerent negotia, et peterent cum sollempnitate, qua conveniret, vocationem tuam[g] sollempniter ad coronam, ac universa et singula circa hec gererent, agerent fideliter ac procurarent, que per veros nuntios ac procuratores ad hoc specialiter deputatos legitime possent agi, peti et etiam procurari[4], quibusdam consuetudinibus prelibatis, quas servandas in electione

a) *adscriptum est signum* ·/; *ad idem signum in marg. additum est:* al' eadem ecclesia. b) al' electi *superscr.* c) al' electum *superscr.* d) al' eiusdem electi *superscr.* e) fel. rec. *R.* f) al' eiusdem *superscr.* g) al' suam *superscr.*

1) *Cf. n. 517.* 2) *Desunt hoc loco verba:* et Guillelmus de Corneria capellani nostri; *v. infra ep. II.* 3) *De hoc cf. n. 443 et 461 et BFW. 9196.* 4) *In altero exemplari huius epistolae non registrato [Potthast 18635] papa hoc loco narravit consuetudines, quas nuntii Ricardi in electione regis Romanorum observandas et in electione Ricardi observatas esse contendissent, et ibidem infra ea quoque, quae nuntii Alfonsi asseruissent, fusius proposuit; quae omnia ex libellis partium papae porrectis ad*

Romani principis asserebant, proposuerunt inter cetera tam per electionem, de te[a], ubi, quando et a quibus debuit, legitime celebratam, quam per consensum tuum[b] in ipsa, et per unctionem, coronationem, inthronizationem in sede magnifici Karoli et alia subsecuta tibi[c], electo predictis[d] consuetudinibus observatis, et nulli alii plenum ius, quoad proprietatem et possessionem, in prefatis regno et imperio acquisitum ac regium[e] nomen et imperii diadema indubitate deberi; et supplicaverunt instanter ac inter alia humiliter petierunt tibi[f] et huiusmodi nomen ascribi et te[g], per nos inungendum, consecrandum et coronandum in Romanorum imperatorem, advocatum et defensorem ecclesie, ad ipsum diadema de nostris suscipiendum manibus sine dispendio ulterioris more vocari, et apostolicum tibi[h] favorem impendi; petitionem huiusmodi variis tam facti quam iuris allegationibus et quampluribus nichilominus premissis protestationibus fulcientes, ac dicentes ipsam per contradictionem memorati regis[i] vel electionem, si qua de ipso[k] facta fuerat, utpote contra pretactas imperii consuetudines, post electionem tuam[l] non cassatam nec cassandam, etiam ab hiis, qui saltem tunc nullum ius habebant id faciendi, presumptam, non debere aliquatenus impediri.

Ex parte vero supradicti regis per venerabiles fratres nostros Garsiam Silvensem et fratrem Dominicum Abulensem episcopos et dilectos filios magistrum Iohannem capellanum nostrum, archidiaconum Compostellanum[1], et Radulphum de Podio Bonizi[2] ipsius regis procuratores, actores et negotiorum gestores generales et speciales, ita quod occupantis non sit melior conditio[3], mandatum habentes ab eodem rege[m] ad petendum pro ipso[n] et suo[o] nomine a nobis et predictis fratribus nostris coronam imperii et assignari sibi[p] diem ad recipiendum ipsam et ad agendum, respondendum, defendendum et ad tractandum iura sua[q] et imperii, et quicquid honori suo[r] expedire viderent, sive in ordinario sive in extraordinario iudicio ageretur[4], fuit econtra propositum eundem regem ad predicta regnum et imperium a maiori parte principum vocem in huiusmodi electione habentium electum fuisse legitime ac esse in ipso regno et imperio potiorem; et electionem de te[s] factam, inunctionem quoque, coronationem ac cetera subsecuta ex eadem electione tua[t] ex diversis[u] causis tam contra te[v] quam contra electores tuos[w] et electionem ipsam oppositis penitus nulla esse nec dicti regis[x] electionem, quamquam posterius celebratam, impedire potuisse multipliciter allegantes, cum instantia postularunt ipsi regi[y] consuetum favorem et debitam in huiusmodi negotio iustitiam exhiberi, apertius exprimentes hanc fore iustitiam debitam, hunc esse favorem in talibus consuetum: videlicet, quod quando aliqui ad imperium

---

a) al' ipso *superscr.* b) al' suum *superscr.* c) al' ex eadem electione secuta eidem *superscr.* d) ut dicebant *superscr.* e) regnū *R.* f) al' ipsi electo *superscr.* g) al' eum *superscr.* h) al' sibi *superscr.* i) al' tuam *superscr.* k) al' te *superscr.* l) al' suam *superscr.* m) al' a te *superscr.* n) al' te *superscr.* o) al' tuo *superscr.* p) al' tibi *superscr.* q) al' tua *superscr.* r) al' tuo *superscr.* s) al' de memorato electo *superscr.* t) al' ipsa *superscr.* u) al' pluribus *superscr.* v) al' ipsum electum *superscr.* w) al' suos *superscr.* x) al' tuam *superscr.* y) al' tibi *superscr.*

verbum repetita credimus. Alterum illud exemplar, quod nota chronologica carens inter epistolas Berardi de Neapoli reperitur [Kaltenbrunner, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VII, p. 558, n. 35], Ricardo missum non est. Sed apud curiam sine dubio ortum, aut a Berardo ex libellis illis compositum est, aut prima forma nostrae epistolae fuit, quae iussu papali, sicut supra legitur, mutata est; cf. N. A. t. X, p. 172.

1) *Cf. BFW. 9140.* 2) *A. 1263, Iul. 23 Urbanus, Alfonso scribens, praedictorum nuntiorum fidelem super prosecutione negotii commissi diligentiam commendarit; Posse p. 21, n. 250. Sed haec ep. [sicut ibid. n. 289] non in Regestis sed in Cod. Vallicell. 49 Berardi de Neapoli legitur; cf. BF. 5513; Kaltenbrunner, l. c. n. 33. De epistola Alfonsi ap. BF. 5513 cf. infra sub a. 1264, Aug. 27.* 3) *Cf. L. 32, Dig. De procuratoribus (III, 3) et L. 19, Dig. De re iudicata (XLII, 1).* 4) necnon et per dilectum filium magistrum Bernardum capellanum nostrum, archidiaconum in ecclesia Compostellana *add. ep. II.*

in discordia principum eliguntur, sedes apostolica illum, qui electus est a parte maiori, persone impedimentis cessantibus denunciat electum canonice ac regem nominat parte aliqua non citata, et ei favorem prestat illique terminum ad recipiendum coronam assignat, etiamsi alter taliter[a] electorum regni possessionem presumpserit occupare, sicut in electionibus Lotharii et Conradi, Ottonis et Philippi ac aliorum plurium observatum fuisse dicebant.

Eisdem autem regis Castelle nuntiis petitioni predicte super debita iustitia exhibenda porrecte insistentibus, nos memoratum Roffensem episcopum et alios tuos procuratores de predictorum fratrum consilio duximus requirendos, si vellent super premissis subire tuo[b] nomine nostrum et apostolice sedis examen. Qui habito consilio responderunt, quod cum sis princeps catholicus, nobis et ecclesie Romane devotus, ipsam caput Christianitatis et fidei tuamque[c] matrem et dominam recognoscens, nec intendas[d] illius declinare iudicium, in quibus illud subire debes et de iure teneris, et in imperio ius habeas ac regni Alemannie et eius iurium possessionem obtineas, parati erant, in quantum predicti mandati, quod a te[e] habebant, se vires extendunt[f], pro te[g] ac tuo[h] nomine, tamquam pro rege vero ac legitimo possessore, iudicium nostrum et ecclesie Romane subire, siquis appareret, qui te[i] super premissis vellet impetere aut aliquid quocumque modo proponere, per quod tibi[k] posset aliquod preiudicium generari, salvis semper in omnibus et per omnia iurisdictione, potestate, officio, auctoritate, dignitate, honore ac libertate sacri Romani imperii eiusque principum, ad quos specialiter spectat Romani regis electio et quibus preiudicare non intendebant vel alias quomodolibet derogare, petitionem tuo premissam nomine nichilominus repetentes.

Ecce, fili karissime, dum ad petitionem iustitie ab una parte proceditur, nec ab altera iudicio ceditur, sed ipsius prosecutioni constanter instatur, nos, qui sperabamus, quod per tuam et ipsius regis[l] concordiam et concordem supradicti ordinationem imperii desiderate quietis nobis serenitas arrideret, in iudiciorum anfractus ingerimur, et expetite iustitie instantia in ipsorum nos fluctus impellit. Ecce pacem expectavimus, et non venit; quesivimus bona, sed illorum cupitus successus nostris desideriis non accessit. Profecto non id desiderabat ecclesie imperiali auxilio relevanda necessitas; non id exigebant lacere partes imperii occupatricibus exposite manibus direptorum; non id requirebat Christianitatis hiis maxime temporibus miseranda conditio, quam intrinseca plus quam civilia bella concutiunt et inhumaniter efferarum immanitates gentium ac precipue Tartarice feritatis affligunt; quibus potius debebatur, ut per tractatus pacificos cesarei culminis acceleranda provisio in unitate capitis iuribus Romani reintegratis imperii contra tot discrimina provideret. Nos itaque, pacis cogita-
Iob 9, 13. tiones sollicite cogitantes ac de illius sperantes omnipotentia et immensa virtute, sub
Matth. 8, 26. quo curvantur qui portant orbem, qui ventis imperat, et ad eius nutum stat spiritus
procellarum, pacis tractatibus providimus insistendum. Et ideo, hinc inde propositis a nobis et predictis fratribus nostris in deliberationem exacte discussionis inductis, de ipsorum consilio tam ad magnificentie tue presentiam quam ad ipsum regem Castelle nuntios deliberavimus[m] destinandos, qui vos ad pacem invitent; ad quod dilectum filium magistrum Guillelmum capellanum nostrum, archidiaconum in ecclesia Parisiensi[1],

---

a) in alia pl' taliter *superscr. [sic!]* b) al' ipsius *superscr.* c) al' suamque *superscr.* d) *super* intendas, debes, habeas, obtineas *litt.* t, *super* teneris tur *scriptum est.* e) al' ab eo *superscr.* f) al' debant *superscr.* g) al' ipso *superscr.* h) al' suo *superscr.* i) al' eum *superscr.* k) al' sibi *superscr.* l) al' memorati electi *superscr.* m) al' providimus *superscr.*

1) *A. 1263, Sept. 16 papa eidem, ad regem Angliae pro quibusdam communibus eius et ecclesiae Romanae negotiis destinato, absolvendi regem a vinculo iuramenti, si quod eum baronibus regni sui de reve-*

virum utique providum, consilii maturitate conspicuum et nobis[a] ac eisdem fratribus plurimum merito sue probitatis acceptum, de cuius industria et fidelitate nos et ipsi fratres plene confidimus, ad tuam magnificentiam specialiter destinamus. Et nichilominus, cum simus omnibus in iustitia debitores nec debeamus eam personis denegare sublimibus, qui super ipsa etiam ab humilibus requisiti nostri partes officii non negamus, te ac eundem regem Castelle citandos decrevimus, et te de sepedictorum fratrum consilio peremptorie presentium tenore citamus, ut[b] secundo die mensis Maii primo venturi apostolico conspectui per procuratores idoneos te presentes, qui tue conscientie conscii legitimum et plenum a te mandatum habeant ad pacis tractatum, si Dominus dederit, ineundum et ad procedendum in ipso negotio, prout honori ecclesie ac pensata talis et tanti conditione negotii sine offensa iustitie videbimus expedire.

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Septembris, anno II°.

II.

A. regi Castelle ac Legionis illustri, in Romanorum regem electo.

Qui celum terramque regit etc. ut in alia usque: humanis exempto, inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Riccardum in Romanorum regem electum circa obtinendam eiusdem imperii dignitatem etc. verbis competenter mutatis usque: petitum fuit et responsum[c].

Ex parte siquidem tua per venerabiles fratres nostros Garsiam Silvensem et Dominicum Abulensem episcopos etc. usque: speciales omnes in solidum, ita quod occupantis etc. usque: ageretur, necnon et per dilectum filium magistrum Bernardum capellanum nostrum, archidiaconum in ecclesia Compostellana[1], fuit inter multa propositum te a maiori parte principum, vocem in huiusmodi electione habentium, ad predicta regnum et imperium in loco solito et tempore debito electum fuisse legitime ac te fore in ipsis regno et imperio diversis rationibus potiorem. Et tandem iidem nuntii electionem de memorato electo factam etc. verbis competenter mutatis usque: observatum fuisse dicebant[d].

Sane[e] venerabilis frater noster Laurentius episcopus et dilectus filius Guillelmus archidiaconus Roffenses et Guillelmus de Corneria capellani nostri[2] ac Robertus de Baro, procuratores et nuntii prefati R. in Romanorum regem electi, ab ipso plenariam potestatem habentes etc. usque: procurari, expositis quibusdam consuetudinibus, quas asserebant in electione Romani principis observandas, inter cetera proponere curaverunt tam per electionem huiusmodi de ipso etc. verbis competenter mutatis usque: aliquatenus impediri[f].

Porro[g] tuis nuntiis petitioni predicte etc. usque: et alios procuratores prenominati in Romanorum regem electi de predictorum fratrum consilio etc. usque: responderunt, quod cum ipse in Romanorum imperatorem[h] electus sit princeps catholicus etc. verbis competenter mutatis usque: derogare, petitionem nomine ipsius in Romanorum regem electi premissam nichilominus repetentes.

Ecce, fili karissime etc. usque: insistendum. Et ideo, hinc inde propositis per nos et predictos fratres nostros in discussionem exacte deliberationis inductis, de ipsorum consilio tam ad serenitatis tue presentiam quam ad sepefatum electum etc. usque:

a) a nobis *R.* b) ut — mense *in loco raso.* c) *p. 546, lin. 34; sequuntur ea, quae p. 547, lin. 16 leguntur.* d) *p. 548, lin. 6.* e) *p. 546, lin. 35.* f) *p. 547, lin. 15.* g) *p. 548, lin. 7.* h) *ita R.*

landis secretis praestitisse comperiret, potestatem concessit; Lib. III, cur. 4; Posse p. 23, n. 281. Cf. SS. t. XXVII, p. 311.

1) *Cf. p. 547, not. 4.* 2) *Cf. p. 546, not. 2.*

invitent; ad quod dilectum filium magistrum Garinum capellanum nostrum, decanum Cathalaunensem, etc. usque: confidimus, ad tuam celsitudinem etc. usque: non negamus, te ac eundem electum in Romanorum regem citandos decrevimus et te de sepedictorum fratrum etc. usque: expedire.

Dat. ut in alia[1].

561.

Urbanus IV papa R[icardo] conquerenti exponit, quibus de causis et ipsum et [Alfonsum] regem Castellae 'in Romanorum regem electum' nominandum esse decreverit; rogat, ne malivolis aures accommodet. *1263, Aug. 31.*

Urb. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. II, f. 74, ep. 221. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1263, § 43—45, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18633; BFW. 9355.

Carissimo in Christo filio R. in Romanorum regem electo.

Utinam, fili carissime, ad plenum tibi pateret nostre ad tuam magnificentiam sinceritatis affectus! Utinam plene intelligeres nostri erga te animi puritatem! Etenim profecto cognosceres nos tamquam patrem benivolum more paterno de tam cari filii gaudere profectibus et processus nostros, interpretis calumpniosi non admisso susurrio, filiali benivolentia extimares, obstruerentur circa te ora iniqua loquentium, locus detractioni non esset, detractori non panderetur aditus nec prestaretur auditus. Sed ecce, princeps inclite, non desunt, ut audivimus, qui apud tuam excellentiam contra nos sine causa, non tamen sine malitia multa submurmurent; non desunt, qui tuam devotionem turbare studentes, actus nostros calumpnientur iniuste, illud, ad quod facti qualitas, immo necessitas, rationis iudicio nostro presidente proposito, nos coegit, trahentes ad notam, et malitiose fingentes, quod detractavimus hactenus nostras tibi mittere litteras, ne te nominaremus in Romanorum regem electum, licet felicis recordationis Alexander papa predecessor noster te non solum electum sed etiam coronatum in suis litteris nominarit[2]. Verum hiis pro nobis veritas ipsa respondet; ipsius evidentia tales falsitatum figulos et ipsorum figmenta confutat. Novit siquidem tue circumspectionis prudentia, quod carissimus in Christo filius noster . . rex Castelle ac Legionis illustris, se a maiori parte principum, vocem in electione Romanorum regis habentium, electum affirmans, tibi super obtinenda imperialis culminis dignitate, in quo sibi ius plenum quesitum asserit, se opponit; nec te latere credimus, quanta instantia quantaque diligentia multiplicatis successive nuntiis tam nostris quam predicti predecessoris temporibus idem rex apud sedem apostolicam ius huiusmodi extiterit prosecutus. Tuis igitur et eiusdem regis procuratoribus varia hinc inde, immo diversa et adversa proponentibus, non in figura iudicii[3] sed petitiones alternis vicibus alternando, nos, presertim cum ad apostolatus officium preter cardinalatus gradum fuerimus miseratione divina vocati, de huiusmodi negotii meritis notitiam non habentes, sub tante varietatis incertitudine in tanto et tali negotio, et maxime inter tantos, nec accelerare potuimus nec debuimus precipitare iudicium aut alterutri partium in alterutrius preiudicium titulorum adiectione vel nominum seu cuiuscumque alterius favoris indiciis tam precipitanter exhibere gratificationis affectum. Et quamquam

1) *Gratia Alfonso sub a. 1263, Aug. 21 concessa Lib. II, 210; Potthast 18625. De debitis quondam Ferrandi regis Castellae et Alfonsi filii eius sedi apostolicae solvendis sub a. 1263, Sept. 19 ap. Vol. II [cameralia], f. 142', ep. 1.* 2) *Cf. n. 558.* 3) *Cf. n. 517.*

idem predecessor per varias suas litteras tibi favorem circa prerogativam intitulationis impenderit, non tamen nos decuit facilitate precipiti sequi huiusmodi processum predecessoris eiusdem, quem fratrum nostrorum, sicut ex eorum fida relatione didicimus, communis et decisiva collatio non precessit: intendimus enim, in conspectu suo dirigente Domino vias nostras, sic pro viribus nostros processus dirigere[a], quod nec in ambiguitatis lubricum incidant nec de revocatoria correctione formident.

Propter quod demum, cum eisdem fratribus plena deliberatione prehabita, quod habere debes acceptius, tibi non ex coronatione sed electione, per quam, si sit legitima, ius solet acquiri, electi titulum duximus ascribendum, de coronationis actu propterea mentione non habita, quia nec electis in imperatorem concorditer in salutationis alloquio de coronatione aliquid adici consuevit, ea inter cetera, ut dicitur, ratione, quia cum tres corone[1] tali debeantur electo, aut pro singulis earum ad veritatem exprimendam esset singularis, quod absurditatem saperet, expressio facienda, vel, quod videtur congruentius et consuetudo approbasse dicitur hactenus, pro nulla ipsarum est coronationis titulus exprimendus. Ceterum, cum memoratus rex, ut premittitur, legitime se contendat electum et nobis adhuc ius partium sit incertum, quia, sicut per alias litteras[2] tue magnitudini directas exprimitur, coram nobis vel predecessore prefato, tamquam coram iudice, nondum nisi novissime aliquid propositum extitit vel petitum: equitas iustitie non permisit, in Romanorum regem electi denominatione tam solempniter tibi concessa, ipsam sepedicto regi, suis procuratoribus instanter, ut saltem equaliter vel concederetur vel denegaretur, instantibus et super hoc iustitiam sibi[b] petentibus exhiberi, non sine gravi materia scandali denegare, maxime cum per intitulationem huiusmodi non intelligatur alterutrius accrescere iuri vel detrahi, donec de ipsius iuris meritis finaliter pateat et doceatur aperte, in cuius persona electi descriptio cum electionis veritate concurrat. Quesumus itaque, fili, non accomodes aures malivolis, qui suam forte querunt in tua turbatione quietem et in alienis dispendiis propria lucra venantur, sed nostrorum processuum causas et ordinem ac rectam et puram procedentis intentionem tuo prudenti consilio ac spiritu quieto discutias: et proculdubio animus in quietis serenitate diiudicans in illis inveniet, unde rectum sequendo iudicium, omni super premissis turbationis materia summota, quiescet, et nec causa querele supererit nec via reprehensioni patebit.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Septembris, anno II°.

562.

Urbanus IV papa fratri Florasio ordinis Minorum, capellano suo, notum facit se omnibus capitaneis, sgravatoribus et prioribus civitatum patrimonii, ad quos causae appellationum devolverentur in praeiudicium rectorum ecclesiae Romanae, inhibuisse, ne a Kal. Ianuarii proximo praeteriti de his se intromitterent; mandat, ut Crassum civem Tudertinum, qui pro capitaneo civitatis Reatinae se gerat, fautorem Manfredi, excommunicet et e civitate Reatina eici faciat. *1263, Sept. 10.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 80; Lib. III, cur. 2. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 507, n. 93 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18645; BFW. 9359.

---

a) *addit Rayn.:* illa etiam communis eorundem fratrum consilii matura directione ac directa maturitate firmare; *quae verba in R. desunt.* b) iam sibi *in loco raso.*

1) *Coronae regni Theutonici, regni Romani et imperii; cf. p. 513, n. 539, § 13.* 2) *Cf. n. 560.*

Fratri Florasio[1] ordinis Minorum, capellano nostro.

Quia omnes fere civitates cunctaque castra et alia loca patrimonii beati Petri in Tuscia et ducatus Spoletani ac quamplures alie terre Romane ecclesie cognitionem causarum appellationum, que ad sedem apostolicam et rectores, quos in eisdem patrimonio, ducatu et terris eadem ecclesia preficit, specialiter et plene pertinet, usurpare sibique vendicare presumpserant in ipsius sedis preiudicium manifestum, constituendo sibi capitaneos seu sgravatores aut priores, ad quos causas appellationum huiusmodi faciebant devolvi, et quedam iniqua edendo statuta contra illos, qui ad predictam sedem seu prefatos rectores pro quibusvis accedebant causis et super quibuscumque gravaminibus aut iniuriis appellabant: nos, volentes eidem sedi contra enervationem huiusmodi sue iurisdictionis, non deferendo in hoc aliquibus, apostolica sollicitudine providere, olim in festo dedicationis basilice principis apostolorum de Urbe proximo preterito[2], astante tunc fideli populo, universis capitaneis, prioribus, sgravatoribus et aliis talibus, quocumque nomine censerentur, auctoritate apostolica firmiter duximus inhibendum, ne a Kalendis mensis Ianuarii tunc proximo subsequentis de huiusmodi appellationum causis cognoscere seque de illis intromittere quoquomodo presumerent, et si secus forte presumerent, eo ipso se noscerent excommunicationis sententie, quam in ipsos extunc protulimus, subiacere suisque officiis totaliter perpetuoque privatos, ita quod nullis unquam futuris temporibus possent ad huiusmodi vel ad alia quecumque officia in terris eiusdem ecclesie reassumi, et si secus presumptum foret, esset vacuum, irritum et inane.

Sed Crassus civis Tudertinus, qui pro capitaneo civitatis Reatine[a] se gerit, huiusmodi processum nostrum dampnabiliter parvipendens, contra tenorem processus eiusdem citra predictas Kalendas de huiusmodi appellationum causis in eadem civitate cognoscere seque de illis intromittere non expavit. Et licet dilecti filii . . potestas et consilium civitatis eiusdem ei duxerint inhibendum, ne contra predicti processus nostri tenorem facere quomodolibet attemptaret, nichilominus tamen ipse, qui manifestus fautor esse dicitur Manfredi quondam principis Tarentini, persecutoris ecclesie manifesti, ad hoc, ut scandalum in ipsius Manfredi favorem in predicta poneret civitate, per vocem preconis fecit publice in eadem civitate[b] clamari pro sue libito voluntatis, ut cum ipse intendat appellationum causas audire ac illas, non obstantibus huiusmodi processu nostro et impedimentis quibuslibet, terminare, omnes appellationum cause, quas a predicto potestate interponi contigerit, ad suam audientiam perferantur. Quamplura quoque alia in eadem civitate contra honorem et fidelitatem Romane ecclesie, prout intelleximus, machinatur. Cum igitur eadem civitas in devotione ac fidelitate ipsius ecclesie adeo firmiter et constanter sub temporum diversitate permanserit, quod nulle tribulationum aque ipsius erga eandem ecclesiam potuerunt extinguere caritatem[3], nos, nullatenus sustinere volentes, ut fermento alicuius malitie ipsius civitatis puritas corrumpatur, discretioni tue mandamus, quatinus ad predictam civitatem te personaliter conferens, si, inquisita de plano et absque iudicii strepitu diligentius veritate, dictum Crassum citra predictas Kalendas de huiusmodi appellationum causis inveneris cognovisse seque intromisisse de illis, convocato consilio et populo Reatinis denunties ipsum iuxta tenorem predicti processus nostri excommunicationis sententie subiacere suoque

a) Reat. civ. *R.* b) in eadem civ | *in loco raso; sequitur* itate *in marg.*

1) *De Vincentia; cf. Vol. II [cameralia], f. 20', ep. 1; Potthast 18515; cf. etiam Lib. III, cur. 149; Potthast 18980 et 18988.* 2) *A. 1262, Nov. 18.* 3) *Cf. n. 526. A. 1263, Mai. 31 papa potestati, consilio et communi Reatinis mandaverat, ut censum 30 librarum Proveniensium pro duobus annis praeteritis solverent; Vol. II [cameralia], f. 55, ep. 3; Potthast 18549.*

officio totaliter perpetuoque privatum, ita quod nullis umquam futuris temporibus ad huiusmodi vel alia quecumque officia in terris eiusdem ecclesie valeat reassumi. Precipias etiam predictis potestati, consilio et populo sub pena mille marcarum argenti, ut eidem Crasso tamquam eorum capitaneo non intendant ipsumque infra octo dies post preceptum huiusmodi de Reatina prorsus eiciant civitate, ad predictum vel aliud quodcumque officium nullis umquam inibi futuris temporibus resumendum. Contradictores autem, si qui super hoc fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescas.

Dat. apud Urbemveterem, IIII Idus Septembris, anno tertio[1].

563.

Urbanus IV papa [Guillelmo] episcopo Belvacensi ad preces [Nicolai] episcopi Cameracensis mandat, ut Ingerramum dominum de Coziaco, qui terram episcopi Cameracensis vastaverit, compellat, ut ab hoc desistat et satisfaciat. *1263, Nov. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 11; Lib. III, 40. Epistolam nos inde descripsimus.

. . episcopo Belvacensi.

Sua nobis venerabilis frater noster . . Cameracensis episcopus[2] conquestione monstravit, quod nobilis vir Ingerramus dominus de Coziaco[3] Laudunensis diocesis, terram ipsius episcopi et Cameracensis ecclesie contra iustitiam intrans hostiliter, eidem episcopo ac hominibus suis in eius preiudicium per incendia et rapinas et alias etiam dampna gravia et iniurias irrogare presumpsit. Quare predictus episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus[4]. Ideoque fraternitati tue mandamus, quatinus, si tibi de plano et absque iudicii strepitu constiterit ita esse, predictum nobilem, quod episcopo et hominibus predictis de dampnis et iniuriis huiusmodi debitam satisfactionem impendat et ab inferendis omnino desistat, monitione premissa per excommunicationis in personam et in terram ipsius nobilis interdicti sententias appellatione remota previa ratione compellas — non obstante[a] si eidem nobili a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari aut terra ipsius ecclesiastico interdicto supponi non possit per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, sive qualibet alia indulgentia dicte sedis, de qua cuiusque tenore oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri et per quam effectus iustitie in hac parte impediri valeat vel differri.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Novembris, anno III°[5].

---

a) *ita R.*

1) *A. 1263, Oct. 30 episcopo Reatino mandavit, ut Reatinos ab excommunicatione, quam incurrissent, quod Crassum in capitaneum assumpsissent eumque amovere contempsissent, absolveret, cum mandato apostolico paruissent; Lib. III, cur. 13; Potthast 18696.* 2) *Qui cancellarius Ricardi regis erat.* 3) *Coucy ex occ. civ. Laon.* 4) *Iam a. 1263, Sept. 29 abbati Aquicinctensi scripserat se concessisse eidem episcopo, qui debitis oppressus ad solutionem minus potens esset, cum propter guerras imminentes pro defensione iurium ecclesiae suae subiisset et cotidie subiret gravia onera expensarum, ne plus duobus milibus librarum Turonensium annuatim solvere teneretur; mandavit, ne eum super hoc molestari permitteret; Lib. III, 16. Aliae gratiae eidem ob devotionem, quam ad sedem apostolicam haberet, a. 1263, Apr. 13 — Iun. 5 concessae Vol. II [cameralia], f. 108' — 110.* 5) *Nov. 5 [Ludowicum IX] regem Franciae, Nov. 17 matrem domini de Cuchiaco rogavit, ut partes ad pacem reformandam interponerent; Nov. 12 dominum de Cuchiacho rogavit, ut ab oppressionibus resipisceret; Lib. III, 51, 54, 53; Posse p. 25, n. 302, 307, 306. — A. 1264, Febr. 18 precibus episcopi annuit; Vol. IV [beneficia], f. 121, ep. 237; cf. supra p. 142, not. 4.*

564.

Urbanus IV papa Manfredo electo Veronensi, marchiae Anconitanae rectori, mandat, ut inquirat de criminibus Gerardi episcopi Firmani, qui, sicut dicatur, inter rectores Marchiae et fideles ecclesiae discordiam seminarit, ita ut tota patria Manfredo adhaereat, et alia crimina commiserit. *1263, Nov. 20.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 84—85; Lib. III, cur. 19. Damus Pertzii exemplar. Posse, l. c. p. 26, n. 311; BFW. 9370.

Manfredo Veronensi electo, marchie Anconitane rectori.

Actus nepharios venerabilis fratris nostri Gerardi episcopi Firmani fidedignorum nobis assertione relatos nos compellit referre conscientia licet invitos. Ipsorum etenim enormis horribilitas a talium relatione labios nostros retraheret, nisi hoc exigeret debitum officii pastoralis, cum oneri nobis iniuncte administrationis incumbat maturiori consilio periculis obviare. Sane, sicut accepimus, idem episcopus, famam suam diversis sceleribus commaculare non metuens, presumptione dampnabili dehonestat in multis, quantum in eo est, episcopalis eminentie dignitatem, ita quod in tenebras conversum est lumen eius et oculi sui, solum ad ima demissi, superioris aeris beneficium non admittunt. Ipse siquidem inter alias abhominationes, quas in contumeliam Redemptoris et scandalum ecclesiastice professionis dicitur exercere, laborat incontinentie vitio, detinens publice concubinam, ex qua plures filios procreavit; et nichilominus cum Deo dicatis monialibus, quarum aliquas virginitatis flore privavit, sepius committit incestum. Idem etiam episcopus inter rectores, qui fuerunt pro tempore in Anconitana marchia pro ecclesia Romana, et fideles ipsius ecclesie in eadem marchia malitiose seminavit zizaniam, cuius occasione tota patria iuxta ipsius episcopi desiderium ab eiusdem ecclesie devotione recessit, adherendo Manfredo quondam principi Tarentino, cuius nuntiis in predicta marchia idem episcopus dampnabiliter adherens, nuntiis ipsis equos et alia multa donavit et interdum concessit pecuniam mutuo pro stipendiariis contra eandem ecclesiam conducendis; et nichilominus commune civitatis Firmane et alios quamplures, ut in devotione ipsius Manfredi persisterent, dampnabili presumptione induxit[1], quamplures terras et possessiones ecclesie Firmane quibusdam indevotis predicte sedis et eiusdem Manfredi parti faventibus in emphiteosim concedendo, in anime sue periculum, ipsius sedis iniuriam et contemptum et devotorum predicte sedis non modicum preiudicium et gravamen. Prefatus insuper episcopus est aliis diversis criminibus irretitus, que Deum offendunt et homines scandalizant. Nos igitur, attendentes quod hec, que ad nos pervenerunt non levis insinuatione clamoris, si opere inveniantur completa, eo graviori sunt in eodem episcopo animadversione plectenda, quo eiusdem episcopi in tam eminentis dignitatis gradu constituti sunt graviores excessus, ac nolentes ista sub dissimulatione transire, ne incorrecta prestent aliis audaciam committendi peiora, discretioni tue mandamus, quatinus ad aliqua loca, de quibus videris expedire et ad que secure accedere poteris, te personaliter transferens et habens pre oculis solum Deum, si famam predicti episcopi super premissis apud bonos et graves inveneris esse lesam, inquiras per fidedignos super hiis et aliis criminibus, de quibus eum inveneris similiter publice diffamatum, sollicite veritatem, que inveneris fideliter in scriptis redacta nobis per aliquem fidelem nuntium transmissurus. In premissis autem committendi alii vices tuas seu inquisitionem huius-

1) *Cf. Potthast 16711, 17127, 17438 et BF. 4682. Urbani IV anno quarto [a. 1264, Sept. 4 — Oct. 2] Simon tit. S. Martini presbyter cardinalis legatus priori ecclesiae S. Salvatoris de Firmo litteras direxit 'de commissione absolutionis excommunicationis hominum civitatis Firmanae'; Reg. Firmana p. 428, n. 294; sed cf. BF. 4755.*

modi per te vel per alium seu alios faciendi tibi plenam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. apud Urbemveterem, XII Kalendas Decembris, anno tertio[1].

565.

Urbanus IV papa [Loderico decano Maguntino, capellano suo,] mandat, ut, cum ecclesia Maguntina diu ecclesiae Romanae contra quondam Fr[idericum II] assistens et propter hostiles incursus a longis temporibus gravibus debitis prematur, mille marcas argenti, in quibus archiepiscopus ecclesiae Romanae teneatur, monasteriis et ecclesiis diocesis Maguntinae, archiepiscopo subiectis, solvendas imponat. 1263, Nov. 22.

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 142. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. BFW. 9371.

[Lodevico decano Maguntino, capellano nostro][a].

Si lex Christi sanctissima secundum apostolum impletur in eo potissime, ut alter alterius onera studeat supportare, decens et dignum esse dinoscitur, quod prelatorum necessitas per suorum subditorum subsidia relevetur, maxime cum ipsa natura deposcat, ut membra compati debeant capiti patienti. Sane venerabilis frater noster . . archiepiscopus Maguntinus nobis significare curavit, quod Maguntina ecclesia, tum pro eo quod diu ecclesie Romane contra quondam Fr. olim Romanorum imperatorem fideliter et potenter astitit, tum etiam quia hostiles incursus a longis temporibus tolleravit, tantum in proventibus bonisque temporalibus diminuta esse dinoscitur totque coacta est subire onera debitorum, ut nisi ei celeriter succurratur, vix adicere poterit, ut resurgat, usurarum voragine magnam partem residuorum bonorum et proventuum huiusmodi absorbente. Quare dictus archiepiscopus humiliter postulari fecit a nobis, ut ei et dicte ecclesie Maguntine saltem in mille marcis argenti, in quibus nobis et ecclesie Romane tenentur[2], subveniri ab eorum subditis faceremus. Nos itaque, circa eosdem archiepiscopum et ecclesiam Maguntinos paterne super hoc ducti compassionis affectu, discretioni tue, de cuius industria fiduciam gerimus specialem, per apostolica scripta mandamus, quatinus huiusmodi mille marcas monasteriis et ecclesiis civitatis et diocesis Maguntine archiepiscopo prefato subiectis auctoritate nostra imponens, a singulis eorum, quod ipsis secundum suarum facultatum exigentiam imposueris, per te vel alium aut alios fide dignos ad hoc ydoneos fideliter colligere, et quod exinde cotidie contigerit colligi, apud domum hospitalis sancte Marie Theutonicorum in Maguncia coram sufficientibus testibus nostro et ecclesie Romane nomine integre deponere non omittas, contradictores per censuram etc. usque: compescendo — non obstante[b] si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod ad provisionem alicuius in pensionibus vel aliis subsidiis minime teneantur quodque ad id compelli vel suspendi aut interdici seu excommunicari non possint, sive aliqua ipsius sedis indulgentia, per quam executio mandati nostri super hiis impediri valeat vel differri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Ceterum diligenter attendens et prudenter considerans, quod nos supradictum negotium

a) *inscriptio in marg. posita paene deleta est; legimus:* Lod[e] Ma ca . . l *scil.:* Lodevico decano Maguntino capellano nostro *ut in epp. a. 1264, Mart. 15.* b) *ita R.*

1) *Cf. n. 570.* 2) *Cf. p. 476, not. 8.*

tibi, quem novimus persone nostre fore devotum, ex certa scientia inter multos alios fidedignos nobisque devotos elegimus specialiter committendum, illud ita sapienter et fideliter prosequaris, quod nulla super hiis adversus te suspicionis aut detractionis materia processu temporis insurgere valeat, sed potius tua sollicitudo possit exinde commendari. Quantitatem vero collecte pecunie, quam iuxta premissam formam in supradicta domo duxeris deponendam, et coram quibus et quando, nobis per patentes litteras tuo et dilecti filii preceptoris prefate domus sigillis[a] signatas quantotius intimare procures. Volumus autem, ut quecumque per te vel subdelegatos aut nuntios tuos ex premissis recipere te continget, illa sub testimonio duarum vel trium fidedignarum personarum recipias tuasque patentes litteras tuo et personarum huiusmodi sigillis munitas, ubi et quando, quid et quantum a quolibet receperis continentes, singulis personis et locis, que tibi hec dederint, omnino concedas. Alioquin nullus tibi aut subdelegato vel nuntio tuo aliquid de supradicta pecunia solvere teneatur; per huiusmodi enim litteras personis et locis eisdem concessas de veritate, quam per nuntium nostrum ad partes Alamanie accessurum[1] super premissis inquiri diligentius faciemus, sibi facilior et clarior certitudo poterit provenire.

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Decembris, anno tertio[2].

566.

Urbanus IV papa [Ottoni] archiepiscopo Mediolanensi mandat, ut absolvat [Sigebertum] episcopum Novariensem, quem eo praetextu excommunicaverit, quod quosdam obsides sibi commissos propter timorem depopulationis terrae suae potestati et communi Mediolanensibus tradiderit. *1263, Nov. 27.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 243, ep. 66. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9373.

Archiepiscopo Mediolanensi.

Sap. 11, 25. More pii patris, qui delinquentes filios odisse non potest et nichil odivit eorum que fecit, suffraganeos tuos tractare debes in spiritu lenitatis. Sane fuit ex parte . . Novariensis episcopi propositum coram nobis, quod tu in ipsum eo pretextu, quod idem quosdam obsides, quos custodie sue commiseras, tradidit . . potestati et communi Mediolanensibus, non tamen spontaneus, sed propter timorem depopulationis terre sue ac Novariensis ecclesie, que ipsi terre imminebat, si dictus episcopus obsides ipsos potestati et communi non tradidisset eisdem, auctoritate metropolitica excommunicationis sententiam promulgasti. Quia vero, prout accepimus, predictus episcopus per se ac homines suos tibi astitit, dum esses in castro de Arona[b][3] obsessus[4], et ex hoc tam ipse quam predicti homines et eadem ecclesia persecutiones multiplices et dampna plurima sunt perpessi a tuis et Mediolanensis ecclesie inimicis, dignum est et consentaneum rationi, ut eundem episcopum, qui est in hoc multipliciter commendandus, propter hoc favore benivolo prosequaris. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus, ab eodem epi-

---

a) sigillorum *R.* b) Aroñ *R.*

1) *Hunc fuisse magistrum Albertum de Parma scriptorem credimus; cf. n. 513 et 515.* 2) *Cf. chartam Werneri archiepiscopi a. 1264, Mart. 14 ad hanc rem pertinentem; Böhmer-Will t. II, p. 361, n. 106. Cf. infra n. 587.* 3) *Arona ad Lacum maiorem.* 4) *A. 1263, post mensem Mart.; Ann. Placent. Gib. a. 1263; SS. t. XVIII, p. 513; cf. Ann. Mediol. ap. Muratori SS. t. XVI, p. 664 et Giulini, Memorie di Milano t. IV, p. 556 et sequ.*

scopo vel procuratore suo eius nomine, habente super hoc ab ipso speciale mandatum, de parendo mandatis tuis iuramento recepto, huiusmodi sententiam iuxta formam ecclesie sine qualibet difficultate relaxans, nichil propter hoc absque mandato nostro episcopo iniungas eidem.

Dat. apud Urbemveterem, V Kalendas Decembris, anno tertio

567.

Urbanus IV papa [Philippo] episcopo Bruniatensi nuntiat edicto generali prohibitum esse, ne in ecclesiis cathedralibus civitatum Manfredo adhaerentium episcopi eligerentur; mandat, ut capitulo Lunensi inhibeat, ne si ecclesia vacaverit, episcopum eligat.
1263, Dec. 1.

Urb. IV Reg. Vol. III, 19; Lib. III, 62. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.
Possc. l. c. p. 26, n. 319; BFW. 9375.

. . episcopo Bruniatensi.

Capitulis ecclesiarum cathedralium consistentium in civitatibus faventibus Manfredo quondam principi Tarentino, cum omnibus suis fautoribus exigentibus culpis suis per sedem apostolicam vinculo excommunicationis astricto, est per eandem sedem edicto generali prohibitum, ne vacantibus ipsorum ecclesiis aliquos in episcopos eligere, postulare presumant seu etiam nominare[1]. Cum igitur locus de Sarzana[a][2], in quo Lunensi civitate destructa capitulum Lunensis ecclesie commoratur, et magna pars diocesis Lunensis dicto Manfredo favere et eius adherere fautoribus dinoscatur, fraternitati tue mandamus, quatinus ad capitulum ipsum accedens, si secure potueris, alioquin proposito edicto publico coram populo in ecclesiis aliquorum vicinorum locorum, unde possit ad eiusdem capituli notitiam pervenire, ei ex parte nostra districtius inhibere procures, ne si eorum ecclesia quovis casu vacaverit, aliquem in episcopum eligant, postulent seu nominent sine dicte sedis licentia speciali. Nos enim, eidem ecclesie de persona utili providere volentes, exnunc irritum decernimus et inane, si secus per dictum capitulum fuerit attemptatum.

Dat. apud Urbemveterem, Kalendis Decembris, anno tertio.

568.

Urbanus IV papa Fuliginatibus, fidelibus suis, mandat, ne hominibus diversorum locorum de montanis, supra Fuliginum a Palo superius versus Camerinum et Mevale constitutis, qui communantiam facere proponant, auxilium praebeant. 1263, Dec. 10.

Urb. IV Reg. Vol. III, 85; Lib. III, cur. 22. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 156, n. 290 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18736.

..potestati, consilio et communi Fuliginatibus, fidelibus nostris.

Cum, sicut intelleximus, homines diversorum locorum de montanis, supra Fuliginum a Palo superius versus Camerinum et Mevale constitutis, vestro favore suffulti

a) Sarzañ *R.*

1) *Cf. n. 537.* 2) *Ex sept. civ. Lunensis.*

quandam communantiam facere seu stabilire proponant, nos, attendentes quod huiusmodi communantia, si, quod absit, fieret, in preiudicium Romane ecclesie suorumque iurium redundaret, ac nolentes id aliquatenus sustinere, universitati vestre sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena quingentarum marcarum argenti districte precipiendo mandamus, quatinus, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, nullum predictis hominibus in hac parte prebeatis consilium, auxilium vel favorem, nullamque novitatem a loco qui dicitur Pali supra versus Mevale predictum facere presumatis, scituri quod, si secus presumpseritis, nos ad exactionem predicte pene et alias etiam contra vos et terram vestram[a] durius et asperius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, auctore Domino procedemus.

Dat. apud Urbemveterem, IIII Idus Decembris, anno III°.

569.

Urbanus IV papa [Iohanni] episcopo Portuensi mandat, ut Petrum Romani civem Romanum, qui olim Manfredo faverit, ab excommunicatione iuxta formam infrascriptam absolvat; cui Petro inter alia sub iuramento praestito mandet, ne Manfredum in senatorem seu dominum Urbis habeat vel assumat. *1263, Dec. 19.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 86; Lib. III, cur. 28. Damus Pertzii exemplar.
Posse, l. c. p. 27, n. 326; BFW. 9377.

. . Portuensi et Sancte Rufine episcopo.

Cum nobilis vir Petrus Romani civis Romanus[1], qui occasione favoris olim impensi Manfredo quondam principi Tarentino vinculo est excommunicationis astrictus, peti fecerit instanter a nobis, ut a vinculo huiusmodi eum faceremus absolvi, nos huiusmodi absolutionis negotium tibi fore providimus committendum, fraternitati tue mandantes, quatinus circa eandem absolutionem infrascriptam formam et nullam aliam studeas observare[2]: videlicet quod idem P. prestat ante omnia de stando mandatis ecclesie corporaliter iuramentum et fideiussoriam nichilominus cautionem sub pena, de qua videris expedire, cui mandabis sub debito prestiti iuramenti, quod deinceps dictum Manfredum non habebit nec assumet in senatorem seu dominum Urbis neque assumi vel eligi procurabit, quinimmo ipsum M. habere volentibus vel assumentibus aut eligi procurantibus in senatorem vel dominum Urbis[3] nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebit publice vel occulte, quodque ab ipso nec litteras nec nuntios neque munera magna vel parva recipiet neque mittet eidem, quamdiu idem M. in excommunicatione lata contra ipsum per sedem apostolicam duxerit persistendum, nec interim sibi prestabit in aliquo auxilium, consilium vel favorem. Insuper ab omnibus confederationibus, iuramentis, promissionibus sive pactis, quibus se ipsi M. vel aliis eiusdem Manfredi occasione hactenus obligavit, penitus recedet. Super hiis autem mandatis et acceptatione ipsius, que omnia fieri volumus in basilica Principis Apostolorum de Urbe, rectoribus Urbis tecum personaliter existentibus, fieri facias et ad nos deferas publicum instrumentum. Ad hec vero omnia te procedere volumus salvis aliis mandatis nostris, que circa hoc ei viderimus facienda. Quibus, ut premissum est, rite peractis eidem P. super huiusmodi excommunicationis sententia iuxta

---

a) vestram — prout *in marg. add.*

1) *Cf. p. 499, not. 4 et Andream Ungarum ap. SS. t. XXVI, p. 563 et Potthast 20131.* 2) *Cf. similem formam infra sub a. 1264, Mai. 31.* 3) *Cf. BF. 4730a.*

formam ecclesie absolutionis beneficium impendas, faciens nichilominus absolutionem huiusmodi, quam ei secundum premissam formam duxeris impendendam, per omnes maiores Urbis ecclesias extitisse sub eadem forma impensam ab eisdem rectoribus publice nuntiari.

Dat. apud Urbemveterem, XIIII Kalendas Ianuarii, anno III° [1].

570.

Urbanus IV papa M[anfredo] electo Veronensi, ducatus Spoletani et marchiae Anconitanae rectori, scribit de criminibus Gerardi episcopi Firmani ut in n. 564; cum autem idem episcopus coram [Henrico] episcopo Ostiensi praemissa omnia sub iureiurando negavit, mandat, ut per fidedignos super hoc inquirat. *1263, Dec. 22.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 87; Lib. III, cur. 29. Damus Pertzii exemplar.
Potthast, Reg. 18749a.

M. Veronensi electo, ducatus Spoletani et marchie Anconitane rectori.

Nuper fama, immo verius infamia clamante publica et clamore diffamante ad nostrum pervenit auditum, quod Gerardus Firmanus episcopus inter alias abhominationes *etc. ut in n. 564 usque*[a]: nolentes ista sub dissimulatione transire, venerabili fratri nostro Ostiensi et Velletrensi episcopo oraculo vive vocis iniunximus, ut, eodem Firmano episcopo ad suam presentiam accersito et recepto ab eo de veritate dicenda corporaliter iuramento, inquireret ipsemet super premissis omnibus diligentius veritatem et que inveniret nobis fideliter referre curaret. Verum quia dictus Firmanus episcopus interrogatus ab Ostiensi predicto premissa omnia sub iureiurando negavit, nos, omnino volentes super hiis reddi plenius certiores, discretioni tue mandamus, quatinus dictum episcopum ad tuam evocans presentiam, ad aliqua loca, de quibus expedire videris et ad que secure accedere poteris, te personaliter conferens et habens pre oculis solum Deum, inquiras per fidedignos, tam laicos quam clericos, seculares et etiam religiosos, sive Cisterciensium, Predicatorum, Minorum vel alterius cuiuscumque sint ordinis, super premissis et aliis omnibus, de quibus eum inveneris diffamatum, sollicite veritatem, omnes, quorum ad hoc videris testimonium oportunum, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota compellens veritati testimonium perhibere — non obstante[b] si eisdem vel aliquibus aliis ordinibus seu quibuscumque aliis personis a sede apostolica sit indultum, quod ipse ac eorundem ordinum persone ad perhibendum testimonium in aliquibus causis vel inquisitionibus compelli aut excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes de ipsorum ordinibus plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, seu alia qualibet ipsius sedis indulgentia, per quam id impediri valeat vel differri —; et que inveneris in scriptis redacta fideliter sub tuo sigillo ad nos per aliquem fidelem nuntium transmittere non postponas. Nos autem

---

a) *crimina episcopi in R. eisdem verbis atque p. 554, lin. 16—36 narrata sunt.* b) *ita R.*

1) *A. 1263, Apr. 27 Iohanni Comiti Romanorum proconsuli gratiam fecit; Lib. II, 87. Obtentu eiusdem personaliter implorantis a. 1264, Febr. 25; Vol. IV [beneficia], f. 118, ep. 217; cf. 216. A. 1264, Iun. 13 mandavit, ut Alkerutius, Angelus, Iohannes et Lucas de S. Eustachio cives Romani, qui castrum Buchiniani in Sabinia monasterii Farfensis occupassent et anathematizati essent, absolverentur ad cor reversi; Lib. III, 254.*

committendi super huiusmodi inquisitionis negotio alii vices tuas seu inquisitionem eandem per te vel per alium seu alios faciendi plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. apud Urbemveterem. XI Kalendas Ianuarii. anno tertio[1].

571.

Urbanus IV papa diffinit, quibus condicionibus in locis Manfredo et Uberto marchioni Pelavicino adhaerentibus et in eis, ad quae dictum Manfredum, Ricardum Casertanum et Thomam Acerrarum comites et Galvanum et Fridericum Lancea fratres devenire contigerit, quae loca districtissimo interdicto subiaceant, divina officia celebrare liceat.

1264, Ian. 13.

Urb. IV Reg. Vol. III, 89; Lib. III, cur. 35. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 94, n. 63, derivatum ut videtur ex authentico, edidit.

Potthast, Reg. 18779; Capasso n. 401; BFW. 9383.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Dudum felicis recordationis Alexander papa predecessor noster primo[2] et nos postmodum civitates et loca plurima Manfredo quondam principi Tarentino ac Uberto marchioni Pelavicino[3] et aliis ecclesie persecutoribus contra salutem propriam adherentia, loca etiam, ad que dictus Manfredus[a], Riccardus Casertanus et Thomas Acerrarum comites ac Galvanus et Fredericus Lancea fratres devenire contingeret, quamdiu ibi forent, districtissimo ecclesiastico supposuimus interdicto. Sed quia nonnulli archiepiscopi et episcopi, abbates, priores aliique prelati et religiosi ac clerici et alie quamplures persone utriusque sexus a sede apostolica et per litteras et oretenus sibi postmodum obtinuere concedi, ut — non obstantibus huiusmodi interdicti sententiis — liceret eis sub certa forma in certis ecclesiis sive locis eidem interdicto suppositis celebrare ac audire divina: nos, ut interdictum ipsum artius servaretur, in octavis festivitatis beati Martini[4] proximo preterite presente tunc fidelium multitudine copiosa omnes concessiones huiusmodi quocumque modo et sub quacumque forma factas a sede predicta omnesque litteras et indulgentias cunctaque privilegia super hoc ab ipsa obtenta totaliter auctoritate apostolica duximus revocanda, universis Christi fidelibus, cuiuscumque status, ordinis, condicionis, honoris et dignitatis existerent, eadem auctoritate sub pena excommunicationis districtius inhibentes, ne huiusmodi concessionum seu alio quocumque pretextu contra earundem sententiarum interdicti tenores in aliquibus ecclesiis sive locis eidem interdicto subiectis divina officia celebrare vel audire quomodolibet attemptarent. Hoc autem ideo fecimus, ut locorum homines eorundem tanti saltem consideratione discriminis ad ecclesie redirent humi-
Soph. 1, 12. liter unitatem. Verum quia ipsi, malitiis propriis excecati et in suis defixi fecibus, nec ex antidoto medicinali salutem nec ex vexatione recipiunt intellectum, nos, nolentes ulterius ob eorum nequitiam personas ecclesiasticas inter eos degentes divinis officiis penitus defraudari, de fratrum nostrorum consilio eisdem personis ecclesiasticis

---

a) *ita R. et M.; legas* dictum Manfredum *etc.; cf. infra sub Iun. 22.*

1) *A. 1264, Mart. 19 apud Urbemveterem Iohannes S. Severinae archiepiscopus, Theodinus Suanensis et Gerardus Firmanus episcopi testes reperiuntur; Vol. IV [beneficia], f. 38, ep. 77.* 2) *A. 1255, Mart. 25; BFW. 8966; cf. 9191.* 3) *A. 1263, Ian. 5 papa scripsit se nuper [a. 1262, Nov. 18? cf. not. 4 et p. 552, not. 2] praesente multitudine fidelium copiosa contra Ubertum et civitates et nobiles Lombardiae processisse; Potthast 18452.* 4) *Nov. 18.*

indulgemus, ut in collegiatis ecclesiis secularibus, in civitatibus et locis huiusmodi constitutis, clericis ecclesiarum ipsarum et in religiosorum conventibus fratribus religionis eiusdem penitentie, eucharistie, extreme quoque unctionis sacramenta recipere [ac][a] voce summissa, clausis ianuis, non pulsatis campanis, interdictis et excommunicatis et personis omnibus aliis cuiuscumque[b] condicionis aut sexus exclusis, divina officia liceat divisim vel insimul celebrare. A generalitate tamen excludendorum excepimus tam religiosas personas quam seculares clericos viatores, quos et in religiosorum et in secularium clericorum ecclesiis admitti permittimus ad divina in procinctu itineris constitutos vel infra diem tertium recessuros. In monasteriis etiam monialium et laicorum religiosorum, tam Humiliatorum quam aliorum, civitatum et locorum huiusmodi Domino famulantium licebit eisdem monialibus [et religiosis][c] suum vel alienum ad celebranda divina cum duobus honestis clericis vocare vel admittere sacerdotem. Conversi quoque, monasteriis servientes ipsarum[d], divinis officiis poterunt interesse cum ipsis. Preterea venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos et episcopos ad loca huiusmodi declinantes illius uti volumus privilegio libertatis, quod episcopis in favorem pontificalis officii constitutio concilii generalis indulsit[1].

Actum[e] apud Urbemveterem, Idibus Ianuarii, anno III°[2].

---

a) *M.*; ac *deest R.* b) *M.*; quibuscumque *R.* c) *M.*; et religiosis *deest R.* d) *ita R. et M.: corrigendum videtur* ipsorum. e) Datum *M.*

1) *Cf. Corp. iuris canon. c. 25, X [Lib. V, tit. 33], de privil.* 2) *Annotamus quaedam de episcopis et clericis regni Siciliae Urbano adhaerentibus: De Thoma episcopo Squillacensi cf. supra n. 514. — A. 1261, Nov. 17 Marinum 'quondam' electum Capuanum appellarit; Lib. I, 19; Potthast 18152. A. 1263, Ian. 4 magistro Marino capellano suo, quond. Cap. el., gratia; Lib. II, 39. Electo Capuano scripsit sub a. 1264, Iul. 2; Lib. III, 283. — De Leonardo archiepiscopo Panormitano sub a. 1261, Dec. 28; Potthast 18199. — A. 1262, Mart. 3 episcopus Cathaniensis et magister Marinus Tropensis electus testes Viterbii; Vol. IV [beneficia], f. 46, ep. 98. Episcopo Cathaniensi mandata sub a. 1263, Nov. 5; ibid. f. 234, ep. 20; f. 260, ep. 143. Charta Angeli episcopi Cath. pro Sanctoro de Lentino data Viterbii a. 1262, Apr. 8 in Clem. IV Reg. Lib. I, 130. — A. 1262, Mart. 15 et 20 et a. 1263, Sept. 12 in favorem abbatis et monasterii Montis Virginis; Lib. I, 72, 71; Posse p. 16, n. 193, 192; Lib. III, 5 = Vol. II [cameralia], f. 119, ep. 1 = Potthast 18647; cf. 18463, 18780. — A. 1263, Mart. 6 praeposito et capitulo Valvensibus nuntiavit, cum capitulis regni Siciliae interdictum esset, ne ad electiones procederent, se ecclesiae eorum Iacobum de ordine Praedicatorum praefecisse, quem archiepiscopus Messanensis consecrasset; Lib. II, 81; Posse p. 18, n. 214. De eodem archiepiscopo in Urbe commorante sub a. 1263, Iul. 29; Potthast 18610. — De [Iohanne] archiepiscopo Barensi sub a. 1263, Mai. 11; Vol. II [cameralia], f. 53', ep. 1; Potthast 18531. — A. 1263, Iun. 1 episcopo Theatino mandatum; Potthast 18551. Oct. 28 inquisitionem contra Nicolaum de Fossa, qui pro episcopo Theatino se gereret, mandavit; Lib. III, cur. 14; Potthast 18694. — A. 1263, Aug. 25 Anibaldo Basilicae duodecim apostolorum presbytero cardinali mandavit, ut ecclesiae Marsicensi vacanti episcopum praeficeret; Lib. II, 208. — A. 1263, Aug. 28 F. episcopum Bitectensem Terracinam transtulit; Lib. II, 214. Sept. 29 fratri Iohanni de Colopardo monacho Cisterciensis ordinis, quem ecclesiae Bitectensi praefecisset, mandavit, ut ecclesiam gubernaret, proviso ne per Manfredum vel officiales eius se faceret intrudi vel ab eis administrationem reciperet; Lib. III, 128; de consecratione eius Lib. III, 129. — A. 1263, Sept. 25 [Petro] episcopo Aquinati exulanti provisum est in Ungaria; Lib. III, beneficia ep. 30. Petrus testis apud Urbemveterem erat a. 1263, Oct. 27; Vol. IV [beneficia], f. 85, ep. 41; de eodem ibid. f. 232, ep. 12 = Potthast 18714. A. 1265, Mart. 4 Clemens IV ei administrationem episcopatus Sabinensis usque ad beneplacitum apostolicum commisit; Lib. I, 5; Posse p. 37, n. 451. — A. 1263, Nov. 1 episcopo Cephaludensi in Urbe commoranti mandatum; Lib. III, 35. — A. 1263, Nov. 17 magistrum Matthaeum de Salerno, subdiaconum et capellanum suum, ecclesiae Salernitanae praefecit; Nov. 29, cum ad ecclesiam suam accedere non posset, eius consecrationem distulit; Lib. III, 59, 60. — A. 1263, Nov. 17 capitulo Tranensi inhibuit, ne sibi de episcopo providerent, cum ipse fratrem Iacobum ordinis Praedicatorum, tunc lectorem fratrum Urbevetanorum, ad regimen eiusdem ecclesiae vacantis nominasset; Lib. III, cur. 18. — A. 1263, Dec. 20 episcopo Caiaciensi aliisque de monasterio S. Mariae Calinensis, propter guerras, quae hactenus circa civitatem Calinensem invaluissent, collapso; Vol. IV [beneficia], f. 261, ep. 150; eidem episcopo sub Dec. 19; ibid. f. 257, ep. 132. — A. 1264, Ian. 25 Gualterum episcopum Ameliensem ad ecclesiam Pennensem et Adriensem transtulit; Lib. III, 86; Potthast 19018; eidem mandatum a. 1264, Apr. 13; Vol. IV*

572.

Urbanus IV papa magistro Gualoni notario suo legato mandat, ut cum civitas Lucana ferventem tractatum cum vicario in Tuscia Manfredi habeat de submissione sua, sex milia marcarum sterlingorum, quae pro Lucanis sibi assignentur, diligenter salvare procuret. *1264, Ian. 25.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 89—90; Lib. III, cur. 38. Damus Pertzii exemplar. BFW. 9385.

Magistro Gualoni notario nostro, apostolice sedis legato[a].

Intelleximus, licet id credere vix possimus, quod commune civitatis Lucane ferventem habet cum . . vicario[1] in Tuscia Manfredi quondam principis Tarentini tractatum de civitate ipsa eius dominio submittenda[2]. Volumus igitur et presentium tibi auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus habeas in hac parte oculos apertos et aures intentas, et si forte perpenderis eos in fide Romane ecclesie claudicare ac fore per ipsos tractatum huiusmodi consumandum, tu sex milia marcarum sterlingorum, que assignari tibi vel tuo procuratori seu nuntio tuo nomine a dilecto filio magistro Milone scriptore et nuntio nostro in Francie et Anglie regnis pro ipsius civitatis defensione mandamus[3], taliter salvare ac conservare procures, quod quicquam

---

a) Eidem *R.*

[beneficia], f. 303, ep. 1557. — A. 1264, Febr. 22 abbatibus etc. et clero subiectis monasterio Casinensi, per Sardiniam constitutis, scripsit: monasterio Casinensi vacante maiorem partem conventus de mandato Manfredi Theodinum, qui se gessisset pro electo in episcopum Acerrarum, olim monachum Casinensem, in abbatem nominasse, qui ad Manfredum accedens, fidelitatis iuramento praestito, administrationi se ingessisset; se autem electionem cassasse, et si, ut diceretur, episcopus Troianus Theodinum confirmasset eique munus benedictionis impendisset, id quoque se cassare; Bernardum abbatem quondam Lirinensem monasterio se praefecisse; in e. m. vassallis etc. per Sardiniam; Lib. III, 115. De eadem re cf. iam sub a. 1263, Mart. 29; Potthast 18509; ex Reg.? — A. 1264, Mart. 9 archiepiscopus Tarentinus testis apud Urbemveterem; Clem. IV Reg. Lib. I, 83. — A. 1264, Mart. 13 et 19, Iun. 17 et Iul. 10 Iohannes archiepiscopus S. Severinae testis apud Urbemveterem; Vol. IV [beneficia], f. 49, ep. 106; f. 38, ep. 77; f. 65, ep. 156; f. 62, ep. 146. — A. 1264, Mart. 23 de Gottifredo episcopo Agrigentino; cf. p. 528, not. 4 et BF. 4748. — A. 1264, Apr. 29 Iacobum abbatem Cavensem, quem Matthaeus electus Salernitanus Apr. 16 monasterio praefecisset, confirmavit; Lib. III, 152, 157; cf. BF. 4756, 4757, 4767a. — A. 1264, Mai. 2 episcopo Siracusano mandavit, ut electionem in monasterio Graecorum S. Mariae de Carra Neocastrensis diocesis contra inhibitionem generalem de fratre Marco praesumptam cassaret, sed Marcum ob merita monasterio praeficeret; Lib. III, 151. — A. 1264, Iun. 5 episcopo Aquilensi mandatum; Vol. IV [beneficia], f. 177, ep. 622. — De ecclesia S. Agathae cf. Potthast 18443 et 18444. Cf. infra quoque sub a. 1264, Iul. 3 et 5.

1) *Francisco Simplice; cf. Ficker, Forsch. z. Reichs- u. Rechtsgesch. Italiens t. IV, p. 450, n. 442.* 2) *A. 1264, Ian. 17 papa Lucanis scripsit: se eis et Pisanis pro pace reformanda terminum 'infra unum mensem a data litterarum huiusmodi' dedisse, quo termino syndici Lucanorum venissent neque vero Pisanorum; itaque Pisanis iterato se iniunxisse, ut infra dominicam septuagesimae proximo venturam [Febr. 17] syndicos mitterent, quod Lucani et ipsi facerent; Lib. III, cur. 31. Antianis civitatis Pisanae excommunicatis eodem die de eadem re scripsit, ubi inter alia legimus Lucanos tam super castro Mutronis quam aliis quaestionibus in papam compromisisse; Lib. III, 32; Posse p. 22, n. 265, 266, falso sub a. 1263, Iul. 30; BFW. 9346; cf. etiam Potthast 18700 et 18753.* 3) *A. 1264, Ian. 24 papa Miloni scripsit: cum ei mandatum esset, ut de 10000 marcarum provenientium ex bonis Senensium publicatis [cf. p. 544, not. 1] 6000 marcarum [de reliquis 4000 cf. sub a. 1264, Iun. 5] Lucanis solveret, neque id fecisset, Lucanos supplicasse, ut sibi super hoc provideretur; verum quia Lucani, priusquam pecuniam reciperent, cautionem [super restitutione; cur. 37] praestare deberent, se mandare, ut nuntio Gualonis pecuniam assignaret, qui eam cautione recepta in defensionem civitatis converteret, si hoc anno exercitus [sic] fieri contingeret; Lib. III, cur. 36. Gualoni eodem die de eadem re; Lib. III, cur. 37. Cum debitores Senensium timerent, ne de pecunia convenirentur, quam Miloni solverent, papa a. 1264, Mart. 15 statuit, ne praetextu eius coram quibuscumque iudicibus conveniri possent; Lib. III, cur. 65. Sed in cur. 66, sub Mart. 20, legimus Milonem in quamplures ex debitoribus occasione huiusmodi excommunicationem promulgasse, quam*

de pecunia huiusmodi ad manus ipsius communis pervenire non possit, cum non esset conveniens ecclesiam eidem communi dare sagittas, quibus eadem fortius lederetur.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Kalendas Februarii, anno III°[1].

573.

Urbanus IV papa abbati Evrebodiensi, Th[eoderico] archidiacono de Blankehem in ecclesia Treverensi et scolastico S. Gereonis Coloniensis scribit se Arnoldo capellano suo, nato comitis de Los, praeposituram Coloniensem contulisse, sed [Engelbertum II] archiepiscopum Coloniensem, licet ab eodem homagium receperit, postea Henricum de Hinseberge, a capitulo in praepositum electum, confirmasse; mandat, ut archiepiscopum inducant, ut Arnoldum pacifica praepositurae possessione gaudere faciat. *1264, Ian. 27.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 101, ep. 117. Epistolam nos inde descripsimus. BFW. 9387.

Abbati Evrebodiensi[2] Premonstratensis ordinis Leodiensis diocesis, Th. archidiacono de Blankehen[3] in ecclesia Treverensi et scolastico ecclesie Sancti Gereonis Coloniensis.

Dilectus filius Arnoldus capellanus noster[4], natus nobilis viri . . comitis de Los, prepositus ecclesie Coloniensis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod, olim confirmata[5] electione celebrata in eadem ecclesia de venerabili fratre nostro . . Coloniensi archiepiscopo, nos, preposituram eiusdem ecclesie, quam dictus archiepiscopus promotionis sue tempore obtinebat, Arnoldo conferentes eidem[6], decrevimus irritum et inane, si secus de ipsa contingeret attemptari, — non obstante quod nondum decursum erat tempus de consecrandis episcopis a canonibus diffinitum[7] —; dictusque archiepiscopus eundem Arnoldum in nostra et plurium fratrum nostrorum presentia in prepositum et, manus ipsius A. inter suas recipiendo, homagium ab ipso tamquam a Coloniensi preposito, [admittens][a] eum ad osculum pacis, recepit. Set postmodum idem archiepiscopus Henrico de Hinsebergue[8] ecclesie predicte canonico, quem ipsius ecclesie capitulum post collationem huiusmodi de facto, cum de iure nequiverint, in prepositum suum elegisse cuiusque electionem vicarius ipsius archiepiscopi confirmasse dicuntur, contra prefatum A. super hoc non est veritus nec veretur favorem impendere, asserens quod idem A. nec homagium sibi exhibuit nec huiusmodi iuramentum[b]. Unde nos eidem archiepiscopo nostris dedimus litteris firmiter in preceptis, ut, amoto ab eadem prepositura dicto Henrico seu quolibet alio detentore, faceret prefatum A. ipsius preposLiture pacifica possessione gaudere ac eidem tamquam Coloniensi preposito intendi et de iuribus ac proventibus ipsius prepositure plenarie responderi, in-

---

a) admittens *supplevimus ex ep. ap. Potthast 18802. Locus in nostra ep. minus apte compositus est; cf. ibid.* b) quod idem A. exhibere sibi homagium huiusmodi non curarat; *Potth. 18802; melius, quia* iuramentum *antea commemoratum non sit.*

ipsi damnabiliter contempsissent. Apr. 5 papa Miloni de eisdem 6000 marcarum sterlingorum colligendis et Lucanis exhibendis scripsit eique de hac pecunia 100 libras Turonensium pro sustentatione sua concessit; Vol. IV [beneficia], f. 145, ep. 389.

1) *A. 1264, Aug. 14 civitas Lucana Manfredo se subiecit; BF. 4754 a.* 2) *Averboden in Brabantia, ex sept. et occ. civ. Diest.* 3) *Blankenheim in Eiflia, e mer. civ. Münstereifel.* 4) *Cf. n. 385.* 5) *Cf. p. 502, not. 1.* 6) *Iam a. 1262, Dec. 31 Urbanus Arnoldum praepositum Coloniensem appellavit; Lib. II, 38; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 291, n. 623.* 7) *Cf. p. 351, not. 4. Engelbertus per annum et diutius electus fuerat; propter quod spatium sex mensium a die, quo a papa confirmatus est, cucurrisse videtur. Ei concessum fuisse videtur, ut usque ad tempus, quo consecrationem secundum canones deberet recipere, praeposituram retineret.* 8) *Heinsberg.*

iuncto venerabili fratri nostro . . Leodiensi episcopo[1] et abbati Sancti Trudonis[2] Leodiensis diocesis per alias nostras litteras, ut ipsi vel eorum alter, si dictus archiepiscopus mandatum nostrum in hac parte negligeret adimplere, ipsum ad id monitione premissa sublato cuiuslibet appellationis obstaculo auctoritate nostra compellere procurarent. Ceterum archiepiscopo intimavimus supradicto, quod procederemus ad revocationem gratiarum sibi concessarum a nobis, si mandatis nostris super hoc per omnia non pareret. Et licet prefatus episcopus, prout ex beneficio litterarum directarum ad ipsum et memoratum abbatem poterat, in eundem archiepiscopum pro eo, quod mandatis nostris super hoc parere neglexerit, canonica monitione premissa suspensionis sententiam duxerit promulgandam, ipse tamen archiepiscopus huiusmodi sententiam dampnabiliter vilipendens mandatis nostris parere contempnit. Quare prefatus A. nobis humiliter supplicavit, ut ei super hoc providere paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, eiusdem A. supplicationibus inclinati, discretioni vestre mandamus, quatinus vos aut duo vel unus vestrum per vos vel per alium seu alios sepefatum archiepiscopum moneatis et efficaciter inducatis, ut ad executionem mandati nostri procedat infra quindecim dies iuxta priorum directarum ad ipsum nostrarum continentiam litterarum. Alioquin gratias huiusmodi, et quicquid per eas factum est, si monitis vestris non paruerit in hac parte, que omnia cassamus, revocamus et statuimus nullius existere firmitatis, cassa, revocata et omni carere robore firmitatis denuntiare curetis.

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Februarii, anno tercio[3].

574.

Urbanus IV papa [Egenoni] episcopo Tridentino mandat, ut vitam suam reformet, bona alienata revocet et clericos civitatis et diocesis suae ab oppressionibus laicorum defendat. *1264, Ian. 28.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 29; Lib. III, 93. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9388.

. . episcopo Tridentino.

Accepimus, unde saltem propter infamiam, si forsan desipiens, quod non credimus, anime ac honoris non formidas periculum, potes erubescere ac dolere, quod tu quedam castra, redditus et proventus ad episcopalem mensam spectantia quibusdam nobilibus concessisti de novo in feudum et ex eis aliqua specialis ypothece titulo obligasti, ac alias bona ipsius mense dilapidans enormiter et consumens, vitam ducis nimium dissolutam, et cum in civitate ac diocesi Tridentina iurisdictionem obtineas temporalem, clericos earundem a laicorum violentiis et incursibus non defendis. Cum igitur prelatos conveniat ecclesiarum suarum bona et iura non minuere sed cum equitate, si possunt, augere, non deformare subditos pravitatis exemplis sed virtutum

---

1) *Henrico III.* 2) *Willelmo.* 3) *Etiam Ian. 28, Febr. 13 et 18 Urbanus in favorem Arnoldi scripsit; Vol. IV [beneficia], f. 104', n. 137; f. 111—112, n. 179—182; cf. Potthast 18802, sub Febr. 18. Sub Apr. 11 [Roberto] episcopo Virdunensi et praedicto Theoderico de Blankehen scripsit abbatem S. Trudonis ad excommunicationem Henrici de Hinsebergue neque vero ad privationem eius processisse, propter quod ipsi eundem monerent, ut praeposituram dimitteret, et capitulum, priores etc., ut Arnoldo intenderent; alioquin Henricum excommunicatum denuntiarent et beneficiis privarent, et in singulos de capitulo, priores etc. excommunicationis sententiam proferrent; ibid. f. 158, n. 483. In margine huius epistolae legitur:* De mandato domini nostri fuit expedita, non obstante multorum contradictione. — *Arnoldus praepositus a. 1264, Ian. 26 et Iun. 17 testis apud curiam papalem commemoratur; ibid. f. 19', n. 30 et f. 65, n. 156.*

suarum meritis informare ac defensionis se murum ponere pro eisdem, nos, qui nequaquam in ipsorum prelatorum delationibus delectamur, tibi, quantum citra divinam offensam et commissorum tibi cleri et ecclesie detrimentum possumus, deferre volentes, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, mandantes quatinus, si est ita, honori tuo consulens et saluti, actus tuos, mores et vitam reformes in melius, infeudationes et obligationes huiusmodi revoces, et omnino a bonorum ecclesie tue dilapidatione desistens, clericos ipsos ab oppressionibus et iniuriis tamquam bonus pastor protegas et defendas, ita quod omnis a te super hiis cesset infamia et odor fame laudabilis subsequatur nec oporteat super hoc aliter provideri.

Dat. apud Urbemveterem, V Kalendas Februarii, anno III°.

575.

Urbanus IV papa abbati S. Ypoliti Faventini mandat, ut provideat Guillelmo Azi de Favencia, qui una cum quondam Hugolino Azi patre suo, guerram contra fautores quondam Fr[iderici II] movens, non solum ab eisdem fautoribus sed ab aliis quoque multa bona illicite acquisiverit. *1264, Febr. 2.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 292, ep. 276. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

Abbati Sancti Ypoliti Faventini.

Dilectus filius nobilis vir Guillelmus Azi de Favencia, natus quondam Hugolini Azi, exposuit coram nobis, quod cum quondam Fr. olim Romanorum imperator eiusque fautores ipsi nobili et patri eius, dum viveret, pro eo quod erant devoti ecclesie, tam in domibus suis quam in aliis bonis eorum dampna gravia intulissent, ipsi postmodum, contra fautores huiusmodi hac occasione guerram moventes, dampnificarunt personas plurimas, multa non solum de bonis dictorum fautorum verum etiam aliorum, quos huiusmodi negocium non tangebat, illicite acquirendo. Quare dictus nobilis, sano ductus consilio, nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse tam pro se quam pro dicto patre suo, qui hoc voluit in extremis agens, paratus sit pro posse suo satisfacere de huiusmodi dampnis, ablatis et acquisitis iniuste, nec illorum notitiam habeat, quibus per eum restitui debeant taliter acquisita, providere sibi super hoc salubri remedio curaremus. De tua itaque circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni tue mandamus, quatinus in locis, in quibus bona huiusmodi recepta fuerunt et dampna data, et alibi etiam, ubi prudentie tue videbitur, denunciationibus publice propositis in hac parte, si post competentem terminum, quem super hoc peremptorie duxeris prefigendum, nulli appareant, quibus sit huiusmodi restitutio facienda, tu extunc ipsi nobili pro sua et eiusdem familie sustentatione illam quantitatem de huiusmodi bonis assignes, de qua consideratis diligenter circumstanciis universis videris expedire, ceteris omnibus in pauperes et alios pios usus pro animabus illorum, quibus dampna illa fuerunt illata, fideliter de proborum consilio distributis, contradictores[a] etc. usque: compescendo.

Dat. apud Urbemveterem, IIII Nonas Februarii, anno tertio.

---

a. contra *R.*

576.

Urbanus IV papa magistro Gualae notario suo legato scribit episcopum et clerum Papienses sibi conquestos esse, quod olim per quondam Fr[idericum II], postea per Ubertum marchionem Pelavicinum ac, civitate ad devotionem ecclesiae reversa, per legatos sedis apostolicae exactionibus pecuniariis nimis aggravati sint; mandat, ut, receptis centum libris monetae Papiensis, alias ipsos non molestet. *1264, Febr. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 113, ep. 187. Damus Pertzii exemplar.
BFW. 9389.

Magistro Guale notario nostro, apostolice sedis legato[1].

Ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi Papiensis[2] et dilectorum filiorum cleri Papiensis civitatis et diocesis fuit propositum coram nobis, quod Papiensis ecclesia per quondam Fr. olim Romanorum imperatorem et eius officiales multis fuit afflicta molestiis, cui maiorem partem proventuum suorum idem clerus aliquando et interdum sex milia librarum Papiensis monete singulis annis cum multa cordis anxietate persolvit. Postmodum vero Ubertus marchio Pelavicinus, dum eidem civitati prefuit, quatuor milia librarum ipsius monete ab eodem clero annuatim extorsit. Huiusmodi autem extorsionum occasione nonnulli ex eodem clero mobilia bona et immobilia, tegulas etiam ecclesiarum ipsorum vendere sunt coacti. Sane faciente illo, qui post (Tob. 3, 22.) tempestatem tranquillum et post nubilum dat serenum, eadem civitate ad devotionem sedis apostolice redeunte[3], predicti episcopus et clerus spem habuerunt sub protectione sedis ipsius vivere in quiete. Sed ipsi a legatis et nuntiis dicte sedis in procurationibus eis exhibendis multipliciter aggravantur. Nam tu, prout asserunt, in primo anno tue legationis[4] trecentas libras predicte monete nomine procurationis et in secundo tantundem episcopo et clero imposuisti eisdem, quas ipsi tibi liberaliter persolverunt. Sed tu nichilominus ad presens ducentas libras predicte monete ab episcopo et clero exigis supradictis. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, ipsis super huiusmodi afflictionibus, quas a Fr. et marchione predictis sustinuerunt, paterno compatientes affectu, volumus, quod de huiusmodi ducentis libris, quas ab eis exigis, summa centum librarum contentus existas. Nos enim, postquam eas tibi solverint, ipsos a residuo duximus absolvendos. Quocirca mandamus, quatinus receptis ab eis huiusmodi centum libris ipsos super residuo non molestes, excommunicationis quoque, suspensionis et interdicti sententias, si quas in ipsos communiter aut in ipsorum aliquem specialiter seu eorum ecclesias occasione predictarum ducentarum librarum per te vel alium forsitan promulgasti, sine qualibet difficultate relaxes. Alioquin dilecto filio . . priori fratrum Predicatorum Papiensium damus nostris litteris in mandatis, ut postquam predicti episcopus et clerus tibi vel procuratori aut nuntio tuo pro te predictas centum libras solverint, huiusmodi sententias sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo auctoritate nostra studeat relaxare[5].

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Februarii, anno tertio.

577.

Urbanus IV papa notum facit, olim in Metensi ecclesia electionibus de Philippo tunc thesaurario et quondam Theobaldo cantore in discordia celebratis, lite apud sedem apostoli-

1) *Cf. n. 572.* 2) *Guillelmi.* 3) *Cf. n. 493.* 4) *A. 1261, Febr. 16 Alexander IV eum cum plenae legationis officio ad partes Tusciae et marchiae Ianuensis destinaverat; Lib. VII, 10; Bibl. de l'école des chartes a. 1877, t. 38, p. 106.* 5) *Huic eodem die scriptum est; ibid. ep. 188.*

cum pendente Philippum ab [Henrico II] electo Treverensi confirmatum et consecratum esse; cum autem idem postea voluntarie resignaverit, se ad vitandum scandalum sententias et processus eius interim habitos rata habere. *1264, Febr. 11.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 116, ep. 204. Epistolam non inde descripsimus. BFW. 9391.

Ad futuram rei memoriam.

Olim Metensi ecclesia destituta pastore[1] ac duabus in ipsa electionibus, una videlicet de dilecto filio Phylippo[2] tunc thesaurario et alia de quondam Theobaldo cantore ipsius ecclesie, in discordia celebratis, tandem huiusmodi negotium per appellationem eiusdem P. fuit ad sedem apostolicam legitime devolutum. Quo in curia nostra pendente[3], dictus P., confisus quod idem cantor cesserat iuri suo[4], electionem de ipso factam per . . Treverensem electum loci metropolitanum confirmari obtinuit et sibi ab eo munus consecrationis impendi[5]; ac in pontificali officio diutius ministravit. Sed licet nos postmodum confirmationem huiusmodi ac quicquid esset inde secutum, utpote[a] non solum contra iura verum etiam in predicte sedis iniuriam, ubi causa huiusmodi agebatur, presumpta, duxerimus per nostras litteras de fratrum nostrorum consilio irritanda[6]: quia tamen idem P. demum ad presentiam nostram accedens omne ius in hac parte sibi competens in nostris manibus voluntarie resignavit, nos ob id et ad vitandum animarum periculum et scandalum plurimorum, quicquid post confirmationem ipsius P. usque ad tempus, quo ad eius notitiam de revocatione huiusmodi potuit pervenire, factum est per ipsum et illos, qui vices eius gerebant, necnon absolutiones excommunicatorum, collationes et investituras ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum, sententias et processus causarum tam per officiales ipsius quam per abbatem Sancti Vincentii Metensis pro ipso et alia queque ad ecclesiasticam iurisdictionem spectantia, dummodo alias sint hec omnia rite acta, tenore presentium rata et firma esse volumus[7] — non obstante[b] revocatione predicta, vel si huiusmodi beneficia post collationem ipsius P. forent aliis auctoritate nostra collata — et decernimus universa et singula de gratia speciali firmitatem omnimodam obtinere. Nulli ergo — nostre constitutionis etc[8].

Dat. apud Urbemveterem, XVI Kalendas Martii, anno III[9].

a) utpote *add. in marg.* b) *ita R.*

1) *Per mortem Iacobi episcopi a. 1260, Oct. 24. Hic in 13000 marcarum sterlingorum quibusdam civibus Romanis tenebatur; de quo debito Urbanus quandam ordinationem a. 1264, Mart. 31 confirmavit: Lib. III, 143; Posse p. 31, n. 372; cf. supra n. 459 et 484.* 2) *De Florenges ad Mosellam, infra civ. Metensem.* 3) *Alexander IV O[ctavianum] S. Mariae in Via Lata diaconum cardinalem partibus auditorem concesserat: Urb. Lib. III, 11; Potthast 18656.* 4) *A. 1263, Mai. 28 papa narraverat Philippum cum quondam Th. cantore in negotio electionis simoniacam pravitatem contraxisse; propter quod cantor ad curiam citatus esset; sed ante vindictam eum mortuum esse; Vol. II [cameralia], f. 53', ep. 2.* 5) *Cf. Gesta Trevir. SS. t. XXIV, p. 416 et infra sub a. 1267, Dec. 19. A. 1261, Mai. Philippus episcopus appellatus est; BFW. 11888 et 11890.* 6) *A. 1263, Sept. 24; Lib. III, 11; Potthast 18656; cf. 18271. Sept. 26 S. decano et P. cantori Metensibus curam et custodiam ecclesiae Metensis commisit, donec ei de pastore provisum esset. In eundem modum inter alios magistro scabinorum, tredecim iuratis et universo populo civitatis Metensis; in e. m. comiti Barrensi, cuius devotionem laudavit; Lib. III, 12. Procuratori eiusdem comitis etiam a. 1264, Ian. 31 gratiam fecit; Vol. IV [beneficia], f. 288, ep. 261; cf. ibid. f. 256, ep. 127.* 7) *Sed a. 1264, Mai. 18 Urbanus declaravit per huiusmodi ratificationem illa tantum, quae per Philippum circa spiritualia facta essent, firma existere debere, neque se velle, ut haec ad temporalia se extenderent; Lib. III, 176.* 8) *Urbanus per Radulfum episcopum Albanensem et Simonem tit. S. Caeciliae presbyterum cardinalem Philippo de bonis provideri fecit, quorum ordinationem a. 1264, Apr. 29 confirmavit; Vol. IV [beneficia], f. 46, ep. 99. A. 1264, Febr. 14 Philippum 'capellanum suum', Feb. 13 et in gratiis ei postea concessis 'episcopum, thesaurarium Metensem' appellavit; ibid. f. 116, ep. 205, 535, 592, 660, 791, 1662, 1704—1706.* 9) *A. 1264, Febr. 12 Urbanus Guillelmum de fratrum consilio et plenitudine*

578.

Urbanus IV papa [Wernero] archiepiscopo Maguntino mandat, ut [Henrico IV] electo Argentinensi, qui propter guerras sedem metropolitanam adire non possit, alium locum assignet, quo ordines et munus consecrationis recipiat. *1264, Febr. 20.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 292, ep. 279. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9393.

Archiepiscopo Maguntino.

Cum, sicut dilecto filio . . electo Argentinensi [1] accepimus intimante, ipse propter viarum discrimina et guerrarum incursus illarum partium sedem metropolitanam secure adire non possit, a te diaconatus et presbyteratus ordinem ac munus consecrationis statutis temporibus recepturus, nos, attendentes sincere[a] devotionis affectum, quam dudum Romana ecclesia contra ipsius persecutores in Argentinensi ecclesia se recolit invenisse, ac tum propter hoc tum etiam ob causam premissam ipsi electo in hoc cupientes deferri, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus assignes sibi locum aliquem, ad quem secure tuam possit adire presentiam pro premissis. Alioquin committas aliquibus episcopis gratiam et communionem sedis apostolice obtinentibus, qui ei ordines et munus huiusmodi eisdem temporibus conferant vice tua [2].

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Marcii, anno tertio [3].

579.

Urbanus IV papa priori provinciali Praedicatorum in Lombardia et guardiano Minorum Astensium mandat, ut inquirant de gestis [Philippi] episcopi Placentini, qui civitatem Placentinam, hucusque ecclesiae Romanae devotam, Uberto Pelavicino dederit. *1264, Febr. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 33; Lib. III, 112. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 540, n. 126 edidit, contulimus cum Regestis.
Potthast, Reg. 18807; BFW. 9396.

. . priori provinciali Predicatorum in Lombardia et . . guardiano Minorum fratrum Astensium.

Eo sollertius insequi et studiosius corrigere in prelatis excessus nos convenit, quo in eis gravius scandalizantur subditi et pernitiosius excessus huiusmodi recipiunt in exemplum. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod venerabilis frater noster . . Placentinus episcopus, tamquam sibi molestum existeret, quod in devotione Romane

---

a) scincere *R.*

potestatis ecclesiae Metensi praefecit; Lib. III, 103. Guillelmus electus a. 1264, Febr. 23 in praesentia papae constitutus erat; Iul. 14 'episcopus' appellatus est; Vol. IV [beneficia], f. 124, ep. 260; f. 198, ep. 791; cf. ep. 236, 257, 259, 450. Cf. Richeri Gesta Senon. eccl. SS. t. XXV, p. 335 et sequ. et 344.

1) *Qui electus est a. 1263 inter Febr. 14 et Apr. 10; Strassb. U. B. t. I, p. 393, n. 518.* 2) *Henricus IV 'episcopus' primo vocatur a. 1264, Iun 7; ibid. p. 427, n. 561.* 3) *A. 1263, Nov. 5 decano et capitulo Honaugiensibus facultatem concesserat recipiendi Iohannem clericum, natum Nicolai dicti Zorn militis Argentinensis, in fratrem et canonicum, cum per industriam clerici et potentiam suorum et consanguineorum speraretur eis commodum provenire; Lib. III, beneficia f. 129', ep. 25; pro eodem Vol. IV [beneficia], f. 78, ep. 14; cf. etiam ibid. f. 123, ep. 244; f. 148, ep. 412; f. 236, ep. 29. A. 1264, Apr. 8 papa electo Argentinensi ad preces magistri, consulum et universitatis Argentinensium, devotorum ecclesiae, pro Waltero dicto de Sarburc clerico Argentinensi scripsit; ibid. f. 149, ep. 417.*

ecclesie Placentina civitas persistebat, ipsam Uberto Pelavicino, indevotionis filio et eiusdem persecutori ecclesie manifesto, dedit, ipsumque Ubertum in dictam civitatem, eum addextrando seu ipsius lateri assistendo, induxit, atque processionaliter recepit eundem, postposita prorsus pontificis gravitate[1]. Licet igitur prurientes non habeamus aures in delationibus prelatorum, quantum cum Deo possumus, deferentes eisdem, quia tamen hec non est culpa, que possit vel debeat sub dissimulatione transiri, discretioni vestre mandamus, quatinus super hiis apud civitatem predictam, si secure poteritis, vel alibi in loco civitati vicino eidem, ad quem tam idem episcopus quam producendi testes secure possint accedere, inquiratis sollicite veritatem et eam fideliter conscribentes sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam, prefixo eidem episcopo peremptorio termino competenti, quo per se vel procuratorem ydoneum apostolico se conspectui representet, — non obstante indulgentia sedis apostolice, qua dicitur ordinibus vestris **esse concessum, ut fratres ipsorum ordinum cognoscere non possint inviti seu se intromittere de negotiis, que ipsis a sede committuntur eadem, nisi commissionis** huiusmodi littere de ipsis indulgentia et ordinibus plenam et expressam de verbo ad **verbum fecerint mentionem.**

Dat. apud Urbemveterem, VII Kalendas Martii, anno tertio[2].

580.

Urbanus IV papa ducem et populum Venetorum hortatur, ut, Azone marchione Estensi rebus humanis exempto, Opizoni nepoti et heredi eius, quem ipsi una cum multis aliis de Lombardia, marchia Tervisina et Romaniola capitaneum et defensorem fidelium ecclesiae unanimiter statuerint, favorabiliter assistant. *1264, Febr. 26.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 93; Lib. III, cur. 48. Damus Pertzii exemplar.
Potthast, Reg. 18808; BFW. 9397.

Nobili viro . . duci[3] et communi Venetorum.

Gustavimus amaritudinis calicem, intimato nobis obitu quondam Azonis marchionis Estensis[4], sue pure devotionis[a] celebri hactenus opinione conspicue recordantes; quam dum in mente revolvimus, reputamus in ipso precordialem sedis apostolice filium perdidisse, cuius inclita merita circa proprie fidelitatis constantiam et honorem ac exaltationem matris ecclesie laudabilium operum exercitio claruerunt. Ex hoc profecto nec mirum in vobis etiam doloris debet causa consurgere, cum prosperum statum vestrum dilexerit fueritque stabili vobiscum, ut credimus, unanimitate coniunctus. Propterea, ne in conspectu eorum, quos dilexisse comperitur, nomen eius videatur periisse cum carne, nos et vos tenemur eum habere memorie quasi vivum ac in dilecto filio nobili viro Opizone nepote ac herede[5] ipsius per gratiosi favoris exhibitionem ostendere affectum habitum erga illum, maxime cum nepotem ipsum sub nostra et

a) *sequitur in R.:* etc. ut in superiori usque: claruerunt.

1) *A. 1261, Apr. 3 Ubertus Placentiam intravit; Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 513; cf. etiam Potthast 18025. Urbanus a. 1262, Nov. 28 Philippo episcopo mandatum dedit; Potthast 18430.* 2) *A. 1263, Dec. 4 papa mandavit, ut de G. abbate S. Prosperi Regini inquireretur, qui nuntios et fautores Uberti Pelavicini in monasterium suum intromisisset; Lib. III, cur. 24; Potthast 18733. A. 1264, Mai. 7 abbati et conventui S. Benedicti de Padolironis mandavit, ut cum abbas de Mezano propter tyrannidem Uberti in monasterio suo morari non posset, ei vitae necessaria ministrarent; Vol. IV [beneficia], f. 161; ep. 502; Posse p. 32, n. 391.* 3) *Raynerio Zeno; cf. n. 559.* 4) *Obiit a. 1264, Febr. 17.* 5) *De Raynaldo patre Opizonis cf. p. 100, not. 4. A. 1264, Mart. 5 papa Opizoni de morte avi condoluit; Lib. III, cur. 47; Potthast 18816.*

diete sedis protectione reliquerit ac eidem, quod fideliter in ecclesie devotione persistat, in ultima, sicut accepimus, preceperit voluntate. Nos igitur, sperantes quod nature dotes in eundem nobilem profluxerunt et quod ipse veluti gemellus ex radice sincera progrediens fructus amabiles virtutibus adherendo producet, quia vos una cum multis aliis de Lombardia, marchia Tervisina et Romaniola, ecclesie Romane devotis, predicto marchione rebus humanis exempto eundem Opizonem capitaneum et defensorem fidelium ipsius ecclesie unanimiter, sicut intelleximus, statuistis, offerentes vos promptos, expositos et paratos ad impendendum sibi contra eiusdem hostes ecclesie, qui sui sunt inimici, oportunum consilium, auxilium et favorem, nos animorum vestrorum super hoc promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus fore decrevimus attollendam, universitatem vestram rogantes attentius et hortantes, quatinus id, quod circa eundem O. laudabiliter inchoastis, constantibus animis prosequentes ac habentes ipsum eiusque negotia ob reverentiam apostolice sedis et nostram propensius commendata, sibi contra ipsos hostes favorabiliter assistatis, ita quod, eo vestris adiuto presidiis, suscipiat robur fortitudinis status eius, idemque avi libentius imitando vestigia se posseque suum ad exaltationem vestre civitatis semper exponere teneatur, nosque sinceritatem vestram condignis exinde gratiarum actionibus prosequamur.

Dat. apud Urbemveterem, V Kalendas Martii, anno tertio.

In eundem modum . . potestati, consilio et communi Ferrariensibus[1].
In eundem modum . . potestati, consilio et communi Mantuanis[2].
In eundem modum . . potestati, consilio et communi Paduanis.
In eundem modum . . potestati, consilio et communi Ariminensibus.
In eundem modum . . archiepiscopo Ravennati.
In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Mutina.
In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Parma.
In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Bononia.
In eundem modum capitaneis partis devotorum ecclesie in Regio[3].

581.

Urbanus IV papa Ildebrandino comiti Tusciae palatino mandat, ut Iacobum et Tancredum filios quondam Guicti de Bisentio, qui postquam una cum quondam Nicolao fratre suo Guiscardum de Petra Sancta rectorem patrimonii b. Petri in Tuscia trucidarint, in castris vassallorum ipsius comitis palatini refugium invenerint, capiat et vassallos suos compellat, ut satisfaciant. *1264, Febr. 29.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 91; Lib. III, cur. 43. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 29, n. 356; BFW. 9400.

Nobili viro Ildebrandino comiti Tuscie palatino[4].

Fili, scire te credimus, qualiter illi viri sanguinum Iacobus et Tancredus et quondam Nicolaus nati quondam Guicti de Bisentio[5], manifesti Romane ecclesie pro-

1) *A. 1264, Apr. 30 episcopo Ferrariensi mandavit, ut cum censum Ferrariae 35 marcarum argenti quondam A. marchioni Estensi et redditus Ripae Ferrariae et Figaroli Stephano nepoti marchionis primo anno pontificatus sui pro tribus annis concessisset, post idem triennium procederet ad censum et redditus colligendos iuxta traditam ipsi formam; Vol. II [cameralia], f. 147.* 2) *Cf. Vignati, Cod. dipl. di Lodi t. III, p. 358, n. 358 et 359.* 3) *Precibus Bonifatii de Canusia militis Reginae diocesis, curiae suae marescalci, papa a. 1263, Dec. 2, 5, 18 et a. 1264, Iun. 6 annuit; Vol. IV [beneficia], f. 250, ep. 102 et 101; f. 263, ep. 157; f. 327, ep. 1735; cf. Vallicoloris V. Urb. ap. Muratori SS. t. IIIb, p. 418B.* 4) *A. 1264, Mart. 1 papa Ildibrandinum de Soana comitem palatinum Tusciae suum et ecclesiae Romanae devotum appellavit; Vol. IV [beneficia], f. 122, ep. 241.* 5) *Cf. n. 528.*

ditores, postposito fidelitatis debito, quo nobis et eidem tenebantur ecclesie, crimen lese maiestatis committere non verentes, in quondam Guiscardum de Petra Sancta rectorem patrimonii beati Petri in Tuscia[1] cum quibusdam suis satellitibus hostiliter irruerunt, et ipsum diris lacessitum iniuriis, effossum gladiis et lanceis impetitum inhumaniter prostrantes in terram, exuta prorsus humanitatis mansuetudine, feri plus feris quibuslibet, crudeliter trucidarunt, non eius generi, non virtutibus, non meritis neque proprio domino deferendo. Nec ignoras, qualiter iidem proditores, hiis non contenti, dum idem Guiscardus iaceret in terra plagis superimpositis semivivus, ipsum reaggressi sunt iterum, et caput a corpore, ut sue plenius nequitie satisfacerent, abscidentes, etiam tertio in eum insilire iam mortuum, et corpus exanime cruentis manibus laniantes, bestiali feritate cor a corpore et linguam a capite separarunt, in nostrum et ipsius ecclesie maius obprobrium, provincie scandalum et pernitiosum detestabilis proditionis exemplum[2]. Videat igitur et attendat tue circumspectionis industria, si tanti facinoris tanteque proditionis auctores receptaculum habere debeant in terris fidelium populorum, si Christianorum, quatumcumque ecclesie predicte rebellium, debeat eis favor impendi, qui tante confusionis obprobrio eiusdem ecclesie faciem resperserunt. Verum quia ad audientiam nostram non sine amaritudine multa pervenit, quod predicti Iacobus et Tancredus, huiusmodi patrato facinore in terram tuam et etiam in castra dominorum de Manciano[3] et de Capalbio[4] et aliorum quorundam vassallorum tuorum se fiducialiter transferentes, ibidem refugium et auxilium invenerunt, nos, tanto de hoc vehementius admirantes, quanto firmius sperabamus te debere persequi omnes predicte inimicos ecclesie, sed specialiter prefatos sceleratissimos proditores, nobilitati tue per apostolica scripta sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte teneris, districte precipiendo mandamus, quatinus predictos Iacobum et Tancredum diffidans in personis et rebus, ipsos, si in terris tibi tuisque vassallis subiectis poterunt inveniri, personaliter capere ac ad nos sub fida custodia destinare procures, et nichilominus predictos dominos de Manciano et de Capalbio ac alios vassallos tuos, qui eos post predictum facinus receptarunt, ut nobis et predicte ecclesie matri tue de tanta in hoc illata nobis iniuria plenarie satisfaciant et ydoneam nobis exhibeant cautionem, quod numquam illos in posterum receptabunt, per privationem castrorum et feudorum, que in tuo comitatu obtinent, et alias etiam, prout videris expedire, compellas, ita quod ex hoc evidenter appareat, quantum ipsius ecclesie zelaris honorem, nosque tue fidelitatis et devotionis, quam in hoc ostendes, promptitudinem in libro illabilis memorie conscribentes, letemur te nobis in hoc invenisse fidelem ac iura nobis et ipsi ecclesie filialis reverentie reddidisse.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Martii, anno III°[5].

---

1) *A. 1263, Iul. 14 papa fidelibus huius provinciae mandavit, ut Guiscardo rectori obedirent; Guiscardo mandavit, ut regimen ad recuperanda, manutenenda et conservanda iura ecclesiae gereret; Lib. II, 171 [= Potthast 18589] et 172; Posse p. 20, n. 243. A. 1263, Aug. 7 episcopum Ameliensem Guiscardo quantum ad spiritualia adiunxit; Vol. II [cameralia], f. 81', ep. 3; cf. Lib. III, cur. 33; Potthast 18775.* 2) *A. 1264, Febr. 6 papa Viterbiensibus fidelibus suis scripsit hoc 'die lune proximo preterito [Febr. 4], cum dictus Guiscardus per terras eorundem transitum faceret proditorum', factum esse; Cod. dipl. d'Orvieto p. 238, n. 383. Sub Mart. 7 rem iterum fusius narravit; Lib. III, cur. 50; Posse p. 30, n. 359; cf. Vallicol. l. c. p. 415.* 3) *Inter flumina Fiora et Albegna, e mer. et occ. civ. Pitigliano.* 4) *In valle fl. Fiora, distr. Orbetello.* 5) *De Iacobo et Tancredo cf. etiam Vol. IV [beneficia], f. 142, ep. 369; Potthast 18840 et 18841. Iidem a. 1264, Mart. 3 a communi Urbevetano ad poenam capitalem et confiscationem bonorum condemnati sunt; Cod. dipl. d'Orvieto p. 239, n. 384. Papa in favorem potestatis Urbevetani sub a. 1264, Mart. 1 et Apr. 15 [obtentu Bernardini Petri Rubei potestatis] scripsit; Vol. IV [beneficia], f. 122, ep. 241; f. 301, ep. 1569.*

582.

Urbanus IV papa Verulanis fidelibus suis mandat, ut omnes de terra sua, qui stipendia Manfredi suscepturi in regnum Siciliae accedant, capiant et detineant, quousque papa de ipsis aliter dispositurus sit, et bona eorum confiscent. **1264, Febr. 29.**

Urb. IV Reg. Vol. III, 92; Lib. III, cur. 45. ***Exemplar eiusdem epistolae, quod Terracinensibus directum Contator, Hist. Terracin. p. 72 ex authentico edidit, contulimus cum Regestis.***
Potthast, Reg. 18812; BFW. 9401.

..potestati, consilio et communi Verulanis, fidelibus nostris.

Res incredibilis, res nova et insolita et ab antique Campane[a] fidelitatis actibus aliena ad nostrum nuper pervenit auditum, que licet nequeat in credulitatem nostre mentis ascendere, animum tamen nostrum amaritudine nostrosque sensus gelido quodam stupore replevit. Intelleximus etenim, quod nonnulli milites et pedites de Campania, volentes ponere maculam in veteri, immo iam inveterata gloria Campanorum, in regnum Sicilie, stipendia Manfredi quondam principis Tarentini contra Romanam ecclesiam eorum matrem et dominam ipsiusve fideles et devotos ecclesie suscepturi, accedere presumpserunt, ex quo, si hoc verum esset, patria vestra gravi respergeretur infamia totaque illa regio, que stabili semper fidelitate prefulsit, videretur iam propter illorum nefarias presumptiones, ne dicamus proditorias infidelitates, contagiis obfuscari[1]. Et ideo nos, nolentes tante temeritatis excessum in illis, si qui hoc attemptaverunt iam vel deinceps attemptaverint, relinquere impunitum, universitati vestre per apostolica scripta sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena mille marcarum argenti districte precipiendo mandamus, quatinus omnes illos de terra[b] vestra, qui ad predictum regnum taliter accesserunt aut de cetero accesserint, cum occulti vel ignoti vobis esse non possint, personaliter capere ac sub arta detinere custodia, quousque de ipsis aliter disponamus, et domos ipsorum ex toto diruere, nec non bona eorundem omnia confiscare[c] omni dilatione, difficultate ac excusatione cessante, sicut nostram et apostolice sedis caram habetis gratiam, sollicite procuretis, procedentes eodem modo contra barones et alios nobiles similis culpe reos, quantum ad domos et bona eorum, que in vestra terra[b] vel districtu vestro consistunt, quorum etiam personas, si eos ad terram vestram venire contingat, nichilominus capiatis, sciturі pro certo, quod si nostrum[d] non impleveritis efficaciter in hac parte preceptum, merito vos, quorum fidelitatem in hoc experiri specialiter volumus, tante illorum nequitie conscios seu participes reputabimus et predictam penam solvi nobis plenarie faciemus. Et ecce venerabili fratri nostro . . episcopo Verulano litteris nostris iniungimus, ut ipse diligentiam vel negligentiam vestram super hoc nobis studeat fideliter intimare.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Martii, anno tertio[2].

In eundem modum episcopo Verulano. Res incredibilis etc. verbis competenter mutatis usque: quorum etiam personas nichilominus capiant, si eos ad terram ipsam venire contingat. Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus, quatinus diligentiam sive negligentiam, quam iidem rector, consilium et commune habuerint in hac parte, nobis studeas fideliter intimare, ac insuper Verulanos illos necnon barones et nobiles et alios tue civitatis et diocesis,

---

a) *ita R.* b) civitate *C.* c) conficare *R.* d) nostrum — efficaciter *in loco raso.*

1) *Cf. n. 545.* 2) *A. 1263, Dec. 10 et a. 1264, Mart. 29 papa interdixit, ne castra, feuda et possessiones in Campania et Maritima nisi ex eis oriundis conferrentur; a. 1264, Febr. 27, ne Campanini et Maritimani matrimonia inirent cum hominibus regni Siciliae seu aliis sub tyrannide Manfredi morantibus; Lib. III, cur. 20, 68 et 44; Potthast 18735, 18844, 18810.*

qui propter hoc in predictum regnum ire attemptaverunt vel attemptaverint, cum vix aut numquam tibi esse possint incogniti, per eandem civitatem et diocesim excommunicatos nominatim ac publice nunties et nuntiari sollempniter facias et ab omnibus artius evitari, eorum nobis nomina sub tuo sigillo fideliter transmissurus.

Dat. ut supra.

583.

Urbanus IV papa [Engelbertum II] archiepiscopum Coloniensem absolvit a iuramento, quod captus civibus Coloniensibus praestiterit. *1264, Mart. 8.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 45; Lib. III, 149. V. Cl. Monaci cum Regestis contulit exemplar, quod Böhmer, Acta imp. sel. p. 682, n. 978 edidit, sumptum ex codice Vallicelliano C. 49, qui continet epistolas a Berardo de Neapoli collectas; Kaltenbrunner in Mitth. d. Instit. f. österr. Gesch. t. VII, p. 94. Sine dubio Berardus formam litterarum praebuit, quam apud curiam papalem invenit, sed quosdam locos correctos neglexisse videtur. Regestorum vero tenorem eum fuisse, quem papa approbaverit et archiepiscopo mitti iusserit, pro certo tenemus; cf. n. 584.

Potthast, Reg. 18818; BFW. 9403.

..archiepiscopo Coloniensi.

Coloniensium civium nimis effrenata, si[a] relata veritate nituntur, temeritas, non solum fidelitatis debitum, quo tibi et ecclesie Coloniensi tenentur, observancie cultura non colens, verumetiam reverentie filialis officium inofficiose preteriens et omnem prorsus legem rationis abhorrens, ad nostrum delata nuper auditum horroris materiam audientibus attulit et causam nimirum multe turbationis ingessit de presumptis in te per eos inaudite presumptionis excessibus, nobis et fratribus nostris patienti compatiendum suggerens et in eo presertim excedentibus condolendum, quod ipsi cum gravi animarum suarum periculo se gravibus irretivere criminibus, ignominiose resperserunt proditionis infamia et facies suas tante note ignominia repleverunt. Sicut enim habet communis circa predicta relatio, cum tu in archiepiscopali Coloniensi palatio, inopinati non previdens casus eventum, quem nullius eventurum hactenus exempli similitudo predixerat cuiusque tibi coniecturam nulla contra te civium ipsorum aperta turbatio seu quevis diffidatio vel tua erga ipsos demerita indicebant[1], more solito imminentibus tibi vacans negotiis morareris, cives ipsi et nonnulli sequaces eorum, te, spiritualem patrem ipsorum et temporalem dominum, persequentes, spiritu concitati nequitie ac diabolico furore commoti Deique timore postposito et debite fidelitatis federe violato, in dictum palatium, licet multe immunitatis privilegio ut dicitur insignitum, invasione temeraria subito irruentes, in personam tuam sacrilegas manus inicere teque ausu nefario capere[2] captumque ac contumeliis probrosis affectum et probris contumeliosis illusum veluti reum mortis deducere per plateas et demum in quadam domo[b] captivum, nobili viro ..domino de Falkemberg[3], germano tuo, in augmentum sceleris nichilominus captivato, tamdiu sub arta detinere custodia presumpserunt, donec prestitisti corporaliter iuramentum[4], quod super hiis per te vel per alium querimoniam non deponeres contra eos nec aliquod ipsis propterea gravamen inferres vel procurares inferri, quinimmo ad ipsorum absolutionem pro posse tuo fideliter laborares. Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas proprias reputamus,

a) si — nituntur *deest Bö.* b) turri *Bö.*

1) *Sed cf. Ennen, Gesch. d. St. Köln t. II, p. 172.* 2) *A. 1263 inter Aug. 25 et Dec. 16; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 482, n. 460 et 462.* 3) *Theoderico.* 4) *A. 1263, Dec. 16.*

illatas tibi tam graves, tam atroces et enormes iniurias non tam in tuum obprobrium Luc. 10, 16. quam in illius contemptum cedere, qui evangelica veritate testante se in suis ministris recipi testatur et sperni, nec minus in predicte Coloniensis ecclesie ac ecclesiastice libertatis grande dispendium vergere non indigne pensantes, ac volentes propterea superinductum contra hec iurisiurandi vinculum, quo te detentus in carcere ut predicitur obligasti, de apostolice dissolvere plenitudine potestatis: te, veris[a] existentibus supradictis, ab huiusmodi iuramento, quo tam grandi malefactorum astutia diceris obligatus, ut — eo non obstante — ius tuum super[b] predictis prosequi[c] libere valeas, sicut huiusmodi iuramento non prestito id licite facere potuisses, nec propterea reatum periurii seu quamvis infamie notam incurras, cum trahi non debeat ad coacte voluntatis obprobrium, quod illicita conditio necessitatis extorsit, auctoritate presentium duximus absolvendum[d].

Dat. apud Urbemveterem, VIII Idus Martii, anno III°.

584.

Urbanus IV papa [Henrico III] episcopo Leodiensi nuntiat se eum et [Gerhardum] episcopum Monasteriensem et [Theodericum VI] Clevensem et [Ottonem II] Gelrensem comites a iuramentis absolvere, quae pro liberatione [Engelberti] archiepiscopi civibus Coloniensibus praestiterint. *1264, Mart. 8.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 46; Lib. III, 150. Exemplar, quod Finke, l. c. edidit, cum Regestis denuo collatum a V. Cl. Monaci, contulimus cum illo, quod Böhmer, Acta imp. sel. p. 683, n. 979 ex codice Vallicelliano C. 49 proposuit; cf. n. 583.

Potthast, Reg. 18819; Finke, Westfäl. U.B. t. V, p. 299, n. 641; BFW. 9404.

..episcopo Leodiensi.

Coloniensium civium nimis effrenata, si relata veritate nituntur, temeritas, non solum fidelitatis debitum, quo .. archiepiscopo et ecclesie Coloniensi tenentur, observantie cultura non colens etc. ut in superiori proxima verbis competenter mutatis usque: captivato, sub arta detinere custodia presumpserunt. Cumque hoc ad tuam notitiam pervenisset, tu, ad eundem archiepiscopum metropolitanum tuum gerens debite compassionis affectum, te personaliter, sicut accepimus, Coloniam transtulisti, et ibi venerabili fratre nostro .. Monasteriensi episcopo ac nobilibus viris .. Clevensi[e] et .. Gellerensi comitibus ac pluribus aliis convocatis, circa liberationem eiusdem archiepiscopi una cum eis sollicitos impendisti labores. Verum malefactorum durities ad eundem archiepiscopum liberandum aliquibus persuasionibus molliri vel inclinari non potuit, donec archiepiscopus ipse prestitit corporaliter iuramentum, quod super hiis per se vel per alium querelam non deponeret contra eos nec ob id aliquod ipsis gravamen inferret vel procuraret inferri, quinimmo pro ipsorum absolutione fideliter laboraret. Te quoque nichilominus et episcopum ac nobiles predictos et alios oportuit urgente huiusmodi necessitate iurare, quod si prefatus archiepiscopus ea que iure-

---

a) veris — supradictis *deest Bö.* b) sup. pred. *deest Bö.* c) persequi ac iniuriam in te ipsi ecclesie tue illatam ulcisci libere valeas *Bö.* d) *sequitur ap. Bö.:* Ceterum quia nonnulli presbyteri et clerici Colonienses, predictorum excessuum non ignari, coram prefatis sacrilegis scienter presumpserunt et presumunt celebrare divina, ne ipsorum insolentia remaneat impunita, volumus, quod tam auctoritate nostra quam tua contra eos officii tui debitum exequaris. e) *Ita etiam infra sub Mai. 29;* duce *[sic]* Luczeburgensi *Bö. Utrumque nomen ex errore scriptum est; nam in authentico arbitrii a. 1263, Dec. 16 prolati legitur:* Wilhelm der greve van Gulechge; *Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 488, n. 462. Sed Clevensis et Luxemburgensis comites inter fideiussores arbitrii nominantur.*

iurando promiserat non servaret, vos contra ipsum eisdem civibus totis assistere viribus deberetis, vos ad id per patentes vestras litteras et cautiones alias obligando; ad quod prefatus dominus de Falkemberg se dicitur similiter obligasse. Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas etc. usque: absolvendum. Unde cum eidem archiepiscopo ad ius huiusmodi prosequendum[a] iuxta prescriptam formam procedere liceat, propter quod fore constat illicitum, si forsan tu et predicti episcopus ac nobiles pretextu iuramenti, cautionum et obligationum super hoc prestitorum a vobis assisteretis memoratis sacrilegis contra dictum archiepiscopum ius[b] huiusmodi prosequentem, nos, volentes memorate Coloniensi ecclesie specialiter ac vobis nichilominus salubri super hoc consilio providere, te ac episcopum et nobiles prefatos a predictis iuramentis per vos prestitis, ut — eis necnon et cautionibus ac obligationibus antedictis, quas ex officii nostri debito cassamus et nullius decernimus existere firmitatis, nequaquam obstantibus — civibus memoratis contra dictum archiepiscopum assistere in premissis minime teneamini, presentium auctoritate duximus absolvendos, nichilominus tibi et eisdem episcopo ac nobilibus sub pena excommunicationis districtius inhibentes, ne civibus ipsis in premissis quomodolibet assistere presumatis.

Dat. ut supra[1].

585.

Urbanus IV papa notum facit se ecclesiae Auximanae episcopalem dignitatem, olim ad castrum Recanatense translatam, restituisse, cum nunc cives Auximani devoti, incolae vero castri praedicti ecclesiae rebelles sint. *1264, Mart. 13.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 38; Lib. III, 125. Exemplar, quod Bull. Roman. ed. Taurin. t. III, p. 702, n. 17 praebet, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18825; Ciavarini, Collezione Marchig. t. IV, p. 7, n. 24 citat authenticum, sed falso sub a. 1263; cf. BFW. 9399.

Ad presentium notitiam et eternam memoriam futurorum.

Recti statera iudicii equo tunc examine temperatur, cum digna virtutibus premia et congrua vitiis stipendia recompensat; sic enim quibusque quod suum est ex ordine reddente iustitia, obsequiis videlicet gratiam et iniuriis talionem, ad benemerendum lentos movent exempla mercedum et in delicta pronos interdum ab incentivo prave similitudinis metus cohibet ultionis. Olim siquidem erga cives Auximanos et incolas castri Recanatensis Humanatensis diocesis apostolica sedes, eorum mater et domina specialis, huiusmodi utens iudicii equitate, quia iidem cives indevotionis et rebellionis assumpserant spiritum contra illam, civitatem eorum episcopali dignitate privavit ac eam cum tota diocesi sua ad castrum predictum, cuius tunc incole dicte sedis erant devoti, transtulit, civitatem ipsam et ecclesiam Auximanam venerabili fratri nostro . . episcopo et ecclesie Humanatensibus in recompensationem dicti castri, quod Humanatensis diocesis tunc erat, in spiritualibus submittendo[2]. Porro predicti cives Auximani indevotionis et rebellionis huiusmodi notam per humilem, promptam et devotam obedientiam et multa grataque obsequia modernis temporibus expiarunt[3]. Nam pro tuendis eiusdem sedis iuribus et honore et patrie libertate pugnantes, gravia

a) et dictam ecclesie sue iniuriam ulciscendam *add. Bö.; cf. p. 574, not. c.* b) et iniuriam *add. Bö.*

1) *Cf. infra n. 609 et novam sententiam arbitrorum a. 1264, Mai. 14; Ennen u. Eckertz, l. c. t. II, p. 504, n. 469.* 2) *A. 1240; cf. t. I, p. 677, n. 779, 789, 797 et 798.* 3) *Cf. Potthast 18529 et Ciavarini, l. c. p. 7, n. 19 et sequ., qui nonnullarum epistolarum annos falso computasse videtur.*

rerum dampna et personarum sustinuere pericula et quasi cotidie sustinent, illata eis ab ipsius sedis persecutoribus et filiis indevotis; dicti vero incole in sensum dati reprobum, Dei et eiusdem sedis reverentia et timore postpositis et ad rebellionis superbiam spiritu obfirmato, persecutori sedis eiusdem contra eam ipsiusque fideles dampnabiliter adherere presumunt; propter quod, tamquam accepti a prefata sede beneficii immemores et ingrati, reddiderunt facta sibi huiusmodi gratia se indignos meritoque privandos. Id itaque nos et fratres nostri provide attendentes, et considerantes prudenter quod favorem devotio promeretur quodque urgendi sunt impugnatores ecclesie condigne punctionis aculeo, ut si existat possibile, a sua resiliant pravitate atque ad studium devotionis debite viteque laudabilis se convertant, predictum castrum et ipsius homines propter indevotionem et ingratitudinem eorundem perpetuo de ipsorum fratrum consilio et apostolice plenitudine potestatis supradicta episcopali dignitate privavimus[1], eamque dignitatem — non obstantibus privatione ac summissione premissis — civitati eidem plenarie dicteque Auximane ecclesie suam diocesim integre, predictorum civium exigentibus meritis, restituimus[2], prout eas habuerant ab antiquo, civitatem ipsam et habitatores eius et predictam Auximanam ecclesiam ab omni iurisdictione predictorum episcopi et ecclesie Humanatensis penitus eximendo. Nulli ergo — nostre restitutionis et exemptionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, III Idus Martii, anno III°.

586.

Urbanus IV papa universitati Castri Matricis Spoletanae diocesis mandat, ne indevotis ecclesiae et praesertim civibus Aesculanis contra universitates Nursiae, Cassiae et Montis S. Petri auxilium praebeant. *1264, Mart. 13.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 39; Lib. III, 131. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 36, n. 442; BFW. 9406.

Universitati Castri Matricis Spoletane diocesis.

Cum dilecti filii Nursie, Cassie et Montis sancti Petri castrorum universitates, tanquam ecclesie Romane filii speciales, constanter in eiusdem ecclesie devotione persistant, nosque ipsos propter hoc favore apostolico prosequamur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, vobis nichilominus sub pena quingentarum marcarum argenti per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatinus aliquibus indevotis eiusdem ecclesie et presertim civibus Esculanis, quamdiu in sua indevotione perstiterint, contra dictas universitates vel earum aliquam nullum prebeatis consilium, auxilium vel favorem nec aliquem eorundem civium in potestatem vel rectorem interim

---

1) *A. 1263, Iul. 27; Lib. II, 197; Potthast 18599. A. 1263, Oct. 15 Bonaiunctam episcopum quondam Recanatensem ad ecclesiam Aesinam transtulit; Lib. III, 19; Potthast 18678. A. 1263, Dec. 23 Manfredo electo Veronensi, marchiae Anconitanae capitaneo, mandavit, ut communi Recanatensi, ad mandatum ecclesiae redeunti, panderet apostolicae sinum mansuetudinis, conditionibus honestis adhibitis; Lib. III, cur. 30; Posse p. 27, n. 327. A. 1264, Mart. 13 decrevit, ut castrum Recanatense episcopo Humanatensi sicut ab antiquo subesset et de diocesi Humanatensi esset; Lib. III, 127; cf. Lib. III, 247; Potthast 18926, ut videtur = 18572. A. episcopus Humanatensis testis apud Urbemveterem reperitur a. 1263, Aug. 8; Vol. IV [beneficia], f. 62, ep. 144. Cf. Clem. IV Lib. I, cur. 7 et 8; Posse p. 37, n. 459 et 460; cf. Potthast 19215.*
2) *A. 1263, Aug. 2 Benevenuto archidiacono Anconitano procurationem ecclesiae Auximanae in temporalibus et spiritualibus commisit; Lib. II, 194. Hunc a. 1264, Mart. 6 et 13 electum Auximanum, Apr. 30 episcopum appellavit; Vol. IV [beneficia], f. 130, ep. 295; et Lib. III, 126 [Potthast 18823 ex transumpto sub Mart. 12] et 183 [Posse p. 31, n. 384]; cf. Potthast 18811 sub Febr. 28, et Ciavarini, l. c. t. IV, p. 8, n. 25 et sequ.*

aliquatenus assumatis, preces et preceptum apostolicum super hiis taliter impleturi, quod penam evitetis eandem nosque devotionis vestre promptitudinem commendare merito valeamus.

Dat. apud Urbemveterem, III Idus Martii, anno III° [1].

587.

Urbanus IV papa Ludowico decano Maguntino, capellano suo, committit, ut [Wernerum] archiepiscopum Maguntinum, cum thelonea et pedagia per aliquos annos percepta remiserit, ab excommunicatione absolvat. *1264, Mart. 15.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 129, ep. 290. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9108.

Ludeguico decano Maguntino, capellano nostro [2].

Significavit nobis venerabilis frater noster . . archiepiscopus Maguntinus, quod licet nonnulli predecessores sui, qui fuerunt pro tempore, thelonea et pedagia perceperint in quibusdam castris suis et ecclesie Maguntine, idem tamen archiepiscopus, postquam per aliquos annos percepit eadem, attente considerans quod occasione theloneorum et pedagiorum huiusmodi grave generabatur scandalum circumposite regioni, et dubitans propter exactionem eorum, que timet esse de novo imposita [3], se incidisse in canonem promulgate sententie sicque peccata peccatis cotidie cumulare, tum propter pacificandam propriam conscientiam tum propter huiusmodi scandalum de illis partibus submovendum necnon pro reverentia Dei et sedis apostolice, que huiusmodi exactiones iniquas reprobat et abhorret, thelonea et pedagia premissa remisit. Quare humiliter fecit postulari a nobis, ut sibi et clericis atque laicis, qui medio tempore in hiis participarunt et alias communicarunt eidem, clericis vero, qui beneficia et ordines receperunt ab ipso, de oportune absolutionis et dispensationis beneficio providere misericorditer curaremus. Nos itaque, huiusmodi piam et salubrem considerationem ipsius archiepiscopi Deo et nobis acceptam ac fidelibus pluribus de supradicta regione votivam in Domino commendantes, attendentes etiam quod propter multitudinem, que in causa esse videtur, cum eis mitius est agendum, tibi, de cuius discretione fiduciam in Domino gerimus specialem, presentium tenore committimus, quatinus si dictus archiepiscopus taliter pedagia et theolonea ipsa remisit, recepto ab eo vel alio in ipsius animam, quod illa decetero non exiget nec exigi faciet, iuramento, eum et alios supradictos, cum ab ipsis requisitus fueris, ab excommunicationum sententiis, quas occasione premissorum hactenus incurrerunt, auctoritate nostra iuxta ecclesie formam absolvas et cum eisdem archiepiscopo et clericis super irregularitate, siquam propter hoc incurrisse noscuntur, imposita eis penitentia salutari dispenses, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire, concedendo nichilominus eisdem clericis, quod in ordinibus sic susceptis ministrare valeant et beneficia huiusmodi retinere, si aliud canonicum non obsistat [4].

Dat. apud Urbemveterem, Idibus Martii, anno tertio [5].

---

1) *Eodem die papa Reatino et Assisinati episcopis mandavit, ut hominibus Nursiae, Cassiae et Montis S. Martini castrorum, durante inter eos et Spoletanos discordia, tribuerent sacramenta, quae per solum episcopum conferrentur; Lib. III, 130; Potthast 18824. Cf. Lib. III, cur. 58 [= Potthast 18835] et 59.* 2) *Cf. n. 565.* 3) *Cf. Corp. iuris canon. c. 10 in X [Lib. III, tit. 39] De censibus.* 4) *Cf. etiam BFW. 11960, 11963 et Potthast 20484. Etiam contra Henricum electum Trevirensem papa propter novum pedagium impositum processit; Potthast 18157, 18268; BFW. 9267, 9284, 11909.* 5) *Conrado comiti Hirsuto sub a. 1264, Febr. 22 et Mart. 18 gratias fecit; comiti Geminipontis sub Mai. 25, Iun. 4 et 12; Vol. IV [beneficia], f. 125, ep. 266; f. 295, ep. 292; f. 172, ep. 582; f. 171, ep. 573; f. 196, ep. 779.*

588.

Urbanus IV papa eidem mandat, ut cum in provincia Maguntina nova pedagia aliquibus locis instituta sint, excommunicationis sententias, ter annuatim a papa contra exactores novorum pedagiorum latas, ubi viderit expedire, publicet. 1264, Mart. 15.

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 150, ep. 424. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Finke, l. c. edidit.

Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 300, n. 643; BFW. 9407.

Ludewico decano Maguntino, capellano nostro[1].

Ad nostram noveris audientiam pervenisse, quod nonnulli ecclesiarum prelati ac duces, marchiones, comites, nobiles, ministeriales et milites aliique laici in provincia Maguntina et circumpositis partibus nova pedagia in aliquibus locis terrarum et districtuum suorum instituta de novo ausu sacrilego exigere et recipere non verentur in offensam divini nominis, detrimentum fidelium exinde transeuntium et scandalum plurimorum. Cum autem in tribus festivitatibus anni sollempnibus, videlicet cene Domini et ascensionis ac dedicationis basilice[a] beatorum apostolorum Petri et Pauli[2], annuatim a Romano pontifice, qui est pro tempore, omnes novorum pedagiorum seu theolenorum[b] exactores coram multitudine fidelium ad sedem apostolicam concurrentium iuxta morem excommunicationis sententia percellantur[3], discretioni tue mandamus, quatinus sententiam huiusmodi, ubi et quando expedire videris, per te et alios publicare procures.

Dat. apud Urbemveterem, Idibus Martii, anno tertio.

589.

Urbanus IV papa [Thomae] episcopo Bethleemitano, vicario suo in Urbe, mandat, ut cum Manfredus post occupationem regni Siciliae et marchiae Anconitanae nuper procurante Petro de Vico stipendiarios suos de Tuscia in patrimonium immiserit, contra eum et fautores eius crucem praedicet. 1264, Mart. 27.

Urb. IV Reg. Vol. III, 98; Lib. III, cur. 64. Damus Pertzii exemplar, collatum cum illo, quod Calisse in Arch. della soc. Rom. t. X, p. 450, n. 50 edidit.

Posse, l. c. p. 31, n. 370; BFW. 9412.

..episcopo Bethleemitano, vicario nostro in Urbe[4].

Ad tuam, venerande frater, et aliorum Christi fidelium de Italia credimus pervenisse notitiam, qualiter Manfredus quondam princeps Tarentinus, persecutor Romane ecclesie manifestus, iniuriis et offensis, quibus eandem ecclesiam in occupatione regni Sicilie et marchie Anconitane aliorumque suorum iurium lacessivit hactenus, non contentus, duriores iam cepit in eam persecutiones exercere de novo et asperioribus ipsam vexationibus molestare. Ecce namque persecutor idem, in viscera ipsius ecclesie truculentas manus immittens, nuper procurante Petro de Vico, publico ipsius ecclesie hoste et proditore nequissimo[5], milites stipendiarios, sue utique persecutionis ministros, quos nuper de Tuscia ad suggestionem predicti proditoris ad confinia patri-

a) basilicarum *R.* b) *ita R.*

1) *Cf. n. 587.* 2) *Nov. 18.* 3) *Ut violatores stratarum; cf. t. I, p. 233, n. 306.* 4) *Hunc papa a. 1264, Febr. 13 vicarium constituerat; Lib. III, cur. 39.* 5) *Cf. n. 536 et 538.*

monii beati Petri in Tuscia miserat, in patrimonium ipsum ante oculos nostros immittere dampnabiliter et superbe presumpsit[1], in offensam Dei, ecclesie predicte dispendium et turbationem pacifici status Urbis: de quo tanto provocamur acerbius, quanto idem Manfredus solite malitie prosecutor et ardentior ad cumulandas eiusdem ecclesie lesiones per huiusmodi stipendiarios suum iniquum contra ipsam ecclesiam conatur pernitiosius promovere propositum eamque in se suisque fidelibus ignominiosius conculcare. Profecto, si a Romano populo et aliis Christi fidelibus diligenter attenderetur, in quantum ecclesie detrimentum et obprobrium id redundet, non iussi, non rogati, non moniti animis deberent promptis consurgere ad tantam sue matris iniuriam vindicandam, cum persecutio huiusmodi ipsi ecclesie tam vicina omni peste pestilentior esse possit, si ad eandem potentius reprimendam, ne nocivius graviusque ad circumposita loca perveniat, eadem ecclesia sue provisionis apponere oportuna consilia sueque ulterius conflare differret molimina potestatis. Ut igitur eorundem Manfredi et Petri de Vico ac stipendiariorum eorumque fautorum et complicium aliorumque ipsius ecclesie inobedientium et rebellium existentium in terris dicte ecclesie temerariis ausibus et nefandis conatibus celeriter et efficaciter resistatur, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus per te ac per alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens iuxta datam tibi a Deo gratiam in Urbe et circumadiacentibus partibus Christi fidelibus, tam peregrinis quam civibus Romanis et quibuscumque aliis, verbum crucis, eos, ut contra Manfredum ac Petrum de Vico stipendiariosque predictos necnon contra complices et fautores ipsorum et quoslibet alios ipsius ecclesie inobedientes et rebelles existentes in terris eiusdem ecclesie signum salutifere crucis assumant, et in nostrum ac ipsius ecclesie adiutorium posito cum Moyse gladio supra femur potenter (Exod. 32, 27.) et viriliter exurgentes, ad conterendam illorum insolentiam absque tarditate procedant, sedulis monitis et studiosis inductionibus exhorteris. Nos enim, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ex illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui assumpto crucis signaculo adversus Manfredum, Petrum de Vico et stipendiarios predictos eorumque fautores et complices ac quoslibet alios diete inobedientes et rebelles ecclesie constitutos in terris eisdem processerint, prout nos ipsos duxerimus dirigendos, et per tres menses continuos a die, quo terras ipsas intraverint, computandos in predictis terris moram traxerint dicte ecclesie prosequendo negotium contra illos, necnon omnibus, qui adversus eos ydoneos destinaverint bellatores in prosecutione dicti negotii per huiusmodi temporis spatium similiter moraturos, illam suorum peccaminum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio sunt concessa.

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Aprilis, anno III°[2].

590.

Urbanus IV papa magistro Raynerio de Viterbio capellano suo custodiam roccae de Orcla committit. *1264, Apr. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 99; Lib. III, cur. 70. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

1) *Cf. Potthast 18986; Iamsillae contin. et Saba Malasp. Lib. II, 10 ap. Muratori SS. t. VIII, p. 592 et 808; Vallicoloris V. Urbani IV ibid. t. IIIb, p. 415. Cf. etiam infra sub Mai. 30.* 2) *A. 1263, Mart. 15 papa rectoribus Romanae fraternitatis mandaverat, ut Ricardum quondam Petri Anibaldi civem Romanum ad restituendam civitatem Ostiensem, quam occupasset, et ad satisfaciendam inducerent: Vol. II*

Magistro Raynerio de Viterbio capellano nostro.

De fidelitate ac legalitate tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, custodiam rocce nostre de Orcla[1] presentium tibi auctoritate committimus, gerendam a te usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Ideoque mandamus, quatinus roccam ipsam sic diligenter sicque sollicite studeas custodire, ut possis a nobis de multa sollicitudine commendari.

Dat apud Urbemveterem. Nonis Aprilis, anno III°[2].

591.

Urbanus IV papa cardinalibus diffinit, sub quibus condicionibus Carolus Andegaviae et Provinciae comes in senatorem Urbis assumi debeat. *1264, Apr. 25.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 103—104; Lib. III, cur. 84. Pertzii exemplar suppletum ex illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 49 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 18858 et 18751; BFW. 9415.

Ad perpetuam rei memoriam. Diffinitio[a] inter fratres super senatu Urbis et regno Sicilie dando nobili viro Carolo Andegavie ac Provincie comiti.

Ierem. 1. 14. Dicit Ieremias, quod omne malum ab aquilone pandetur. Nos autem dicimus, quod non iam ab aquilone, sed a regno Sicilie nobis et vobis panditur omne malum. Nam de eius divitiis magna pars mundi corrumpitur, ecclesie patrimonium laceratur et vie nostre et ad nos venientium ex parte iam maxima sepiuntur. Ut autem tot malis, quibus modis poterimus, occurramus, aliqua cogimur tolerare, que huiusmodi causis cessantibus minime pateremur. Unde, quia procedente tractatu inter nos et dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem de regno Sicilie sub certis condicionibus ei dando contigit eundem comitem in senatorem Urbis assumi[3], nos, qui nullum principem preter Romanum pontificem, si vel prosperitas arrideret vel saltem levior urgeret calamitas, dominari vellemus in Urbe, nunc malis crescentibus eidem comiti in senatoria dignitate ad tempus obtinenda ad hoc, ut liberior et facilior aditus ei ad dictum regnum exinde pateat, cogimur assentire[4]. Quamvis autem vestra in hac parte fuerint divisa consilia, omnibus tamen provida meditatione pensatis nobis videtur utile et hoc tempore necessarium, ut iuxta eiusdem comitis et carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis illustris desiderium dilectum filium nostrum S[imonem] tituli Sancte Cecilie presbyterum cardinalem sine more dispendio destinemus ad ipsos, qui ad primam de illis duabus viis, quas dilectus filius magister Albertus notarius noster eidem comiti nuper secum tractando pro-

a) *Verba* Diffinitio — comiti, *quae desunt ap. M., ante verba* Ad perpetuam rei mem. *poni debebant; neque enim pars epistolae sunt, sed inscriptio in capite vel in margine adiecta, quae ex minuta in Regesta transiit; cf. n. 599.*

[cameralia], f. 59. A. 1264, Febr. 15 contra eundem Ostiam detinentem mandata dedit; a. 1264, XVII Kl. Mart. Tiburtinis mandavit, ut eum a rectoria civitatis suae amoverent; Mart. 3 Ricardum iterum ad restitutionem monuit; in eundem modum episcopo Bethleemitano vicario; Lib. III, cur. 40, 41, 49; Posse p. 28, n. 342, 343, 357.

1) *Ex sept. monast. Sublacensis.* 2) *Eodem die Pipioni de Petrasancta, rectori patrimonii b. Petri in Tuscia, mandavit, ut ei custodiam traderet; Lib. III, cur. 71; Potthast 18851. Sed castrum Orclae non in Tuscia Romana sed in Campania situm erat.* 3) *Aestate a. 1263; Potthast 18621, 18622; Schirrmacher, l. c. p. 503, not. 11.* 4) *Cf. n. 539, § 3.*

posuit[1], comitem ipsum diligentibus monitis et quibuscumque poterit modis inducat, ad quod obtinendum eundem cardinalem per nostras litteras ad ipsos regem et comitem dirigendas iuvare curabimus, scribendo eisdem[a], quanto affectuosius scribere poterimus in hac parte. Verumtamen si nullo modo possent induci ad huiusmodi primam viam, volumus, quod idem cardinalis, antequam oporteat predicti regni dissolvi tractatum, transeat ad secundam viam seu formam, senatus articulum contingentem, et si cum eodem comite, volente iuxta formam cavere secundam, super ipsius regni negotio convenire potuerit, procedat in utroque negotio iuxta formas inferius annotatas. Due autem vie seu forme proposite dicto comiti de senatu sunt ille, quas vobis nuper legimus et nunc iterum recitamus.

'Prima forma cautionis, que videtur a comite requirenda, hec est: Prefigetur ei tempus triennii vel quadriennii vel ad plus quinquennii, ultra quod nequeat tenere senatum; et dabit suas patentes litteras et promittet sub penis infrascriptis, quod ultra tempus, de quo cum eo conventum fuerit, non tenebit senatum nec se de eo quoquomodo per se vel per alium intromittet, et quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Sicilie totum vel maiorem partem eius, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani pontificis, qui pro tempore fuerit, senatum dimittet omnino, extunc per se vel per alium non resumpturus eundem; et hec omnia et singula se firmiter ac fideliter servaturum firmabit proprio iuramento. Quod si contra premissa vel aliquod de premissis venerit vel fecerit, preter reatum periurii idem comes excommunicationis et terra sua ubilibet constituta interdicti incurrent sententias eo ipso; quas sententias si per mensem sustinuerit, eo ipso cadat a iure senatus; et si postea de facto senatum tenere contenderit seu per se vel per alium de eius regimine se quoquomodo intromiserit, cadat eo ipso ab omni iure sibi quesito in regno Sicilie.

Secunda forma hec est: Promittat[b] comes, quod bona fide dabit operam, ut Romanis non iuret regere Urbem ad vitam, sed quamdiu sibi placuerit tenere senatum.

Quod si obtinere hoc poterit, iuret comes, quod non tenebit senatum ultra quinquennium seu ultra illud tempus citra quinquennium, de quo conventum fuerit inter ipsum et dictum cardinalem, et quod si infra illud tempus, de quo conventum fuerit, regnum Sicilie totum vel maiorem eius partem, cui minor non possit resistere, acquisierit, ad mandatum Romani pontificis, qui fuerit pro tempore, dimittet senatum omnino, extunc per se vel per alium non retenturus eundem. Si autem dictus comes a populo Romano obtinere non possit, quod non teneatur Urbem regere vita sua, promittet comes, quod postquam concesserimus ei regnum Sicilie et ipse totum illud vel maiorem partem ipsius acquisierit, vel si forte, quod absit, illud acquirere non poterit, postquam de hoc liquido constiterit, ipse dimittet senatum, cum a nobis vel successore nostro de plano non servata iuris solempnitate decretum fuerit, quod illum[c] debeat dimittere, adiecto expresse in eodem decreto, quod senatum sine ecclesie Romane preiudicio et anime sue periculo tenere non potest et quod dictum senatum potest dimittere de iure sine offensa iuramenti, quod prestitit et[d] prestabit in adventu suo Romanis; et tunc, ut dictum est, eundem senatum omnino dimittet; et hec omnia iurabit et promittet sub pena et cautionibus supradictis.

Tertio promittet, quod in dimissione senatus dabit operam bona fide, ut idem senatus ad ordinationem Romani pontificis et ecclesie revertatur, cives scilicet Romanos ad hoc, sicut melius et honestius poterit, inducendo. Iurabit etiam, quod dum

a) eidem *M.* b) Promittet *M.* c) illud *M.* d) vel *M.*

1) *Cf. Potthast 18750. Albertum papa a. 1264, Apr. 17 'nuntium suum' appellarit: Vol. IV [beneficia], f. 161, ep. 504.*

senatum tenuerit, nichil scienter in terris ecclesie, demaniis scilicet et feudis, in eiusdem ecclesie preiudicium vel suorum faciet contra ipsam ecclesiam et ecclesiasticam libertatem. Quod si ipse vel sui fecerint, id sine more dispendio revocabit. Et iste cautiones omnino habeantur ad minus, et[a] meliores [obtineantur][b], si poterunt obtineri.

Si autem dictus comes predictas promissiones et cautiones facere recusaverit, idem cardinalis dimisso regni negotio ad sedem apostolicam revertatur, premissa protestatione de iure Romane ecclesie in senatu, et reddat in hoc placabilem regem Francie, Romanam ecclesiam excusando, cum per eam non stet, quin negotium cum eodem comite modo debito consumetur. Hoc autem modo super senatus articulo datis consiliis diffinimus, hoc addito quod si idem cardinalis super regni negotio cum dicto comite non potuerit convenire, nec in prima nec in secunda forma nec in alia qualibet procedat super senatus articulo cum eodem, immo ius nostrum et Romane ecclesie in dicti regis presentia contestetur eidem et dicat expresse, quod sine anime sue periculo et Romane ecclesie preiudicio nequit susceptum Urbis regimen retinere.

Sane super dicti regni negotio diffinimus dandam fore a nobis potestatem cardinali predicto super modificationibus ex parte dicti comitis postulatis, ita quod idem cardinalis negotietur prudenter cum eo nec se nimis[c] exhibeat facilem ad assensum, sed cum deliberatione morosa stet pro utilitate ecclesie, quantum poterit, et possit censum[1], de quo est actum, minuere in duobus milibus unciarum et non ultra, et ad hanc diminutionem simul non veniat sed gradatim.

Circa articulum etiam iuramenti regnicolarum[2] reddat se omnino difficilem et temptet, si illum, sicut iacet, poterit obtinere; et si hoc non potest, remittatur in vita comitis huiusmodi iuramentum, et si nec hoc potest, extendatur eiusdem iuramenti remissio ad primum heredem, et si nec istud, inquirat dictus cardinalis, an aliquam securitatem aliam in locum iuramenti huiusmodi velit idem comes offerre. Quod si in hiis omnibus defecerit et in aliis convenire poterit cum eodem, possit articulum iuramenti predicti totaliter amovere.

De aliis autem condicionibus, quarum modificatio petitur, sicut eas legimus nuper vobis, potestatem habeat cardinalis modificandi et limitandi easdem cum predicti regis consilio, prout honori Dei[d] et huius ecclesie ac nostro et felici promotioni negotii viderit expedire[3], provisurus attentius, quod expressionem taxati numeri militum[4] non remittat, nisi dictus comes possit eidem ostendere manifeste, quod id expediens sit negotio potius quam persone.

Ceterum, postquam super omnibus supradictis cum eodem comite concordaverit, scribantur vel legantur omnia in eiusdem regis presentia. Et possit prefatus cardinalis promittere dicto comiti nostro et ecclesie Romane nomine, quod postquam sine gravi scandalo ecclesie Gallicane de assignanda sibi decima[5], quam petiit, ordinatum fuerit et concessum, et negotium, pro quo carissimus in Christo filius noster H. rex Anglorum illustris et Eadmundus natus eius sunt auctoritate nostra citati[6], fuerit per nos Deo favente decisum, et pax inter carissimam in Christo filiam nostram Marg[aritam] illustrem reginam Francorum et ipsum comitem fuerit reformata[7] vel saltem per eundem cardinalem vel per alium seu alios, quos idem Francorum rex[e] duxerit deputandos, super pace huiusmodi talis tractatus processerit, quo ipse Francorum rex contentus existat, dabitur eidem a nobis regnum Sicilie cum iuribus et pertinentiis suis sub condicioni-

a) et *deest M.* b) *tale quid deest R. et M.; in ep. Potthast 18750:* habeantur ad manus et etiam meliores, si p. o. c) minus *M.* d) Dei *deest M.* e) ad hoc *add. M.*

1) *Cf. n. 539, § 1 et II ad 1.* 2) *Cf. n. 539, § 31.* 3) *Cf. infra sub n. 602.* 4) *Cf. n. 539, § 29.* 5) *Cf. n. 542 et 594 et Martène, l. c. t. II, p. 31 B = Potthast 18750.* 6) *Cf. p. 536, not. 2 et Potthast 19038.* 7) *Cf. n. 474 et p. 524, not. 3 et Martène, l. c. t. II, p. 31 A = Potthast 18750, et infra sub n. 596.*

bus tractatis et hinc inde firmatis seu acceptatis, non mutandis nec augendis vel minuendis in totum vel aliquam sui partem; et de sic dando regno predicto dabit suas litteras dicto comiti cardinalis, et de sic recipiendo comes versa vice suas dabit litteras cardinali. Finalem autem concessionem et investituram regni predicti nobis duximus reservandam.

Et hec super senatus et regni predictorum negotiis diffinimus, et huiusmodi nostram diffinitionem volumus firmam, inconcussam et stabilem ac immutabilem et inviolabilem permanere.

Actum apud Urbemveterem in camera palatii episcopalis, presente fratrum nostrorum collegio, VII Kalendas Maii, anno tertio.

592.

Urbanus IV papa [Guidoni] episcopo Sabinensi legato mandat, ut adventum S[imonis] tituli S. Caeciliae presbyteri cardinalis legati in Francia praestoletur. — Ludowicum regem Francorum monet, ut episcopum ad id inducat. *1264, Apr. 29.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 111; Lib. III, cur. 123 et 124. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9417, 9418.

I.

. . episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato[1].

Cum dilectus filius noster S. tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, apostolice sedis legatus, sit iam accinctus ad iter ad regnum Francie veniendi, volumus et presentium tibi auctoritate mandamus, quatinus de regno non recedens eodem, eius inibi prestoleris adventum, facturus ea, que tibi per eundem cardinalem duxerimus iniungenda.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Maii, anno III°.

II.

Lude[vico] illustri regi Francorum.

Cum dilectus filius noster S. tituli Sancte Cecilie etc. ut in superiori usque: veniendi, nosque venerabili fratri nostro . . episcopo Sabinensi, apostolice sedis legato, nostris sub certa forma demus litteris in mandatis, ut de regno non recedens eodem, eiusdem cardinalis inibi prestoletur adventum, facturus ea, que sibi per eum duxerimus iniungenda: serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus et tu ipse dictum episcopum diligenter inducas, ut de predicto regno, donec prefatus cardinalis illuc accesserit, non recedat.

Dat. ut supra.

593.

Urbanus IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato in Francia, in terris comitissae Flandriae et comitis Provinciae et in Lugdunensi, Viennensi, Ebredunensi, Tarantasiensi et Bisuntina provinciis et in aliis terris, ad quas ratione negotii regni Siciliae eum devenire contigerit, plenae legationis officium committit. — Clero earundem terrarum legatum commendat. *1264, Mai. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 104—105; Lib. III, cur. 88 et 89. Pertzii exemplaria contulimus cum illis, quae Martène, Thesaur. t. II, p. 60—63 edidit.
Potthast, Reg. 18883 et 18871; BFW. 9419, 9420.

---

1) *In Anglia, Wallia et Hibernia; Potthast 18717, 18718, 18724, 18725, 18737, 18738; cf. Posse p. 26, n. 309 et sequ.; cf. etiam Lib. III, 202; BFW. 9372. Sed 'in Angliam non est permissus applicare'; Ex Ann. Ioh. Tayster, SS. t. XXVIII, p. 591; cf. p. 554.*

I.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato[a].

Desideravit et desiderat anexie Romana mater ecclesia, ut populus ille regni Sicilie, qui tanto tempore duces sequendo nequitie declinavit a semita mandatorum Domini et per inobedientie invium oberravit, ad viam rediret rectitudinis et salutis et cecitatis excussa caligine in lumine recte intelligentie ambulans regrederetur ad ipsius ecclesie gremium et sinceris ac devotis eius filiis ad salutarem preceptorum suorum observantiam uniretur, ut ad fidelium communionem reversus in devotione cum eis stabili mente persisteret et Omnipotentis iram, quam diutinis provocavit offensis, sedula humilitate placaret. Affectavimus etiam, quod scelestus ille malitie fomes et minister sevitie, Manfredus videlicet quondam princeps Tarentinus, ad cor suum de tot prevaricationibus rediens dimissis eius pravitatibus et perversitatibus, in quibus obfirmatus existit, sue indurate contumacie deponeret supercilia, et sub potenti manu Dei humiliter se prosternens, predicte ecclesie pro tot iniuriarum et offensarum cumulis, quos in eam non expavit congerere, satisfactionem plenariam exhiberet. Vehementer quoque optavimus et optamus, ut prefatum regnum, quod velut ovis devians ignorantie tenebris obscuratum in precipitia labitur, ad aliorum fidelium regnorum consortium vere lucis illustratum radio remearet, et ut regnum ipsum, quod assiduis doloribus premitur, affligitur angustiis, gravatur dispendiis et iugi discrimine ruit et vastatur in suis, tot instantia sibi pericula cogitaret, et infra se suum miserabilem lapsum et casum attendens, de sua foret salute sollicitum et studeret a tot flagellis eripi totque
Ps. 16, 11. oppressionibus liberari. Sed illud, tamquam miserum statuens oculos suos declinare in terram, ut quasi sua et suorum mala non cernat, et dire servituti dorsa summittens ad ferendam cuiuslibet gravaminis sarcinam, de sua dissipatione suoque curare obprobrio tanquam ebes, languens et torpidum non videtur, quinimmo ex assueta impositione ponderum, ac si callosam in humeris iam contraxisset duritiam, sine querela et murmure serviliter mala sustinet universa. Unde nos, illi miserabili populo, qui prostrato animo et inflexa cervice ad ruinam perditionis per eundem Manfredum absque clamore libere trahitur, paterno compatientes affectu ac cupientes ipsum de faucibus illius draconis eripere ac reducere ad statum tranquillitatis et pacis, post diversos tractatus per predictam ecclesiam super dicti regni negotio cum diversis catholici mundi principibus habitos tandem ad devotum et strenuum principem, videlicet dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem, germanum carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis illustris, oculos mentis nostre dereximus, sperantes negotium ipsum in personam[b] eius, si Dominus ex alto concesserit, efficaciter promovere. Quia igitur tanti promotio negotii personam exigit, que sua instanti diligentia et providentia eximia summaque insuper experientia illius magnitudini congruat, providimus te ad regnum Francie pro eodem negotio tanquam illum, de cuius circumspectione, industria et maturitate inter ceteros fratres nostros, Romane videlicet ecclesie cardinales, plenam et firmam obtinemus fiduciam, specialiter destinare. Ideoque mandamus[c], quatinus huiusmodi onus prona et prompta mente suscipiens, ad regnum ipsum de divina gratia et apostolica auctoritate confisus accedas, omnem circa negotium ipsum eiusque promotionem diligentiam et sollertiam impensurus. Ut autem eo liberius et efficacius hoc exequi valeas, quo ampliori circa id fueris potestate munitus, tibi in predicto regno Francie et in terris ad dilectam in Christo

---

a) Eidem card. *R.* b) *ita etiam in p. 588, lin. 42.* c) Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus *M.*

filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrie[1] ratione dominii vel feudorum suorum in Cameracensi et Tornacensi diocesibus spectantibus necnon in comitatu Provincie et aliis predicti comitis et vassallorum suorum terris ac Lugdunensi, Viennensi, Ebredunensi, Tarantasiensi et Bisuntina provinciis, in aliis quoque terris, ad quas ratione ipsius negotii te devenire contigerit, plene legationis officium de fratrum nostrorum consilio presentium auctoritate committimus, ut ibidem evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut videris expedire, concessa tibi contradictores et rebelles quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi — quibuscumque privilegiis seu indulgentiis apostolicis, per que nullum cuiquam in hac parte volumus afferri suffragium, nequaquam obstantibus — libera facultate[2].

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°.

II.

Universis archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis et aliis ecclesiarum prelatis, necnon capitulis, collegiis et conventibus ceterisque personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Francie ac terras ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrie ratione dominii vel feudorum suorum in Cameracensi et Tornacensi diocesibus pertinentes, per comitatum etiam Provincie et alias dilecti filii nobilis viri Caroli comitis Andegavie ac Provincie comitis et vassallorum suorum terras, ac per Lugdunensem, Viennensem, Ebredunensem, Tarantasiensem et Bisuntinam provincias constitutis.

Desideravit et desiderat anexie Romana mater etc. ut in superiori proxima usque: magnitudini congruat, ecce dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbyterum cardinalem, apostolice sedis legatum, virum utique scientia preditum, morum honestate decorum et consilii maturitate preclarum, ad regnum Francie pro eodem negotio tanquam illum, de cuius industria et circumspectione inter ceteros fratres nostros, Romane videlicet ecclesie cardinales, plenam et firmam obtinemus fiduciam, commisso ei tam in predicto regno Francie et in terris ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrie etc. usque: vassallorum suorum terris quam in Lugdunensi etc. usque: provinciis et in aliis terris, ad quas etc. usque: expedire, et concessa sibi contradictores etc. usque: facultate, specialiter destinamus. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes, quatinus eundem cardinalem, immo potius nos in ipso, benigne recipientes et honorifice pertractantes, eidem tanquam apostolice sedis legato intendatis humiliter et devote, ipsius monita et precepta et ea, que vobis ex parte nostra iniunxerit, efficaciter adimplendo. Alioquin sententias, quas idem legatus per se vel per alium seu alios tulerit in rebelles, ratas habebimus etc. usque: observari.

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°[3].

---

1) *Margaritam.* 2) *Facultates et potestates legato concessae Lib. III, cur. 107 et sequ.; Potthast 18872 et sequ. Sub Mai. 10 eidem convocandi legationis suae, cum expedire videret, generale concilium facultatem concessit; Lib. III, cur. 106; Potthast 18901; cf. BFW. 9434.* 3) *Eodem die legatum regi Franciae et Carolo commendavit; Lib. III, cur. 92 et 98; Posse p. 32, n. 389; cf. Lib. III, cur. 95 = Potthast 18889.*

594.

Urbanus IV papa eisdem praelatis et aliis flagitia Manfredi narrat eosque rogat, ut Carolo Andegaviae et Provinciae comiti, ut negotium regni Siciliae magnificentius aggredi possit, decimam omnium suorum proventuum ecclesiasticorum per triennium concedant. *1264, Mai. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 105—106; Lib. III, cur. 90. Pertzii exemplar collatum cum Regestis contulimus cum illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 54 edidit.
Potthast, Reg. 18813; falso sub Mart. 3; BFW. 9121.

Eisdem prelatis et aliis.

Dolorum urgentium multitudo, quibus hiis temporibus ut parturiens ecclesia Ro- Ierem. 4, 19 mana circumdatur, clamare ipsam et dicere: ventrem meum doleo! cum propheta compellit et cogit exponere vobis angustias et erumpnas, quibus universum eius corpus a planta pedis usque ad verticem indesinenter concutitur et turbatur. Vos igitur, o fratres et filii, clamores ipsius ecclesie patulis suscipientes auribus compatiamini eius duris et diris passionibus pio corde, ut secundum dolorum suorum multitudinem vestre consolationes tristem eius letificent animam, quam eorundem dolorum acerbitas velut acutus gladius pertransivit. Liquet namque omnibus, qualiter a diebus quondam Fr. olim Romanorum imperatoris Sicilie regnum vim patitur et viperea eius generatio predatione illud diripit violenta, quoniam idem Fr. eiusque nati et posteri, aliorum[1] tyrampnorum excedentes tyrampnidem, gravioribus illud affecerunt iniuriis et oppressionibus durioribus afflixerunt, et velut in cedem et exterminium eius tendentes, furoris arcum et feritatis gladium acuentes, diris illud tribulavere flagellis et usque ad interiora profundis illatis vulneribus sauciarunt, quia, in hoc pravo genere patrum in filios cum sanguine derivata malitia, sicut carnis propagatione sic imitatione operum nati genitoribus successerunt. Et licet predicta ecclesia memorato Fr. et Conrado ipsius nato sublatis de medio, ad predictum regnum habens materne compassionis affectum, ardenti consurrexerit desiderio, ut regnum ipsum, quod ad eam pertinet pleno iure et de cuius opulentia eius persecutores et emuli multipliciter impinguati ipsam sub diversitate temporum graviter impugnarunt[a], ad optate salutis, libertatis solite pacisque solide statum plene reduceret et illud in eo firma stabilitate favente Domino preservaret: quia tamen Manfredus quondam princeps Tarentinus, cuius personam ecclesia eadem in regno ipso beneficiis largis et amplis extulerat, suis in dicto regno processibus dampnabiliter obviavit ineundo colligationes malignitatis cum Sarracenis Lucerie, cum quibus exercitum eiusdem ecclesie pro ipsius regni comodo et tranquillitate directum offendit graviter, infidelium agmina commovens contra catholicos et fideles, non potuit ipsa ecclesia iuxta sui affectus plenitudinem salubre de regno ipso sue intentionis propositum obtinere. Nam idem Manfredus, eorundem Sarracenorum contra ipsam ecclesiam telis armatus ad occupationem ipsius regni presumptuosa cupiditate procedens, ut Sarracenos ipsos haberet sibi contra ecclesiam favorabiles et sue consentaneos pravitati, nonnulla loca ipsius regni, que nec prece nec pretio nec violentia poterat ab ecclesie fidelitate ac devotione subducere, proditionaliter a Sarracenis eisdem, qui fidelium eorundem locorum sitiebant sanguinem, nocturno tempore capi fecit illaque funditus dissipari ac in cinerem redigi et favillam, eorundem locorum incolas utriusque sexus, preter illos quos indifferenter manus

---

a) impug. grav. R.

1) Cf. p. 534, lin. 5.

inimica peremit eorundem Sarracenorum, in iniuriam Christiane fidei subiciens servituti. Postquam[1] autem regnum ipsum cum eorundem Sarracenorum auxilio totaliter occupavit, sic protinus in superbie altitudinem est elatus et in sevitie acerbitatem obriguit, quod de divina virtute non tremuit humanamque parvipendit potentiam et honorem predicte ecclesie ac libertatem ecclesiarum et hominum dicti regni tyrampnide furibunda depressit. De multiplicis namque necessitatis angusto, in quo serpens iste latuerat, ad affluentis copie amplitudinem famelicus et sitibundus exiliens, rapido cepit ore regnum laniare prefatum. Nam Sarracenorum[2] ritus amplectens ac ipsos in cotidianis obsequiis notabiliter secum tenens, illorum precipue consilio, auxilio et favore prefatum regnum[3] ad tantam exinanitionem servitutemque redegit, quod omnibus eius incolis pene penitus nichil habentibus et quamplurimis exinde probis eiectis illos, qui remanserunt ibidem, sub servili vivere condicione compellit, sicque[4] in bona et personas ipsius regni ancxia exarsit et exardet ingluvie, quod hoc insatiabili rapacitate discerpens illud, prohdolor! ferus plus fera qualibet fere penitus absorbuit in utrisque, nec sexum nec etatem nec ordinem pretermittens; neque ecclesias[5] etiam et personas ecclesiasticas ipsius regni earumque iura et bona eius furor preteriit, sed in hoc eo excanduit ferocius, quo, quicquid ecclesiastico discernitur nomine, abhorret odio graviori, quoniam archiepiscopales, episcopales et alias predicti regni ecclesias et monasteria detinet seu detineri facit dampnabiliter occupata, in eorum aliqua fictos et pernitiosos intrudendo ministros vel iam intrusos nefarie confovendo, quedam vero pro suo commendando libito et illorum in usus proprios convertendo periculose proventus. Quid plura? Tanta[6] impietate corpus ibidem obtrectavit ecclesie, quod ipsum fere ad nichilum iam redegit; nam illud rabiosis demembrans morsibus totam demum carnem voravit ipsius, corrosit etiam ossa et insuper medullas exsuxit.

Idem[7] quoque Manfredus, multis iniuriis et diversis offensis, quibus memoratam in eiusdem regni occupatione inhumanitus vexavit ecclesiam, non contentus, ad Anconitanam marchiam et quamplures alias terras ipsius ecclesie et demum ad quandam partem Tuscie, que Romano imperio subiacet, Uberto marchione Pelavicino et nonnullis aliis eiusdem ecclesie persecutoribus et proditoribus sibi per iniquarum colligationum federa contra ipsam ecclesiam copulatis, avidas et occupatrices manus extendens et eandem ecclesiam in quadam quodammodo sagena concludens, continuis illam aggressibus impetit, assidua vexatione concutit, rabie tyrampnica distrahit et diversis aliis tribulationum generibus incessanter affligit, adeo quod eadem ecclesia, tot malis afflicta, tot attrita molestiis totque flagellis oppressa, vix potest ab huiusmodi oppressionibus respirare, quoniam ex hoc pullulant fere ubique per Italiam hereses, cultus divinus minuitur, fides catholica premitur, immo deprimitur, et opprimitur status fidelium, ancillantur ecclesiastice libertates et iura ecclesiastica conculcantur. Prelati[8] quoque et alii clericali militia presigniti penas subire coguntur exilii, capiuntur et ignominiose tractantur ac in atroces detruduntur carceres, mutilantur et morte turpissima condempnantur, spoliantur sacra et pia loca, tam religiosa quam alia, possessionibus et aliis bonis suis, et cum sint divino dicata cultui, ad usus deputantur illicitos et prophanos, despiciuntur et abhominationibus ac spurcitiis sordidantur. Nonnulli quoque clerici divina coguntur officia in locis ecclesiastico interdicto suppositis in contemptum clavium[a] celebrare et exhibere sceleratis

a) ecclesie *add. M.*

1) *Cf. p. 535, lin. 13.* 2) *Cf. t. II, p. 92, lin. 25.* 3) *Cf. t. II, p. 93, lin. 13.* 4) *Cf. supra p. 535, lin. 18.* 5) *Cf. p. 534, lin. 15.* 6) *Cf. t. II, p. 435, lin. 28 et sequ.* 7) *Cf. supra p. 535, lin. 35.* 8) *Cf. t. II, p. 435, lin. 40.*

et excommunicatis ac impiis ecclesiastica sacramenta. Pontificalis parvipenditur auctoritas et potestas, ecclesiastica censura contempnitur, pereunt anime, trucidantur corpora, incenduntur urbes, destruuntur castra, infringitur stratarum securitas, spoliantur viatores, Sarraceni et scismatici Christicolis preferuntur, defenduntur heretici, adeo quod in nonnullis locis non audemus procedere contra ipsos. In aliquibus vero terris predicatores evangelice veritatis verbum Dei proponere fidelibus prohibentur et hereses publice predicantur. Quamplura[1] insuper alia detestabilia et abhominabilia committuntur, que divine oculos maiestatis offendunt, scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant et conculcant. Nec potest ipsa ecclesia predicti Manfredi invalescentibus viribus oportunum super hiis remedium adhibere, cum nuper[2] etiam idem Manfredus truculentas manus in viscera eius immittens quosdam Theutonicos, sue utique persecutionis ministros, in patrimonium beati Petri in Tuscia, in quo nos cum tota nostra curia residemus, destinare presumpserit in asperiorem et duriorem vexationem ipsius ecclesie, turbationem provincie nostrorumque fidelium nocumentum.

Quia[3] igitur a predicto regno Sicilie panditur omne malum ipsius ecclesie et tantorum periculorum tam animarum quam corporum causa procedit, omnino expedit eidem ecclesie circa statum ipsius regni aliter cogitare, quoniam si ecclesia plena sua libertate ac auctoritate in regno gauderet eodem et aliquis princeps catholicus eius gubernaculis presideret, innumerabilia et inextimabilia bona non solum eidem Romane verum etiam universali ecclesie et potissime Terre Sancte ac Costantinopolitano imperio spiritualiter et temporaliter provenirent, nec oporteret eandem Romanam ecclesiam sic frequenter ad Ultramontanas ecclesias pro eius necessitatibus habere recursum ipsasque totiens aggravare. Sufficerent enim ei suum patrimonium et regni census eiusdem, si hec pacifice possideret multaque temporalia bona perciperet ab ecclesiis dicti regni, que suas necessitates non modicum relevarent, quemadmodum temporibus devotorum et catholicorum regum Sicilie hec percipere consuevit. Cogitantes itaque et diligentius inquirentes vias et modos, quibus ecclesia ipsa hoc tempore iuvari valeat et a tot calamitatibus liberari, universorum orthodoxorum regum et principum orbis terre aptitudine ad hoc et promptitudine cum multa deliberatione pensatis, tandem ad dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem, principem utique strenuum, industrium et fidelem ac de illa regia stirpe progenitum, de qua suscepit semper et suscipit eadem ecclesia filios benedictionis et gaudii, filios factis et fama pollentes, filios oportuni auxilii et favoris, in quibus suavem delibat dulcorem reverentie filialis et innate devotionis insumit odorem, oculos mentis nostre convertimus, direximus animum, intentionem extendimus et in ipso, immo potius in carissimo in Christo filio nostro Lud[ovico] illustri rege Francorum, cuius germanus existit, ac famosissimo et Christianissimo regno suo post Deum, quoad ipsius ecclesie ab inimicis eius qui in circuitu eius sunt liberationem, firmiter defiximus anchoram spei nostre, sperantes in illo, qui reges et regna constituit et qui dominatur super regnum hominum et qui illud cuicumque vult liberaliter elargitur, quod si negotium predicti regni Sicilie in personam eiusdem Caroli divina favente clementia promoveri et regnum ipsum in eum transferri contigerit, illam eandem liberationem illamque consolationem in huiusmodi necessitatis articulo predicta per eum consequetur ecclesia, quam per clare memorie magnificum Carolum Pipini filium, eiusdem progenitorem comitis, in cuius personam Romanum imperium ecclesia de Grecis transtulit in Germanos, eidem ecclesie legitur antiquis temporibus in necessitate simili provenisse.

---

1) *Cf. supra p. 535, lin. 42.* 2) *Cf. n. 589.* 3) *Cf. p. 535, lin. 47.*

Verum quia idem comes tam arduum tamque difficile negotium pensatis eius facultatibus magnificentius aggredi, sicut foret expediens, sine magno et prompto ecclesie subsidio non valeret, ad vos principalius tanquam ad illos, qui estis bases immobiles, super quas eiusdem ecclesie structura nobilis pro maiori parte consurgens indeficientis soliditatis obtinet firmamentum, fiducialiter duximus recurrendum, universitatem vestram monentes, rogantes et hortantes attentius ac per apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes ac obsecrantes nichilominus per aspersionem sanguinis Iesu Christi, quatinus tot sanguinum, qui ad nos et ad vos etiam de terra clamant effusi, vocibus provocati, tot lacrimarum fluentium ab oculis innocentium commoti decursibus, totque angustiarum et tribulationum querimoniis excitati, condoleatis dolenti ecclesie et compatiamini passionibus proximorum, eandemque ecclesiam ac predictum comitem in tam utilis tamque pii promotione negotii, in quo non solum Romane et universalis ecclesie relevatio, verum etiam exaltatio et promotio fidei, salus animarum, corroboratio status fidelium, infidelium debilitatio et divini cultus augmentum agitur, efficacibus et promptis subventionibus adiuvetis, eidem comiti decimam omnium vestrorum ecclesiasticorum proventuum[1] per triennium divine maiestatis intuitu, ob reverentiam quoque apostolice sedis et nostram et dicti regis obtentu pro ipsius promotione ac prosecutione negotii libenter et liberaliter concedentes, ita quod exinde vestra devotio celestis benedictionis gratiam consequi mereatur, et predicta ecclesia, id in eterne memorie libro conscribens, vobis et ecclesiis vestris remaneat ob hoc perpetuis temporibus obligata, idemque comes ac etiam predictus rex, qui progenitorum suorum inherendo vestigiis semper fuit in conservatione libertatis ecclesiastice pervigil et attentus, in ecclesiarum aliorumque piorum locorum constructione benivolus, in eorum dotatione ac ditatione largifluus et in gratiis ac beneficiis erga personas ecclesiasticas seculares et regulares valde munificus, teneantur pro tanto pietatis opere tam vobis quam predictis vestris ecclesiis grata pro loco et tempore vicissitudine respondere. Ceterum, quia dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbyterum cardinalem, quem inter alios fratres nostros, Romane videlicet ecclesie cardinales, benivolentia multa prosequimur, ad partes illas, commisso ei pro eiusdem negotii promotione plene legationis officio, de fratrum[a] consilio destinamus, omnino volumus, ut eidem cardinali, in cuius labiis infusa est celitus gratia, ut sciat necessarium proferre sermonem tempore oportuno, fidem indubitatam in hiis, que vobis super premissis ex parte nostra dixerit, adhibere illaque efficaciter adimplere curetis.

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III° [2].

595.

Urbanus IV papa Carolum Andegaviae et Provinciae comitem rogat, ut primam propositionum, quas magister Albertus notarius suus ipsi fecerit, acceptet, ita ut senatoriam dignitatem Urbis non per totam vitam sed ad tempus obtineat; commendat ei S[imonem] tituli S. Caeciliae presbyterum cardinalem legatum. ***1264, Mai. 3.***

Urb. IV Reg. Vol. III, 107; Lib. III, cur. 93. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 161, n. 301 edidit, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18870; BFW. 9427.

---

a) nostrorum *add. M.*

1) *Cf. n. 542, et p. 582, lin. 37.* 2) *Legato eodem die de hac re scripsit; Lib. III, cur. 91; Potthast 18882; cf. 18894.*

Nobili viro Carolo Andegavie ac Provincie comiti.

Fili, ab illis Christianissimis progenitoribus originem produxisti, qui Romanam matrem ecclesiam devotissime venerantes, iura ipsius sub diversitate temporum multipliciter adauxerunt, potenter eidem defensionis presidio in conservatione huiusmodi iurium assistentes: et ideo nequaquam nobis venit in dubium, quin tu, eis sicut carnis propagatione sic piorum operum imitatione succedens, velis et desideres iura et iurisdictiones ipsius ecclesie integra et illibata servari, maxime in loco illo, ubi ecclesia ipsa divina institutione locata stabili firmitate persistit et ubi orthodoxa fides firmis est fundata radicibus et sacrum sumpsit exordium religio Christiana. Cum igitur Urbis dominium et institutio senatoris ad eandem ecclesiam plene pertineat, nos, qui, sicut alias tibi scripsisse meminimus[1], nullatenus pateremur, quod aliquis, quantumcumque[a] nobis et ecclesie predicte devotus, Urbem ipsam[b] perpetuo vite sue tempore gubernaret, nobilitatem tuam rogandam, monendam attente duximus et hortandam, mandantes quatinus, attendens provide quod maximum ipsi ecclesie preiudicium fieret, si eiusdem Urbis senatoriam dignitatem toto vite tue tempore retineres, divine maiestatis intuitu, ob reverentiam quoque apostolice sedis et nostram circa senatus negotium primam de illis duabus viis, quas dilectus filius magister Albertus notarius noster nuper tibi tecum tractando proposuit[2], pro nostre et fratrum nostrorum quiete mentium sublato cuiuslibet obstaculo difficultatis acceptes, quoniam etsi tibi olim ratione facilioris promotionis negotii regni Sicilie per nostras litteras duxerimus suadendum[3], ut electioni a Romano populo ad Urbis regimen de te facte libere consentires, in eisdem tamen tunc expressimus et adhuc in presentibus exprimimus litteris, quod nostre intentionis extitit et existit, quod ad tempus, et non perpetuo regimen obtineas supradictum. Taliter igitur preces in hac parte nostras tua impleat magnitudo, ut noster et dictorum fratrum animi, qui propter hoc multipliciter fluctuant, tranquillentur, nosque reddamur exinde ad promovenda tua spiritualia et temporalia commoda proniores. Et cum dilectum filium nostrum S. tituli Sancte Cecilie presbyterum cardinalem ad Christianissimum regnum Francorum pro exaltatione tui nominis et honoris, quem idem cardinalis vehementer affectat, commisso ei plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, eius super dicto senatus negotio salutaribus monitis et inductionibus acquiescas, ita quod idem cardinalis huiusmodi exaltationem tuam possit ad laudem et gloriam divini nominis et honorem predicte ecclesie liberius et efficacius promovere.

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°[4].

596.

Urbanus IV papa Ludowicum regem Francorum monet, ut si Margaritam uxorem suam minus facilem ad concordiam cum Carolo comite Andegaviae et Provinciae reformandam invenerit, ei placeat, ne negotium regni Siciliae, pro maiore parte iam completum, propter hoc retardetur. *1264, Mai. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 108; Lib. III, cur. 96. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 32, n. 387; BFW. 9423.

---

a) *sequitur* ca   b) ipsam *superscr. alia tinctura.*

1) *Cf. Martène, Thes. t. II, p. 27 A; Potthast 18621. Epistola Carolo directa ibidem citata est.* 2) *Cf. p. 581, lin. 11.* 3) *Cf. Martène, l. c. p. 26 D.* 4) *Eodem die de eadem re Ludowico regi Franciae scripsit; Lib. III, cur. 94; Potthast 18890.*

Lud[ovico] illustri regi Francorum[a].

Cum per alias nostras litteras magnitudinem tuam affectuose rogemus, ut, ne pretextu discordie, que inter carissimam in Christo filiam nostram Margaritam illustrem reginam Francorum, uxorem, [et][b] dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem, germanum tuos, exorta esse dicitur[1], promotio[c] negotii regni Sicilie quomodolibet impediri contingat, huiusmodi discordiam amicabili compositione sopias, impendendo ad hoc omnem opem et operam efficacem: nos, qui eandem dicti promotionem negotii, per quam Romanam ecclesiam ab imminentibus undique sibi periculis speramus favente Domino liberari, cunctis desideriis affectamus, serenitatem tuam iterato rogandam duximus attentius et hortandam, in remissionem tibi peccaminum nichilominus suadentes, quatinus predictam reginam ad hoc, quod facilem, tractabilem et benignam se in huiusmodi negotio pacis exhibeat[d], attentis et efficacibus inductionibus exhorteris; et si demum ipsam, quod absit, in hoc inveneris nimis duram et inflexibilem, tue mansuetudini placeat, quod predictum negotium regni Sicilie, tam pium, tam salubre, tam utile, tot laboribus totque tractatibus inchoatum et iam pro maiori parte completum, nullius propter hoc dispendia impedimenti seu retardationis incurrat, sed libere, hoc non obstante, procedat ad laudem et gloriam divini nominis, Christiane religionis augmentum et predicte ecclesie statum pacificum et quietum.

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°[2].

597.

Urbanus IV papa S[imoni] legato commutandi votum Alfonsi Pictaviensis et Tholosani comitis, in subsidium Terrae Sanctae emissum, in susceptionem negotii regni Siciliae potestatem concedit. — Idem ei concedit circa crucesignatos regni Franciae et aliarum terrarum legationis suae. *1264, Mai. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 109; Lib. III, cur. 99 et 100. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9428.

I.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Cum promotio negotii Terre Sancte et Constantinopolitani imperii a negotio regni Sicilie pro maiori parte dependere noscatur, nos, attendentes quod facilior erit eorundem terre ac imperii liberatio, si huiusmodi eiusdem regni negotium fuerit efficaciter Deo favente promotum[3], discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi dilectum filium nobilem virum Alfonsum Pictavensem et Tholosanum comitem a voto crucis, quod in subsidium dicte terre dicitur emisisse, illudque in susceptionem et executionem prefati eiusdem regni negotii commutandi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Nos enim eundem comitem, voto huiusmodi taliter commutato, illa indulgentia illoque privilegio ac ea immunitate gaudere volumus, que predicte terre succurrentibus in generali concilio sunt concessa.

Dat.[e] apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°[4].

a) Eidem regi *R.* b) et *deest R.* c) *ita R.* d) exhibeas *R.* e) Dat. ut supra *R.*

1) *Cf. n. 474, p. 524, not. 3, et p. 582, lin. 40.* 2) *Eodem die reginae de eadem re scripsit; Lib. III, cur. 97; Posse p. 32, n. 388; cf. Potthast 19021.* 3) *Sub Mai. 4 papa legato mandavit, ut contra Manfredum et Saracenos in terris legationis suae verbum crucis praedicari faceret; Lib. III, cur. 103; Potthast 18891.* 4) *Eidem comiti papa Iul. — Aug. a. 1264 multas gratias fecit; Vol. IV [beneficia], f. 224, ep. 1014 et sequ.*

II.

Eidem cardinali.

Cum promotio negotii Terre Sancte etc. ut in superiori proxima usque: obtinemus, absolvendi per te vel per alium omnes illos de regno Francie et aliis terris tue legationis, qui votum crucis emiserunt iam vel emiserint in predicte terre succursum, illudque in susceptionem et executionem prefati Sicilie regni negotii commutandi plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem. Nos enim crucesignatos illos, quorum vota fuerint taliter commutata, etc. ut in alia usque in finem[1].

598.

Urbanus IV papa eidem legato unius anni indulgentias largiendi potestatem concedit. *1264, Mai. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 110; Lib. III, cur. 104. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato[a].

Ut eo efficacius commissum tibi ab apostolica sede negotium regni Sicilie promovere valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, discretioni tue concedendi in dedicationibus ecclesiarum tue legationis, in translationibus quoque reliquiarum sanctorum, in sollempnibus festivitatibus necnon in sollempnibus predicationibus et congregationibus, quas te facere pro dicti negotii promotione contigerit, unius anni indulgentiam, sicut expedire videris, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Maii, anno III°[2].

599.

Urbanus IV papa eidem legato concedit potestatem faciendi et promittendi super negotiis regni Siciliae et senatus Urbis secundum diffinitionem n. 591. *1264, Mai. 6.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 104; Lib. III, cur. 85. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 74 edidit.
Potthast, Reg. 18893.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Super regni Sicilie ac senatus Urbis negotiis, que aguntur inter ecclesiam Romanam et dilectum filium nobilem virum Carolum Andegavie ac Provincie comitem, nuper inter fratres nostros, quorum super hiis requisieramus consilia, diffinivimus in

a) Eidem cardinali *R.*

1) *In margine huius epistolae legitur:* Istis non utatur sine speciali mandato domini pape. 2) *Eodem die eidem concedendi trium annorum indulgentiam in diebus dedicationum ecclesiarum Carnotensis, Rotomagensis et Laudunensis, si earum dedicationibus eum interesse contingeret, facultatem concessit; Lib. III, cur. 105; Potthast 18880.*

hac forma: 'Urbanus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dicit Ieremias etc. ut in superiori proxima usque in finem'[1]. Cum igitur nos, de tua discretione, circumspectione ac diligentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in regnum Francie pro eisdem negotiis, commisso tibi plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinemus, prudentie tue faciendi et promittendi super predictis negotiis, prout in diffinitione huiusmodi, quam tibi sub bulla nostra tradidimus, continetur, ipsius diffinitionis forma et tenore servatis, plenam concedimus auctoritate presentium potestatem. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, II Nonas Maii, anno III°.

600.

Urbanus IV papa [Bartholomaeo] archiepiscopo Cusentino mandat, ut ad regnum Franciae cum S[imone] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato protinus revertatur, cum eodem expeditioni negotii regni Siciliae solitam diligentiam, sicut iam antea efficaciter fecerit, impensurus. *1264, Mai. 7.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 109; Lib. III, cur. 102. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 32, n. 393; BFW. 9430.

. . archiepiscopo Cusentino[2].

Experimento cognovimus, quod pro negotio regni Sicilie in personam dilecti filii nobilis viri Caroli Andegavie ac Provincie comitis promovendo apud carissimum in Christo filium nostrum Lud[ovicum] Francorum regem illustrem adeo multipliciter et efficaciter laborasti, quod eiusdem regis animum sapienter et discrete ad dictum negotium attraxisti. Et ideo tue laudabilis circumspectionis industriam dignis exinde in Domino laudibus efferentes ac referentes tibi gratiarum multiplices actiones, quia nolumus te abesse ab huiusmodi complemento negotii, pro cuius promotione ac prosecutione multos te novimus subiisse labores[3], fraternitatem tuam, de qua plene confidimus, monemus, rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus ad regnum Francie cum dilecto filio nostro S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato, quem illuc, commisso ei plene legationis officio, de fratrum nostrorum consilio destinamus, protinus revertaris, una cum eo promotioni et expeditioni dicti negotii apud eundem regem solitam diligentiam et vigilantiam impensurus, ac moraturus cum eodem cardinali, cum quo iam ordinavimus, quod tibi necessaria subministret, quamdiu dictum negotium hinc inde fuerit acceptatum. Eodem vero acceptato negotio ad sedem apostolicam redeas, procurationes in tuo precepturus reditu consuetas auctoritate litterarum nostrarum, quas tibi dirigimus et quibus nisi in tuo reditu non utaris. Si vero te ipsi legato iungi non posse contigerit, eisdem litteris uti te volumus, donec pervenias ad eundem.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Maii, anno III°.

601.

Urbanus IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato procedendi ad modificationes super negotio regni Siciliae et senatus Urbis Carolo Ande-

1) *Cf. n. 591.* 2) *Cf. n. 552 et 553.* 3) *Cf. Martène, l. c. t. II, p. 31E.*

gaviae et Provinciae comiti faciendas cum consilio Ludovici regis Francorum potestatem concedit. **1264, Mai. 7.**

Urb. IV Reg. Vol. III, 104; Lib. III, cur. 87. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 76 edidit.

Potthast, Reg. 18897; BFW. 9431.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Cum in diffinitione nostra, quam super negotio regni Sicilie ac senatus Urbis inter fratres nostros nuper edidimus[1] tibique bullatam tradidimus[1], inter alia contineatur expresse dandam tibi fore potestatem a nobis super modificationibus ex parte dilecti filii nobilis viri Caroli Andegavie ac Provincie comitis postulatis, nosque modificationes huiusmodi in aliis nostris litteris duxerimus inserendas[2]: discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, procedendi libere ad modificationes huiusmodi faciendas cum consilio carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis illustris, prout honori Romane ecclesie ac nostro et felici promotioni commissi tibi negotii videris expedire, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium potestatem.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Maii, anno III°.

602.

Urbanus IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato mittit modificationes, quas Carolus Andegaviae et Provinciae comes super negotio regni Siciliae a magistro Alberto notario sedis apostolicae postulaverit. **1264, Mai. 8.**

Urb. IV Reg. Vol. III, 104; Lib. III, cur. 86. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Martène, Thesaur. t. II, p. 77 edidit.

Potthast, Reg. 18899; BFW. 9432.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato[a].

Cum in diffinitione nostra, quam super negotio regni Sicilie et senatus Urbis inter fratres nostros nuper edidimus[3] tibique bullatam tradidimus, inter alia contineatur expresse dandam tibi fore potestatem a nobis super modificationibus ex parte dilecti filii nobilis viri Caroli Andegavie ac Provincie comitis postulatis, presentium tenore scire te volumus, quod de illis modificationibus et non de aliis intelligimus, quas, sicut ab eodem petite sunt comite et continentur in litteris dilecti filii magistri Alberti notarii nostri, presentibus fecimus annotari; quarum tenor talis est:

'Cum ecclesia omni casu contingente intendat et velit habere censum annuum decem milium unciarum[4] nec intendat aliquid de censu remittere, etiam si dominus comes expenderet omnes proventus totius regni vel maiorem partem proventuum in defensione regni vel ecclesie, et iste census videatur gravis et nimis magnus domino regi et domino comiti, maxime cum iste census propter cladem aliquam seu casum supervenientem secundum intentionem ecclesie non debeat remitti nec etiam diminui,

---

a) Eidem *in marg.;* Eidem card. *in rubro.*

1) *Cf. n. 591.* 2) *Cf. n. 602.* 3) *Cf. n. 591.* 4) *Cf. p. 582, lin. 19 et Winkelmann, Acta imp. ined. t. II, p. 734, n. 1049.*

petit dominus comes, quod in principio contractus minuatur census [et super moderatione dicti census][a] detur potestas cardinalibus, maxime cum videatur domino regi et domino comiti, quod etiam si idem comes non reciperet in se periculum casuum supervenientium, nichilominus predicta summa decem milium unciarum esset diminuenda. Unde cum dominus comes propter pacem et voluntatem ecclesie recipiat in se pericula casuum supervenientium, ecclesia debet esse favorabilior et promptior ad faciendum maiorem diminutionem summe predicte, et ad istam diminutionem faciendam debet de facili induci ecclesia, maxime quia oportebit eum multas donationes et in mobilibus et in immobilibus facere propter suam novitatem, et quia extraneus erit in terra illa et quia oportebit, quod multos magnates ducat secum, quos sine magnis donationibus non posset in illis partibus de facili retinere.

Secundo petit dominus comes[1], quod dilatetur successio collateralium superiorum, utputa patrui[b] et avunculi, amite et matertere et sursum usque ad quartum gradum, et collateralium inferiorum[c], utpote nepotis vel neptis ex fratre vel sorore et inferius usque ad quartum gradum. Petit etiam, quod in collateralium successione et aliis articulis de feminis loquentibus admittantur nupte sicut innupte, dum tamen sint nupte fidelibus et devotis ecclesie. Videtur enim domino comiti, quod si excluderentur nupte, femine expectantes successionem regni differrent contrahere matrimonium propter spem successionis, et ita ex hoc posset impediri bonum matrimonii, et ex hoc posset citius deficere genus, et ex hoc etiam posset dari feminis occasio delinquendi. Et est notandum, quod dominus comes petit dilatari successionem collateralium ex eo provenientium et non collateralium, quos nunc habet dominus comes, sed in illis collateralibus remaneat ordinatio facta.

Tertio petit dominus comes[2], quod, ubicumque prohibetur, ut ipse vel heres non recipiat maiorem partem Tuscie vel Lombardie, addatur ibi 'scienter', quia posset esse, quod dominus comes vel eius heres ignorarent, que esset maior pars Tuscie vel Lombardie; sed bene vult dominus comes, quod si etiam ignoranter reciperet maiorem partem Tuscie vel Lombardie, teneatur eam dimittere ad mandatum ecclesie, et si tunc dimitteret ad mandatum ecclesie, non incideret in penam statutam in illo articulo. Si vero monitus non dimitteret ad mandatum ecclesie, bene remaneat pena, prout est statuta in illo articulo.

Quarto petit dominus comes[3], quod in illo articulo, ubi dicitur, quod si post delatam successionem regni, tamen ante[d] adeptam possessionem, ille, cui fuerit delata successio regni, convolaverit ad imperium vel regnum Alamannie vel dominium Tuscie vel Lombardie vel maioris partis earundem, deferatur regni successio ad sequentem masculum, provideatur feminis descendentibus et collateralibus, sicut provisum est masculis.

Quinto petit idem comes[4], quod si vadat in propria persona ad acquirendam possessionem regni, numerus militum suo arbitrio relinquatur et dominus comes promittat bona fide, quod veniet ad acquirendam possessionem regni bene munitus, secundum quod utilitati sancte Romane ecclesie et negotii et persone viderit expedire: et hoc petit dominus comes propter multas rationes, quas bene dicet cardinalibus, quando venerint, et credit pro certo, quod cardinales reputabunt eas bonas, sed non vult eas mandare per litteras.

Sexto petit dominus comes[5], quod amoveantur totaliter iuramenta comitum et baronum et magnatum et aliorum regni Sicilie et innovatio dictorum iuramentorum de

a) *deest R.; add. ex M.* b) patrini *M.* c) superiorum *M.* d) *litt.* te — convola *in marg. dextro interiore.*

1) *Cf. n. 539, § 6.* 2) *Cf. n. 539, § 13.* 3) *Cf. ibid.* 4) *Cf. p. 582, lin. 31.* 5) *Cf. p. 582, lin. 21.*

decennio in decennium facienda; et hoc petit quantum ad personam suam et heredes suos, quia videtur domino regi et domino comiti, quod talia iuramenta non consueverint exigi nisi contra tales, qui consueverunt esse infideles et indevoti dominis suis. Videtur etiam domino comiti, quod iuramentum suum et heredum suorum debeat sufficere sacrosancte Romane ecclesie cum aliis penis tam sententiarum excommunicationis et interdicti et privationis regni et amissionis regni Sicilie ipso facto; que etiam pene multis videntur graves et etiam inhoneste'.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Idus Maii, anno III°.

603.

Urbanus IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato suspendendi a festo beati Iohannis Baptistae usque ad annum passagium crucesignatorum regni Franciae et aliarum terrarum legationis suae facultatem concedit. 1264, Mai. 8.

Urb. IV Reg. Vol. III, 109; Lib. III, cur. 101. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9433.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato[a].

Discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, suspendendi a festo beati Iohannis Baptiste proximo venturo usque ad annum passagium illorum de regno Francie et de aliis terris tue legationis, qui pro subsidio Terre Sancte crucis signaculum assumpserunt vel assumpserint, — contradictione cuiuslibet non obstante — plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Idus Maii, anno III°.

604.

Urbanus IV papa [Raynaldo] episcopo Aesculano mandat, ut Roberto nato quondam Munaldi comitis Aprutini, ob devotionem ecclesiae exulanti, cuius germanus Raynaldus pro eo, quod de mandato ecclesiae capitaniam in Adria et comitatu Laureti receperit, per Conradum IV captus et suspensus fuerit, in diocesi sua de victu et vestitu per triennium provideat. 1264, Mai. 10.

Urb. IV Reg. Vol. III, 53; Lib. III, 172. Exemplar, quod Sbaralea, l. c. t. II, p. 555, n. 143 edidit, contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18902; BFW. 9435.

. . episcopo Esculano.

Etsi passim sit quibuslibet indigentibus miserendum, ut misericordes existentes circa proximos in retributione iustorum misericordiam consequamur, erga illos tamen debet esse cura propensior et illis convenit affluentius subveniri, quorum verecundia natales prodit ingenuos et qui ex divitiis in egestatem et exilium absque suo vitio ceciderunt. Sane dilectus filius nobilis vir Robertus natus quondam Munaldi comitis Aprutini, noster et ecclesie Romane devotus, exposuit coram nobis, quod dictus comes propter fidem et devotionem, quas ad Romanam gerebat ecclesiam, comitatu Aprutii per quondam Fr. Romanorum imperatorem extitit spoliatus et extra Sicilie regnum

a) Eidem cardinali *R*.

eiectus, idemque Robertus fuit eadem ratione per eundem Fr. diro carceri mancipatus. Postmodum etiam quondam Corradus natus ipsius Fr. quondam Raynaldum germanum eiusdem Roberti pro eo, quod de mandato ecclesie capitaniam in Adria et comitatu Laureti receperat[1], capi fecit et tandem propter ipsius ecclesie devotionem suspendi. Sicque dictus Robertus una cum uxore ac quatuor filiis suis cogitur extra regnum ipsum miserabiliter exulare. Gerentes igitur propter hoc circa personam ipsius Roberti pie compassionis affectum, ac digne volentes, quod sua et suorum penuria per nostri favoris auxilium relevetur, mandamus, quatinus eidem nobili vel procuratori suo eius nomine pro se, uxore ac quatuor filiis suis in exilio constitutis facias a monasteriis et ecclesiis tue civitatis et diocesis, exemptis et non exemptis, super provisione simili de mandato apostolico pro alio non gravatis, in victu et vestitu decenter per te vel per alium usque ad triennium provideri — non obstante si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod ad provisionem alicuius compelli quodque interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet alia indulgentia diete sedis, per quam id impediri valeat vel differri et de qua cuiusque toto tenore deberet in nostris litteris fieri mentio specialis —; contradictores etc.

Dat. apud Urbemveterem, VI Idus Maii, anno III°.

605.

Urbanus IV papa Simoni tituli S. Martini presbytero cardinali rectoriam ducatus Spoletani, marchiae Anconitanae, Massae Trabariae, Perusinae, Castellanae, Tudertinae, Narniensis, Interamnensis et Reatinae civitatum et dioecesum earumque districtuum et insuper ibidem et in Romaniola et Gradensi et Aquilegiensi patriarchatibus, exceptis illis partibus, quae sint de provincia Lombardiae, plenae legationis officium committit.

1264, Mai. 21.

Urb. IV. Reg. Vol. III, 62; Lib. III, 233. Damus Pertzii exemplar, collatum cum illo, quod Theiner, Cod. dipl. dominii temp. t. I, p. 162, n. 303 edidit.

Potthast, Reg. 18917; BFW. 9438.

Symoni tituli Sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Exequentes apostolice servitutis officium nobis licet immeritis Domino disponente commissum, ab oculis nostris, prout nobis ex alto conceditur, sompnum torporis[a] excutimus eosque in circuitu vigiliis levamus assiduis, ut, quid agi ad sollicitam commissi nobis gregis curam expediat, intuentes, circa prosperum statum eius partes intente sollicitudinis impendamus. Illud autem mentem nostram specialiter excitat, circa illud precipue intentio et desideria nostra versantur, ut cum sanctam Romanam ecclesiam, matrem gentium, inclitam Christi sponsam, a persequentibus eam gravissimis iniuriis conspiciamus affligi, variis contumeliis affici et enormibus collidi iacturis, noctes ducentes insompnes nec diebus otia indulgentes, studiosam demus operam et operosum studium adhibere curemus ad eandem ecclesiam ac fideles eius et filios, qui materne persecutionis incommoda sentiunt quique cum illa dolores et angustias

a) corporis *T.*

1) *Cf. Berger 5902 sub a. 1252, Aug. 3 et Chron. Lauret. ap. Bindi, Monum. degli Abruzzi p. 588.*

partiantur, ab imminentibus fluctuationibus tempestatum Deo propitio liberandos. Verum incumbente nobis varietate negotiorum innumera et contra Petri naviculam, cuius, prout Domino placuit, gubernacula gerimus, persecutionis undique invalescente procella, licet in partes varias mentis sollicitudine distrahamur, quia tamen nequimus ubilibet nostram presentiam exhibere, quia non possumus fines humane possibilitatis excedere, ut simul in diversis partibus existendo potestatem nobis a Domino traditam presentialiter exequamur, ad instar illius, qui exercens sibi commisse legationis officium in regione peccantium in universum mundum discipulos quos elegerat destinavit, suum per hoc instruendo vicarium, ut eius exemplo nonnumquam alios in partem sollicitudinis advocet, ubi officii sui debitum exolvere prohibet absentia corporalis, illos ad onera nostra comportanda nobiscum fiducialiter advocamus, quos ad hoc speramus, experientia de ipsorum experta industria nos instruente, perutiles et de quorum traditis a Domino sibi virtutibus plenam fiduciam obtinemus. Cum autem in arduis maiorem curam adhiberi conveniat, personas ad illorum prosecutionem eligimus potiores, ut secundum cor nostrum salubriter et utiliter Deo previo dirigantur. Ad personam itaque tuam dirigentes apostolice considerationis intuitum et virtutes, quibus eam virtutum dominus insignivit, considerantes, ut convenit, firma spe fiduciaque tenemus, quod,
Prov. 14, 15. actus tuos illo dirigente qui potest et iter prosperum faciente qui novit, sollicitudinis
Es. 40, 4. tue ministerio etiam prava in directa et aspera convertentur in plana. Ideoque, de tua sinceritate plenam in Domino fiduciam obtinentes, rectoriam ducatus Spoletani et marchie Anconitane[1] et Masse Trabarie[2] ac Perusine, Castellane[3], Tudertine, Narniensis, Interamnensis et Reatine civitatum et diocesum earumque districtuum[4] tam in spiritualibus quam in temporalibus tibi presentium auctoritate committimus, concedendo tibi liberam potestatem exercendi, quicquid honori ecclesie Romane et utilitati fidelium ibidem existentium expedire noveris in utrisque; ac nichilominus in ducatu, marchia, civitatibus, diocesibus et districtibus predictis, Romaniola quoque, Gradensi et Aquilegensi patriarchatibus, illis civitatibus ac earum diocesibus et districtibus exceptis que sunt de provincia Lombardie, circumspectioni tue plene legationis officium
Ierem. 1, 10. duximus committendum, ut iuxta datam tibi a Deo prudentiam evellas et dissipes, edifices et plantes, sicut videris [expedire][a]. Ideoque mandamus, quatinus huiusmodi legationis et rectorie onus devote recipiens et patienter supportare procurans, sic laudabiliter rectoriam et officium predicta studeas exercere, quod Deum exinde magis tibi propitium et nos fortius tuis utilitatibus sentias obligatos. Nos enim sententias et penas, quas spiritualiter et temporaliter in rebelles ducatus, marchie, civitatum, diocesum ac districtuum predictorum, ac sententias, quas in alios rebelles legationis tibi commisse tuleris, ratas habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. apud Urbemveterem, XII Kalendas Iunii, anno III°[5].

---

a) expedire *deest R.; cf. n. 422 et t. II, p. 154, n. 203 et p. 487, n. 681 I.*

1) *Adhuc a. 1264, Apr. 28 papa Manfredo electo Veronensi ut rectori Marchiae scripserat; Lib. III, 167; cf. p. 523, not. 1. Mai. 11 audiverat eum ab hostibus captum esse; Potthast 18906; cf. sub Iun. 9 infra n. 615.* 2) *Eodem die revocavit legationem, quam Huguicioni dicto Marchioni capellano suo in Romaniola et Massa Trabaria commisisset; Lib. III, 239.* 3) *Città di Castello; cf. n. 529.* 4) *A. 1264, Iun. 3 statuit, ut civitas et diocesis Urbinas in legatione eius includeretur; Lib. III, 242.* 5) *Cf. n. 606 et 607. Alias quoque auctoritates legatorum ei eodem die concessit; Lib. III, 234, 236 [Potthast 18918], 237, 238, 241 [Potthast 18919]. Iun. 3, ut clerus legationis procurationes facilius solveret, omnes provisiones annuas eidem impositas revocavit; Lib. III, 243. Lib. III, 244, 245 auctoritates 'Dat. ut supra'.*

606.

Urbanus IV papa eidem legato mandat, ut contra Manfredum, qui praeter flagitia priora novissime in patrimonium b. Petri in Tuscia Theutonicos et Sarracenos immiserit sicque curiam papalem circumsepserit, ut nec per mare nec per terram securus aditus ad eam pateat, per totam legationem suam crucem praedicet. **1264, Mai. 21.**

Urb. IV Reg. Vol. III, 62–63; Lib. III, 235. Damus Pertzii exemplar.
Posse, l. c. p. 33, n. 400; BFW. 9439.

S. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Solebat hactenus mater ecclesia, materne compassionis affectu Terre Sancte compatiens, ut ipsam, in qua pro redemptione humani generis redemptor noster crucis patibulum et mortis subiit passionem, de manibus inimicorum Crucifixi redimeret, ad crucis vexillum contra hostes fidei assumendum fidelium mentes profundis excitare clamoribus et exhortationibus sedulis invitare. Clamabat anexia considerationis obtutibus eminus inimicos aspiciens, anexiabatur quasi parturiens persecutionem populi Christiani sentiens e longinquo. Nunc autem in eo graviori anexietate posita, quo gravius infestos dire persecutionis cominus sentit aculeos et infestatur dirius e vicino, de propria liberatione sollicita vocem tanto profundioris clamoris exaltat tantoque amariores solitis molestias deponere[a] cogitur in auribus filiorum, quanto extimare potest amarius debetque ferre molestius per degeneres filios, quos sibi per regenerationis lavacrum generaverat, impeti, quam per eos, quos adhuc paganorum cecitate detentos unitati eiusdem ecclesie unda baptismatis non univit. Ecce iam fere nullum angulum orbis latet, qualiter ille iniquitatis filius et perditionis alumpnus Manfredus quondam princeps Tarentinus, quamquam Christiano videatur censeri nomine, a Christiana tamen religione vita et moribus dissidens, se ab illa probat omnimodis alienum. Hic namque, omnium beneficiorum immemor, que tempore felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri eadem in ipsum multiplicavit ecclesia, principatum Tarentinum et alia multa et magna, quibus se ipse per ingratitudines varias indignum postmodo reddidit[b], eidem liberaliter concedendo, contra eandem ecclesiam associatis sibi Sarracenis Lucerie insurrexit. Et post occupationem regni Sicilie, quod est sedis apostolice speciale, post quamplurimos magnates et alios devotos sedis ipsius afflictos exilio, nonnullos horribilibus et clandestinis insidiis morti traditos, plures etiam sevis et apertis debachationibus interemptos, aliasque atroces et enormes iniurias eidem ecclesie irrogatas, ad marchiam Anconitanam, que sedis eiusdem specialis existit, manus occupatrices extendens, claves diutius contempsit et adhuc contempnit ecclesie, in contemptum ipsarum, diversis tam a felicis recordationis Alexandro papa predecessore nostro quam a nobis excommunicationum sententiis innodatus, sibi, quod heretice pravitatis suspitione non caret, faciens celebrari divina; propter quod etiam specialiter a nobis similis sententie mucrone percussus et citatus, ut se super suspitione huiusmodi purgaturus ad presentiam nostram accederet, comparere contumaciter non curavit[1]. Sed suis perversis actibus adiciens perversiora cotidie, novissime non solum in predictam marchiam sed et in patrimonium beati Petri in Tuscia suos satellites tam Theutonicos quam abhominabiles Sarracenos et alios iniquitatis sue ministros immisit[2], sicque nos undique circumsepire nititur et iam pro viri-

---

a) depromere *R.; cf. Horatii Sat. II, 6, 46: Et quae rimosa bene deponuntur in aure.* b) reddit *R.*

1) *Cf. n. 527.* 2) *Cf. n. 589.*

bus circumsepsit, ut nec per mare, ad hoc etiam inibi navigio deputato, nec per terram alicui ad nos securus aditus pateat vel a nobis reditus concedatur, ad id nichilominus marchionem Pelavicinum, perfidum ipsius persecutorem ecclesie, ac alios suos complices excitando, ut dum ad nos et eandem ecclesiam, magistram veri dogmatis et catholice fidei ac tutricem ecclesiastice libertatis, non potest recursus haberi, hereses pullulent, heretici sine cuiusquam repressionis obice undique suos errores disseminent et venena diffundant, impune libertas eadem conculcetur.

Attendant itaque devoti eiusdem ecclesie filii, attendant et videant exterminium fidei et matris considerent necessitates extremas, immo, si filii, vicem maternam doleant et eidem celeri subventione succurrant, nec dissimulent amplius tam graves matris iniurias, sed graviter tantis ipsius provocentur iniuriis. Accendatur velut ignis zelus omnium ad vindictam. Proh pudor! Patietur Christiana devotio Agarenos, quos ipsa eiusdem matris ecclesie commonitionibus excitata solet in ultimis quasi terre finibus persequi, nunc eandem matrem ecclesiam in suis visceribus tam crudeliter persequentes? Facti sunt hostes matris in capite, et deerit suffragium filiorum? Matrem inimicus circumdedit, mandavit adversus eam in ipsius circuitu hostes eius, qui eam lacessunt iniuriis, dampnis afficiunt et ad ipsius internicium[a] elaborant, et in auxilium filii non exurgent? Absit, absit, ut in hac causa fidei sibi ipsis fideles deficiant. Absit, ut Christi negotium, qui est eiusdem caput et sponsus ecclesie, Christicole derelinquant. Licet autem satis verisimiliter sperare possemus, quod si huius persecutionis incommoda et detrimentum fidei, que per eam multipliciter impugnatur, Christi fideles attendant, ad resistendum tam perversis conatibus se potius ingerent, quam invitari cuiusquam suffragio commonitionis expectent: quia tamen nostris affectibus insidet multaque necessitas exigit contra imminentes persecutorum impetus accelerare remedia, Matth. 3, 9. nos, de illius immensa virtute sperantes, qui potens est de lapidibus Abrahe filios Ps. 67, 34. suscitare quique vocem virtutis tribuit voci sue, per diversas orbis provincias verbum crucis fidelibus decrevimus proponendum, ipsosque mandavimus eiusdem salutifero signaculo insigniri. Cum igitur tibi plene legationis officium in diversis partibus duxerimus committendum, discretionem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, quatinus per omnes civitates et loca tue legationi commissa tam per te quam per prelatos et viros religiosos, cuiuscumque sint ordinis, ac alios, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, proponens iuxta datam tibi a Deo prudentiam et proponi faciens Christi fidelibus verbum crucis, eos, [ut][b] contra prefatum Manfredum et Sarracenos ceterosque ipsius complices, tanquam contra ipsius hostes fidei, signum vivifice crucis assumant, absque tarditate in nostrum et eiusdem ecclesie adiutorium processuri, sedulis monitis et studiosis inductionibus exhorteris. Nos enim, de Omnipotentis misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi et illa quam nobis licet indignis Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui contra illos efficax in personis vel bonis iuvamen impenderint, illam suorum peccaminum, de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, veniam indulgemus ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, que Terre Sancte subvenientibus in generali concilio conceduntur.

Dat. apud Urbemveterem, XII Kalendas Iunii, anno III°[c].

In eundem modum . . patriarche Aquilegensi[1]. Solebat hactenus etc. ut in superiori proxima usque: insigniri. Quocirca fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, mandantes quatinus tam per te quam per alios, quos ad hoc ydoneos esse

a) interniciem *R.* b) ut *deest R.* c) Dat. ut supra *R.*

1) *Gregorio de Montelongo.*

cognoveris, proponens iuxta datam tibi a Deo prudentiam et proponi faciens per tuam civitatem et diocesim fidelibus verbum crucis, eos, ut contra prefatum Manfredum etc. usque: conceduntur.

Dat. apud Urbemveterem, XIII Kalendas Iunii, anno III°.

In eundem modum .. patriarche Gradensi[1] et .. archiepiscopo Ravennati[2] ac singulis episcopis legationis predicti cardinalis.

607.

Urbanus IV papa eidem legato exigendi censum ecclesiae Romanae debitum a monasteriis et ecclesiis Lombardiae et legationis suae potestatem concedit.

1264, Mai. 21.

Urb. IV Reg. Vol. III, 63; Lib. III, 240. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

S. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato[a][3].

Cum te ad certas provincias cum plene legationis officio pro conservandis ecclesiasticis libertatibus destinemus: ut plenius et utilius exequi valeas, que incumbunt, exigendi et recipiendi ad opus nostrum per te vel alium seu alios censum ecclesie Romane tam pro preterito tempore quam pro futuro, cum solutionis tempus advenerit, a monasteriis et ecclesiis tam provincie Lombardie quam tue legationis, exemptis et non exemptis, cuiuscumque sint ordinis, ac contradictores districtione qua convenit appellatione postposita compescendi plenam tibi et liberam auctoritate presentium concedimus potestatem[4].

Dat. apud Urbemveterem, XII Kalendas Iunii, anno III°.

608.

Urbanus IV papa Circulo Oliveri Circuli Perusino et Florentino civi testatur eum excommunicatione, in quam cives Florentini, fautores Manfredi, se involverint, non ligari, cum statuto termino de stando mandatis ecclesiae iuramentum praestiterit.

1264, Mai. 28.

Urb. IV Reg. Vol. III, 54; Lib. III, 177. V. Cl. Monaci hanc epistolam ex Regestis descripsit et cum simili, quae ibidem f. 68, n. 263 legitur [2], contulit.
BFW. 9441.

Circulo Oliveri Circuli Perusino et Florentino civi[b].

Licet olim felicis recordationis Alexander papa predecessor noster Manfredum quondam principem Tarentinum, ecclesie Romane adversarium manifestum, cum omnibus adiutoribus et fautoribus suis excommunicationis vinculo innodasset, quia tamen cives Florentini in turbatione pacis Tuscie ac in presumptuosa contrectatione iurium et bonorum imperii Romani ei ausu nefario adheserunt, roborantes ex hoc in sua

---

a) Eidem cardinali *R.* b) *2:* Gerardino, Lapo, Brunellino, Arricho et Consilio fratribus, filiis quondam Oliverii Circuli, et Viero, nato quondam Turrisani Oliverii Circuli, et Doce, filio quondam Pucci Oliverii Circuli, Florentinis et Perusinis civibus.

1) *Angelo* 2) *Philippo* 3) *Cf. n. 605 et 606.* 4) *Cf. p. 570, not. 1.*

pertinacia eundem M., patrimonii beati Petri perfidum et sacrilegum invasorem, seque per hoc predicte sententie laqueis involventes, nos more pii patris, qui offendentes filios, ut ab invio perditionis ad viam salutis redeant, nunc exorando, nunc comminando diligenter invitat[1], in festo[a] cene Domini[b] proximo preterito[c][2] mercatoribus Florentinis de capiendis personis et occupandis ac detinendis rebus eorum et aliis penis infligendis eisdem comminationes diversas fecimus, nisi ipsi usque ad[d] festum ascensionis Dominice proximo future[3] ad mandatum ecclesie redire curarent. Quia vero tu[e] pro te ac fratribus tuis et filiis eorundem ad nostram presentiam humiliter accessisti et de stando mandatis nostris et ipsius ecclesie prestito iuramento per venerabilem fratrem nostrum . . Ostiensem et Velletrensem episcopum[4], cui hoc oraculo vive vocis commisimus, meruisti[f] absolutionis a supradictis excommunicationibus necnon debite reconciliationis beneficium obtinere, nos propter hoc te penas dictarum comminationum incurrere nolumus eisque ligari, has nostras litteras tibi super hoc in testimonium concedentes.

Dat. apud Urbemveterem, V Kalendas Iunii[g], anno III°[5].

609.

Urbanus IV papa magistros, scabinos, iudices et cives Colonienses, qui [Engelbertum II] archiepiscopum ceperint, excommunicatos nuntiat et civitatem eorum interdicto supponit. *1264, Mai, 29.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 65; Lib. III, 251. Exemplar, quod Finke, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 33, n. 404; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 305, n. 652; BFW. 9442.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum[6].

Magistrorum civium et fraternitatum necnon scabinorum, iudicum et civium Coloniensium nimis effrenata temeritas, non solum fidelitatis debitum, quo . . archiepiscopo et ecclesie Coloniensi tenentur, observantie cultura non colens, verum etiam reverentie filialis affectum inofficiose preteriens et omnem prorsus legem rationis abhorrens, multe nobis causam turbationis ingessit. Cum enim predictus archiepiscopus in archiepiscopali Coloniensi palatio, inopinati non previdens casus eventum, quem eventurum nullius hactenus exempli similitudo predixerat cuiusque sibi coniecturam nulla contra ipsum predictorum magistrorum, scabinorum, iudicum et civium manifesta turbatio seu quevis diffidatio vel eius erga ipsos demerita indicabant, more solito imminentibus sibi vacans negotiis moraretur: magistri, scabini, iudices et cives predicti et nonnulli sequaces eorum archiepiscopum ipsum, spiritualem utique patrem eorum et temporalem dominum, persequentes, spiritu nequitie ac diabolico furore commoti, Dei timore postposito et debite fidelitatis federe violato, in dictum palatium, licet multe immunitatis privilegio insignitum, invasione temeraria subito irruentes, in per-

---

a) die *2.* b) *2 add.:* et in festo etiam ascensionis Dominice c) preteritis *2.* d) ad certos terminos ad mand. *2* e) *pro verbis* tu — accessisti et *legitur in 2:* vos per procuratorem ydoneum ad hoc specialiter constitutum infra ultimum terminorum ipsorum. f) meruistis *2; ita infra quoque recte mutatum est.* g) VI Nonas Iulii *2.*

1) *Cf. n. 559.* 2) *Apr. 17.* 3) *Mai. 29.* 4) *Henricum* 5) *Cf. Potthast 19117.* 6) *Cf. n. 583 et 584.*

sonam eiusdem archiepiscopi sacrilegas manus inicere ipsumque ausu nefario capere captumque ac contumeliis probrosis affectum et probris contumeliosis illusum veluti reum mortis deducere per plateas civitatis Coloniensis [ac][a] demum in quadam domo captivum, nobili viro . . domino de Falkemborch germano suo in augmentum patrati sceleris nichilominus captivato, tamdiu detinere sub arta custodia presumpserunt, donec idem archiepiscopus prestitit corporaliter iuramentum, quod super hiis per se vel per alium querimoniam non deponeret contra eos nec aliquod eis propterea gravamen inferret vel procuraret inferri, quin immo ad obtinendam ipsorum absolutionem pro posse suo fideliter laboraret, et donec etiam venerabiles fratres[b] nostri . . Leodiensis et . . Monasteriensis episcopi, predicti archiepiscopi suffraganei, ac nobiles viri . . Clevensis[1] et . . Guelrensis comites ac plures alii, eisdem civibus nolentibus aliter archiepiscopum ipsum dimittere, necessitate urgente tactis sacrosanctis evangeliis iuraverunt, quod si prefatus archiepiscopus ea que iureiurando promiserat non servaret, ipsi contra eum eisdem totis viribus assisterent, se ad id per suas patentes litteras et cautiones alias obligando.

Nos igitur, qui fratrum et coepiscoporum nostrorum offensas proprias reputamus, illatas eidem archiepiscopo tam graves, tam atroces et enormes iniurias non tam in ipsius archiepiscopi obprobrium quam in[c] illius, qui evangelica veritate testante se in suis ministris recipi testatur et sperni, nec minus in predicte Coloniensis ecclesie ac ecclesiastice libertatis grande dispendium vergere non indigne pensantes, et considerantes quod hec adeo sunt notoria, quod nulla possunt tergiversatione celari, quia predicti magistri, scabini, iudices et cives ac sequaces eorum in canonem propter hoc late sententie inciderunt, ipsos presente hoc fideli populo declaramus et denuntiamus vinculo excommunicationis astrictos, manifeste monentes eosdem, ut usque ad festum beati Michaelis[2] proximo venturum, quem pro peremptorio eis termino prefigimus, satisfaciant plenarie ipsi archiepiscopo pro premissis et nichilominus per procuratores sufficientes et ydoneos compareant coram nobis, satisfacturi plenarie nobis et ecclesie de tanta iniuria et violentia in persona dicti archiepiscopi facta ecclesie ac ecclesiastice libertati, ac nostris super hiis mandatis et beneplacitis humiliter parituri. Quod si hec non fecerint, nos ipsos decernimus excommunicationis sententie, quam in eos exnunc proferimus, subiacere et predictam civitatem manere extunc ecclesiastico suppositam interdicto. Ad hec predictos archiepiscopum et episcopos ac nobiles et alios a predictis iuramentis, ut — eis necnon et cautionibus et obligationibus antedictis, quas ex officio nostro cassamus, evacuamus et irritamus ac nullius decernimus existere firmitatis, nequaquam obstantibus — dictus archiepiscopus ius suum super predictis prosequi libere valeat, sicut huiusmodi iuramento non prestito id licite facere potuisset, ac episcopi et nobiles aliique predicti memoratis sacrilegis contra dictum archiepiscopum assistere minime teneantur, apostolica auctoritate absolvimus et decernimus absolutos, ita quod propterea reatum periurii seu quamvis infamie notam predicti archiepiscopus, episcopi, nobiles et alii non incurrant, et nichilominus episcopis, nobilibus aliisque predictis sub pena excommunicationis districtius inhibemus, ne dictis sacrilegis in premissis assistere quoquomodo presumant.

Matth. 10, 40.

Actum apud Urbemveterem, IIII Kalendas Iunii, in die videlicet ascensionis Dominice, anno III°.

---

a) ac *deest R.* b) *antecedit* fratres *punctis suppositis deletum.* c) in *superscr.*

1) *Cf. p. 574, not. e. A. 1264, Mai. 23 papa cum Theoderico comite Clivensi et uxore eius in causa matrimoniali dispensavit, ne scandalum et guerrae provenirent ex divortio; Vol. II [cameralia], f. 125, ep. 1.* 2) *Sept. 29.*

610.

Urbanus IV papa Iacobo Gantelmi, vicario in Urbe Caroli Andegaviae et Provinciae comitis, senatoris Urbis, significat se destinasse ad eum magistros Helyam capellanum suum et Sinitium camerae suae clericum, ut cum eis de machinis et aliis instrumentis bellicis faciendis ad expellendum Petrum de Vico de castro de Vico colloquatur.
1264, Mai. 30.

Urb. IV Reg. Vol. III, 111; Lib. III, cur. 125. Pertzii exemplar [1.] contulimus cum altero, quod registratum est Vol. II [cameralia], f. 147, ep. 3 [2.].
Potthast, Reg. 18930; BFW. 9443.

Nobili viro Iacobo Gantelmi[1], vicario in Urbe dilecti filii[a] Caroli Andegavie ac Provincie comitis, senatoris Urbis.

Fili, gaudemus, gaudemus[b] in Domino, eique copiosas gratiarum exolvimus actiones, pro eo quod corda Romani populi sic unanimiter et concorditer ad nostra et Romane matris ecclesie vota convertit, quod idem populus sub tuo studioso ducatu et domini tui signis felicibus ad prosequendam et vindicandam iniuriam ipsius ecclesie contra illum perfidum eiusdem ecclesie proditorem, videlicet Petrum de Vico[2], contra quem spiritualiter et temporaliter exigente sua iniquitate processimus, communiter et universaliter exercitu congregato procedens, territorium castri de Vico, in quo utique castro idem proditor proditionum et iniquitatum suarum telas contra ecclesiam ipsam[c] ordiri consueverat, potenter ingressus, positis in eodem territorio victricibus castris suis castrum ipsum ad persuasiones et preces nostras nobili obsidione vallavit. Tuam quoque sollicitudinem, quam ad attrahendum et inducendum predictum populum ad honorem et bonum ipsius ecclesie in huiusmodi negotio, quod est nostrum et eiusdem ecclesie proprium, promovendum adhibuisse dinosceris, condignis laudum preconiis fore decrevimus attollendam, intendentes tam tibi quam eidem populo in hiis, que ad bonum et prosperum statum Urbis pertinent, grata propter hoc pro loco et tempore favente Domino vicissitudine respondere. Verum, quia nobis fideliter intimasti, quod dictum castrum de facili capi posset, si duo milia librarum Proveniensium pro construendis machinis et aliis instrumentis bellicis haberentur pre manibus et tibi a nobis pro huiusmodi prosecutione negotii mitterentur, nos, cupientes quod predicta Romana ecclesia de castro ipso sue intentionis propositum ad laudem et gloriam divini nominis efficaciter consequatur, ecce dilectos filios magistros Helyam capellanum nostrum et Sinitium camere nostre clericum[3] ad te propter hoc specialiter duximus destinandos, quibus in hiis, que tibi super hoc ex parte nostra dixerint, adhibeas firmam fidem.

Dat. apud Urbemveterem, III Kalendas Iunii, anno tertio[4].

611.

Urbanus IV papa [Ottoni] archiepiscopo Mediolanensi scribit, sub qua forma [Guillelmum V] marchionem de Monteferrato, qui hucusque Uberto marchioni Pelavicino adhaeserit et ad ecclesiam redire desideret, absolvere possit. *1264, Mai. 31.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 111; Lib. III, cur. 127. Epistolam nos inde descripsimus.
Posse, l. c. p. 33, n. 405; BFW. 9444.

---

a) nobilis viri *add 2.* b) gaudemus *deest 2.* c) *ita 2.;* p̄p̄am *1.*

1) *De hoc cf. iam sub a. 1264, Ian. 13; Potthast 18778.* 2) *Cf. n. 589.* 3) *De hoc cf. p. 486, not. 2.* 4) *Cf. Potthast 18946 et 18986. A. 1264, Iul. 1 papa precibus Raymundi Chaobaudi marescalci Urbis pro Willelmo presbytero Vapincensis diocesis porrectis annuit; Vol. IV [beneficia], f. 329, ep. 1752.*

. . archiepiscopo Mediolanensi.

Per tuas nobis humiliter litteras supplicasti, ut cum nos olim Ubertum marchionem Pelavicinum exigentibus gravissimis culpis suis necnon et omnes prebentes ei consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum excommunicationis vinculo duxerimus innodandos, ac nobilis vir . . marchio de Monteferrato[1] desideret ab huiusmodi excommunicationis sententia, quam favendo eidem Pelavicino incurrit, absolvi, eidem marchioni absolutionis impendi beneficium mandaremus. Nos igitur, de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, huiusmodi tibi negotium duximus committendum, fraternitati tue presentium auctoritate mandantes, quatinus circa absolutionem marchionis eiusdem de Monteferrato infrascriptam formam studeas observare[2], videlicet quod idem marchio de Monteferrato prestet ante omnia de stando mandatis ecclesie corporaliter iuramentum et fideiussoriam nichilominus cautionem sub pena, de qua videris expedire; cui mandabis sub debito prestiti iuramenti, quod deinceps ab ipso Pelavicino nec litteras nec nuntios neque munera magna vel parva recipiet neque mittet eidem, quamdiu idem Pelavicinus in excommunicatione lata contra ipsum per sedem apostolicam duxerit persistendum. Insuper ab omnibus confederationibus, iuramento, promissionibus sive pactis, si quibus ipsi[a] Pelavicino se hactenus obligavit, omnino recedet. Super hiis autem mandatis ac acceptatione ipsorum, que omnia publice fieri volumus presentibus multis personis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, et multis etiam laicis, confici facias publicum instrumentum, illud nobis fideliter transmissurus. Ad que omnia te procedere volumus salvis aliis mandatis nostris, que circa hoc eidem marchioni de Monteferrato semel vel pluries per nos vel alios duxerimus facienda. Hiis vero, ut premissum est, rite peractis eidem marchioni de Monteferrato super huiusmodi excommunicationis sententia iuxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Iunii, anno III°.

612.

Urbanus IV papa priori Heremi Novae Ravennatis dioecesis ad preces [Opizonis] marchionis Estensis, Guidonis Guerrae comitis Tusciae palatini et Malatestae de Veruculo mandat, ut magistrum Iohannem priorem S. Uberti de Trappula, capellanum S[imonis] tituli S. Martini presbyteri cardinalis legati, ab archidiacono et canonicis, dictis cardinalibus, ecclesiae Ravennatis in fratrem recipi faceret. 1264, Mai. 31.

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 178, ep. 630. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci BFW. 9445.

. . priori Heremi Nove Ravennatis diocesis.

Cupientes[b] invenire qui Deo placeant, libenter honoramus inventos, cum virtus, etsi sui sit gratia principaliter appetenda, congruis tamen honorata muneribus alacrius elucescens ad amorem sui desides excitet et animatos etiam adhortetur. Cum igitur, sicut ex devotorum sedis apostolice, videlicet nobilium virorum . . marchionis Estensis[3], Guidonis Guerre comitis Tuscie palatini et Malateste de Veruculo[4] testimonio novimus,

---

a) se ipsi *R.* b) Supientes *R.*

1) *Hic a. 1264, Mai. 15 cum Carolo Andegavensi et Provinciae comite foedus fecerat; Wurstemberger, Peter II v. Savoyen t. IV, p. 324, n. 642.* 2) *Cf. n. 569.* 3) *Cf. n. 580.* 4) *Verrucchio e mer. et occ. civ. Rimini. De Malatesta cf. Potthast 18604 et Reg. Lib. III, 36 et Lib. III, benef. ep. 57; Potthast 18702, 18703.*

dilectus filius magister Iohannes prior Sancti Uberti de Trappula, capellanus dilecti filii nostri S. tituli Sancti Martini presbyteri cardinalis, predicte sedis legati, et sui consanguinei ecclesie Romane devoti et obsequiosi sint et efficaciter fuerint temporibus oportunis: nos, ex hiis et aliis meritis probitatis eiusdem magistri et predictorum nobilium precibus ad faciendum sibi gratiam specialem inducti, discretioni tue mandamus, quatinus ipsum magistrum, dummodo sit ydoneus aliquodque canonicum non obsistat, vel suum procuratorem eius nomine a dilectis filiis . . archidiacono et canonicis, dictis cardinalibus[1], ecclesie Ravennatis in eorum ecclesia recipi faciens per te vel alium in canonicum et in fratrem, ei de prebenda, siqua ibidem vacat ad presens vel quamcito ad id se facultas obtulerit, providere procures — non obstante statuto ipsius ecclesie de certo canonicorum numero, iuramento, confirmatione dicte sedis vel quacunque alia firmitate roborato, aut si pro aliis eisdem archidiacono et canonicis direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium preiudicium generari, sive si ipsis a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte sedis, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, vel qualibet alia ipsius sedis indulgentia, per quam impediri posset huiusmodi gratia vel differri, aut quod alias idem beneficiatus existit —: contradictores etc. usque: compescendo.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Iunii, anno tertio.

613.

Urbanus IV papa Senensibus in exercitu apud Campiliam existentibus, excommunicatis, fautoribus Manfredi, districte inhibet, ne contra castrum et territorium de Radicofano procedant, eis, nisi obediant, multas poenas comminans. *1264, Iun. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 112—113; Lib. III, cur. 132. Pertzii exemplar contulimus cum Regestis. Potthast, Reg. 18942; BFW. 9447.

..potestati, ..capitaneo, ..priori viginti quatuor et eisdem viginti quatuor, consilio et comuni Senensibus, in exercitu apud Campiliam[2] existentibus, spiritum consilii sanioris.

Licet multa enormia multaque perversa opera et actibus contraria devotorum contra Romanam ecclesiam matrem vestram commiseritis hactenus ac multas et diversas iniurias nobis et eidem ecclesie intuleritis, nos et ecclesiam ipsam vestris pravis actibus multipliciter offendendo, speravimus tamen, quod ad cor vos penitens reducentes et considerantes vos graviter adversus predictam ecclesiam deliquisse de commissis peniteretis omnimode ac studeretis vos coram rege humiliare celesti et nostrum nostrorumque fratrum animos contra vos vestris culpis exigentibus provocatos condigne satisfactionis et devotionis obsequiis complacare. Sed vos, quod dolentes referimus, vestre quasi prorsus salutis obliti, non cessatis mala malis adicere, offensas inculcare offensis et iniurias iniuriis cumulare, dum Manfredi quondam principis Tarentini et aliorum aversorum ab utero eiusdem matris ecclesie filiorum dampnatis adherendo vestigiis Christiane societatis impugnatis pacem[a] et ipsius ecclesie membra malignitate viperea laceratis, ponendo spem vestram in vestris temporalibus viribus

a) pacem impugn. R.

1) *Cf. Potthast 18251.* 2) *Ex sept. Radicofani.*

et divitiis, quibus abuti contra Deum, qui eas vobis contulit, non timetis. Ecce siquidem ad nostrum pervenit auditum, quod vos, diversis persecutionum generibus, quibus predictam vexastis hactenus et vexari procurastis ecclesiam, non contenti, postquam omnipotens dominus aliquorum forsan provocatus offensis sustinuit et permisit vos de rocca Campilie vestre intentionis propositum obtinere[1], ad hoc ut daretis intelligi, quod nequaquam a Deo recognoscitis id quod de rocca ipsa contingere toleravit, disposuistis ipsum in sua ecclesia solito gravius impugnare, intendentes territorium castri de Radicofano, quod utique castrum predicte ecclesie camera specialis existit, hostiliter ingredi et aggredi in divine maiestatis contemptum ac nostram et predicte ecclesie contumeliam et iacturam[2], nec aliquatenus attendentes quod, etsi mirabiles sint elationes Ps. 92, 4. maris, mirabilior tamen permanet Dominus in excelsis. Cum igitur ex hoc videamini velle in ipsius ecclesie viscera manus immittere truculentas, nos, quibus licet immeritis defensionem eiusdem ecclesie suorumque bonorum et iurium commisit Altissimus, tantum ipsius ecclesie dispendium tantumque obprobrium tolerare nullatenus proponentes, quin exeramus et vibremus in vos, si adversus castrum ipsum taliter processeritis, gladium ecclesiastice potestatis, universitati vestre de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne contra dictum castrum eiusque territorium hostiliter procedere presumatis. Alioquin, cum nos frequenter vobis fuerimus comminati, quod personas et bona Senensium civium, ubicumque invenirentur, exponeremus libere occupanda fidelibus et civitatem vestram episcopali privaremus dignitate ac nichilominus debitores eorundem Senensium civium, cuiuscumque status, condicionis vel honoris forent, tam in ultramontanis et citramontanis quam in ultramarinis partibus constitutos, |ab|[a] omnibus debitis pecuniariis et aliis, in quibus eisdem tenentur civibus, nec non a iuramentis pro debitorum ipsorum solutione prestitis apostolica auctoritate absolvere ac liberare et instrumenta confecta super eisdem debitis cassare et evacuare penitus curaremus, et processus, siquos ratione debitorum ipsorum coram quibuscumque iudicibus ordinariis vel a sede apostolica delegatis haberi contingeret, decerneremus irritos et inanes ac nullius existere firmitatis, privaremus etiam omnes filios et nepotes eorundem civium per descendentem lineam clericos omnibus personatibus, dignitatibus, prebendis et aliis ecclesiasticis beneficiis, que obtinent, et redderemus eos prorsus inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda: quia si contra huiusmodi inhibitionem nostram venire temptaveritis, procedendo hostiliter contra predictum castrum[b] eiusve territorium, ex hoc vos[c] principales hostes et impugnatores ipsius ecclesie liquidius ostendetis, nos exnunc de predictorum fratrum consilio predictas penas vos incurrere decernimus ipso facto, exponentes bona Senensium civium, ubicumque inventa fuerint, libere occupanda fidelibus et personas eorum capiendas et etiam detinendas, ac civitatem Senensem episcopali dignitate privantes, et nichilominus omnes huiusmodi debitores eorundem civium auctoritate apostolica ab omnibus debitis et iuramentis huiusmodi absolventes et etiam liberantes, ac instrumenta super eisdem confecta debitis cassantes et evacuantes, ac processus, si quos ratione debitorum ipsorum coram quibuscumque iudicibus ordinariis vel delegatis a

---

a) ab *deest R.* b) contra pred. ca. hostiliter *R.* c) vos *superscr.*

1) *A. 1264, Mai. 29 Senenses arcem ceperunt et funditus destruxerunt; Ann. Senenses, SS. t. XIX, p. 231.* 2) *A. 1263, Oct. 23 magistro Miloni scripsit cives Senenses nuper contra castrum Radicofani hostiliter processisse, territorium eius ignis incendio et aliis depopulationum generibus devastando, eique mandarit, ut Radicofanensibus pro damnis illatis 2000 illarum 10000 marcarum, quas de debitis Senensium collegisset, assignaret et 2000 in tuto loco deponeret [de reliquis 6000 cf. p. 562, not. 3]; Lib. III, cur. 8; Posse p. 25, n. 297; cf. Potthast 18687. A. 1263, Nov. 12 eidem mandavit, ut illa 2000 marcarum procuratori Radicofanensium quantocius assignaret; Lib. III, cur. 15.*

predicta sede haberi contigerit, decernentes irritos et inanes ac nullius existere firmitatis, omnesque filios et nepotes eorundem civium per descendentem lineam clericos omnibus personatibus, dignitatibus, prebendis et aliis ecclesiasticis beneficiis, que obtinent, premissa auctoritate privantes, et reddentes eos prorsus inhabiles ad illa vel alia in posterum obtinenda. Et ecce dilectum filium fratrem Rufinum capellanum et penitentiarium nostrum, virum utique providum et discretum, religione conspicuum ac nobis et fratribus nostris sue meritis probitatis acceptum, ad vos propter hoc specialiter destinamus[1]. Vos ergo ipsum benigne recipientes et honeste tractantes, indubitatam ei in hiis, que vobis super premissis ex parte nostra dixerit, adhibere fidem illaque studeatis efficaciter adimplere.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Iunii, anno III°.

614.

Urbanus IV papa Volrado episcopo Halberstadensi, cedere cupienti, quia ob insurrectionem baronum et malitiam plebis ecclesiam suam salubriter gubernare non possit, suadet, ut discrimina ecclesiae suae sibi diligenter exponat. *1264, Iun. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 174, ep. 594. Damus Pertzii exemplar. BFW. 9448.

Wolrado episcopo Alberstadensi.

Pervenit ad audientiam nostram, quod Alberstadensis ecclesia, que inter alias ecclesias Maguntine provincie florere in spiritualibus et habundare in temporalibus consuevit, occasione questionis dudum inter te[a] et Ludulfum quondam Alberstadensem episcopum super episcopatu Alberstadensi exorte[2] quasi ad extremam inopiam est redacta; nam baronibus et nobilibus illarum partium insurgentibus contra eam, tu, cum non[b] habeas in partibus illis aliquos consanguineos vel propinquos, eis non potes resistere seu predictam ecclesiam a talium incursibus defensare. Plebes quoque ipsius ecclesie tanta malitia esse dinoscitur, ut sit prorsus impossibile, quod eadem ecclesia per te salubriter gubernetur, sicque potest non immerito formidari, quod ipsa in spiritualibus et temporalibus irreparabile detrimentum incurrat, nisi per celerem providentiam sedis apostolice succurratur eidem. Quia vero firmiter in quorundam opinione geritur, quod tu propter premissa cupias corde humili cedere regimini pastorali, nos fraternitati tue presentium tenore digne duximus suadendum, quatinus predicta et alia discrimina ecclesie memorate ac etiam, si huiusmodi cessio in tua voluntate persistat, nobis diligenter exponas per tuas litteras speciales, ut de premissis per tuam relationem sufficienter instructi super hiis tandem auctore Domino providere possimus, prout tue saluti ac utilitati eiusdem ecclesie viderimus expedire.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Iunii, anno tertio[3].

615.

Urbanus IV papa potestati, capitaneo et communi Saxiferrati indulget, ut nominatis proditoribus ecclesiae, olim habitatoribus castri sui, quorum domus de mandato M[anfredi]

---

a) te *superscr.* b) nos *R.*

1) *Huic scriptum est sub Iun. 4; Lib. III, cur. 133; Potthast 18934.* 2) *Cf. n. 405 et 472.* 3) *Cf. Vol. IV [beneficia], ep. 869, 1696, 1698; Potthast 18947, 18961, 18960.*

electi Veronensis, olim marchiae Anconitanae et ducatus Spoletani rectoris, diruerint, ad restituenda damna non teneantur. *1264, Iun. 9.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 66; Lib. III, 255. Exemplar ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 36, n. 443; BFW. 9449.

..potestati, ..capitaneo et communi Saxiferrati[1] Nucerine diocesis.

Pro sinceritatis et constantie vestre meritis compensanda sunt vobis ab apostolica sede premia benivolentie specialis, ita quod per ipsius favorem possitis Deo propitio prosperitatis augmenta consequi et nullis indigne dispendiis aggravari, maxime tunc temporis, quando aliqui eiusdem ecclesie proditores vos illa de causa molestiis afficere niterentur, quia ipsorum culpa dampnabilis per vos ad predicte mandatum ecclesie punita cernitur extitisse. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum nobiles viri Fildismidus de Castaneo, Guillelmucius Uffreducii, Petrus et Bonaventura Mercatantis, Ventura Petri, Iohannes Inge, Abrazolus Radiconis, Favarellus de Podio, Carpinellus Iudex, Bovecellus, Aldebrandinus, Gentilucius natus nobilis viri Severi et nonnulli alii, olim habitatores castri Saxiferrati, manifesti Romane ecclesie proditores, spiritu ad rebellionis nequitiam obfirmato persecutoribus ipsius ecclesie presumpsissent temere adherere vobisque in eiusdem ecclesie devotione manentibus dampna gravia irrogassent, vos tandem ad mandatum dilecti filii M. Veronensis electi, olim Anconitane marchie ac ducatus Spoletani rectoris[2], domos proditorum ipsorum funditus diruistis. Ut itaque dictis proditoribus omnis occasio vos impetendi super hoc in posterum subtrahatur, nos, vestris devotis supplicationibus annuentes, ut, veris existentibus supradictis, vos vel aliqui vestrum, quamdiu in devotione apostolice sedis manseritis, eisdem proditoribus ac suis heredibus vel ipsorum alicui domos ipsas reficere vel dampna, que propter demolitionem illarum se incurrisse proponunt, restituere minime teneamini, universitati vestre auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Iunii, anno III°.

616.

Urbanus IV papa S[ifridinae] Casertae comitissae viduae indulget, ut licet loca, ad quae Manfredum, Ricardum Casertanum et Thomam Acerrarum comites, Galvanum et Fredericum Lancea devenire contingat, interdicto supposita sint, tamen in locis sibi et dicto comiti Casertano nato suo subiectis divina sibi celebrari faciat. 1264, Iun. 22.

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 324, ep. 1717. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9452.

Dilecte in Christo filie nobili mulieri S. Caserte comitisse vidue[3].

Quia Deo et ecclesie devota esse diceris, personam tuam prosequi volumus gratiosi exhibitione favoris. Cum itaque civitates et loca, ad que Manfredum quondam principem Tarentinum, Riccardum Casertanum et Thomam Acerrarum comites, Galvanum et Fredericum Lancea fratres devenire contingit, quamdiu in illis steterint, eorum culpis exigentibus per sedem apostolicam ecclesiastico sint supposita interdicto[4]: nos,

---

1) *E mer. et or. civ. Cagli.* 2) *Cf. p. 598, not. 1.* 3) *Cf. n. 106.* 4) *Cf. n. 571.*

ne tali pretextu divinis quandoque defraudari [te][a] contingat, tuis devotis supplicationibus annuentes, auctoritate tibi apostolica indulgemus, ut — hoc non obstante — infra huiusmodi civitates et loca tibi vel dicto comiti Casertano, nato tuo, subiecta, etiam dum Manfredus, comites et fratres predicti vel aliqui eorum ibidem steterint, si te ad illa devenire contigerit aut in eis forsitan commorari, divina in locis religiosis, in quibus illa ex indulto sedis apostolice celebrantur, seu in capellis tuis a tuis propriis capellanis vel aliis regularibus tibi cum quinque honestis mulieribus audire ac eisdem capellanis et regularibus simul aut divisim ea celebrare liceat necnon tibi et eisdem mulieribus ab eis recipere ac illis vobis sacramenta ecclesiastica ministrare, et si te decedere forte contingat, in cimiterio ecclesiastico sepeliri, dummodo divina ipsa clausis ianuis, non pulsatis campanis, excommunicatis et interdictis aliisque universis exclusis et voce suppressa in locis et capellis celebrentur eisdem, ac tu, prefati capellani, regulares et mulieres causam non dederitis interdicto, nec id tibi aut eis contingat specialiter interdici. Nulli ergo — nostre concessionis etc. usque: incursurum; presentibus post triennium minime valituris[b].

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Iulii, anno tertio.

617.

Urbanus IV papa notum facit se magistro Aegidio camerario Manfredi electi Veronensis, ab hostibus ecclesiae captivati, potestatem dare recipiendi proventus electi et computandi cum officialibus, quos electus habuerit, dum marchiae Anconitanae et ducatus Spoletani regimini praeesset. *1264, Iun. 30.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 187, ep. 697. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 34, n. 414; BFW. 9454.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis.

Noverit universitas vestra, quod cum dilectus filius Manfredus Veronensis electus detineatur ab hostibus ecclesie captivatus[1], nos, de fidelitate dilecti filii magistri Egidii camerarii sui firmam in Domino fiduciam obtinentes, damus sibi plenam licentiam et liberam potestatem exigendi et recipiendi nomine ipsius electi universos redditus et proventus ad ipsum electum quocunque iure spectantes et quecunque alia eiusdem electi debita, computandi quoque seu ponendi computum cum vicariis, iudicibus, notariis aliisque officialibus, quos idem electus olim, dum Anconitane marchie et ducatus Spoletani preesset regimini, in huiusmodi provinciis habuit, recipiendi insuper a vicariis aliisque predictis ea, que ipsos per huiusmodi computa eidem electo debere constiterit, et refutationem[2] de hiis que receperit faciendi, has eidem magistro Egidio litteras in huius rei testimonium concedentes.

Dat. apud Urbemveterem, II Kalendas Iulii, anno tercio[3].

618.

Urbanus IV papa episcopo Aversano, vicario in ducatu Spoletano, scribit de quadam controversia inter cives Asisinates et quosdam laicos Asisinatis et Perusinae dioecesium exorta. *1264, Iul. 3.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 68; Lib. III, 265. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

---

a) te *deest R.* b) *cf. t. II, p. 258, not. h.*

1) *Cf. p. 598, not. 1.* 2) *Accepti lationem.* 3) *Cf. Vol. IV [beneficia], f. 209, ep. 884; Potthast 18956. A. 1264, Iul. 19 magistro De la curre clerico SS. Apostolorum Veronensium, vicario Manfredi electi Veronensis, gratiam fecit; ibid. f. 204, ep. 845; cf. Lib. III, 285; Potthast 18954; cf. etiam 18996.*

. . episcopo Aversano[1], vicario in ducatu Spoletano dilecti filii nostri S. tituli Sancti Martini presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, marchie Anconitane et ducatus eiusdem rectoris.

Ex parte dilectorum filiorum . . potestatis, . . capitanei, consilii et communis Asisinatium fuit propositum coram nobis, quod Paulo nato, Tudino, Leonardo et Raynaldo nepotibus quondam Fortisbrachii, laicis Perusine et Asisinatis diocesum, falso asserentibus, quod idem commune ipsis in castro Saxirubei[2] et pertinentiis suis circa fructus et proventus eorum dampna intulerant et iacturas, fructus et proventus huiusmodi occupando, consules mercatorum civitatis Perusine predictum commune laicis ipsis in mille libris parvorum usualis monete occasione huiusmodi pretextu cuiusdam statuti eiusdem civitatis de facto, cum de iure nequiverint, condempnarunt. Iidem etiam consules seu nobilis vir Petrus Parentii civis Romanus, tunc potestas predicte civitatis Perusine, eisdem laicis capiendi de rebus vel de bonis ipsius communis et civium Asisinatium usque ad quantitatem huiusmodi licentiam concesserunt. Et licet occasione pignorationum, que sunt a iure penitus interdicte, per abusionem interdum inter aliquas communantias bona dumtaxat mobilia, quod est etiam improbandum, consueverint occupari, tamen consules ipsi sive predictus Petrus potestas eosdem laicos in tenutam et possessionem corporalem omnium possessionum et terrarum, quas cives Asisinates in ducatu Spoletano infra certos confines obtinent, prout asseritur, fecerunt induci pro sue libito voluntatis[3]; sed predicti cives Asisinates — hoc non obstante — fuerunt in tenuta et possessione terrarum et possessionum huiusmodi et existunt. Quia vero in collectione fructuum et proventuum terrarum et possessionum predictarum possent in illis partibus multa pericula provenire, nos, huiusmodi periculis obviare volentes, fraternitati tue mandamus, quatinus fructus et proventus predictos, presertim cum ad hoc predictorum civium, qui in tenuta et possessione terrarum et possessionum earundem existunt, prout superius est expressum, accedat assensus, auctoritate nostra colligi facias et conserves, donec causa super hoc exorta inter partes fuerit terminata, inhibito . . potestati, . . capitaneo, consilio et communi Perusinis, ut super hoc nichil innovare presumant; contradictores etc.[4].

Dat. apud Urbemveterem, V Nonas Iulii, anno III°[5].

619.

Urbanus IV papa potestati Reatino mandat, ut possessiones, quas Boncontus de Pendentia, per Manfredum in ecclesia Pactensi intrusus, civitatem Reatinam frequenter accedens in tenimento et districtu eius emerit, ad manus suas recipiat. 1264, Iul. 5.

Urb. IV Reg. Vol. III, 71; Lib. III, 277. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.
Posse, l. c. p. 36, n. 446; BFW. 9455.

---

1) *Hunc papa a. 1264, Iun. 17 coadiutorem [Iacobi II] episcopi Eugubini appellavit; Vol. IV [beneficia], f. 180, ep. 637; cf. Potthast 19757 et 20301.* 2) *De eodem cf. Potthast 11363.* 3) *Hucusque haec ep. concordat fere cum ea, qua papa a. 1263, Iun. 9 Perusinos monuit, ne Asisinates in hac re molestari permitterent; Lib. II, 119; cf. 118; Potthast 18560 et 18566.* 4) *Pro liberatione Benelli Martini civis Asisinatis, capti in marchia Anconitana, ad preces Asisinatium scripsit XVII [sic] Kal. Mart. a. III; Vol. IV [beneficia], f. 105, n. 141; Potthast 18800. Eadem, ut videtur, epistola legitur Lib. III, 95 sub a. 1264, Febr. 5.* 5) *A. 1264, Mart. 6 papa [Bernardo] episcopo Perusino mandavit, ut cum Manfredus electus Veronensis, capitaneus et rector Ducatus et Marchiae, inquisitionem contra nobilem virum Ballionum militem Perusinum super fuga Conradi de Antiochia [cf. Muratori, SS. t. VIII, p. 591 et 807 et*

Nobili viro . . potestati Reatino[a].

Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod Boncontus de Pendentia[1], qui Pactensem ecclesiam, in qua per Manfredum quondam principem Tarentinum, persecutorem Romane ecclesie manifestum, se procuravit intrudi, detinet occupatam in anime sue periculum, grave venerabilis fratris nostri . . Pactensis episcopi[2] preiudicium et ipsius Romane ecclesie iniuriam et contemptum, magnas et amplas possessiones in tenimento civitatis Reatine ac eius districtu emit de proventibus Pactensis ecclesie supradicte, ac ad civitatem eandem frequenter accedens ibique pro sue voluntatis libito publice commorans, nonnullos in ea perversos tractatus cum quibusdam Reatinis civibus[3] velut homo pestilens et publicus fautor persecutoris eiusdem habere presumit cotidie, ac alia inibi occulte pro viribus committere non veretur, que redundare possent in subversionem civitatis eiusdem ac Romane ecclesie non modicum detrimentum. Cum igitur indecens prorsus existat, ut, eodem Bonconte[b] presertim inter ecclesie Romane devotos in bonis prefate Pactensis ecclesie debachante, prefatus Pactensis episcopus, qui ob devotionem, quam ad eandem Romanam habet ecclesiam, a sua ecclesia exulare compellitur, non habeat, unde valeat sustentari: nobilitatem tuam rogandam duximus attentius et hortandam, mandantes quatinus omnia bona, tam mobilia quam immobilia, que prefatus B. in prefatis tenimento ac districtu taliter acquisivisse dinoscitur, ad manus tuas nomine predictorum episcopi et ecclesie Pactensium recipias ipsaque tamdiu teneas, donec de ipsis aliter duxerimus disponendum. Taliter autem super hoc preces et mandatum nostrum adimpleas, quod nos devotionem tuam dignis exinde in Domino laudibus merito commendemus.

Dat. apud Urbemveterem, III Nonas Iulii, anno III°[4].

620.

Urbanus IV papa magistro Renero scolastico Tungrensi committit, ut baronibus et nobilibus cum Henrico episcopo Leodiensi transfretantibus concedat, ut ea, quae in torneamentis indebite acquisierint, dummodo ii quibus ea restitui debeant inveniri non possint, in subsidium Terrae Sanctae expendant. *1264, Iul. 6.*

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 217, ep. 958. Epistolam nos inde descripsimus. BFW. 9456.

Magistro Renero scolastico ecclesie Tungrensis[5] Leodiensis diocesis.

Sicut ex parte venerabilis fratris nostri Henrici Leodiensis episcopi fuit propositum coram nobis, nonnulli barones, nobiles, milites et laici Leodiensis et Traiectensis civitatum et diocesum in belli[c] exercitibus et torneamentis et alias etiam

---

a) Reatiñ *R.* b) *ita apogr.* c) bell' *R.*

Potthast 19601 et BFW. 9808] factam sibi remiserit, Ballionum ad sedem apostolicam citaret; Vol. II [cameralia], f. 146', ep. 1. Cum totus clerus civitatis et diocesis Perusinae in exhibendis procurationibus legatis et nuntiis sedis apostolicae, qui frequenter per Perusium transirent, praegravatus esset, papa a. 1264, Iul. 14 mandavit, ut omnia monasteria et ecclesiae exempta et non exempta proportionaliter ad eas contribuerent; Vol. IV [beneficia], f. 212, ep. 912.

1) *Pendenza e mer. et or. civ. Rieti, prope Cittaducale.* 2) *Bartholomaei.* 3) *Cf. n. 562.* 4) *Eodem die eidem mandavit, ut Boncontum caperet et retineret usque ad beneplacitum apostolicum; consilio et communi Reatinis fidelibus suis, ut B. potestati auxilium praestarent requisiti; in eundem modum episcopo Reatino; Lib. III, 278 et 279.* 5) *Tongern.*

nonnulla indebite acquisivisse[a] vel habuisse noscuntur[1]. Verum quia hii, quibus horum restitutio fieri debet, vel heredes eorum omnino sciri vel inveniri non possunt, idem episcopus nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, ipsius supplicationibus inclinati[2], presentium tibi auctoritate committimus, ut illis ex baronibus, nobilibus, militibus et laicis predictis, qui signo vivifice crucis assumpto cum eodem episcopo transiverint in subsidium Terre Sancte, ad cuius succursum idem episcopus intendit, prout asserit, proficisci, auctoritate nostra concedas, ut huiusmodi acquisita et habita, dummodo hii, quibus eorum restitutio fieri debeat, vel heredes eorum omnino sciri vel inveniri non possint, publicatione facta super hoc et super eorum inventione cura et sollicitudine habita diligenti in illis partibus in quibus dicti nobiles consueverunt[b] conversari et aliis, prout videris expedire, expendere valeant in subsidium dicte terre[c] et ad aliam restitutionem faciendam illorum minime teneantur.

Dat. apud Urbemveterem, II Nonas Iulii, anno tertio[3].

621.

Urbanus IV papa inhibet, ne [Thomas] comes Acerrarum vel aliquis eorum, qui partem habeant in dominio castri Montis S. Iohannis Verulanae diocesis, illuc milites Manfredi introducere praesumant; alioquin omne ius, quod ibi obtineant, nomine ecclesiae Romanae ad Aymonem de Aquino transeat. *1264, Iul. 8.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 116; Lib. III, cur. 139. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9458.

Ad futuram rei memoriam.

Inter ceteras sollicitudines, que mentem nostram in vigiliis excitant, super eo specialiter nostri versantur affectus, ut provinciam[d] Campanie, ortum[e] sedis apostolice predilectum, in statu prospero conservemus: nam quanto potius ipsam provinciam visceribus dicte sedis connexam esse perspicimus, tanto de ipsius quiete, in qua nos non indigne quiescimus, vigilantius cogitamus. Ne igitur per castrum Montis sancti Iohannis[4] Verulane diocesis, hostibus ecclesie Romane vicinum, aliquid emergere valeat, quod cedat in ipsius castri vel prefate provincie lesionem, auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne nobiles viri .·. comes Acerrarum vel aliqui illorum, qui partem habent in dominio dicti castri, aliquam masnadam militum, balistariorum vel peditum Manfredi quondam principis Tarentini vel quorumvis indevotorum eiusdem ecclesie illuc introducere seu introductam retinere vel quomodolibet receptare presumant. Nos enim illos, qui secus attemptare presumpserint, omnibus bonis, iuribus et

a) acquisivise *R.* b) consuever̄ *R.* c) terre dicte *R.*; dicte *in loco raso.* d) provincie *R.* e) *i. e.* hortum.

1) *De torneamentis cf. etiam n. 260.* 2) *Etiam a. 1264, Aug. 20 papa eius devotionem laudans precibus eius annuit; Vol. IV [beneficia], f. 216, ep. 944.* 3) *Eodem die eidem obtentu episcopi, qui crucem assumere et cum decenti bellatorum comitiva in Terrae Sanctae subsidium proficisci intenderet, mandavit, ut praelatis, canonicis et clericis saecularibus ecclesiarum regni Alamanniae crucesignatis et transfretaturis proventus dignitatum et beneficiorum, quae in ecclesiis ipsis obtinerent, per triennium integre ministrari faceret; ibid. f. 331, ep. 1775. A. 1264, Iul. 23 mandavit, ut vicesima pro Terra Sancta in Leodiensi et Traiectensi diocesibus colligeretur et in monasterio Fusniacensi Laudunensis diocesis deponeretur; ibid. f. 214, ep. 928. Cf. etiam BFW. 9719 et Clem. IV Reg. cameralia [t. 31], ep. 20 et 21 sub a. 1266, Mart. 6 et 7 de debitis episcopi Leodiensis camerae apostolicae solvendis.* 4) *Ex or. civ. Veroli, iuxta finem regni Siciliae.*

dominio, que obtinent in eodem castro, apostolica exnunc perpetuo auctoritate privamus, illa nichilominus ecclesie Romane de nostre potestatis plenitudine confiscantes, ac mandantes universis dicti castri hominibus, ut dilecto filio nobili viro Aymoni de Aquino [1], in devotione ipsius ecclesie persistenti, de bonis, iuribus et dominio illorum, ad quos contigerit sententiam huiusmodi privationis extendi, respondeant sibique in hiis ecclesie prefate nomine plenarie studeant obedire, ut reis culpa propria redundet in penam et boni de sue merito bonitatis consequi premia dinoscantur [2].

Dat. apud Urbemveterem, VIII Idus Iulii, anno III° [3].

622.

Urbanus IV papa priori Praedicatorum in Confluentia mandat, ut nominatos laicos Treverensis diocesis, qui olim ipsum Urbanum, tunc archidiaconum Laudunensem, ab Innocentio IV in Alamanniam destinatum, ceperint et spoliarint, absolvat.

1264, Iul. 9.

Urb. IV Reg. Vol. IV [beneficia], f. 191, ep. 731. Exemplar, quod Raynaldus, Ann. eccl. a. 1264, § 30 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 18969; Goerz, Mittelrhein. Reg. t. III, p. 451, n. 1998a; Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 310, n. 660; BFW. 9459.

Priori fratrum ordinis Predicatorum in Confluentia Treverensis diocesis.

Gemma nulla splendidior in summi pontificis ornatu geritur, quam sit humilitas, regina virtutum omnium et corona prefulgida electorum necnon divine gratissima maiestatis oculis et perpetue meritoria claritatis. Hanc etenim, celi decus et terre decorem, celestis agni benignitas ita nobis per suam gratiam amabilem reddidit et nostris affectibus cum sincere caritatis insigniis alligavit, quod spinam omnis odii seu rancoris a corde nostro precidimus et dilectionem illorum in ipso firmissime solidamus, qui nostram innocentiam quandoque calumpniis et interdum gravibus afflixere iacturis. Sane tunc temporis, quo felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster Lugduni manebat, nos, qui archidiaconatus Laudunensis [a] officio eodem tempore fungebamur, de speciali mandato predecessoris eiusdem ad partes Alamannie pro quibusdam ecclesie Romane negotiis accedentes [4] Hermannus de Willemsdorp [5] miles senior ac Hermannus iunior et Conradus eiusdem loci fratres necnon Eccheardus de Bicken [6] laici cum quibusdam suis complicibus Treverensis diocesis ausu capi sacrilego et spoliatos quibusdam equis ac certa pecunie summa et quampluribus aliis bonis nostris detineri fecerunt aliquandiu captivatos, clementissima regina celorum illam nobiscum misericordiam [b] faciente, quod de captivitate huiusmodi per sue virtutis auxilium fuimus liberati [7]. Nunc autem Hermannus iunior et Conradus ac Eccheardus predicti, sicut ipsi nobis significare curarunt, ad cor Domino inspirante reversi, de illa predictorum bonorum [c] parte, que provenit eisdem, ac etiam de illatis iniuriis

---

a) Laud *R.* b) misericordiam *supra verbum* gratiam, *punctis deletum, scriptum est.* c) bonorum *superscr.*

1) *Cf. n. 252.* 2) *Eodem die Aymoni et aliis dominis castri eiusdem de eadem re scripsit; Lib. III, cur. 140. Iul. 2 electo Capuano in favorem Aymonis scripserat; Lib. III, 283.* 3) *A. 1264, Apr. 13 I[ordano] SS. Cosmae et Damiani diacono cardinali custodiam Roccae de Castro Verulanae diocesis, demanii specialis ecclesiae, commiserat usque ad beneplacitum apostolicum; Lib. III, cur. 74. Cf. n. 582.* 4) *Cf. n. 66 et sequ.* 5) *Wilnsdorf in terra Siegen; cf. Wyss in Westdeutsche Zeitschr. t. VI, p. 253 et 258.* 6) *Bicken ibid.* 7) *A. 1251, Dec. 15 Iacobus archidiaconus Laudunensis Coloniae apud Willelmum regem erat; BF. 5054.*

parati sunt nobis satisfactionem iuxta sue possibilitatis exigentiam impertiri. Quare humiliter petebant a nobis, ut cum ipsi propter inimicitias, quas se incurrisse asserunt capitales, et viarum discrimina graviora ad presentiam nostram venire non possint, dictumque Hermannum seniorem iamdudum ex quodam pietatis affectu absolvi fecerimus per te ipsum, providere ipsis in hac parte salubriter curaremus. Quia vero illius officii dignitatem nos licet immeriti ex divina provisione suscepimus, in quo et inimicos diligere et persecutoribus nostris etiam pie tenemur orationis subsidio subvenire, discretioni tue presentium auctoritate committimus, quatinus Hermannum iuniorem, Conradum et Eccheardum predictos, cum super hoc ab ipsis fueris humiliter requisitus, ab excommunicationis sententia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, vice nostra iuxta formam ecclesie prorsus absolvas et iniungas eis penitentiam salutarem. Ceterum eisdem, postquam absolutionem huiusmodi secundum premissam formam fuerint assecuti, benigne denunties, quod omnem iniuriam et offensam irrogatam nobis ab ipsis eis remittimus et emendam seu restitutionem pecunie seu bonorum, in qua pro dampnis illatis teneri persone nostre noscuntur, divine pietatis intuitu liberaliter relaxamus, iniungens eis nichilominus in virtute prestiti iuramenti, quod abstineant decetero ab huiusmodi iniuriis et rapinis.

Dat. apud Urbemveterem, VII Idus Iulii, anno tertio[1].

623.

Urbanus IV papa Ortanis, fidelibus suis, districte praecipit, ut exercitui Manfredi, qui per partes ipsorum procedere intendat, potenter resistant. *1264, Iul. 10.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 117; Lib. III, cur. 143. Epistolam nos inde descripsimus. Posse, l. c. p. 34, n. 416; BFW. 9460.

..potestati, consilio et communi Ortanis[2], fidelibus nostris.

Cum exercitus illius tyrampni, precipui persecutoris ecclesie, Manfredi videlicet quondam principis Tarentini, intendat, sicut accepimus, per partes vestras procedere versus alias ipsius ecclesie terras vobis viciniores in ecclesie Romane suorumque fidelium nocumentum[3], nos, quia pensatis antique vestre fidelitatis meritis certam de vobis spem et fiduciam obtinemus, quod constanter stabitis pro ecclesia, pro libertate,
pro patria contra hostes et offirmabitis vultus vestros adversus predictum M., mala, Prov. 21. 29.
quibus ecclesia hiis diebus atteritur, pestiferis sue iniquitatis flatibus commoventem, universitatem vestram monemus, rogamus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, districte precipiendo mandantes, quatinus eidem exercitui, si per predictas partes transire voluerit, potenter et patenter, cum per Dei gratiam adsit vobis ad hoc possibilitas, resistentes, non permittatis exercitum ipsum seu aliquos ipsius Manfredi milites per partes transire pre-

1) *Aliae epistolae Urbani, ad tempus, quo papa non fuit, spectantes Lib. I, 136; Potthast 18337; cf. 18135, 18553, 18640.* 2) *Orte ad Tiberim e mer. et oc. civ. Narni.* 3) *A. 1264, Iul. 29 papa pronuntiavit: quia Iohannes de Marerio, Pandulfus de Alabro et domini Roccae de Accarina, fidelitatis debito quo Romanae ecclesiae tenerentur temere violato, Saracenorum et aliorum infidelium exercitum in terras ipsius ecclesiae introducere damnabiliter praesumpsissent, facti ipsius ductores et conductores exercitus, se eos nuper excommunicasse eisque terminum infra mensem Augusti praefixisse, quo coram se comparerent; cum autem Pandulfus ad ecclesiam redire intenderet, se terminum ei usque ad octavas assumptionis b. Mariae [Aug. 22] prorogare; Lib. III, cur. 157; cf. Vallicoloris V. Urbani IV ap. Muratori, SS. t. IIIb, p. 417; Iamsillae contin. et Saba Malasp. Lib. II, 12; ibid. t. VIII, p. 594 et 810. A. 1264, Aug. 11 Pandulfo de Alabro terminum usque ad festum b. Michaelis prorogavit; Lib. III, cur. 168.*

dictas. Ecce dilectum filium magistrum Claudium de Urbe capellanum nostrum, virum utique providum et discretum ac in nostris et fratrum nostrorum oculis multipliciter gratiosum, ad vos propter hoc specialiter duximus destinandum, cuius super hoc monitis et mandatis pareatis humiliter et efficaciter intendatis, ita quod nos devotionis vestre promptitudinem dignis exinde in Domino laudibus merito commendantes, fidei vestre zelum condignis gratiarum actionibus prosequamur.

Dat. apud Urbemveterem, VI Idus Iulii, anno III° [1].

624.

Urbanus IV papa Perusinis fidelibus suis mandat, ut cum Manfredus contra civitatem Urbevetanam, in qua curia papalis resideat, agmina sua undique coacervet et papa ei cum fidelibus suis resistere intendat, super hoc infra festum S. Mariae Magdalenae sollemnes ambaxatores ad sedem apostolicam destinent. *1264, Iul. 10.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 117; Lib. III, cur. 144. Epistolam nos inde descripsimus. Posse, l. c. p. 34, n. 417; BFW. 9461.

. . potestati, consilio et communi Perusinis, fidelibus nostris [2].

Quia tyrampnus ille et precipuus persecutor ecclesie, Manfredus videlicet quondam princeps Tarentinus, aliis diversis persecutionum generibus, quibus Romanam hactenus vexavit ecclesiam, non contentus, nisi durioribus eam offendat molestiis et asperioribus tribulationibus incessanter affligat, intendit, sicut accepimus, universas suarum virium copias in unum congerere et suorum agminum undique coacervare catervas contra nos et Romanam ecclesiam ac civitatem Urbevetanam, in qua cum tota nostra curia residemus, in ipsius ecclesie obprobrium suorumque fidelium nocumentum: nos, intendentes cum consilio et auxilio vestro et aliorum fidelium ipsius ecclesie tam temerariis eiusdem Manfredi ausibus non sòlum in dicte civitatis territorio set alibi etiam in terris ecclesie predicte resistere ipsiusque tam pravis presumptionibus obviare, universitatem vestram monendam, rogandam attente duximus et hortandam, per apostolica vobis scripta sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie Romane tenemini, districte precipiendo mandantes, quatinus super premissis deliberato consilio infra festum sancte Marie Magdalene proximo venturum [3] sollempnes ambaxatores et syndicos [a] cum mandato plenario ad nostram presentiam destinetis ad tractandum super hiis nobiscum et ad audiendum et faciendum ea, que in hac parte per nos et fratres nostros auctore Domino fuerint ordinata.

Dat. apud Urbemveterem, VI Idus Iulii, anno III°.

In eundem modum Tudertinis [b], Spoletanis, Narniensibus et Asisinatibus potestatibus, capitaneis, consiliis et communibus; Fuliginatibus, de Mevania, de Spello, de Montefalconis [c], Nucerinis, Interampnensibus, Reatinis, Callensibus, Eugubinis, Ortanis, Ameliensibus, Balneoregensibus, Viterbiensibus, Tuscanensibus, de Corneto, de Monte Alto, de Vetralla, de Monteflascone, Castrensibus, Sutrinis, Civitatis Castellane, Nepesinis, de Radicofano et de Centumcellis potestatibus, consiliis et communibus singulariter [4].

---

a) et syndicos *superscr.* b) Tudertiñ *R.; ita infra quoque nomina abbreviata sunt.* c) Montefalcoñ *R.*

1) *Cf. n. 624.* 2) *Cf. n. 618.* 3) *Iul. 22.* 4) *A. 1264, Iul. 15 papa, cum ecclesia ad eiciendum Manfredum de terris suis intenderet conflare totaliter suae molimina potestatis, Perusinorum auxilium requisivit, mittens ad eos O[ttobonum] S. Adriani diaconum cardinalem et mandans, ut ea, quae

625.

Urbanus IV papa Argumento abbati de Ripolis et Huguitioni priori S. Caeciliae Florentinae mandat, ut mercatoribus Florentinis, Pistoriensibus, de Prato, S. Miniato, Podio Bonizi et aliis locis Tusciae, qui de parendo mandatis apostolicis cautiones dederint, iniungat, ut cum familiis suis Asisium se transferant. *1264, Iul. 18.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 73; Lib. III, 291. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 35, n. 425; BFW. 9467.

Argumento abbati monasterii de Ripolis[1] Florentine diocesis et Huguitioni priori Sancte Cecilie Florentine[a].

Cum nonnulli mercatores Florentini, Pistorienses, de Prato[2], Sancto Miniato[3], Podio Bonizi[4] ac aliis civitatibus et locis Tuscie de parendo mandatis apostolicis se astrinxerint iuramento et alias nobis iuxta nostrum beneplacitum dederint cautiones, nos, provida consideratione pensantes, quod si predicti mercatores in locis permanserint ecclesie Romane devotis, liberalius poterunt nostris et apostolice sedis obsecundare preceptis, volumus et presentium vobis auctoritate firmiter precipiendo mandamus, quatinus mercatoribus eisdem sub debito prestiti iuramenti et pena, quam ab eis exigere voluerimus, ex parte nostra per vos vel alios iniungatis, ut infra quindecim dies post preceptum vestrum de terris suis cum propriis familiis penitus exeuntes, ad civitatem Asisinatem se transferant, ibidem, quamdiu de nostra voluntate processerit, continue moraturi. Quicquid autem inde feceritis, nobis vestris litteris intimetis, ut super hiis provideamus, sicut extiterit providendum.

Dat. apud Urbemveterem, XV Kalendas Augusti, anno III°[5].

---

a) Eisdem *R.*

idem eis de faciendo statim exercitu contra Saracenos iniungeret, efficaciter adimplerent; in eundem modum Tudertinis et Asisinatibus singillatim; in e. m. Narniensibus, quibus missus est Annibaldus Basilicae duodecim apostolorum presbyter cardinalis; in e. m. Spoletanis, quibus missus est M[atthaeus] S. Mariae in Porticu diaconus cardinalis; Lib. III, cur. 145; Posse p. 34, n. 420; cf. Potthast 18986. Eodem die O[ttobono] cardinali mandavit, ut per Perusinam, Tudertinam et Asisinatem civitates et dioceses contra Manfredum crucem praedicaret cum indulgentia Terrae Sanctae; in e. m. aliis cardinalibus; Lib. III, 146; Posse n. 421; sed Potthast 18920 ap. Rayn. non legitur. Iul. 28 [Bernardo] episcopo Perusino ['Parisiensi' in rubro] idem per suam civitatem et diocesim mandavit; in e. m. singulis episcopis infrascriptis, videlicet Tudertino, Urbevetano, Asisinati, Spoletano, Eugubino, Nucerino, Interamnensi, Reatino, Narniensi, Ortano, Balneoregensi, Ameliensi, Viterbiensi, Castrensi, Civitatis Castellanae, Nepesino, Sutrino ac . . guardiano fratrum Minorum Fuliginatium in Fuligino et quondam Fuliginati diocesi [cf. Clem. IV Lib. I, 18 et 136; Potthast 19087 et Posse p. 39, n. 483]; in e. m. ministro fratrum Minorum Romanae provinciae; in e. m. ministro provinciali fratrum Minorum administrationis beati Francisci; Lib. III, 156; cf. Potthast 18994 et Posse p. 35, n. 429.

1) *E mer. et or. Florentiae.* 2) *Ex sept. et occ. Florentiae.* 3) *E mer. Arni fl., media via inter Florentiam et Pisas; cf. BF. 4728, 4743.* 4) *Poggibonzi ex sept. et occ. civ. Siena.* 5) *Iul. 17 eisdem mandavit, ut bona inderotorum Florentinorum in civitatibus Tusciae vel Lombardiae, Romaniolae, marchiae Anconitanae et Trevisinae et praesertim Bononiae vel Venetiis aut alibi commorantium arrestari facerent, donec papa aliud de eis disposuisset; Lib. III, 290; Posse p. 34, n. 423; BFW. 9466. A. 1263, Dec. 13 [Iohanni] episcopo Florentino scripsit in favorem P. praepositi Florentini capellani sui, qui ob devotionem ecclesiae cum omnibus de domo et consanguinitate sua coactus esset a triennio praeterito experiri poenas exilii; Vol. IV [beneficia], f. 266, ep. 167. A. 1264, Iun. 12 scripsit pro Henrico filio Sardi de Empoli Veteri clerico Florentinae diocesis, qui pro eo, quod Guelfis ecclesiae devotis adhaesisset, de civitate et districtu Florentinis expulsus esset et destitutus omnibus bonis; ibid. f. 184, ep. 665.*

626.

Urbanus IV papa [Octaviano II] episcopo Bononiensi mandat, ut Bononienses inducat, ut Medicinae et Argelatae villas infra octo dies post monitionem factam ecclesiae Romanae restituant; alioquin eos excommunicet. *1264, Aug. 5.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 122; Lib. III, cur. 159. Epistolam nos inde descripsimus. Posse, l. c. p. 35, n. 434; BFW. 9470.

. . episcopo Bononiensi.

Volumus et presentium tibi auctoritate in virtute obedientie et sub pena excommunicationis districte precipiendo mandamus, quatinus dilectos filios . . potestatem, consilium et commune Bononienses ex parte nostra diligenter moneas et inducas, ut Medicine et Argelate villas[1] tue diocesis ad ecclesiam Romanam spectantes, quas ipsi occupatas detinent, infra octo dies post monitionem tuam dilecto filio magistro Helye Peleti capellano nostro, quem ad eos propter hoc misimus, nostro et ecclesie Romane nomine restituant et resignent[2]. Quod si tuis, immo nostris potius in hac parte monitis acquiescere forte noluerint, tu in potestatem Bononiensem excommunicationis sententiam auctoritate nostra promulgans, facias illam, ubi et quando expedire videris, sollempniter publicari, contradictores etc. — non obstante si predicto potestati a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari nequeat per litteras apostolicas, in quibus de indulto huiusmodi plena et expressa mentio non habetur. Volumus autem, ut de huiusmodi processu tuo confici facias publicum instrumentum tuoque sigillo muniri, illud nobis fideliter transmissurus.

Dat. apud Urbemveterem, Nonis Augusti, anno III°.

627.

Urbanus IV papa M[atthaeo] S. Mariae in Porticu diacono cardinali, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, legato suo, concedit facultatem terminandi lites inter Spoletanos et dominos de Arrone et de Castro Lacus vertentes. *1264, Aug. 6.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 124; Lib. III, cur. 165. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9471.

M. Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, apostolice sedis legato[3].

Ecclesie Romane negotium, quod tue industrie commisimus promovendum, votive prosperitatis augmenta suscipere per tue diligentie studium cupientes, discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, terminandi iudicio seu concordia controversias sive lites, que inter . . potestatem, consilium et commune Spoletanos ex parte una et nobiles viros dominos de Arrone et de Castro Lacus ex altera verti dicuntur, restituendi quoque Spoletanis eisdem castrum Peroculi[4] Spoletane diocesis, quod nos in manibus nostris tenemus, et remittendi eis penas et banna, in que iidem Spoletani ratione rebellionis preterite contra nos attemptate incidisse noscuntur, ac statuendi, disponendi, ordinandi, precipiendi et faciendi super premissis, quicquid ad

---

1) *Cf. n. 51 II.* 2) *Iam saepius Urbanus eos ad restitutionem monuerat; Vol. II [cameralia], f. 25, ep. 1 et 2; f. 50', ep. 1; f. 51, ep. 4; Lib. III, cur. 131; Potthast 18378, 18379, 18468, 18523, 18936.* 3) *Ergo ante instrumentum confectum [n. 628] rector et legatus appellatus est; cf. N. A. t. X, p. 550.* 4) *Cf. n. 557; de Spoletanis cf. p. 616, not. 4.*

honorem nostrum et Romane ecclesie et pacificum statum illarum partium expedire videris, plenam et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Nos enim, quicquid super premissis et singulis premissorum feceris, ratum habebimus atque firmum.

Dat. apud Urbemveterem, VIII Idus Augusti, anno III° [1].

628.

Urbanus IV papa M[atthaeum] S. Mariae in Porticu diaconum cardinalem in patrimonio beati Petri in Tuscia, in quod Manfredus copiosa Theutonicorum agmina immiserit, rectorem constituit eique ibi et in tota Tuscia plenae legationis officium committit. *1264, Aug. 9.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 123; Lib. III, cur. 161. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 35, n. 435; BFW. 9473.

M. Sancte Marie[a] in Porticu diacono cardinali, rectori patrimonii beati Petri in Tuscia, apostolice sedis legato[2].

In suppremo speculationis vertice, cui nos licet indignos apostolice dignitatis gradus pretulit, constituti, cogimur universa fere mala, quibus terrarum orbis atteritur, quasi nostris subiecta conspectibus intueri; propter quod profunda frequenter suspiria et amara producimus, dum videmus, quod sic iam seculum declinavit ad malum, quod excrescentibus et invalescentibus in eo noxiis quasi vix locus in ipso salutaribus invenitur, et exclusa fere inde concordia stabilem habet ibi discordia mansionem. Forte nos sumus, ad quos devenerunt seculorum fines, cum non solum gens contra gentem insurgat, non solum regnum regno minetur, sed armatur etiam temeraria filiorum procacitas in parentes, fratres sanguinis violato federe seviunt contra fratres, et generaliter indomita imbecillitatis humane superbia insatiabiliter furit in sanguinem, implacabiliter spirat in cedem et insanabiliter gestit in mortem; sicque ubique mortales in concertationis insanam prorupere dementiam, quod gratis pacem odiunt socialem et alterno studentes exitio videntur impie conspirasse cum morte. Hinc procedit, prodolor! quod sancta Romana mater ecclesia hiis presertim diebus persecutionum circumquaque insurgentium malleis flagellatur, cum non solum hii, qui numquam eam matrem sue professione fidei agnoverunt, vires exerceant contra ipsam, sed quam multi etiam, quos baptismi regeneratione parturivit in filios et qui dulcia eius ubera in multorum beneficiorum perceptione suxerunt, effecti iam degeneratione privigni, diversarum in eam impugnationum armis insurgunt. Nam quam horribiliter hactenus Manfredus quondam princeps Tarentinus ecclesiam ipsam sue furentis tyrampnidis morsibus in temporalibus eius substantiis laniarit et adhuc ferali scandescat[b] rabie contra illam, omnibus plene liquet: quam detestabiles etiam modos eandem ledendi ecclesiam aliqui nobiles et potentes de patrimonio beati Petri in Tuscia et de aliis terris ipsius ecclesie, qui eam et condigna honorificentia prosequi eiusque procurare quietem ac ipsam a suis oppressoribus defensare deberent, in ipsius Manfredi favorem noviter adinvenerint et quam dolosas machinas callida illius persuasione ac iniquitatis eius fermento corrupti paraverint ad ipsius ecclesie suorumque fidelium nocumentum,

a) Marie *deest in rubro;* M̄ *in marg.* b) *i. e.* excandescat.

1) *A. 1264, Iun. 4 [Octaviano II] episcopo Bononiensi scripsit Bertoldum Balugani civem Bononiensem, anno praeterito potestatem Spoleti, cum seditionem ibi contra ecclesiam Romanam exercuisset, in qua populus adhuc perduraret, excommunicatum esse, sed accedentem ad sedem apostolicam impetrasse absolutionem, eique mandatum esse, ut in nullo loco potestariae officium exerceret vita sua; mandavit, ut id publicaret; Lib. III, cur. 128; Posse p. 33, n. 408; cf. cur. 16 = Potthast 18710.* 2) *De hoc cf. p. 616, not. 4 et n. 627.*

proximis iam innotuit et remotis, dum tales, nobis in eodem patrimonio residentibus, copiosa Theutonicorum agmina, quos dictus tyrampnus in sue furentis persecutionis ministros assumpserat, in patrimonium ipsum ante oculos nostros immittere presumpserunt, sicque cum Theutonicis ipsis et aliis complicibus et fautoribus eorundem predictam ecclesiam in suis fidelibus continuis aggressibus impetunt et molestant, quod eadem ecclesia, videns precipuos uteri sui filios in eius opprimi gremio, angustiatur vehementius et gravius in se ipsa turbatur, et apertis compassionis visceribus circa eos cogitare non desinit vias et modos, quibus eos possit a tam duris et diris oppressionibus et persecutionibus liberare.

Verum [1] incumbente nobis varietate negotiorum innumera, licet in diversas partes mentis sollicitudine distrahamur, quia tamen nequimus ubilibet nostram presentiam exhibere nec possumus fines humane condicionis excedere, ut simul in diversis partibus existendo potestatem nobis a Domino traditam presentialiter exequamur, ad instar illius, qui exercens commisse sibi legationis officium in regione peccantium, in universum mundum discipulos quos elegerat destinavit, suum per hoc instruendo vicarium, ut eius exemplo nonnunquam alios in sollicitudinis partem assumat, ubi officii sui debitum exolvere prohibet absentia corporalis, illos ad onera nostra comportanda nobiscum fiducialiter advocamus, de quorum traditis a Domino sibi virtutibus plenam fiduciam obtinemus. De tue igitur circumspectionis industria, quam experientia longa probavimus, plenius confidentes, rectoriam predicti patrimonii [2] tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie tibi presentium auctoritate committimus, concedentes tibi disponendi, ordinandi, statuendi, precipiendi et faciendi in eodem patrimonio, quicquid honori et commodo memorate ecclesie et utilitati ac prospero statui fidelium in patrimonio ipso degentium expedire cognoveris, ac contradictores et rebelles quoslibet spirituali et temporali districtione appellatione postposita compescendi liberam facultatem. Ut autem huiusmodi regimen eo efficacius exequi valeas, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, tam in eodem patrimonio quam etiam in tota Tuscia plene legationis officium tibi, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, sicut expedire videris, duximus committendum. Ideoque mandamus, quatinus huiusmodi rectorie ac legationis onera prompta mente suscipiens et submittens fortitudinis tue collum ad tante sollicitudinis sarcinam mente stabili deferendam, sic ecclesie negotium in predictis partibus studeas promovere, quod apostolice benedictionis gratia te tuis exigentibus meritis preveniat et sequatur. Nos enim sententias, penas et banna, que spiritualiter et temporaliter in rebelles predicti patrimonii, sententias etiam, quas in alios rebelles legationis tibi commisse tuleris, rata habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Augusti, anno III° [3].

629.

Urbanus IV papa Conradum ducem Sueviae laudat, quod suggestiones pravorum, ipsum contra ecclesiam provocantium, reprobaverit; rogat, ut operam impendat, ut Theutonici, ecclesiam persequentes, a subsidio Manfredi retrahantur. *1264, Aug. 13.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 124; Lib. III, cur. 167. Damus Pertzii exemplar.
Capasso n. 426; Posse, l. c. p. 36, n. 437; BFW. 9474.

---

1) *Cf. p. 598, lin. 2.* 2) *Ibi post mortem Guiscardi de Petrasancta [cf. n. 581] Pipio [Pivio] de Petrasancta rector fuerat; cf. p. 580, not. 2. De eodem sub a. 1264, Mart. 23, Apr. 2, Iul. 4 in Vol. IV [beneficia], f. 138, ep. 346; f. 301, ep. 1567; f. 325, ep. 1721. Cf. etiam Iamsillae contin. et Saba Malasp. Lib. II, 12; Muratori, SS. t. VIII, p. 594 et 810.* 3) *Eodem die eidem specialiter in Tudertina, Narniensi, Reatina et Interamnensi civitatibus, que negotio eius valde utiles esse possent, rectoriam et legationem commisit; Lib. III, cur. 163; Potthast 18997. Cf. p. 598, lin. 21.*

Nobili viro Conrado duci Suevie.

Speramus in potentia virtutis Altissimi, quem, sicut evidentibus indiciis demonstrare diceris, puritate cordis et animi revereris, quod ipse, te veluti propriam sibi peramabilem plantulam superne benedictionis rore perfundens, in mente tua zelum devotionis accendet, ut inter electos eius numerari merito valeas, precelse bonitatis titulis presignitus. Accepimus enim, quod dum quidam iniquitatis filii, qui nec Deum diligere nec tui honoris desiderare videbantur augmentum, nequiter tibi suggererent, quod ecclesia Romana multipliciter tuos progenitores offenderat ac eis graves iniurias irrogarat, teque niterentur inducere, ut suo loco et tempore huiusmodi offensas et iniurias vindicares, tu, non devictus prave suggestionis instantia, sed potius spiritu veritatis inductus, iniquis consiliariis consulte ac provide respondisti te nolle sequi dictorum progenitorum vestigia in eo, quod eandem ecclesiam offenderunt, presertim cum in hoc eisdem progenitoribus non sic prospere ac bene successerit, quod videri tibi debeat utile ipsorum in hac parte vestigiis inherere, quinimmo ecclesiam ipsam revereri tanquam matrem more devoti filii proponebas. Letamur itaque, quod ex hiis, si vera sunt, tenellam etatem tuam sic virtutum constantia roborare videris, ut malignorum reprobato consilio sinceritatem mentis in laudabili et honesto proposito studeas conservare, de quo tanto maioris laudis preconio promereris attolli, quanto te aptiorem exhibere assereris ad divini nominis gratiam promerendam. Ceterum, cum ille dampnationis filius Manfredus quondam princeps Tarentinus, tui nominis emulus et persecutor eiusdem ecclesie manifestus, nonnullos Theutonicos secum retineat et cum eis prefatam ecclesiam eiusque fideles continue persequatur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, mandantes quatinus opem et operam studiosus impendas, ut iidem Theutonici ab ipsius persecutoris subsidio et ecclesie memorate vexationibus retrahantur ac nichilominus ad propria revocentur, ita quod per hoc communis hostis debilitatis viribus eadem ecclesia possit auctore Domino contra eum potentius et celerius triumphare, ac tu nostram et apostolice sedis gratiam exinde plenius consequi merearis [1].

Dat. apud Urbemveterem, Idibus Augusti, anno III°.

630.

Urbanus IV papa de Lucka et de Novali S. Mariae abbatibus mandat, ut si in ecclesia Hildeshemensi postulatio de Ottone subdiacono canonico Hildeshemensi, germano [Alberti] ducis de Brunswic, canonice celebrata fuerit, eum eidem ecclesiae in procuratorem praeficiant. *1264, Aug. 23.*

Urb. IV Reg. Vol. II [cameralia], f. 110, ep. 2. Damus Pertzii exemplar. BFW. 9475.

Dilectis filiis .. de Lucka[2] et .. de Novali sancte Marie[3] ordinis Cisterciensis monasteriorum abbatibus Mindensis et Hyldesemensis diocesum.

Ad regimen universalis ecclesie licet immeriti disponente Domino constituti, levamus in circuitu oculos nostros, ut cum omnium ecclesiarum ex debito pastoralis

1) *De Conradino cf. p. 485, not. 1 et n. 520 et 521.* 2) *Loccum.* 3) *Marienrode prope civ. Hildesheim; cf. Potthast 17813, 17839.*

officii sollicitudo nobis incumbat, quid singulis earum expediat intuentes, illas preservare studeamus a noxiis et earum, quantum nobis ex alto permittitur, comoda procuremus. Circa statum autem illarum, que deplorant viduitatis incomoda, vigilantius excitamur, ut tales personas earum regimini preponamus, quarum industria in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernentur, et per earum potentiam oportunis temporibus defendantur. Sane vacante Hyldesemensi ecclesia dilecti filii . . decanus et capitulum eiusdem, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, pro futuri substitutione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, et considerantes quod eadem ecclesia in medio nationis perverse posita indigebat potentis presidio defensoris quodque dilectus filius Otto subdiaconus, concanonicus eorum, germanus dilecti filii nobilis viri . . ducis de Brunswic[1], ad defensionem et gubernationem ipsius ecclesie pre ceteris utilis habebatur, ipsum unanimiter et concorditer patientem in etate defectum[2] Spiritus Sancti gratia invocata in Hyldesemensem episcopum postularunt[3], nobis humiliter supplicantes, ut huiusmodi postulationem admittere dignaremur. Nos igitur, eiusdem ecclesie statu, qualitate temporis et conditione persone digna meditatione pensatis, nolentes quod ipsa ecclesia dispendia prolixioris vacationis incurrat, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si huiusmodi postulatio concors extitit et inveneritis eam alias fuisse canonice celebratam ac predictam ecclesiam posse per eundem Ottonem, sicut expedit, defensari eumque iam talis etatis existere, quod utiliter regere ac dirigere valeat ecclesiam memoratam, ipsum — predicto non obstante defectu —, maxime cum, sicut fertur, litterature competentis existat, discretionis gratia preditus et providentia circumspectionis, in procuratorem ibidem auctoritate nostra preficientes, concedatis ei generalem curam et administrationem spiritualium et temporalium eiusdem ecclesie, sibi tamquam ipsius ecclesie procuratori ab omnibus eius subditis, vassallis et ministerialibus faciatis plenarie obediri et de ipsius ecclesie iuribus responderi, contradictores per censuram etc. usque: compescendo. Quicquid autem super hiis feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare.

Dat. apud Urbemveterem, X Kalendas Septembris, anno tertio.

631.

Urbanus IV papa notum facit: secundo die mensis Maii praeteriti, termino ad diiudicandum negotium imperii et Ricardo et Alfonso posito, solos procuratores Alfonsi apud sedem apostolicam comparuisse, qui ut in negotio procederetur, petiissent; cum autem ab eis, qui alias idem negotium pro Ricardo prosecuti fuerint, absentia eius ob causas, quas notorias dicerent, excusata sit, se terminum usque ad annum, computandum a festo b. Andreae proximo, prorogare. 1264, Aug. 27.

Urb. IV Reg. Vol. III, 78; Lib. III, 314. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1264, § 37, contulimus cum Regestis.

Potthast, Reg. 18931 sine nota chronologica; Posse, l. c. p. 36, n. 438; BFW. 9476.

Ad futuram rei memoriam.

Inter carissimos in Christo filios nostros A. regem Castelle ac Legionis illustrem et Riccardum in Romanorum regem per electiones varias in discordia celebratas electos super obtinenda imperii dignitate inimicus homo contentionis materiam suscitavit. Et

---

1) *Alberti.* 2) *'Agebat quartum decimum annum'; Chron. Hild. SS. t. VII, p. 863.* 3) *A. 1260, Oct. 9; BFW. 11876.*

licet tam tempore felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri quam nostro ad sedandam contentionem ipsam sedis apostolice circumspecta provisio diversos exquisierit modos et vias, et propterea, voluntatem in hoc nichilominus partium, expresse litigare se nolle dicentium, prosequendo, distulerit inter eas iudicis partes assumere, quia tamen id iuxta ipsius sedis desideria provenire non potuit, tandem procuratores memorati regis Castelle in nostra et fratrum nostrorum constituti presentia inter cetera cum instantia postularunt ipsi regi consuetum favorem et debitam in huiusmodi negotio iustitiam exhiberi, procuratores vero memorati Riccardi simili petitione ac nonnullis aliis premissis, que putabant sue intentioni congruere, obtulerunt eius nomine se paratos, quantum mandati, quod ab eodem R. habebant, se vires extenderent, ecclesie Romane ac nostrum subire iudicium, si quis forsitan appareret, qui eum super premissis vellet impetere aut aliquid proponere, per quod posset ei preiudicium generari. Nos autem, eorundem electorum concordiam, tamquam toti mundo perutilem nobisque ac ipsi ecclesie Romane votivam, et pacificam predicti ordinationem imperii multo desiderantes affectu, deliberavimus sic petitioni exhibende iustitie, ad quam partium instantia nos cogebat, annuere, quod tractatus concordie, ad quos nostra suspirabat et adhuc suspirat intentio, nequaquam deserere videremur. Et ideo ad eosdem electos nuntios nostros, qui eos ad pacis unitatem inducerent, duximus destinandos ac ipsos nichilominus de predictorum fratrum consilio per eosdem nuntios citare fecimus, ut secundo die mensis Maii proximo preteriti apostolico conspectui se per procuratores idoneos presentarent, qui eorum conscientie conscii legitimum et plenum mandatum ab ipsis haberent ad pacis tractatum, si Dominus concederet, ineundum, et ad procedendum in ipso negotio, prout honori ecclesie ac pensata talis et tanti condicione negotii expedire sine offensa iustitie videremus, sicut in litteris nostris super citationibus confectis huiusmodi plenius continetur [1].

Adveniente vero termino memorato et pro eodem R. nemine comparente cum sufficienti mandato ad ea, que in premisso continentur citationis edicto, venerabilis frater noster Martinus Legionensis episcopus et dilecti filii magistri Iohannes Alfonsi capellanus noster, archidiaconus Compostellanus [2], et Radulphus de Podio Bonizi [3] comparentes pro eodem rege ac sub sigillo ipsius litteras exhibentes [4], per quas tam eorum singuli quam venerabilis frater noster G[arcia] Silvensis episcopus procuratores, actores, negotiorum gestores ab ipso rege constituuntur et ordinantur in solidum, ita quod non sit conditio melior occupantis, ad petendum a nobis imperii coronam, quam idem rex sibi debitam asserit, et ad agendum, respondendum, defendendum et tractandum iura sua imperii ac omnia factum ipsum contingentia, et quicquid honori eiusdem regis expedire viderent, sive in ordinario sive in extraordinario iudicio ageretur, inter alia petierunt prefatum regem ad suscipiendum de nostris manibus imperii diadema vocari et iuxta petitiones alias porrectas ab ipsis et in nostra et eorundem fratrum presentia repetitas in negotio predicto procedi, adverse partis absentia non obstante, presertim cum nichil ab ipsa peterent, sed ad exauditionem petitionis sue nostrum officium implorarent.

Verum dilecti filii magistri Guillelmus Roffensis archidiaconus et Guillelmus de Corneria capellani nostri et Robertus de Baro, qui alias pro eodem Riccardo huiusmodi negotium fuerant prosecuti [5], quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis litteris,

1) *Cf. n. 560.* 2) *Obtentu eius gratia papalis a. 1264, Aug. 23; Vol. IV [beneficia], f. 332, ep. 1780.* 3) *Hunc papa a. 1264, Mart. 11 laudarerat, quod sibi et sedi apostolicae gratis studeret meritis complacere; ibid. f. 131, ep. 302. Gratiae obtentu eius sub Aug. 23 et 25; ibid. f. 216, ep. 947—949. Aug. 26 papa precibus Iohannis de Tudino nuntii et familiaris regis annuit; ibid. f. 332, ep. 1779.* 4) *Rayn. a. 1263, § 38; BF. 5513: 'Actum Sibilie rege imperante Kal. Febr. a. Dom. MCCLXIII'. Epistola non ad a. 1263, sed, sicut nomina indicant, ad a. 1264 pertinet; annus more Gallico computatus est.* 5) *Cf. n. 560.*

eiusdem Riccardi absentiam, cuius causas, videlicet turbationem regni Anglie, ac alias dicebant esse notorias, excusantes, allegabant, eo absente ac taliter impedito, non esse in predicto negotio procedendum. Licet enim ab ipso nichil per partem alteram peteretur, illud tamen petebatur, quod non poterat sine preiudicio iuris ipsius, quod eundem Riccardum plenum in imperio habere dicebant, quin potius sine illius extinctione, concedi; unde cum huiusmodi petitio ipsum contingat et principaliter ius ipsius impugnet, illius discussio eiusdem Riccardi presentiam per se vel per alium sufficientem ac plene instructum ad tantum negotium, quod eodem electo taliter impedito fieri non poterat, proculdubio exigebat; propter quod dicebant in eodem negotio non debere ac petebant nullo modo ipso sic absente procedi.

Nos autem, hiis et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis et cum eisdem fratribus nostris plena deliberatione discussis, licet invenerimus pervenisse ad utramque partem premisse nostre citationis edictum, tamen et circumstantias tanti[a] negotii et totius orbis turbationes multiplices, que non solum partes easdem sed et nos et ecclesiam Romanam circumstrepunt, attendentes, ac illam sequentes iuris censuram, qua humanum esse censetur propter casus fortuitos dilationes accipi, deliberavimus cum fratribus nostris in presenti negotio processum nostrum, quo ad ea que premissa citatio continet, ad presens ex premissis et aliis iustis causis et evidentibus sustinendum[b]. Et ideo iuribus partium et ipso negotio in omnibus et per omnia in eo statu, in quo nunc sunt, omnino manentibus, terminum usque ad annum, computandum a festo beati Andree apostoli venturo[c] proximo[1], prorogamus, premissum interim nullo modo neglecturi negotium, sed sicut in votis gerimus, sic illi cum diligentia vacaturi, quod etiam, si medio tempore, Domino favente sermoni, ad expediendum ipsum vel aliqua[d] in illo vel circa illud ordinanda competens via patuerit, ad ea, illo qui potest nostrum dirigente processum, prout expedire viderimus, procedemus.

Dat. apud Urbemveterem, VI Kalendas Septembris, anno III°.

632.

Urbanus IV papa Gregorio plebano de Marmoraria Senensis diocesis mandat, ut Adotam, qui pro abbate de Insula Vulteranae dioecesis se gerens Iordano, tunc Manfredi capitaneo in Tuscia, iuramentum fidelitatis praestiterit, propter hoc et aliis de causis ad sedem apostolicam citet. *1264, Sept. 2.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 79; Lib. III, 316. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9477.

Gregorio plebano plebis de Marmoraria Senensis diocesis.

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod Adota, qui pro abbate monasterii de Insula ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti diocesis Wulterane se gerit, ad tantum devenit mentis excessum, quod iuramentum fidelitatis Iordano[2], fautori et tunc Manfredi quondam principis Tarentini persecutoris ecclesie capitaneo[3] seu nuntio in terris Tuscie sibi adherentibus, ausu temerario prestitit et ab hominibus de Cortino vassallis prefati monasterii iuramentum simile prestari dampnabiliter procuravit. Idem quoque Adota, illitteratus et insufficiens seu minus ydoneus ad regimen monasterii supradicti prorsus existens, bona ipsius monasterii adeo dilapidat

a) *litt.* ias tanti *in loco raso.* b) *i. e.* suspendendum. c) venturi *R.* d) alia *R.*

1) *A. 1265, Nov. 30.* 2) *De Anglano, comiti S. Severini.* 3) *A. 1258 — circa finem a. 1261; BF. 4680 a, 4733.*

enormiter et consumit, ut nisi per sedem apostolicam maturius monasterio succurratur eidem, vix aut numquam adiciet, ut resurgat. Cum igitur nostri appositione consilii super hoc deceat salubriter provideri, nos, de tua circumspectione confisi, mandamus, quatinus, si tibi constiterit eundem Adotam super premissis aut aliquibus premissorum infamia publica laborare, ipsum auctoritate nostra per te vel per alium peremptorie citare procures, ut infra quindecim dies post citationem tuam personaliter compareat coram nobis pro meritis recepturus. Quicquid autem inde feceris et inveneris, ac diem citationis et formam nobis per tuas litteras tenorem presentium continentes exponere fideliter non omittas.

Dat. apud Urbemveterem, IIII Nonas Septembris, anno III°[1].

633.

Urbanus IV papa Manfredo electo Veronensi, ut in carcere commode sustentari valeat, omnes redditus, quos ecclesia Romana in castro de Carpo obtineat, quoad vixerit, confert. *1264, Sept. 8.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 137; Lib. IV, 1. Pertzii exemplar contulimus cum illo, quod Biancolini, Serie dei vescovi di Verona p. 97, n. 22 edidit.
Potthast, Reg. 19013.

Manfredo Veronensi electo.

Fili, dum angustias et erumpnas, quibus in manibus inimicorum ecclesie constitutus affligeris[2], pro animo cogitamus, dum insuetas penas, quas in squalore carceris sustines, flebili meditatione revolvimus, intimo circa te movemur compassionis affectu et libenter vias cogitamus et modos, quibus aliqua impertiri tibi consolationis remedia valeamus. Considerantes igitur, quod non habes, unde hoc tempore valeas in eodem carcere comode sustentari, ac volentes tibi liberalitatis apostolice dexteram aperire, omnia iura omnesque iurisdictiones, fructus, redditus et proventus et cetera, que Romana ecclesia in castro de Carpo[3] eiusque territorio seu districtu Mutinensis diocesis obtinet et que quondam Bertolinus Tabernarius civis Parmensis[4], dum viveret, ab eadem tenebat ecclesia, apostolica tibi auctoritate conferimus, investientes dilectum filium Antonium clericum tuum per nostrum anulum de eisdem, ita quod illa teneas, possideas et percipias vita tua et post tuum obitum ad predictam ecclesiam libere revertantur. Nulli ergo — nostre collationis et investiture etc.

Dat. apud Urbemveterem, VI Idus Septembris, anno quarto[5].

634.

Urbanus IV papa notum facit, si Manfredum electum Veronensem in carceribus hostium decedere vel cedere contigerit, se provisionem ecclesiae Veronensis sibi reservare. *1264, Sept. 8.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 138; Lib. IV, cur. 1. Damus Pertzii exemplar.
BFW. 9480.

1) *A. 1264, Iul. 5 ministro et fratribus et sororibus de Poenitentia coniugatorum castri S. Geminiani Vulteranae diocesis indulsit, ut non obstante interdicto, cui terras Tusciae Manfredo adhaerentes supposuisset, divinis officiis interesse possent; Vol. IV [beneficia], f. 196, ep. 776; Potthast 18964.* 2) *Cf. n. 617.* 3) *Ex sept. Mutinae.* 4) *Cf. supra p. 328, not. 4.* 5) *Eodem die [Albertum] episcopum Ferrariensem et Bernardum canonicum Bononiensem dedit super hoc executores; Lib. IV, 2: Potthast 19014; cf. etiam 19394.*

Ad futuram rei memoriam.

Cum dilectus filius Manfredus Veronensis electus ab hostibus ecclesie captivatus[1] et diris carceribus mancipatus existat, nos, non immerito dubitantes, ne si eundem electum in carceribus ipsis, quod absit, decedere vel ecclesie Veronensis regimini cedere forte contingat, aliqua persona ecclesie Romane suspecta ad eiusdem ecclesie Veronensis regimen assumatur, ac volentes in hac parte salubriter providere, provisionem ipsius Veronensis ecclesie, si per illius cessionem vel obitum aut alias quocumque modo ipsa vacaverit, nobis hac vice auctoritate apostolica reservamus, inhibentes dilectis filiis capitulo Veronensi, ne, ipsa ecclesia Veronensi qualitercumque vacante, ad electionem, nominationem vel postulationem pastoris procedere quoquomodo presumant, ac decernentes irritum et inane, quicquid per eos vel per quoscumque alios contra huiusmodi reservationis et inhibitionis nostre tenorem fuerit attemptatum[2]. Nulli ergo — nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis etc.

Dat. apud Urbemveterem, VI Idus Septembris, anno quarto[3].

635.

Urbanus IV papa Cornetanis inhibet, ne ante approbationem papalem aliquem in potestatem vel capitaneum sibi eligant. *1264, Sept. 9.*

Urb. IV Reg. Vol. III, 138; Lib. IV, cur. 4. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 165, n. 308 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 19017.

.. potestati, consilio et communi Cornetanis, fidelibus nostris[4].

Cum iam tempus instare dicatur, in quo debetis vobis pro anno proximo futuro de potestate et capitaneo providere, nos, pensata moderni condicione temporis cupientes, ut persona fidelis et ecclesie Romane devota ad terre vestre regimen assumatur, universitati vestre sub debito fidelitatis, quo nobis et ecclesie predicte tenemini, et pena mille marcharum argenti auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliquem in potestatem seu capitaneum vobis eligere vel preficere presumatis, nisi prius significaveritis nobis personam, in quam vestri animi diriguntur, et nisi eligentium et electi devotio atque fides per nos fuerit primitus approbata. Nos enim, si secus presumpseritis, decernimus irritum et inane, vobisque sub predicta pena precipimus, ut electum taliter nullatenus admittatis, cum approbationem futuri potestatis seu capitanei vestri hac vice nobis duxerimus reservandam.

Dat. apud Urbemveterem, V Idus Septembris, anno quarto.

---

1) *Cf. n. 633.* 2) *Cf. supra n. 13.* 3) *Eodem die [Iohanni] episcopo Paduano mandavit, ut haec publicaret et capitulo Veronensi intimaret; Lib. IV, cur. 2. — Cf. Potthast 19036, 19247, 19332.*
4) *Cf. sub n. 624.*

EX CLEMENTIS IV REGISTRO.

636.

Clemens IV papa Guillelmo de Massa Firmanae diocesis excommunicato districte praecipit, ut Maynardum comitem de Panigo ecclesiae devotum, qui contra occupatores Marchiae decertans captus ab ipso in vinculis detineatur, libertati restituat.

1265, Febr. 23.

Clem. IV Reg. Vol. I, 59; Lib. I, cur. 4. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 36, n. 448; BFW. 9484; Iordan, Les Registres de Clément IV [Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome 2. série, XI] n. 219.

Nobili viro Guillelmo de Massa Firmane diocesis spiritum consilii sanioris.

Nobilem virum Maynardum comitem de Panigo[1], ecclesie Romane devotum, quem ipsius ecclesie insistentem obsequiis contra hostes eiusdem, occupatores Marchie, viriliter decertando in manus inimicorum sors adversa conclusit, per te in vinculis audivimus detineri. Verum si diligenter attenderes, si qua decet attentione notares, quod per detentionem huiusmodi fidelitatis debitum, quo eidem ecclesie Romane teneris, infringis teque cum gravi anime tue periculo infamie nota ac reatibus multis involvis, nequaquam expectares per nos super ipsius liberatione moneri sed monitiones nostras in hoc potius prevenires. Quia vero prefati comitis liberatio nobis et fratribus nostris est valde votiva, nobilitati tue sub predicto fidelitatis debito et pena omnium bonorum, que ab eadem ecclesia in prelibata Marchia seu alibi obtines, quam si mandatum nostrum in hac parte implere neglexeris, te ipso facto incurrere volumus, districte precipiendo mandamus, quatinus nominatum comitem, in servitio ecclesie memorate ut premittitur captivatum, infra octo dies post receptionem presentium absolutum a vinculis sueque redditum libertati abire libere patiaris.

Dat. Perusii, VII Kalendas Martii, anno I°[2].

---

1) *E mer. et occ. civ. Bononiae. Hic a. 1261 potestas Guelforum Florentinorum fuerat; cf. Gebauer, Richard erw. röm. Kaiser p. 590 et 597; BF. 4778.* 2) *Eodem die [Gerardo] episcopo Firmano, germano Guillelmi de Massa, mandavit, ut operam daret, ut Maynardus infra octo dies post receptionem praesentium liberaretur; Lib. I, cur. 5; Iordan 220. De episcopo fautore Manfredi cf. supra n. 564 et 570 et Potthast 19215, 19229, 19266, 19613, 19884. — Sub a. 1265, Mart. 7 potestati, consilio et communi Roccae Contratae Senogaliensis diocesis excommunicatis scripsit: cum iidem episcopum Forosimfroniensem cepissent, se ambassatoribus eorum in praesentia sua constitutis mandasse, ut episcopus sub custodia eorum ad sedem apostolicam mitteretur, quod omisissent; sub poena 500 marcarum argenti id iterum se mandare; Lib. I, 3; Posse p. 37, n. 452; Iordan 5. Cf. Potthast 19161 et 19266.*

637.

Clemens IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato concedit facultatem commutandi vota eorum de Francia et aliis terris legationis suae, qui pro Terra Sancta et imperio Constantinopolitano crucem susceperint, in executionem negotii regni Siciliae. *1265, Mart. 7.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 59; Lib. I, cur. 1. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.
Potthast, 19050 falso sub Mart. 5; Capasso n. 412; Posse, l. c. p. 37, n. 453; BFW. 9496; Iordan 216.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato[1].

Cum promotio negotii Terre Sancte et Constantinopolitani imperii a negotio regni Sicilie pro maiori parte dependere noscatur, nos, attendentes quod facilior erit eorundem terre ac imperii liberatio, si huiusmodi eiusdem regni negotium fuerit efficaciter Deo favente promotum[2], discretioni tue, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, absolvendi per te vel per alium omnes illos de regno Francie et aliis terris tue legationis, qui votum crucis emiserunt iam vel emiserint in predicte terre succursum, a voto huiusmodi illudque in susceptionem et executionem prefati negotii regni Sicilie commutandi plenam et liberam ad instar felicis recordationis Urbani pape predecessoris nostri[3] concedimus auctoritate presentium potestatem, adicientes ut ad absolutionem et commutationem huiusmodi procedere valeas non obstante iuramento, quo tales se ad transfretandum infra certum terminum in prefate terre subsidium astrinxisse dicuntur. Nos enim crucesignatos illos, quorum vota fuerint taliter commutata, illa indulgentia illoque privilegio ac ea immunitate gaudere volumus, que predicte terre succurrentibus in generali concilio sunt concessa.

Dat. Perusii, Nonis Martii, anno primo[4].

638.

Clemens IV papa S[imoni] tituli S. Martini presbytero cardinali legato, cui Urbanus IV rectoriam Ducatus, Marchiae, Massae Trabariae et Perusinae et Castellanae dioecesium et insuper ibidem et in Romaniola et Gradensi et Aquilegiensi patriarchatibus plenae legationis officium commiserit, facultatem concedit prosequendi libere has commissiones. *1265, Mart. 11.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 2; Lib. I, 6. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.
Posse, l. c. p. 37, n. 454; BFW. 9498; Iordan 8.

---

1) *Apr. 9 eidem declaravit legationis officium ab Urbano IV commissum per obitum eius non expirasse; Lib. I, cur. 11; Potthast 19089; Iordan 226.* 2) *Mart. 20 eidem legato ad instar Urbani IV mandavit, ut contra Manfredum et Saracenos crucem praedicaret; Potthast 19068; cf. 19070, 19346, 19408.* 3) *Cf. n. 597.* 4) *Mart. 15 eidem mandavit, ut a decima exigenda a Cisterciensibus ad opus Caroli se abstineret, donec papa aliter ordinasset; Lib. I, 4; cf. 194; Iordan 6 et 195. Mart. 19 eidem mandavit, ut archiepiscopos et praelatos, qui propter decimas regni Franciae Carolo assignandas ad sedem apostolicam appellassent, Cisterciensibus, Cartusiensibus, militiae Templi, Hospitalis et ordinis Theutonici fratribus dumtaxat exceptis, compelleret ad solvendum; Lib. I, cur. 2; Posse p. 37, n. 455; Iordan 217; cf. Potthast 19057, 19082. Mart. 28 regem Franciae monuit, ut Carolo pecuniam usque ad quantitatem decimae de proventibus Franciae rehabendam, quae ei obliganda esset, nomine mutui concederet; Lib. I, cur. 9; Posse p. 38, n. 461; Iordan 224. Legato de eadem re Lib. I, cur. 10; Potthast 19084; Iordan 225.*

S. tituli Sancti Martini presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Olim felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster rectoriam ducatus Spoletani, marchie Anconitane, Masse Trabarie ac Perusine et Castellane civitatum et diocesum earumque districtuum tam in spiritualibus quam in temporalibus circumspectioni tue apostolica auctoritate commisit, concedendo tibi liberam potestatem inibi exercendi, quoad eadem spiritualia et temporalia, quicquid honori ecclesie Romane ac utilitati fidelium in locis predictis existentium expedire videres, et nichilominus in ducatu, marchia, civitatibus, diocesibus et districtibus antedictis, Romaniola quoque, Gradensi et Aquilegensi patriarchatibus, illis civitatibus ac earum diocesibus et districtibus exceptis, que sunt de provincia Lombardie, plene legationis officium tue duxit sollicitudini committendum. Nonnullas insuper tibi concessit gratias speciales, quamplura etiam alia tue sollicitudini committendo, sicut in eiusdem predecessoris litteris plenius continetur[1]. Nos itaque, de tue sinceritatis industria in Domino confidentes, et quod super hiis ab eodem predecessore factum est ratum et firmum habentes ac auctoritate simili approbantes, prosequendi libere commissiones huiusmodi, concessionibus et gratiis predictis iuxta tenorem predictarum litterarum eiusdem predecessoris utendi[a], liberam tibi concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. Perusii, V Idus Martii, anno primo[2].

639.

Clemens IV papa O[ttobono] S. Adriani diacono cardinali, legato per Maguntinam, Treverensem et Coloniensem provincias, dispensandi cum duobus nobilibus crucesignatis de matrimoniis illicitis facultatem concedit. *1265, Mai. 13.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 13; Lib. I, 76. Exemplar, quod Finke, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 312, n. 664; BFW. 9519; Iordan 78.

O. Sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato[3].

Cum te ad Maguntinam, Treverensem et Coloniensem provincias, tibi commisso in eis plene legationis officio[4], pro magnis et arduis negotiis destinemus, te libenter ea potestate munimus, quam ad expeditionem tue sollicitudini commissorum utilem et efficacem[b] reputamus. Volentes igitur ut in predictis provinciis tanto gratior habearis, quanto ipsarum incolis maiores poteris gratias impertiri, dispensandi cum duabus personis nobilibus earundem provinciarum, quod cum aliquibus attinentibus eis quarto consanguinitatis gradu — impedimento huiusmodi non obstante — possint matri-

a) *forsan* utendo, *vel supra* et concessionibus *legendum est.* b) utilia et efficacia *R.*

1) *Cf. n. 605—607 et p. 620, not. 3.* 2) *Cf. Lib. I, 7; Iordan 9. Mart. 19 eidem mandavit, ut in Marchia, Ducatu et Massa Trabaria omnes concessiones ad certum tempus factas, si id effluxisset, revocaret; eodem die eidem, ut ibidem bona a tempore, quo Bonifatius de Foliano archidiaconus Reginus de mandato Innocentii IV rector Ducatus fuisset, occupata ad ius revocaret curiae; Lib. I, 8 et 9; Potthast 19060, —; Iordan 10 et 11.* 3) *Huic sub a. 1265, Mai. 4 in Anglia, Scotia, Wallia et Hibernia plena legatio commissa erat; Lib. I, 38; Potthast 19123; Iordan 40. Iam Mart. 23 reginae Angliae legatus annuntiatus erat; Potthast 19071.* 4) *Sub Mai. 11; Lib. I, 74 et 75; Finke, l. c. n. 662 et 663; Iordan 76 et 77.*

monia contrahere vel in contractis licite remanere, dummodo ad prosecutionem negotiorum, pro quibus mitteris, crucem assumant [1] et ea, prout tibi secundum datam a Deo prudentiam expedire videris, prosequantur, discretioni tue plenam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Perusii, III Idus Maii, anno 1° [2].

640.

Clemens IV papa [Roberto] episcopo Virdunensi nuntiat se litteras revocasse, quibus Urbanus IV papa [Theobaldo II] comiti Barrensi indulsisset, ne in eum et homines eius excommunicationis et in terras eius interdicti sententiae promulgari possent.

1265, Mai. 29.

Clem. IV Reg. Vol. I, 13; Lib. I, 77. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9526; Iordan 79.

. . episcopo Virdunensi.

De nimia petentium importunitate procedit, quod sedes apostolica, implicita causis innumeris et occupata negotiis infinitis, quandoque ad illorum concessionem inflectitur, in quibus ignoti sibi preiudicii occulta fallacia continetur. Demum vero in suam deducto notitiam, quod minus digne fuerit huiusmodi obtenta concessio ac etiam quod sit obnoxia preiudicio manifesto, illam oportuno tempore studet provide revocare, maxime cum sedis eiusdem semper ad hoc dirigatur intentio, ut unicuique ius suum cum integritate conservans, |nichil| [a], quantum in ipsa est, detineri ab aliquo patiatur, quod equitati sit oppositum vel contrarium rationi. Sane lecta coram nobis tua petitio continebat, quod nobilis vir . . comes Barrensis, tuus et ecclesie tue vassallus, felicis recordationis Urbanum papam predecessorem nostrum sibi per litteras apostolicas asserit indulxisse [3], quod tu in eum et homines suos excommunicationis ac |in| [b] terram ipsius Virdunensis diocesis interdicti sententias promulgare non possis; ex quo sequitur illud inconveniens et enorme, quod iidem comes et homines a iurisdictione, quam obtines in eosdem, se quodammodo arbitrantes liberos et immunes, multa contra te ac eandem presumunt ecclesiam, que forte alias nec mente conciperent nec aliquatenus attemptarent. Quare pro parte tua humiliter petebatur a nobis, ut tibi et eidem ecclesie providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum autem non sit verisimile, quod littere ac indultum huiusmodi potuerint a sede apostolica emanasse, nisi per ipsius predecessoris occupationem nimiam seu per suppressionem ipsius vassallagii vitiosam aut propter illam tacitam veritatem, que debebat in hac parte referri, presertim quia dictus comes a te pluries requisitus litterarum et indulti predictorum tibi facere copiam prout asseris non curavit: nos, pati nolentes quod talium litterarum vel indulti pretextu detur illis materia malignandi, easdem litteras et indultum ipsum,

---

a) vel *R.* b) in *deest R.*

1) *Scil. contra episcopos et barones regi Angliae rebelles, contra quos et alibi et in regno Alamanniae et aliis imperii partibus crucem praedicandi legato sub Mai. 4 facultatem concesserat; Lib. I, 54; Potthast 19124; Iordan 56. Eodem die eidem mandavit, ut Theutonicos et alios, qui Anglicis rebellibus auxilium praestare praesumerent, ab hac praesumptione desistere faceret; Lib. I, 55; Iordan 57. Ricardus rex captivus rebellium illorum erat; BF. 5433a et sequ.* 2) *Mai. 14 eidem legato ad preces [Henrici IV] electi Curiensis mandavit, ut collapso monasterio de Fabaria, duabus electionibus celebratis, si canonicae non essent, cassatis, personam idoneam praeficeret; Lib. I, 37; Acta pont. Helvetica t. I, p. 459, n. 747; Iordan 39.* 3) *Procurator comitis a. 1264, Ian. 31 apud curiam erat; Urb. IV Vol. IV [beneficia], f. 288, n. 261. Cf. Richeri Gesta Senon. eccl. SS. t. XXV, p. 344.*

cuiuscunque tenoris existant, quoad te ac iurisdictionem, quam in comitem, homines et terras predictos te obtinere proponis, auctoritate presentium revocamus ac nullius fore decernimus firmitatis[1]. Volumus tamen, quod tu, quantum cum Deo et honestate poteris, eidem comiti deferas[2], iure Virdunensis ecclesie semper salvo.

Dat. Perusii, IIII Kalendas Iunii, anno I°.

641.

Clemens IV papa G[uidoni] tituli S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali legato in Bremensi, Magdeburgensi, Salisburgensi et Gneznensi provinciis plenae legationis officium committit. *1265, Iun. 8.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 20; Lib. I, 95. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9529; Iordan 97.

G. tituli Sancti Laurentii in Lucina presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Summi regis magisterio eruditi[a], qui, etsi ubique stabilis det cuncta moveri, facit tamen spiritus suos angelos et ministros, et inclinata celorum altitudine, ut hominem redimeret, factus homo, discipulos quos elegit in universum mundum misit evangelium predicare, ac ministerio sedis apostolice, quam matrem cunctorum fidelium et magistram Deus in seipso lapide angulari fundavit, insufficientibus meritis deputati, dum necesse habemus levare oculos in circuitu et considerare filios de longe venientes nec eos possumus corporaliter visitare, accrescente affectu[b], quod aspectui denegatur, per alios, de quibus indubitatam fiduciam gerimus, illos ad salutem erudire scientes, huiusmodi sollicitudinem exercemus, cupiendo adoptionis prolem, quam[c] Christo sponsa eius ecclesia generavit, eidem incolumem conservare, ut et ipsa de sua fecunditate in Domino glorietur. Sane licet nos, qui ad gerendam universe terre, ubi nomen Dominicum invocatur, generalem curam super gentes et regna sumus iuxta Ieremie vaticinium Ierem. 1, 10.
quamquam immeriti a Domino constituti, inter omnia desiderabilia cordis nostri animarum salutem, libertatis ecclesiastice incrementum, pacis commodum et quietis bonum in cunctis locis fidelium potissime cupientes, sedula vigilemus sollertia et quod possumus vigilantie studium apponamus, ut possint hec laudabiliter summotis impedimentis quibuslibet iuxta nostri desiderii plenitudinem auctore Domino provenire, tamen, [ut][d] in Bremensi, Magdeburgensi, Salzburgensi et Gneznensi provinciis[3] animarum profectus proveniat et pax et tranquillitas ac libertas ecclesiastica foveantur, eo ardentius affectamus, quo specialius diligimus partes illas. Ut igitur eedem provincie eo amplius in Dei et ecclesie Romane devotione proficiant[e], quo se specialius per legati sedis

---

a) *sequitur in R.:* etc. ut in prima usque: provenire. *'Prima' illa epistola est Lib. I, 89; Liljegren, Svenskt Diplom. t. I, p. 425, n. 503; Potthast 19182; quam epistolam cum nostra contulimus.* b) affectui *R.* c) qua *R.* d) ut *deest R.* e) *sequitur in R.:* etc. usque: meritorum.

1) *Revocationem huiusmodi generalem Clemens a. 1266, Aug. 13 publicavit; Lib. II, cur. 11; Potthast 19797. Cf. supra n. 408.* 2) *De comite cf. etiam infra sub a. 1266, Aug. 5.* 3) *Etiam in Dania et Suetia ei plena legatio commissa est; Lib. I, 89; Iordan 91; Potthast 19182, cf. 19499. A. 1266, Mart. 15 papa legato scripsit: cum Gneznensis et Salisburgensis provinciae legationi eius commissae essent et de altera provincia ad alteram non nisi per Pragenses civitatem et diocesim commodus transitus haberetur, eas, quae provinciae Maguntinae essent, legationi eius se annectere; Lib. II, 4; Iordan 248. Sed Guido per Galliam in Germaniam profectus esse videtur; cf. Potthast 19245 et BFW. 10517c. A. 1265, Dec. 16 in civitate Hammenburgensi erat; BFW. 10518, ubi alia quoque acta eius sequuntur. A. 1267, Mai. 8 revocatus est; Potthast 20001; cf. 20150.*

apostolice de latere nostro missi presentiam senserint confoveri, ecce te magnum et honorabile membrum ecclesie, virum utique religione conspicuum, morum honestate decorum, litterarum scientia preditum et providentia cirumspectum, quem inter ceteros fratres nostros admodum carum habemus pro tuorum exigentia meritorum, ad premissas provincias, commisso in eis tibi plene legationis officio, de predictorum fratrum
Matth. 20. 9. consilio providimus destinandum[a], ut, cum in hac hora diei undecima cultores simus
Ieremias 1. 10 in vinea Domini constituti, vice nostra ut diligens cultor evellas et destruas, dissipes ac disperdas, edifices et plantes, prout queque tibi Dominus ministrabit. De te utique, cum tibi assit puritas conscientie et presto sit iudicium rationis, malitiam odias
Es 40. 4 et innocentiam tuearis, speramus firmiter, quod recta regens et dirigens indirecta, aspera convertes in plana. Quocirca discretionem tuam rogamus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus commissum tibi huiusmodi legationis officium in Dei et nostro ylariter suscipiens nomine, illud ita sollerter secundum tibi a Deo datam prudentiam exequi studeas, quod exinde divinam gratiam et gloriam merearis et nos fidelem et utilem destinasse vicarium et legationis tue clerus et populus salutis et pacis suscepisse angelum in Domino gloriemur.

Dat. Perusii, VI Idus Iunii, anno I°[1].

642.

Clemens IV papa magistro Gaufrido de Bellomonte capellano suo mandat, ut in terris legationis suae ac Bononiensi civitate et diocesi crucem praedicet ad procurandum securum transitum militiae transmontanae Carolo regi Siciliae contra Manfredum succurrenti. — De eadem re scribit S[imoni] tituli S. Martini in Montibus presbytero cardinali legato. 1265, Oct. 18 et 17.

Clem. IV Reg. Vol. I, 39; Lib. I, 160 et 161. Epistolam I proponimus ex exemplari, quod Savioli, Annali Bologn. t. IIIb, p. 407 edidit, collato cum Regestis a V. Cl. Monaci; epistolam II ex apographo, quod idem ex Regestis sumpsit.

Potthast 19404 et Capasso n. 495 = I; Posse, l. c. p. 40, n. 495 = II; BFW. 9590; Iordan 161 et 162.

I.

Magistro Gaufrido de Bellomonte capellano nostro, apostolice sedis legato[2].

Cum de transmontanis partibus, in quibus contra Manfredum quondam principem Tarentinum et Sarracenos Lucerie crucem predicari facimus, magna militia veniat in succursum carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Sicilie illustris, causam non tam propriam quam ecclesie ac totius Christiani populi prosequentis: quia idem Manfredus per Pelavicinum[3] et alios indevotos ecclesie procurat modis quibus potest ipsius

---

a) *sequitur in R.:* etc. usque in finem.

1) *Archiepiscopis et personis ecclesiasticis partium earundem legatum sub Iun. 12 commendavit; in eundem modum episcopo Caminensi ecclesiae Romanae immediate subiecto; Lib. I, 96; Iordan 98.* 2) *A. 1265, Oct. 14 Mediolanensi et Ianuensi archiepiscopis et praelatis et clero Lombardiae nuntiavit se in partibus eorum Gaufrido etc., cancellario Baiocensi, plenae legationis officium commisisse; Lib. I, 159; Posse p. 40, n. 494; Iordan 160; Potthast 19403 sub Oct. 15. A. 1265, Sept. 23 archiepiscopum Cusentinum legatum illuc destinare voluit; Potthast 19361 et 19362. Oct. 18 Gaufrido indulsit, ut de usuris, rapinis et aliis male acquisitis, si quibus restitutio fieri deberet, inveniri non posset, usque ad summam 5000 librarum imperialium reciperet, in succursum transitus militiae Caroli convertendam; Lib. 1, 169; Posse p. 40, n. 502; Iordan 170; cf. Lib. I, 163 et 164; Posse n. 497; Iordan 164 et 165; Potthast —, 19401; cf. Andreae Ungari Descript., SS. t. XXVI, p. 568.* 3) *Ne in civitatibus Uberto Pelavicino adhaerenti-*

militie transitum impediri, nos, considerantes quod non minoris est commodi et meriti procurare talis et tante militie transitum quam contra Manfredum et Sarracenos predictos in Apuliam proficisci, volumus et per apostolica tibi scripta mandamus, quatinus in terris tue legationis ac Bononiensi civitate et diocesi et aliis adiacentibus ad procurandum huiusmodi militie securum et liberum transitum crucem predices et facias predicari. Nos enim omnibus vere penitentibus et confessis, qui assumpto crucis signaculo iverint ad huiusmodi securum et liberum ipsius militie transitum procurandum, illam peccatorum suorum veniam elargimur, que crucesignatis transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa. Et ut fideles Christi currant libentius ad verbum Domini audiendum, tu unius anni et quadraginta dierum, illi vero, quibus super hoc predicationem commiseris, quadraginta dierum indulgentiam largiamini omnibus vere penitentibus et confessis, qui venerint ad predicationes huiusmodi, quotienscumque fieri contigerit, audiendas.

Dat. Perusii, XV Kalendas Novembris, anno I°[1].

II.

S. tituli Sancti Martini in Montibus presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Cum de transmontanis partibus etc. ut in superiori proxima[a] usque: mandamus, quatinus considerato prudenter, quod in hoc pendet summa et status totius negotii, protinus ad id convertens totaliter ingenium tuum et vires, per omnes terras tue legationis tuosque[b] amicos et consanguineos universos omni diligentia omnique studio secundum datam tibi a Deo prudentiam invigiles et labores, quod eadem militia libere ac secure transeat per loca dubia Lombardie, illam in hoc accelerationem, cum id dilationem non capiat, et sollicitudinem habiturus, quod nos, qui super hoc in te firmam spem ponimus, concepta de te fiducia non frustremur, sed extollamus potius nomen tuum tuque possis proinde apud Deum et homines non immerito commendari. Ceterum noveris, quod per predictas litteras, prout in eis exprimi fecimus[c], legationi tue non derogamus nec intendimus derogare.

Dat. Perusii, XVI Kalendas Novembris, anno I°[2].

643.

Clemens IV papa [Octaviano II] episcopo et clero civitatis et diocesis Bononiensis de eadem re scribit, mandans ut Gaufrido de Bellomonte capellano et legato suo intendant.

1265, Oct. 18.

Clem. IV Reg. Vol. I, 39; Lib. I, 162. Exemplar, quod Savioli, l. c. t. IIIb, p. 408 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 19405; Posse, l. c. p. 40, n. 496; BFW. 9590; Iordan 163.

---

a) *Haec non fuit ep. I, sed in ep. citata scriptum erat 'Gaufrido in terris legationis suae et in Bononiensi civitate et diocesi praedicationem crucis commissam esse, salvo iure Simonis cardinalis legati'; cf. not. c.* b) *ita R.* c) *id in ep. I expressum non est; cf. not. a. et finem ep. n. 643.*

bus electiones fierent, inhibitum esse papa commemorarit a. 1265, Iun. 8; Lib. I, 86; Iordan 88; Potthast 19183; cf. 19899. De Gerardo abbate S. Benedicti de Padolirone [cf. p. 569, not. 2] fautore Uberti Lib. I, 193; Iordan 194; Potthast 19498; cf. etiam 19302 et 19552 et Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 515.

1) *Iun. 22 papa in Ianuensi et Pisana civitatibus et diocesibus contra Saracenos Africae et regem Granatae crucem praedicari iusserat; Lib. I, 87; Potthast 19220; Iordan 89.* 2) *Nov. 25 eidem legato mandarit, ut etiam in patriarchatu Gradensi, in quo legationis gereret officium [cf. n. 638], verbum crucis praedicari faceret; Lib. I, 167; Posse p. 40, n. 501; Iordan 168. Cf. Potthast 19488.*

Episcopo Bononiensi et abbatibus, prioribus, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelatis et capitulis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus universis, tam exemptis quam non exemptis, per Bononiensem civitatem et diocesim constitutis.

Manfredo quondam principe Tarentino, nequitie ac tyrampnidis imitatore paterne, per spolia regni Sicilie pungente, immo lacerante Romanam ecclesiam in visceribus Ps. 71, 8. et de huiusmodi spoliis turbante fere omnes a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terre, apostolica sedes, que, ut idem ad cor rediens penitentiam de commissis ageret, dissimulaverat ista longo tempore, considerans quod idem de die in diem fiebat deterior et peiora prioribus cumulabat, carissimum in Christo filium nostrum Carolum regem Sicilie illustrem preelegit ad illius retundendam nequitiam et reddendam pacem terris populisque quietem. Cum igitur de transmontanis partibus, in quibus contra eundem Manfredum et Sarracenos Lucerie crucem predicari facimus, magna militia veniat in succursum eiusdem regis, causam non tam propriam quam ecclesie ac totius Christiani populi prosequentis, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandantes, quatinus dilecto filio magistro Gaufrido de Bellomonte capellano nostro, quem ob hoc et quedam ardua ecclesie negotia in Lombardie provinciam, commisso ibidem ei plene legationis officio, de consilio fratrum nostrorum transmittimus, in omnibus et per omnia super hiis, que ad transitum predicte militie ipsamque per Lombardiam conducendam et ad huiusmodi subsidium regium pertinent, obedire ac intendere procuretis. Alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles etc. usque: observari. Per hoc autem legationi dilecti filii nostri S. tituli Sancti Martini in Montibus non derogamus nec intendimus derogare.

Dat. Perusii, XV Kalendas Novembris, anno I[1].

In eundem modum . . potestati, . . capitaneo, consilio et communi Bononiensibus. Manfredo quondam principe Tarentino etc. ut in superiori proxima usque: Alioquin sententiam, quam idem spiritualiter et temporaliter etc. usque in finem.

In eundem modum archiepiscopo Ravennati[2] et episcopis ac abbatibus etc. ac universis personis ecclesiasticis per Romaniolam constitutis. Dat. ut supra.

In eundem modum potestatibus, capitaneis, consiliis et communitatibus universis per Romaniolam constitutis.

In eundem modum episcopis et abbatibus etc. ac personis ecclesiasticis universis per marchiam Tervisinam constitutis. Dat. Perusii, II Idus Octobris, anno primo.

In eundem modum potestatibus, capitaneis, consiliis et communitatibus universis per marchiam Tervisinam constitutis. Dat. ut in proxima.

644.

Clemens IV papa magistro Gaufrido de Bellomonte capellano et legato suo concedit, ut Brixienses, recepta cautione quod Manfredo et Pelavicino de cetero non adhaereant,

---

1) *Cf. Del Giudice, Cod. dipl. di Carlo I e II d'Angiò t. I, p. 47, n. 14. Gallorum exercitum a. 1265, Dec. 15 Bononiam venisse narrat Cron. di Bologna ap. Muratori, SS. t. XVIII p. 276; cf. Chron. Ital. [a. 1265] Dec. ap. Schirrmacher, l. c. p. 638, quocum concordat Ricobaldi Ferrar. Pomarium ap. Muratori t. IX, p. 135.* 2) *Philippo.*

ab excommunicatione absolvat et interdictum relaxet. — Eidem suspendendi interdictum civitatis Mantuanae usque ad festum purificationis proximum facultatem concedit.

1265, Oct. 21 et 23.

Clem. IV Reg. Vol. I, 39; Lib. I, 165 et 166. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Potthast, Reg. 19411; Posse, l. c. p. 40, n. 498 — I; BFW. 9593, 9594; Iordan 166, 167.

I.

Magistro Gaufrido de Bellomonte capellano nostro, apostolice sedis legato[a].

Cum desideremus, ut omnes ab ecclesie congregatione precisi ad ecclesiasticam redeant unitatem, presentium tibi auctoritate concedimus, ut si cives Brixienses super eo, quod Manfredo quondam principi Tarentino et Pelavicino eorumque sequacibus contra ecclesiam adhesisse noscuntur, voluerint ad ipsius ecclesie redire mandata, recepta ab eis et aliis de ipsorum comitatu iuratoria et alia ydonea prout expedire videris cautione, quod de cetero contra Romanam ecclesiam predictis Manfredo, Pelavicino et aliis non prestabunt auxilium, consilium vel favorem, absolvas eos iuxta formam ecclesie vice nostra, et interdicto civitatis et comitatus eorundem protinus relaxato, iniungas eis penitentiam salutarem.

Dat. Perusii, XII Kalendas Novembris, anno I°[1].

II.

Eidem.

Cum te in Lombardiam pro quibusdam arduis ecclesie negotiis destinemus, ut in tuo iocundo adventu letetur civitas Mantuana[2], suspendendi usque ad festum purificationis beate Virginis proxime venturum[3] interdictum ipsius civitatis eiusque comitatus plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Perusii, X Kalendas Novembris, anno primo[4].

645.

Clemens IV papa Bituricensi, Narbonensi, Senonensi et Rotomagensi archiepiscopis et priori Praedicatorum et ministro Minorum provincialibus Franciae et decano Remensi scribit, quas gratias Italicis et universis concesserit, qui in subsidium Karoli regis Siciliae contra Manfredum crucem assumpserint; mandat, ut in Francia hanc crucem praedicent.

1265, Nov. 2.

Clem. IV Reg. Vol. I, 64; Lib. I, cur. 25. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1265, § 26, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 19429; BFW. 9600; Iordan 240.

---

a) Eidem *R.*

1) *De Brixiensibus cf. Potthast 19324, 19486 et Iacobi Malvecii Chron. Brix. ap. Muratori, SS. t. XIV, p. 939 — 942. Gallorum exercitus Dec. 9 apud portas Brixiae transiit; Ann. Parm. SS. t. XVIII, p. 679.* 2) *Cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 39, n. 11.* 3) *A. 1266, Febr. 2.* 4) *Legatus ipse Mantuam venit ibique crucem praedicavit; Ann. Mantuani, SS. t. XIX, p. 24. — A. 1266, Ian. 3 papa Gaufridum a legationis officio absolvit; Potthast 19512.*

.. Bituricensi, .. Narbonensi, .. Senonensi et .. Rothomagensi archiepisopis et .. priori Predicatorum et .. ministro Minorum fratrum provincialibus Francie et .. decano Remensi.

De venenoso genere, velut de radice colubri virulenta progenies, Manfredus quondam princeps Tarentinus egressus, ab ineunte etate paternis se conformans ne- Prov. 2 14. quitiis nisus est, quantum potuit, paternam sevitiam superare. Qui, sicut impius in pessimis rebus exultans, gloriatus est esse ac dici ecclesie persecutor, ad depressionem orthodoxe fidei, enervationem iuris ecclesiastici et iugem turbationem Italie, prout patet per opera, dampnabili progenitoris imitatione suspirans. In qua voluntate perfida non solum perseverans sed crescens, quantum in eo est, prophanavit sacra, religiosa fedavit, destruxit ecclesias, afflixit viros ecclesiasticos et alios, tam nobiles quam populares, et pupillis et viduis non pepercit, alias molitus totis viribus conceptum virus effundere ac iniquitatem, tam innatam quam a patre propagatam, in matrem ecclesiam parturire. Et ut ad sue intentionis perfidiam posset pervenire facilius, Sarracenis et aliis inimicis ecclesie in Christianorum dispendium speciali se amicitia copulavit. Idem quoque regnum Sicilie, ad Romanam ecclesiam pertinens, ut de aliis taceamus, invadens ac regnicolas perfidia inhumana contractans, quantum[a] ex ipsius regni opibus ledat ecclesiam, turbet Italiam et alias etiam remotas partes concutiat[b], non solum vicinis est notum, sed ad extremos orbis angulos iam pervenit. Et licet ecclesia tamquam pia mater longo tempore dissimulaverit ista, credens, ut ille ad cor rediens penitentiam ageret de commissis: quia tamen de die in diem fiebat deterior et peiora peioribus cumulabat, quadam inevitabili necessitate oportuit nos pro ecclesie defensione athletam assumere ipsumque erigere ad illius proterviam retundendam. Cuius rei causa carissimum in Christo filium nostrum Karolum regem Sicilie illustrem, quem more progenitorum suorum apostolica sedes semper invenit ad beneplacita sua paratum, vocavimus ad huiusmodi negotium eique predictum regnum de fratrum nostrorum consilio duximus conferendum, firma spe fiduciaque tenentes, quod per ipsius strenuitatem, fidelitatem et potentiam idem regnum optata pace fruetur, gaudebit Italia, a bellis et turbationibus intestinis quiescens, imperii Romanie status reformabitur et Terre Sancte in manu valida succurretur.

Cum igitur idem rex pro fidei catholice incremento, ecclesie honore, bono statu totius Italie ac optata quiete fidelium, zelo fidei et devotionis accensus, assumpto crucis signaculo contra predictum Manfredum et Sarracenos Lucerie accingat se viriliter ac potenter: nos, attendentes quod Christiani populi, et maxime Italie, interest, ut tam salubre negotium, a cuius successu dependet plurium quam creditur tranquillitas, in manu forti et robusta procedat, Italicos et alios fideles ad hoc salutare Iesu Christi exercitus tyrocinium non solum piis exhortationibus sed etiam superhabundantibus gratiis invocamus. Et ut universi et singuli ad id eo libentius et animosius intendant, quo exinde dona spiritualia, que temporalibus preferenda sunt, perceperint potiora, nos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, et illa quam nobis Deus licet indignis ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui assumpto crucis signaculo ad eundem regem ituri cum eo contra Manfredum et Sarracenos predictos in propriis personis et expensis accesserint, plenam suorum peccaminum veniam indulgemus et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis hoc fecerint, sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam

---

a) ac quantum *R.; ac postea additum.* b) *corr. ex* concitiat.

viros ydoneos destinaverint, et illis similiter, qui, licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, et eis, qui quartam seu maiorem partem proventuum et obventionum de redditibus suis pro huiusmodi negotio collectoribus ad hoc deputatis seu deputandis erogaverint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis decimam vel aliam partem predictis collectoribus ministrarint aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum et qui pro eodem negotio auctoritate nostra predicaverint verbum crucis. Volumus etiam crucesignatos et crucesignandos illo privilegio eaque immunitate gaudere, que in generali crucesignatorum indulgentia sunt concessa. Siqui vero proficiscentium illuc ad prestandas usuras iuramento tenentur astricti, creditores ipsorum, ut remittant eis prestitum iuramentum et ab usurarum exactione desistant, de plano et absque sollempni strepitu veritate cognita ecclesiastica precipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit usurarum, eum ad restitutionem earum sub forma predicta simili cogi animadversione mandamus. Iudeos vero ad restituendas usuras ea qua convenit precipimus censura compelli, et donec illas remiserint, fidelium eis communio denegetur. Presbyteris autem et clericis, qui assumpto vel assumendo crucis signaculo pro predicto negotio sunt personaliter profecturi, et clericis parrochiales ecclesias non habentibus, qui fideliter tantum transmiserint per bellatores ydoneos, quantum expenderent, si personaliter illuc irent, presentium auctoritate concedimus, ut proventus beneficiorum suorum, que perciperent tempore motionis vel missionis, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, integre percipiant per triennium, acsi personaliter in ecclesiis, in quibus beneficia ipsa obtinent, residerent, et, si necesse fuerit, eos per idem tempus vendere vel pignori valeant obligare — non obstante contraria ipsarum ecclesiarum consuetudine vel statuto, iuramento vel confirmatione sedis apostolice aut quacumque firmitate alia roboratis, vel litteris apostolicis, de quibus specialem et expressam oporteat in presentibus fieri mentionem, seu etiam quod ipsorum aliqui de non impetrandis aliquibus indulgentiis vel non utendis impetratis aut concessis iuramento prestito promiserunt. Et tam crucesignatos quam crucesignandos, postquam receperint signum crucis, cum uxoribus, familiis et omnibus bonis ipsorum sub apostolice sedis protectione suscipimus eisque nichilominus indulgemus, ut extra suas dioceses auctoritate litterarum apostolice sedis vel legatorum eius nequeant ad iudicium evocari, statuentes ut bona ipsorum extunc integra maneant et quieta, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur. Archiepiscopi vero et episcopi diocesani eorundem crucesignatorum necnon et archidiaconi et eorum officiales nostra freti auctoritate non permittant predictos crucesignatos contra protectionis et indulgentie nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Preterea volumus et presentium auctoritate concedimus, ut clerici et laici crucesignati et crucesignandi, decimas non ratione ecclesiarum pacifice detinentes, fructus earum hactenus perceptos in huiusmodi negotii subsidium convertere valeant per se ipsos vel predictis collectoribus secura conscientia exhibere.

Quocirca mandamus, quatinus vos, fratres archiepiscopi, per vestras civitates et dioceses ac provincias et tu, fili decane, per civitatem et diocesim ac provinciam Remenses, vos quoque, filii prior et minister, per easdem civitates et dioceses ac provincias et totum regnum Francie contra Manfredum et Sarracenos predictos proponatis et proponi faciatis per alios, quos ad hoc ydoneos noveritis, verbum crucis, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo. Et ut fideles Christi libentius et ferventius currant ad verbum Domini

audiendum, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad vestram et illorum, quibus id commiseritis, sollempnem predicationem accesserint in qualibet civitate, villa vel oppido, in qualibet convocatione seu statione, decem vel viginti seu triginta vel quadraginta dierum indulgentiam vos[a] et illi, quibus officium predicationis committendum duxeritis, largiamini, prout videritis expedire. Ut autem nichil omnino desit ad commissum vobis officium exequendum, absolvendi iuxta formam ecclesie manuum iniectores in clericos seculares et personas religiosas, ac incendiarios, et excommunicatos pro decima vel vicesima deputata pacis et fidei ac Terre Sancte negotio non soluta, necnon sacrilegos, sortilegos et eos, qui contra prohibitionem apostolice sedis vel legatorum ipsius sepulchrum Domini visitarunt, ac eos, qui portaverunt ferrum, arma, lignamina et merces prohibitas Sarracenis vel alias contra Christianos dederunt eis consilium, auxilium vel favorem, necnon clericos, qui excommunicationis sententiam incurrerunt per legatos sedis apostolice in concubinarios promulgatam, et illos clericos in prelaturis, dignitatibus vel personatibus constitutos necnon presbyteros et religiosos quoslibet, qui contra constitutionem ecclesie leges vel physicam audierunt[1], ac dispensandi cum irregularibus, quos[b] premissa occasione vel pro eo quod forte excommunicati vel suspensi seu alias irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen pro huiusmodi negotio recipiant signum crucis, vel qui propriis expensis alios pro se miserint bellatores vel iuxta qualitatem culpe et facultates suas congruam ad arbitrium vestrum de facultatibus propriis miserint portionem, nisi adeo gravis et enormis excessus fuerit manuum iniectorum, quod merito debeant ad sedem apostolicam destinari, ac reconciliandi penitentes, dummodo sint crucesignati vel recipiant signum crucis, et alia vota peregrinationis et abstinentie commutandi in votum huiusmodi pietatis plenam vobis, ut per vos et alios hec valeatis exequi, concedimus facultatem. Si vero aliqui eorundem legitimo fuerint impedimento detenti, eis redimendi votum crucis et vobis recipiendi huiusmodi redemptiones nomine ipsius regis ac absolvendi eos a voto predicto et inducendi ferias diebus predicationis iuxta vestre discretionis arbitrium libera sit de nostra permissione facultas.

Volumus etiam et mandamus, ut pecuniam, que ob causas predictas obvenerit, per vos et alios fideliter colligatis, illos, qui pecuniam huiusmodi promiserint solvere vel quomdolibet tenebuntur, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, assignaturi eiusdem regis procuratoribus integre pecuniam supradictam, proviso tamen quod predicti manuum iniectores et incendiarii iniuriam et dampna passis satisfaciant competenter. Ceterum vos et illi, quibus verbum huiusmodi commiseritis predicandum, rectores ecclesiarum illarum partium et predictarum civitatum et diocesum moneatis diligenter et efficaciter inducatis, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellendo, ut ipsi cum parrochianis suis ad audiendum verbum crucis devote ac reverenter accedant, et in ipsis predicationibus vestris, ubi expedire videritis, harum litterarum tenorem legatis et faciatis legi cum debita reverentia et exponi. Ceterum, quia, sicut accepimus, predicationis officium, quod pro iamdicto negotio imponimus vobis et aliis, per questuarios[2] impeditur, ne ipsi negotio impedimentum vel obstaculum aliquod ingeratur, questuariis universis, siqui presentes fuerint, proponendi aliquid populo, dum a vobis proponitur verbum crucis, licentiam penitus interdicere procuretis, temeritatem eorum, qui contra presumpserint, per censuram eandem appella-

---

a) indulgentiam prout vos *R.; ita etiam Martène, Thes. t. II, p. 199, n. 145.* b) *quae sequuntur, corrupta sunt; ita etiam Martène, l. c., cuius exemplum his verbis desinit.*

1) *Cf. Corpus iuris canon. c. 3, X [Lib. III, tit. L], Ne clerici.* 2) *Qui tributa vel elemosynas colligebant vel indulgentias largiendi contribuentibus pro pio opere potestatem habebant; v. Ducange sub 'Quaesta'.*

tione postposita compescendo. Ad hec volumus et districte precipimus, ut tam vos quam illi, quibus huiusmodi officium commiseritis, ita sitis universi et singuli in premissis exequendis sollicitì, quod sine dilatione absque alio mandato, nec expectet unus alium, exequamini ea fideliter et prudenter, ita tamen quod in executione huiusmodi alter alterum non impediat nec perturbet, — non obstantibus[a] si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non valeant, a sede apostolica sit indultum, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis seu litteris ab eadem sede obtentis vel obtinendis, per que predicta impediri vel differri possint et de quibus specialem oporteat in presentibus fieri mentionem.

Dat. Perusii, IIII Nonas Novembris, anno I°[1].

646.

Clemens IV papa Carolo regi Siciliae confirmat instrumentum, per quod quattuor nominati cardinales ei sub condicionibus insertis regnum Siciliae a. 1265, Iun. 28 contulerunt. *1265, Nov. 4.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 65; Lib. I, cur. 28. Sola prima pars huius epistolae ibidem hodie reperitur, cum Lib. I Regestorum in fine mutilatus sit. Damus exemplar, quod Martène, Thes. t. II, p. 220, n. 174 ex Cod. S. Vincentii Bisuntini edidit, cum Regestis, quoad legitur, collatum a V. Cl. Monaci. Reliquorum fidem ep. nostra n. 539 satis probat.

Potthast, Reg. 19434; Capasso n. 497; BFW. 9601; Iordan 243.

Carissimo in Christo filio[b] Karolo regi Sicilie illustri, nato clare memorie Ludovici regis Francorum. Ad perpetuam rei memoriam.

Constituti ab eo, per quem reges regnant et principes imperant et qui solus Prov. 8, 15. habet in regno hominum potestatem, super gentes et regna, necesse habemus interdum de regnis ipsis, et specialiter que Romane ecclesie iuris et proprietatis existunt, cum fratribus nostris ad pacem et iustitiam populorum perpetua stabilitate disponere ac in eorum soliis ad regimen gentium subiectarum quos dignos credimus sublimare. Et quia instructi ab eo, qui spiritus angelos suos facit, super huiusmodi dispositione regnorum nonnumquam aliquibus ex fratribus ipsis aliqua committimus peragenda, licet ea, que ab ipsis fratribus super illis cum maturitate debita rite ac provide ordinantur, eo ipso, quod constat ipsa de nostra fieri iussione, robur obtineant firmitatis, ne tamen vacillent in posterum vel cavillationi subiaceant, eo sunt fortius apostolico munimine roboranda, quo circa maiora, in quibus maius periculum formidatur, maior est cautele discretio adhibenda. Sane porrecta nobis tue filialis devotionis petitio continebat, quod cum, regno Sicilie et tota terra citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, que de predicto Sicilie regno esse dinoscitur, ad dispositionem et ordinationem sedis apostolice, ad quam specialiter pertinet, plene ac libere devolutis, sedes ipsa obtentu devotionis, qua persona tua erga dictam Romanam prefulget ecclesiam, et pro fidei puritate, qua christianissimum genus tuum semper noscitur claruisse, perpenso consilio disposuerit ad laudem Dei, honorem et pacem ipsius ecclesie ac tranquillitatem et profectum fidelium regni eiusdem de regno ipso personam et domum tuam regiam honorare, habitis diligentibus et diutinis inter te et sedem eandem

---

a) *litt.* ibus *postea additae sunt eadem manu.* b) *verba* Car. in Chr. filio *desunt in rubro.*

1) *Idem mandatum S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato dedit; Potthast 19430; cf. 19252 et BFW. 9541.*

tractatibus de predictis regno et terra in feudum tibi tuisque heredibus concedendis, nos, ad finalem consumationem eorundem tractatuum[a] et negotii regni predicti nostrum animum firmiter dirigentes, dilectis filiis nostris A[nibaldo] Basilice Duodecim Apostolorum presbytero, R[iccardo] Sancti Angeli, I[ohanni] Sancti Nicolai in Carcere Tulliano et I[acobo] Sancte Marie in Cosmidin diaconis cardinalibus nostris dedimus litteris in mandatis[1], ut iuxta condiciones et formam tibi per venerabilem fratrem nostrum B[artholomeum] archiepiscopum Cusentinum et dilectum filium magistrum Petrum notarium nostrum novissime presentatas[2], quas condiciones et formam et nostram super dicto negotio diffinitionem[3] aliaque ipsi oportuna negotio sub bulla nostra eisdem cardinalibus miseramus, ad plenariam consumationem eiusdem negotii et ad collationem et investituram tibi de predicto regno auctoritate nostra faciendam efficaciter procedere procurarent, concessa eisdem per dictas litteras a nobis de ipsorum fratrum consilio et assensu procedendi ad consumationem, collationem et investituram huiusmodi plena et libera potestate. Qui, considerantes diffinitionem predictam a nobis super dicti regni negotio editam nostra et fratrum nostrorum subscriptionibus et bulla necnon et eorundem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam et etiam predictas conditiones et formam per dictos archiepiscopum et notarium tibi ex parte nostra novissime presentatas, ac etiam diligentius attendentes quod ea, que ante consumationem predicti negotii tibi facienda et implenda incumbebant ex forma predicta, per te facta fuerant et etiam adimpleta, ad plenariam consumationem eiusdem negotii, collationem et investituram faciendam tibi de regno et terra predictis iuxta prefatas condiciones et formam ex mandato nostro et potestate sibi super hoc tradita processerunt; tibique totum regnum Sicilie ac totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum predicte Romane ecclesie, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis per Romanum pontificem distinctis vel in posterum distinguendis, quam sibi eadem ecclesia Romana usque ad tempus illud retinuisse ac reservasse dinoscitur et tunc etiam expresse retinuit et ad suum demanium reservavit, in feudum perpetuo tibi tuisque heredibus ex te legitime descendentibus, predictum consumando negotium, sub predictis condicionibus tibi plenius expressis et expositis conferentes et etiam concedentes, investierunt te per vexillum ecclesie presentialiter de eisdem, a te vice nostra et predicte Romane ecclesie fidelitatis iuramento recepto iuxta formam in eisdem condicionibus comprehensam, receptione ligii homagii, quod teneris nobis et dicte ecclesie facere, nobis specialiter reservata[4], prout in patentibus dictorum cardinalium litteris exinde confectis et ipsorum sigillis pendentibus communitis plenius continetur. Ut autem collatio seu concessio et investitura predicte sub predictis forma et condicionibus expressis et appositis robur obtineant perpetue firmitatis, humiliter supplicasti eas sub ipsis forma et condicionibus apostolice confirmationis munimine roborari. Nos igitur, volentes tibi et heredibus tuis in posterum super hiis salubriter providere, tuis supplicationibus inclinati, collationem, concessionem et investituram predictorum regni et terre sub condicionibus et forma predictis a prenominatis cardinalibus tibi et dictis heredibus tuis factas ac regnum ipsum et totam terram predictam tibi et eisdem heredibus ex certa scientia et de fratrum nostrorum consilio et assensu auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ceterum, quia in quibusdam articulis seu capitulis condicionum ipsarum expressius continetur, quod in certis casibus tu et here-

---

a) tractuum *R.*

1) *A. 1265, Iun. 21; Potthast 19217; v. infra.* 2) *Cf. Potthast 19075—19078, 19103, 19149, 19352, 19505.* 3) *Sub a. 1265, Febr. 26; Potthast 19038.* 4) *Cf. n. 654 II.*

des tui excommunicationis sententiam incurratis et dictum regnum ac tue et ipsorum heredum terre sint ecclesiastico supposite interdicto: nos exnunc huiusmodi sententias, videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes et interdicti in prefatum regnum ac terras predictas, si tua vel ipsorum culpa huiusmodi casus emerserit, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica promulgamus, tenorem predictarum litterarum cardinalium eorundem de verbo ad verbum presentibus inseri facientes. Qui talis est[a]:

'Excellentissimo et magnifico principi domino Karolo illustri regi Sicilie, nato clare memorie Ludovici regis Francorum, miseratione divina frater Anibaldus Basilice Duodecim Apostolorum presbyter, Riccardus Sancti Angeli, Iohannes Sancti Nicolai in Carcere Tulliano et Iacobus Sancte Marie in Cosmidin diaconi cardinales ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam[b] ad subsistentiam multorum et regimen preesse oportuit unum singulare principium, pro eo quod pluralitas in presistentia scissuram induceret et solidam gubernaculi disrumperet firmitatem, preminent dispositione divina singulis regnis et mundi provinciis singula regnantium solia et singule principantium potestates, quia dum reges populis imperant et populi regibus reverenter intendunt, dum hii humiliter subsunt et illi benigne presunt, dum congruis illi preeunt iussibus et devotis isti animis obsequuntur, viget ex hoc in eisdem populis concordium animorum unitas, miseri- (Ps. 84, 11.) cordia et veritas sibi obviant ac iustitia et pax se invicem complectuntur. Ideo namque a summo illo celesti rege, per quem singuli reges regnant et principes princi- (Prov. 8, 15.) pantur, temporalis gladii ad malorum vindictam laudemque bonorum terrenis est regibus attributa potestas, ut ipsi assumpto dominandi officio[c] iudicent in equitate populos et dirigant in terris subiectas sibi gentium nationes, quatinus sit voluntas eorum in executione iustitie ac meditatio in lege rectitudinis et observantia[d] sancte pacis. (Ps. 118, 77.) Sane regno Sicilie et tota terra [citra][e] Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, que de predicto regno Sicilie esse dinoscitur, ad dispositionem et ordinationem sedis apostolice, ad quam specialiter pertinent, plene et libere devolutis, sede ipsa circa statum eiusdem regni sollicite cogitante illiusque regimen alicui catholico et devoto principi cupiente committere, qui ad laudem Dei, honorem et pacem ecclesie et tranquillitatem fidelium ipsius regni eius solio presideret: tandem, quia persona vestra multa erga Romanam ecclesiam devotione refulget vestrumque Christianissimum genus precipue semper fidei claruit puritate, sedes ipsa consilio perpetuo disposuit[f] vos de regno ipso domumque vestram honorare. Habitis igitur diligentibus diutinisque tractatibus inter eandem sedem de predictis regno et terra in feudum vobis vestrisque heredibus concedendis, demum sanctissimus pater et dominus noster, dominus Clemens sacrosancte Romane et universalis ecclesie pontifex, ad salutarem consumationem eorundem tractatuum et negotii regni Sicilie suum animum firmiter dirigens, suas transmisit nobis litteras in hac forma:

"Clemens[1] episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Anibaldo Basilice Duodecim Apostolorum presbytero, Riccardo Sancti Angeli, Iohanni Sancti Nicolai in

a) *In margine manus altera, eiusdem tamen saeculi, annotavit:* De sententia excommunicationis lata per dominum Clementem in quibusdam casibus, in quibus secundum conventiones habitas inter ecclesiam et regem ipse rex vel heredes sui in regno sententiam huiusmodi incurrunt. *Paulo inferius sequitur litteris saec. XIV:* Regestum istud fuit ablatum de camera domini Bonifatii pape VIII tempore captionis sue et restitutum domino B. Roiardi cum diminutione ista. b) *Cf. p. 470, lin. 2.* c) *hoc verbo desinit f. 66 et Lib. I Regestorum.* d) *ita p. 470, lin. 14;* ob reverentiam *M.* e) citra *deest M.; cf. p. 639, lin. 33.* f) disposuerit *M.*

1) *Potthast 19217.*

Carcere Tulliano et Iacobo Sancte Marie in Cosmidin diaconis cardinalibus salutem et apostolicam benedictionem.

Plene vos scire credimus conditiones et formam dilecto filio nostro Carolo Andegavie et Provincie comiti per venerabilem fratrem nostrum B. archiepiscopum Cusentinum et dilectum filium magistrum Petrum notarium nostrum super negotio regni Sicilie ex parte nostra novissime[a] presentatas, cum et nos illas necnon et nostram super negotio ipso diffinitionem et alia eidem oportuna negotio nuper vobis sub bulla nostra duxerimus destinanda. Volumus igitur et de fratrum nostrorum consilio et assensu vobis per apostolica scripta mandamus, quatinus ad plenariam consumationem ipsius negotii et ad collationem et investituram de predicto regno ipsi comiti faciendam auctoritate nostra iuxta easdem conditiones et formam efficaciter procedatis. Nos enim procedendi ad consumationem, collationem et investituram huiusmodi plenam et liberam de ipsorum fratrum consilio et assensu vobis concedimus auctoritatem, nobis tamen receptione homagii, quod per ipsum comitem sine interpretatione ministri volumus nobis oportuno tempore presentialiter exhiberi, specialiter reservata, — non obstante quod dictus comes ex forma diffinitionis huiusmodi tenebatur infra festum beatorum apostolorum Petri et Pauli[1] ad nostram venire presentiam, collationem et investituram easdem et etiam ipsius consumationem negotii de nostris manibus recepturus.

Dat. Perusii, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno I."

Nos itaque, considerantes diffinitionem ab ipso summo pontifice editam super dicti regni negotio et eiusdem domini pape et fratrum suorum subscriptionibus eiusque bulla et eorundem fratrum sigillis ad perpetuam memoriam roboratam ac formam et conditiones per[b] venerabilem patrem B. archiepiscopum Cusentinum et discretum virum magistrum Petrum notarium ipsius summi pontificis super ipso negotio vobis[c] ex parte ipsius summi pontificis novissime presentatas, ac diligentius attendentes ea, que ante consumationem predicti negotii vobis facienda et implenda incumbebant ex forma predicta, per vos facta sunt et etiam adimpleta, ad plenariam consumationem eiusdem negotii et ad collationem et investituram faciendam vobis de regno et terra predictis iuxta predictas conditiones et formam ex mandato ipsius summi pontificis et potestate tradita nobis per supradictas litteras duximus procedendum.

Ad honorem igitur Dei omnipotentis, patris et filii et spiritus sancti, et beate et gloriose semperque virginis Marie, beatorum quoque apostolorum Petri et Pauli nec non predicti domini Clementis pape IIII et sacrosancte Romane ecclesie totum regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis, quam Romana ecclesia hactenus sibi reservat[d], in feudum vobis vestrisque heredibus ex vobis legitime, sicut infra dicitur, descendentibus sub infrascriptis conditionibus auctoritate et potestate nobis in hac parte concessa, dictum eiusdem regni negotium consumando, concedimus atque conferimus, vosque de ipsis regno et terra per vexillum ecclesie presentialiter investimus — non obstante quod ex forma dicte diffinitionis tenebamini infra instans [festum][e] beatorum apostolorum Petri et Pauli ad ipsius summi pontificis personaliter [venire][f] presentiam, collationem et investituram easdem et totam ipsius negotii consumationem de suis manibus recepturi. Recipimus etiam vice ipsius summi pontificis et ecclesie Romane iuramentum fidelitatis a vobis secundum formam in eisdem contentam conditionibus et inferius annotatam

a) vobis novissime *M.; cf. p. 640, lin. 8.* b) et per *M.* c) nobis *M.; cf. not. a.* d) reservavit? *cf. p. 640, lin. 27.* e) festum *deest M.* f) venire *deest M.*

1) *Iun. 29; cf. Lünig, Cod. Ital. dipl. t. II, p. 951; Potthast 19038.*

nec non et aliorum, super quibus secundum tenorem conditionum ipsarum Romano pontifici et predicte ecclesie prestare tenemini iuramenta, receptione homagii predicto summo pontifici generaliter reservata. Omnes quoque concessiones communitatum, baroniarum, feudorum et aliorum quorumcumque bonorum et iurium factas in predicto regno Sicilie per quondam Fridericum olim Romanorum imperatorem et Conradum et Manfredum natos eius [et][a] ipsorum officiales, familiares [et][a] fautores post depositionis sententiam in ipsum Fridericum per felicis recordationis dominum Innocentium papam IIII promulgatam in Lugdunensi concilio revocamus. Conditiones autem sunt he:

[1.] Si[1] in vestro et heredum vestrorum obitu legitimum, prout sequitur, heredem vos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex vobis et vestris heredibus, Sicilie regibus, mares et femine in eodem regno succedent, sic tamen quod de liberis duobus maribus eodem gradu per eandem lineam concurrentibus primogenitus, et de duabus feminis primogenita, et de mari et femina in eodem gradu similiter concurrentibus masculus omnibus aliis preferatur. Si vero vos, quod absit, sine liberis ex vobis legitime descendentibus mori contigerit, possit vobis in regno et terra predictis succedere dumtaxat nobilis vir Alphonsus comes Pictavensis, germanus vester. Et si dictus Alphonsus vobis non supervixerit, possit vobis succedere unus ex filiis domini Ludovici illustris regis Francorum, videlicet maior natu post illum, qui succedit in regno Francorum. Et hec gratia vel successio tam ex parte vestra quam ex parte illorum erit tantummodo personalis, ita scilicet quod ad nullum filiorum vel heredum ipsius Alphonsi, si Alphonsum ipsum premori vobis contigerit, huiusmodi successio se extendet, sed huius[modi][b] maior natu succedat in regno Sicilie et terra predictis; similiter et nullus filiorum vel heredum ipsius maioris natu, si idem maior natu vobis non supervixerit, huiusmodi successionem habebit, sed regnum Sicilie et terra predicta ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere devolventur. Si vero Alphonsum et maiorem natu predictos premori vobis contigerit, nullus alius vobis sive liberis ex vobis legitime descendentibus in eisdem regno et terra succedet[c]; sed liberum erit eidem Romane ecclesie de ipsis regno et terra disponere iuxta sue beneplacitum voluntatis. Si autem predictos Alphonsum et maiorem natu post successionem huiusmodi aut eorum heredes sine liberis ex ipsis legitime descendentibus mori contigerit, regnum Sicilie et terra predicta similiter ad eandem Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere revertentur. Sed[2] si aliquem de aliis successoribus vestris, regem vel reginam Sicilie, sine legitima prole sui corporis mori contigerit, in futurum succedent eidem servatis gradibus, si superstites fuerint, he persone: videlicet regis vel regine sine prole legitima sui corporis decedentis[d] frater vel soror ac collaterales superiores, mares et femine, utpote patrui et avunculi, amite et matertere, et sursum usque ad quartum gradum dumtaxat, illis collateralibus, quos vos habebitis ad presens dum vixeritis et qui post obitum forsitan ex eisdem orientur, exceptis; collaterales etiam inferiores succedunt similiter, mares et femine, utpote nepos et neptis ex fratre vel sorore, et inferius usque ad eundem tantummodo quartum gradum. Quod autem de feminabus recte linee et collateralium superius est expressum, intelligendum est tam de nuptis quam de innuptis, dummodo nupte sint fidelibus et Romane ecclesie devotis. Et sicut inter eas personas gradus servari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui preferetur, sic

a) et *deest M.* b) huius *M; cf. supra p. 519, lin. 23.* c) succedit *M.* d) descendentes *M.*

1) *Cf. supra n. 539, § 6.* 2) *Cf. p. 595, artic. 2.*

in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori et marem femine in huiusmodi successionibus volumus anteferri. Personarum autem huiusmodi nulla superstite, regnum ipsum, ut prefertur, ad Romanam ecclesiam et eius dispositionem libere revertatur. Quod[1] si forte, deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam in regno succedere, illa maritabitur persone, que ad ipsius regni regimen et defensionem existat idonea, Romani tamen pontificis super hoc consilio requisito; nec nubat nisi viro catholico et ecclesie Romane devoto. Et si contra hoc fecerit, licebit eidem Romano pontifici contra ipsam ad privationem regni et terre predictorum sine figura iudicii et absque omni iuris solempnitate, in quacumque etate femina ipsa constet, procedere, si hoc videbitur expedire. In[2] regnum vero et terram predictam nullus succedet, qui non fuerit de legitimo matrimonio procreatus.

[2.] Adhec[a][3] tam vos quam viri in regno heredes regnum et terram predicta nullatenus dividatis, sed semper illa unus tantum sub ipsis conditionibus immediate[b] ac in capite ab ecclesia Romana tenebit.

[3.] Vos[4] autem, nobis recipientibus vice predicti Romani summi pontificis et ecclesie Romane, prestabitis ad presens iuramentum fidelitatis, reservata receptione homagii eidem summo pontifici iuxta ipsius mandatum; et[5] tam vos sibi et[c] eius successoribus canonice intrantibus expressis eorum nominibus et ipsi ecclesie quam vestri in predicto regno heredes sub propriis nominibus ligium homagium facietis, et dictum iuramentum fidelitatis faciendo mentionem de presenti instrumento seu litteris prestabitis in hunc modum:

"Ego Carolus Dei gratia rex Sicilie, plenum et ligium homagium faciens ecclesie Romane pro regno Sicilie et tota terra que est citra Farum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesie, excepta civitate Beneventana cum toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum et districtus civitatis eiusdem per Romanum pontificem distinctos vel in posterum distinguendos, ab hac hora inantea fidelis ero et obediens beato Petro et domino meo domino Clementi pape IIII suisque successoribus canonice intrantibus et sancte apostolice Romane ecclesie. Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios suos sive per litteras, ad eorum dampnum [me[d] sciente nemini pandam, et si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid, quod sit ad ipsorum dampnum], illud pro posse impediam; et si impedire non possum, illud eis significare curabo. Papatum Romanum et regalia sancti Petri, tam in regno Sicilie et terra predictis quam alibi existentia, adiutor eis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas et singulas conditiones contentas in presenti instrumento seu litteris[e] super ipsorum regni et terre concessione confectis et omnia et singula, que continentur in eodem instrumento seu litteris, [plenarie] adimplebo et inviolabiliter observabo, nec umquam tempore ullo veniam contra illa. Sic me Deus adiuvet et hec sancta Dei evangelia."

Huiusmodi autem homagia vos et dicti heredes facere et iuramentum fidelitatis prestare secundum formam prescriptam, si Romanus pontifex in Italia fuerit, infra sex menses, si vero eum extra Italiam esse contigerit, infra annum, postquam regni dominium adepti fueritis, teneamini; et singulis ipsis successoribus[f] et eidem ecclesie Romane renovabitis tam ipsum homagium quam huiusmodi iuramentum. In optione

a) Adhuc *M.* b) in membris *M.* c) quam *M.* d) *verba uncis inclusă supplevimus ex n. 539, § 12.* e) *sequitur* plenarie, *quod verbum infra ante* adimplebo *posuimus; v. ibid.* f) successionibus *M.*

1) *Cf. n. 539, § 14.* 2) *Cf. n. 539, § 15.* 3) *Cf. n. 539, § 12.* 4) *Cf. n. 539, § 11.* 5) *Cf. n. 539, § 12.*

autem et beneplacito erit Romane ecclesie vos vel heredes vestros vocare ad prestandum personaliter iuramentum fidelitatis et ligium homagium Romano pontifici et eidem ecclesie, dummodo ad hec vobis locum tutum statuant et assignent, vel aliquem cardinalem ipsius ecclesie [seu][a] alium, qui vice Romani pontificis iuramentum iuxta eandem formam et homagium recipiat, destinare.

[4.] Vosque[1] predicto summo pontifici et ecclesie in vestris nominibus manibus iunctis, ad presens vos ad hec specialiter obligantes, et tam vos singulis eius successoribus quam vestri in dicto regno heredes prefato summo pontifici et singulis eius successoribus ac predicte ecclesie, quando prestabitis huiusmodi iuramentum fidelitatis, iurabitis, vos ad hec specialiter obligantes, quod numquam per vos vel alios seu quocumque modo procurabitis[b], ut eligamini vel nominemini in regem vel imperatorem Romanorum[c] vel regem Theutonie seu dominum Lombardie seu Tuscie vel maioris partis earundem Lombardie vel Tuscie. Et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum seu regnum Theutonie aut ad dominium Lombardie vel Tuscie seu maioris partis earundem de vobis celebrari contigerit, nullum huiusmodi electioni vel nominationi assensum prestabitis nec intromittetis vos ullo modo de regimine ipsius imperii vel regni Romani seu regni Theutonie aut Lombardie seu Tuscie vel maioris partis ipsarum, ad quodcumque horum nominati fueritis vel electi. Quod si vos vel aliqui vestrorum in regno sedentium heredum eodem, procurantibus vobis aut eis, ad imperium ipsum sive ad dictum regnum Romanum sive regnum Theotonie aut dominium Lombardie seu Tuscie vel maioris partis earum electi vel nominati fueritis vel fuerint, si hoc verum et manifestum fuerit, aut si post talem electionem vel nominationem de imperii [vel][d] regni Romani seu regni Theutonie aut Lombardie seu Tuscie seu maioris ipsarum partis regimine vos manifeste intromiseritis vel intromiserint: eo ipso a iure regni Sicilie et terre predicte cadatis vel cadant ex toto ipsaque prorsus amittatis et amittant; et eadem regnum et terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si autem vos aut aliquis ex predictis heredibus, [ut][e] electioni vel nominationi facte seu iuri omnino renuncietis et renuncient, et quod de imperio seu aliquo alio premissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos nullatenus intromittatis et intromittant, moniti, infra quatuor mensium spatium post monitionem[f] huiusmodi tali electioni vel nominationi seu iuri non renunciaveritis vel renunciaverint, vel de ipso imperio vel de aliquo premissorum, ad quod electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos intromiseritis vel intromiserint quoquo modo: ex hoc sitis et sint eisdem regno Sicilie et terra et omni prorsus iure eorundem privati; et, ut dictum est, eadem regnum et terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Si vero ad vos vel in dicto regno heredes vestros non poterit commode talis monitio provenire, super quo utique impedimento, videlicet quod moneri commode nequeatis vel nequeant, credetur et stabitur assertioni Romani pontificis [sive[g] dicto: sufficiet pro ea super hoc ipsius Romani pontificis] monitio publica et solempnis, ita quod si infra sex menses post illam non renunciaveritis seu renunciaverint aut de imperio seu de aliquo alio predictorum, ad que vos vel dicti heredes electi seu nominati fueritis vel fuerint, vos quolibet modo intromiseritis vel intromiserint, ex hoc cadatis vel cadant omni iure ipsorum regni et terre; et regnum et terra ipsa ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Ceterum si contigerit aliquem ex vestris heredibus, qui deberent in predictis regno Sicilie et terra succedere, in regem vel imperatorem[h] Romanorum seu in

a) seu *deest M.; cf. n. 539, § 11.* b) periurabitis *M.; cf. n. 539, § 13.* c) imperium Romanum *M.; cf. ibid.* d) vel *deest M.* e) ut *deest M.* f) nominationem *M.* g) *verba uncis inclusa supplevimus ex n. 539, § 13.* h) imperium *M.; v. ibid.*

1) *Cf. n. 539, § 13.*

regem Theutonie vel dominum[a] Lombardie seu Tuscie sive maioris partis earum nominari seu eligi vel assumi, nullatenus possessionem eorundem regni Sicilie et terre nanciscatur et habeat, nec se de illorum cura seu dominio et regimine per se vel per alios aliquatenus intromittat, nisi prius imperio vel regno [Romano seu regno][b] Theutonie[c] aut dominio Lombardie vel Tuscie seu maioris earum partis, ad quodcumque eorum electus seu nominatus fuerit vel assumptus, et omni iuri sibi in illo competenti omnino renunciet, et illorum regimen, nec de iure nec de facto illud gerens vel retinens, omnino dimittat, ipsum nullo umquam tempore resumpturus; alioquin cadat ab omni successione et iure, que in regno Sicilie et terra predictis sibi competerent, ipso facto, ita quod eadem regnum Sicilie et terra ad Romanam ecclesiam eiusque dispositionem libere devolvantur. Quod si, non extantibus masculis, femina in eisdem regno et terra successerit, illa regi vel imperatori Romanorum seu in regem et imperatorem[d] electo aut regi vel electo [in regem][e] Theutonie aut domino Lombardie seu Tuscie aut maioris partis earum seu electo ad earum dominium numquam matrimonialiter copuletur; et si contrarium fecerit, eo ipso cadat a Sicilie regno et terra predictis maneatque prorsus ipsorum iure privata, ipsis regno et terra Sicilie ad eandem ecclesiam devolutis. Si autem vos vel aliquis vestrorum in regno heredum contra hec[f] veneritis vel venerint, eo ipso excommunicati et insuper labe et reatu periurii respersi et notati[g] existatis vel existant. In huiusmodi quoque iuramento vos addetis, et tam per vos quam vestros in dicto regno heredes addetur expresse, quod nullo umquam tempore regnum seu imperium Romanum aut regnum Theutonie vel dominium Lombardie vel Tuscie vel maioris partis[h] ipsarum per vos vel per alium aut alios occupabitis, capietis vel acquiretis aut vobis alias quolibet modo vendicaveritis; et si secus feceritis, secundum prescriptam formam penas similes incurratis. Quod[1] autem dicitur de maiori parte Lombardie sive Tuscie, intelligitur scienter; si vero ignoranter, eam ad mandatum ecclesie dimittere teneamini, et si eam ad mandatum dimittatis, non incidatis in penam in isto articulo et in consimilibus constitutam. Si vero moniti non dimittatis, remaneat pena, prout est in hoc articulo et in similibus constituta. Quod si forte in posterum regem Sicilie contingat in imperatorem eligi, postquam fuerit regni Sicilie possessionem adeptus, non transeat ad imperium; alioquin in penas incidat in hoc articulo vel aliis similibus comprehensas. Quod si, regni possessione predicti nondum habita seu obtenta, in imperatorem electus transire voluerit ad imperium, in manu prius Romani pontificis vel illius, quem ad hoc idem pontifex duxerit destinandum, filium suum successurum in regno, cuiuscumque fuerit etatis, emancipet et regno renunciet, nichil iuris in eo retinens clam vel palam nec cuiuslibet etiam potestatis, nec ipsum filium ad servitium seu subsidium aliquod faciendum iuramento vel voto, stipulatione vel pacto sibi vel successoribus suis astringat; sicque factus filius sui iuris ab eodem Romano pontifice vel alio destinato ab ipso protinus investiatur in regno, ad cuius regni successionem, si forte decederet sine liberis, nullo umquam tempore pater veniat imperator existens. Sed si imperio et omnibus, que pertinent ad imperium, idem pater renunciare voluerit et regno tantum esse contentus, post renunciationem huiusmodi ad illius successionem libere admittatur; et tunc ab ipso Romano pontifice vel alio destinato ab eodem investituram recipiat regni eiusdem.

[5.] Quod[2] si dictus filius ad regnum assumptus maior annis XVIII fuerit, libere administret; sed quamdiu minor extiterit, tam ipse quam regnum ipsius in custodia

---

a) dominium *M.* b) *deest M.* c) Teutonico *M.* d) regnum et imperium *M.* e) *deest M.* f) hoc *M.* g) noti *M.* h) Tusciam vel maiorem partem *M.; cf. n. 539, § 13.*

1) *Cf. p. 595, artic. 3.* 2) *Cf. p. 179, § 14 et Martène, l. c. t. II, p. 41 F et sequ.*

Romane ecclesie remaneat, donec ipse impleverit supradictam etatem, fructibus et obventionibus regni, ex quibus sumptus necessarii faciendi pro eiusdem regni custodia deducantur, regi conservandis eidem et lucro alterius ratione ipsius custodie non cessuris.

[6.] Que[1] vero de filio dicuntur, ut ei videlicet regnum possit sub observatione premissa a patre ad imperium transeunte dimitti, de filia etiam duximus concedendum. Et si rex non habens filium in imperatorem electus ad imperium transire voluerit, et de personis, quas supra diximus liberis non extantibus in regno posse succedere, aliqui superstites fuerint: que de filio et filia preordinavimus, observentur in illis, excepto emancipationis articulo, que in solis ipsis procedere poterit, qui capaces emancipationis existant ratione patrie potestatis.

[7.] Declaramus etiam, si illi regi Sicilie sine filio decedenti superstes sit filia vel mulier alia, que iuxta predictam formam debeat ad huiusmodi successionem admitti, que imperatori, dum ipse rex viveret, fuerat desponsata vel nupta, [non][a] succedat in regno; et si regno sibi delato imperatori nupserit, cadat protinus ab eo, nisi vir eius imperio prorsus renuntians, regno solummodo sit contentus. [In primo][b] autem casu, repulsis filia et alia predicta, ad personas ipsas servatis gradibus regnum perveniat, quas prenotavimus in regno posse succedere, si rege premortuo filii non supersint. In secundo autem casu regnum ad Romanam ecclesiam devolvatur.

[8.] Regnum quoque Sicilie et terra predicta imperio nullo modo subdentur seu sibi ullo umquam tempore in eadem persona quolibet modo [unientur][c]; et precise super hoc articulo tam per penas spirituales quam alias cautiones cavebitur iuxta ecclesie voluntatem, quandocumque Romanus pontifex duxerit requirendum, cum intentionis sit Romane ecclesie, ut regnum et terra predicta nullo umquam tempore imperio uniantur, ut scilicet [unus][d] Romanus imperator et Sicilie rex existat. Quod autem circa unionem ipsorum regni et terre cum imperio dicimus, hoc ipsum circa unionem regni et terre cum regno Romano aut regno Theutonie seu cum Lombardia seu Tuscia seu cum maiori parte ipsarum Lombardie vel Tuscie intelligimus et volumus esse dictum.

[9.] Pro toto vero generali censu octo milia unciarum auri ad pondus ipsius regni in festo sancti Petri[2], ubicumque Romanus pontifex fuerit, ipsi Romano pontifici et Romane ecclesie annis singulis persolventur. Si vero vos vel vestri in dicto regno heredes quocumque termino non solveritis integre ipsum censum, et expectati[e] per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino [et][d] infra sequentes duos menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum Sicilie ac tota terra predicta erunt supposita interdicto. Si vero nec in tertio termino nec infra duos menses proximos per plenam satisfactionem illius eiusdem census vobis duxeritis consulendum, ita ut transactis eodem termino tertio et duobus mensibus proxime sequentibus non sit de octo milibus huiusmodi primi[f]

a) non *deest M.* b) imperio *M.; cf. Lünig, Cod. Ital. dipl. t. II, p. 959, § 16 = Potthast 19038.* c) venient *M.; cf. n. 539, § 16.* d) *deest M.* e) expectato *M.; cf. n. 539, § 7.* f) predicti *M.; cf. p. 520, lin. 18.*

1) *Cf. p. 595, artic. 4.* 2) *Iun. 29; cf. Martène, l. c. t. II, p. 396 A; Potthast 19800; et Clem. IV Cameralia [t. 31], f. 32, ep. 86; Potthast 20350. A. 1266, Aug. 23 papa regi Siciliae, qui Iun. 29 censum 8000 unciarum auri non solvit et primo Gaufridum de Bellomonte cancellarium Baiocensem, deinde [Bartholomaeum] archiepiscopum Messanensem, Barralum de Baucio regni Siciliae magnum iustitiarium et Robertum de Lavan. iuris professorem ad sedem apostolicam pro mutuo misit, quod non invenerunt, terminum census solvendi usque ad Kal. Nov. prorogavit; Lib. II, cur. 14; Posse p. 44, n. 551. Haec alia epistola est atque BFW. 9726. Cf. etiam Potthast 20116, 20166 et BFW. 9947.*

termini ipsi ecclesie integre satisfactum, ab ipsis regno et terra ipsorumque iure cadatis ex toto, et regnum ipsum et terra ad Romanam ecclesiam integre et libere revertantur. Si autem de censu octo milium unciarum huiusmodi primi[a] termini infra dictos tertium terminum et sequentes duos menses plenarie satisfeceritis, nichilominus semper pro singulis octo milibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis vel ipsas non solveritis, penas similes incurretis, salvis aliis penis et processibus, que vel qui de iure inferri vel haberi poterunt per Romanum pontificem in hoc casu.

[10.] In[1] quolibet etiam triennio dabitis vos et vestri in dicto regno heredes Romano pontifici unum palefridum album, pulchrum et bonum in recognitionem veri dominii eorundem regni et terre.

[11.] Adhec postquam[b] predictum regnum vel tantum de ipso acquisiveritis vel habueritis, quod, etiamsi alique ipsius regni civitates vel munitiones aut aliqua alia loca adhuc vobis rebellia fuerint, reputemini et possitis ipsius regni rex vel dominus reputari, solvetis Romane ecclesie quinquaginta milia marcarum sterlingorum per infra scriptos terminos: scilicet quod infra sex menses, postquam dictum regnum acquisiveritis, prout dictum est, solvetis eidem ecclesie decem milia marcarum sterlingorum, et infra singulos sex menses successive sequentes solvetis singula decem milia, donec tota predicta quinquaginta milium summa fuerit integre persoluta. Quod si vos in huiusmodi terminis illa non solveritis, liberum erit Romano pontifici contra vos pro singulis terminis ad penas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire. Quia vero, sicut in tractatu negotii actum extitit, tempore, quo esset tractatus sive negotium consumandum, dominus papa petitionem super remittendis vobis eisdem decem milibus marcarum factam crederet ex parte saltem aliqua, de qua vos teneri sibi ad gratiam deberetis, nolimus[c], quod per prefixionem huiusmodi aliquod in hoc vobis faciet vobis per gratiam de predicta summa decem milium marcarum deducatur.

[12.] Quandocumque autem Romanus pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit vel dixerit Romanam ecclesiam indigere, ita quod super indigentia huiusmodi ipsius Romani pontificis simplici verbo stetur, vos vel vestri in dicto regno heredes requisiti ab eo in Urbem, in Campaniam, in Maritimam, in patrimonium beati Petri in Tuscia[d], ducatum Spoletanum, marchiam Anconitanam et in premissam civitatem Beneventanam ac eius territorium et pertinentias, que remanebunt ecclesie, et omnes terras alias ipsius ecclesie per Italiam trecentos milites equis et armis bene et decenter munitos et paratos, ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas vel tres ad minus, in ecclesie predicte obsequium et subsidium transmittetis, per tres menses integros in vestris vel dictorum in regno heredum sumptibus et stipendiis, semel tamen in anno, in servitio eiusdem ecclesie moraturos[e], mensibus ipsis a die, quo iidem milites terram vestri dominii vel fines vestri districtus egressi fuerint, per vulgares[f] dietas et solitas computandis. Quod si maluerit ecclesia eadem ingruenti necessitate, [super][g] qua stetur verbo Romani pontificis, ut dictum est, navali iuvari[h] exercitu, predicti milites debita taxatione et recompensatione prehabita in navale stolium commutentur[i].

[13.] Verum predicta civitas Beneventana[2], quam hactenus Romana ecclesia sibi retinuit et in suum demanium[k] et dominium cum omnibus iuribus et pertinentiis

a) predicti *M.* b) Adhuc priusquam *M.; cf. n. 539, § 8.* c) *locus corruptus; legendum videtur:* deberetis, audiendam, nolumus, quod p. p. h. aliquod, quod in hoc faciet vobis per gratiam, de *etc.; cf. Martène, l. c. t. II, p. 43 A et 396; Potthast 18773 et 19800; cf. etiam 19038.* d) b. Petri, Tusciam *M.; cf. n. 539, § 10.* e) maturaturos *M.* f) vulgatas *M.* g) *deest M.* h) in mari *M.* i) commutetur *M.* k) domanium *M; cf. n. 539, § 2.*

1) *Cf. n. 539, § 9.* 2) *Articulos 13 et 14 Carolus mutatis mutandis repetivit in instrumento Beneventanis a. 1265, Iul. 8 concesso; Del Giudice, Cod. dipl. di Carlo I e II d'Angiò t. I, p. 27, n. 5.*

reservavit, et totum tenimentum civitatis eiusdem cum finibus eius antiquis, quos Romanus pontifex quandocumque semel, cum sibi placuerit, bona fide distinguet, eidem ecclesie et in eius proprietate libere remanebit, nullo iure vobis[a] vel cuicumque[b] alii de regno predicto [ibidem retento][c] seu quolibet [modo][c] reservato[1]. Distinctioni quoque per Romanum pontificem semel faciende, ut dictum est, stabitis absque contradictione seu refragatione quacumque, prout ipsa distinctio per apostolicas litteras apparebit.

[14.] Pro predicta quoque civitate Beneventana hac vice reficienda per Beneventanos exponetis per septennium pro lignaminibus omnia nemora ipsorum regni et terre et omnem materiam ad edificia oportunam, puta lapides, arenam[d] que puteolana vocatur, cementum et similia, sine preiudicio iuris singularum personarum ad unam dietam prope Beneventum. Prestabitis etiam ipsis securitatem per totum regnum et terram predictam, nisi in terra vestra de novo delinquant; propter quod ad vos de iure iustitia pertinebit. Privilegia insuper dicte civitati a regibus et principibus concessa illibata servabitis. Omnia statuta per Fridericum olim Romanorum imperatorem seu quoscumque alios reges Sicilie facta contra libertatem civitatis eiusdem revocabitis; in omnibus et per omnia que libertatis fuerint ceteris regnicolis parificabitis illam[e]; nec aliqua statuta seu aliquas leges condetis inposterum, per que dicte civitati directe vel indirecte possit preiudicium generari; ac pro apostolice sedis et beati Bartholomei patroni civitatis eiusdem reverentia fidancias ab omnibus remitti facietis et remittetis eisdem. Fidantiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas et terras excolere ipsarumque fruges et fructus[f] colligere et easdem vineas ac terras[g] vendere et de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione vel munere vel etiam datione.

[15.] Vos autem et vestri in regno Sicilie heredes in dicta civitate ac eius territorio et pertinentiis, que remanebunt ecclesie[h], vel [in][i] Urbe seu Campania vel Maritima seu in ducatu Spoletano aut marchia Anconitana aut in patrimonio beati Petri in Tuscia sive in aliis quibuscumque[k] terris aut demaniis[l] sive feudis ipsius ecclesie ubilibet constitutis ex successione vel legato aut venditione[m] sive donatione aut alio quocumque iure vel titulo seu contractu nichil umquam vobis acquiretis vel vendicabitis seu poteritis acquirere vel quolibet modo vendicare, et nichil umquam recipietis, habebitis et retinebitis, seu poteritis recipere, habere vel retinere; ac nullam potestariam, capitaniam vel rectoriam, nullum alium honorem, dignitatem seu potestatem, senatoriam[2] [vel quamcumque][n] aliam, administrationem vel commendam, nec quodcumque officium recipietis seu recipere poteritis, habebitis vel retinebitis, seu habere vel retinere poteritis in eisdem. Hoc autem intelligimus de illis heredibus vestris, qui vobis in eodem Sicilie regno succedent. Nolumus enim, quod delictum [aliorum heredum, qui succedent][o] vobis in comitatibus et aliis terris vestris, in penam heredis, qui est vobis successurus in regno, aliquatenus extendatur. Ne vero huiusmodi alii heredes vestri contra ea, que continentur in isto articulo, forsan aliquo

a) nobis *M.* b) vel cuiuscumque cuicumque *M.* c) *deest M.; supplevimus ex n. 539, § 2.* d) avenam *M.; cf. n. 539, § 4.* e) purificabitis illa *M.* f) fructum *M.* g) terram *M.* h) in ecclesia *M.; cf. n. 539, § 3.* i) in *deest M.* k) sive aliquibuscumque *M.* l) dominiis *M.* m) conditione *M.* n) *deest M.* o) *deest M.; supplevimus ex Martène, l. c. t. II, p. 38 F.*

1) *A. 1266, Febr. 25 R[adulfo] episcopo Albanensi legato facultatem concessit recipiendi a Beneventanis fidelitatis iuramenta et ponendi rectorem in civitate, donec sedes apostolica aliter ordinasset; Lib. II, 36; Iordan 280; cf. etiam Potthast 19590 et 19602. A. 1267, Mart. 24 papa cassavit statuta a Beneventanis contra iura ecclesiae edita; a. 1268, Febr. 8 Beneventanis magistrum Berardum capellanum suum, canonicum Basilicae principis apostolorum, rectorem statuit; Clem. IV cameralia [t. 31], f. 29, ep. 79; f. 31, ep. 85; Posse p. 45, n. 568 et p. 48, n. 600; cf. etiam Potthast 19719, 19970.* 2) *Cf. n. 652.*

tempore venire presumant, acquirendo vel vendicando aut recipiendo vel habendo seu retinendo aliquid in terris in articulo ipso expressis, vel recipiendo, habendo seu retinendo in eisdem terris potestariam seu capitaniam vel aliquid aliud de his que in[a] articulo continentur eodem: sic super[b] hoc duximus providendum[c], ut videlicet nulli etiam huiusmodi aliorum heredum vestrorum ullo umquam tempore liceat sibi quicquam in eisdem terris acquirere vel vendicare, recipere, habere vel retinere potestariam sive capitaniam vel rectoriam aut aliquid aliud ex his, que, prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur. Quicumque autem ipsorum secus presumpserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse nec eius posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo huiusmodi successio devolveretur; sed ab illa[d] repellatur omnino, et nichilominus ille, qui [tunc eiusdem][e] regni gubernacula possidet, Romano pontifici contra eum patenter assistere teneatur.

[16.] Si vero vos vel vestri in regno heredes predictam Beneventanam civitatem, territorium vel pertinentias eius, que remanebunt ecclesie, vel aliquam partem earum, aut Campaniam aut Maritimam seu Urbem aut ducatum Spoletanum vel marchiam Anconitanam sive patrimonium beati Petri in Tuscia aut alias quascumque terras Romane ecclesie ubilibet constitutas occupaveritis vel occupari feceritis aut molestari, et postquam super hoc a Romano pontifice moniti vel requisiti fueritis, vel [si][f] commode moneri aut requiri nequiveritis, iuxta ipsius Romani pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse publice aut solempniter vos monuerit, infra tres menses non restitueritis integre omnia occupata: eo ipso ab eiusdem regni Sicilie et terre iure cadatis totaliter, ipsaque regnum et terram prorsus amittatis, et hec ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Quod si etiam restitueritis occupata, nichilominus ad plenum de universis iniuriis et dampnis illatis ad mandatum eiusdem Romani pontificis satisfacere teneamini. Alii quoque heredes vestri, videlicet qui vobis non succedent in regno, occupare vel facere occupari easdem terras Romane ecclesie vel molestare et molestari facere super illis eandem ecclesiam non attemptent. Illi vero, qui secus attemptaverint, premissas penas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati et tam ipsi quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem predicti regni, si [in aliquo][g] forte casu eiusdem successio devolvetur ad illos, nullatenus admittantur, incurrant; et rex Sicilie, qui tunc erit, teneatur assistere Romano pontifici contra ipsos, prout superius est expressum.

[17.] Sane omnibus ecclesiis, tam cathedralibus quam aliis, regularibus et secularibus[h], necnon omnibus prelatis et clericis ac universis personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, et quibuslibet religionis locis plenarie dimittentur et restituentur integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint et per quoscumque detineantur. Mobilia vero, que extant et poterunt inveniri, simili modo restituentur eisdem. Hec autem restitutio fiet absque contradictione vel difficultate qualibet, sicut nanciscemini predictorum regni Sicilie et terre possessionem, hoc modo, scilicet quod statim in illa parte ipsorum regni et terre, que vobis obediet, restitutio ipsa fiet ipsaque successive consumabitur, sicut eadem regnum et terra habebuntur. Ne autem super his rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano pontifice aliqui viri[i] discreti, ad quorum mandatum et arbitrium iurium et rerum immobilium et mobilium que extant restitutio plene fiat, ita quod [ea][k], de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum et arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano et absque strepitu

---

a) in *deest M.* b) semper *M.* c) concedendum *M.* d) illo *M.* e) huiusmodi *M.* f) si *deest M.; cf. n. 539, § 17.* g) aliquando *M.; cf. Martène, l. c. t. II, p. 40 B.* h) et quibuslibet religiosis secularibus *M.; cf. n. 539, § 18.* i) iuris *M.* k) de his *M.*

iudicii veritas diligentius inquiretur. Sufficit enim vocari camerarium [vel procuratorem][a] seu ballivum, in cuius iurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistant, ad videndum iurare testes, qui in huiusmodi inquisitione deponent.

[18.] Omnes insuper ecclesie, tam cathedrales quam alie, regulares et seculares, necnon et omnes prelati et clerici et omnes persone ecclesiastice, seculares et religiose, et quecumque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, provisionibus et omnibus aliis plena libertate gaudebunt; nec ante electionem sive in electione vel post regius assensus vel consilium aliquatenus requiretur. Quam utique libertatem vos et vestri in predicto regno heredes semper manutenebitis et conservabitis et manuteneri facietis[b] ab omnibus subditis vestris; dicteque ecclesie ac persone utentur libere omnibus bonis et iuribus suis, salvo vobis et vestris in regno heredibus iure patronatus in ecclesiis in tantum, quantum [in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, ubi] antiqui[c] reges Sicilie huiusmodi ius patronatus in ipsis ecclesiis habuerunt. Omnes etiam cause ad forum ecclesiasticum pertinentes libere et absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur et ventilabuntur coram ordinariis et aliis ecclesiasticis iudicibus et terminabuntur per eos. Et si ad sedem apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum executionibus libere et absque aliqua inhibitione permittantur. Sacramenta vero fidelitatis prestabuntur secundum antiquam et rationabilem consuetudinem, prout canonica statuta permittunt, ab illis ecclesiarum prelatis, quorum predecessores antiquis illa Sicilie regibus prestiterunt. Ab illis autem prelatis [et ecclesiis][d], qui temporalia sive regalia bona[e] tenent, si qui tamen sunt, qui huiusmodi bona tenent a domino regni[f] vel aliis dominis temporalibus, et qui huiusmodi ratione bonorum ab antiquo consueverunt regibus et ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, huiusmodi honesta et antiqua servitia eis secundum rationabilem et antiquam consuetudinem, et sicut antiqua patiuntur canonica statuta, impendantur, salva semper circa ecclesias cathedrales et alias regulares et seculares ac personas et loca ecclesiastica tam in faciendis provisionibus et electionibus confirmandis quam in omnibus quibuscumque aliis Romani pontificis et ecclesie Romane iurisdictionibus ac auctoritate plenaria et libera potestate.

[19.] Revocabitis quoque omnes constitutiones seu leges per dictum Fridericum vel per reges Sicilie seu per Conradum ipsius Friderici filium aut Manfredum [quondam][g] principem Tarentinum, qui de facto retinet ipsum regnum occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel constitutiones[h] aliquas edetis aut etiam promulgabitis, per que iuri aut ecclesiastice libertati derogetis.

[20.] Promittetis etiam, quod nullus clericus vel persona ecclesiastica eorundem regni et terre in civili vel criminali causa convenietur coram iudice seculari, nisi super feudis iudicio petitoris[i] conveniatur civiliter, sed omnes persone ecclesiastice omnimode erunt libere et in nullo regi vel principi subiacebunt.

[21.] Nullas insuper tallias vel collectas imponetis ecclesiis, monasteriis, clericis et [viris ecclesiasticis][k] vel rebus eorum; et in ecclesiis vacantibus vos vel vestri in regno heredes nulla habebitis regalia; nullosque fructus, redditus et proventus, nullas obventiones ac nulla prorsus alia percipietis ex iisdem, custodia earundem ecclesiarum interim libere remanente penes personas ecclesiasticas iuxta canonicas sanctiones.

a) vel procuratorem *deest M.; cf. n. 539, § 18 et infra sub n. 651.* b) *sequitur ap. M.:* quod in omnibus *etc. ut supra lin. 7 usque:* facietis. c) quantum vel antiqui *M.; cf. n. 539, § 19.* d) ecclesiasticis *M.* e) regalia sive temporalia bona *in n. 539, § 19.* f) rege *M.* g) quondam *deest M.* h) conditiones *M.; cf. n. 539, § 20.* i) petitorio *M.; cf. n. 539, § 21.* k) nostris ecclesiis *M.; cf. n. 539, § 22.*

[22.] Comites[1] vero, barones, milites et universi homines totius regni et terre predicte vivent in ea libertate et habebunt illas immunitates illaque privilegia ipsisque gaudebunt, quas et que tempore clare memorie Guillelmi secundi Sicilie regis et aliis antiquis temporibus habuerunt.

[23.] Omnes exules regni Sicilie et terre predicte, cuiuscumque conditionis existant, ad mandatum ecclesie reducantur in regnum et predictam terram, ipsisque de bonis et iuribus eis debitis restitutio plena fiet. In huiusmodi autem restitutione secundum predictam formam in [capitulo][a] de bonis ecclesiasticis restituendis[b] contentam tam in notoriis quam in dubiis procedetur; omnesque[2] captivos et obsides, qui tenentur in regno et terra predictis, Romanos, regnicolas et alios de terra ecclesie, Tuscos et Lombardos et illos de marchia Tarvisina bona fide restituetis libertati pro posse.

[24.] Heredibus vero quondam Riccardi comitis Sorani, germani felicis recordationis Innocentii pape tertii[c], ius, quod in comitatu Sorano, et aliis ecclesie Romane fidelibus illud in aliis comitatibus et bonis, si qua eis in regno et terra predictis a regibus et principibus concessa obtinent, erit salvum; nec per presentem ipsorum regni et terre concessionem[d] comitatuum sic concessorum eorundem cuique, [quo] ad[e] proprietatem seu possessionem, preiudicium generetur, regio in his omnibus iure salvo.

[25.] Nullam[3] etiam confederationem vel pactionem seu societatem cum aliquo imperatore vel rege vel principe seu barone, Sarraceno, Christiano vel Greco, aut cum aliqua provincia seu civitate aut communitate vel loco aliquo scienter[4] contra Romanam ecclesiam vel in dampnum ecclesie facietis; et si feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum ecclesie revocare.

[26.] Habeatis[5] autem mille ad minus Ultramontanorum militum comitivam; quorum quilibet equitaturas quatuor secum habebit. Habebitis etiam trecentos balistarios et tot alios bellatores, quot ad prosecutionem negotii fidei[f] sufficere videntur.

[27.] Et usque ad annum a presenti die computandum sic muniti cum tota vestra huiusmodi comitiva esse teneamini et sitis extra fines comitatus Provincie versus Italiam vel in Italia, et ex tunc infra tres menses immediate sequentes esse teneamini et sitis in terris contiguis regno Sicilie, nisi forsitan in Italia hostium obstaculo impediamini vel occursu; quorum impugnationi et debellationi[g] quamdiu taliter muniti perseveranter institeritis, intelligamini negotium prosequi, nec vobis tempus predictum trium mensium currat. Quod si vos sic muniti usque ad huiusmodi annum non fueritis extra fines predicti comitatus, vel si infra eosdem tres menses tali non prepediti obstaculo non fueritis in terris eisdem Sicilie regno conterminis cum comitiva huiusmodi constituti, vel in quocumque casu, [vobis][h] prosecutioni[i] negotii oportunam non impendentibus operam, in eisdem terris conterminis dicto regno infra ipsos tres menses non fueritis sic muniti: liberum erit Romano pontifici ac in potestate remanebit ipsius dicere, pronunciare vel proferre in scriptis vel sine scriptis, de consilio vel sine consilio fratrum, vobis aut alio etiam quocumque, cuius forsitan interesset, non vocatis et absque omni iuris solempnitate, collationem, concessionem, investituram, vobis et heredibus vestris de regno et terra predictis factas, vacuas omnino esse nullumque robur vel valorem habere ac eas revocare, cassare, irritare ac ipsas cassas et irritas nunciare. Liberum quoque erit eidem Romano pontifici hoc idem facere,

---

a) capite *M.; cf. n. 539, § 25.* b) tuendis *M.* c) IV *M.; cf. n. 208, § 17 et Martène l. c. p. 38 D.* d) cessionem *M.; cf. n. 539, § 28.* e) cuique ad *M.* f) *ita M.* g) impugnationem et debellationem *M.; cf. n. 539, § 30.* h) vobis *deest M.* i) prosecutionem *M.*

1) *Cf. n. 539, § 24.* 2) *Cf. n. 539, § 27.* 3) *Cf. n. 539, § 26.* 4) *Cf. p. 646, not. 1.* 5) *Cf. n. 539, § 29 et p. 595, artic. 5 et Winkelmann, Acta imp. ined. t. II, p. 734, n. 1049.*

si, quod absit, vel longa prepediti valitudine vel morte preventi dictum[a] negotium iuxta eandem formam non assumpseritis vel assumptum non fueritis prosecuti, nisi forte talis persona et tam idonea iuxta formam eandem vices vestras vel vestrorum heredum in hac parte suppleverit, que merito ad hoc sufficere et possit et debeat a Romana ecclesia reputari. Quod si forte vos aliquo impedimento fueritis irretiti et hoc significaveritis Romano pontifici, in potestate remanebit ipsius dicere, pronunciare et approbare et proferre iuxta formam in capitulo ipso contentam collationem, concessionem et investituram huiusmodi, vobis et heredibus vestris factas de regno et terra predictis, vacuas omnino esse nullumque valorem et robur habere ac eas revocare, cassare et irritare et ipsas cassas et irritas nunciare, vel talem personam et tam[b] idoneam assumere vel admittere ad dictum negotium, que merito ab ipso sufficiens reputetur.

[28.] Deinde[1] omnes premissas conditiones, que in persona vestra apponuntur, circa vestros etiam in dicto regno heredes et successores intelligimus et volumus esse dictas, salvis omnibus, que circa alios heredes ordinata consistunt, prout superius est expressum.

[29.] Vos[2] etiam dabitis privilegium vestrum domino pape ac Romane ecclesie bulla[c] aurea bullatum, in quo proprio iuramento fatebimini et recognoscetis[d] expresse regnum Sicilie et totam terram que est citra Farum usque ad confinia terrarum Romane ecclesie, excepta civitate Beneventana cum territorio et pertinentiis eius, que ecclesie remanebit eidem, ex sola gratia et mera liberalitate sedis apostolice vobis vestrisque heredibus de novo fore concessa, vosque recepisse ac tenere regnum et terram huiusmodi a dicta Romana ecclesia sub pactis et conditionibus supradictis.

Ut autem predicti negotii consumatio et hec nostra collatio, concessio et investitura ac revocatio ac alia premissa illibata perpetuo maneant et inconcussam semper obtineant firmitatem, presens instrumentum seu presentes litteras sigillorum nostrorum munimine roboratas vobis duximus concedendas.

Actum Rome apud Lateranum in basilica sancti Salvatoris que appellatur Constantiniana[e], ante sacratissimum altare ipsius basilice, IIII Kalendas Iulii, anno Domini MCCLXV, pontificatus vero predicti Clementis pape IIII anno primo.'

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Perusii per manum magistri Michaelis de Tholosa sancte Romane ecclesie vicecancellarii, II Nonas Novembris, indictione nona, incarnationis Dominice MCCLXV, pontificatus vero domini Clementis pape IIII anno primo[3].

647.

Clemens IV papa [Bartholomaeo] archiepiscopo Cusentino et [Bernardo] abbati Casinensi mittit formam, quam in absolutione eorum observari velit, qui occasione Man-

a) dignum *M.* b) totam *M.; cf. Martène, l. c. t. II, p. 43E.* c) ac bulla *M.* d) cognoscetis *M.* e) *ita Rayn. a. 1265, § 20 et Muratori, Antiqu. t. VI, p. 105;* Constantinaria *M.*

1) *Cf. n. 539, § 32.* 2) *Cf. n. 539, § 33.* 3) *Instrumentum subscriptionibus cardinalium ornatum fuisse iam nota chronologica indicat. Papa sub eodem die authenticum bullatum S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato transmisit, ut et ipse subscriberet; Potthast 19435. — De coronatione Caroli Lib. I, cur. 26 et 27; Iordan 241 et 242; Potthast 19496, 19495; cf. 19484, 19492, 19493 et BFW. 9630a.*

fredi, Conradi IV et [Friderici II] patris eorum excommunicati ad mandata ecclesiae redire voluerint. *1265, Nov. 13.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 63; Lib. I, cur. 24. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 40, n. 499; BFW. 9607; Iordan 239.

. . archiepiscopo Cusentino[1] et . . abbati Casinensi[2].

Gerentes de vestre discretionis industria fiduciam in Domino pleniorem, presentium vobis auctoritate committimus, ut si aliqui ex illis, qui occasione Manfredi quondam principis Tarentini seu quondam Conradi fratris sui aut quondam . . patris eorum excommunicationis vinculo sunt astricti, voluerint ad ecclesie redire mandata, vos et uterque vestrum sub forma infrascripta, quam nos diligenter observari volumus, ipsis absolutionis beneficium impendatis. Forma autem huiusmodi hec est[3]: videlicet quod dicti excommunicati prestent ante omnia de stando nostris et ecclesie Romane mandatis corporaliter iuramentum et fideiussoriam nichilominus cautionem sub pena, de qua videritis expedire. Iurabunt etiam, quod deinceps dicto M. aut quibuscunque suis fautoribus vel sequacibus nullum omnino favorem, consilium vel auxilium exhibebunt publice vel occulte, quodque ab ipsis nec litteras nec nuntios neque munera parva vel magna recipient neque mittent eidem, quamdiu idem M. rebellis fuerit ecclesie predicte seu in excommunicatione lata contra ipsum per sedem apostolicam duxerit persistendum: nec interim sibi prestabunt in aliquo auxilium, consilium vel favorem, et insuper ab omnibus confederationibus, promissionibus sive pactis, quibus se ipsi M. hactenus obligarunt, omnino recedent, etiam si de ipsis servandis prestiterint iuramenta, a quibus eos de permissionis nostre absolvere licentia valeatis. Super hiis autem iuramentis et promissionibus ipsorum, que omnia publice fieri volumus, fieri facietis publica instrumenta, nobis per vos fideliter destinanda. Nos enim ad hec omnia vos procedere volumus salvis aliis mandatis nostris, que circa hec ipsis viderimus facienda. Quibus ut premissum est rite peractis, prefatis excommunicatis super iamdicta excommunicatione iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium impendatis.

Dat. Perusii, Idibus Novembris, anno I°[4].

648.

Clemens IV papa Wlodizlao electo Salisburgensi mandat, ut Ulricum quondam archiepiscopum Salisburgensem, occasione debitorum in quibus Romanae ecclesiae teneatur excommunicatum, absolvat cumque ecclesiae Secoviensi, quam olim, cum ab ea transferretur, Alexander IV ei retinendam concesserit, in episcopum praeficiat. *1265, Nov. 29.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 42; Lib. I, 173. Epistolam, a V. Cl. Monaci ex Regestis descriptam, contulimus cum editione, quam W. Hauthaler, l. c. praebuit.

Hauthaler, Aus d. vat. Registern, Archiv f. österr. Gesch. t. LXXI, p. 288, n. 86; BFW. 9614; Iordan 174.

---

1) *De hoc cf. Potthast 19149, 19267, 19297, 19421, 19518. De abiuratione quorundam Romanorum fautorum Manfredi ei sub a. 1265, Iun. 22 commissa cf. Lib. I, cur. 12; Posse p. 39, n. 481; Iordan 227. A. 1266, Mart. 25 papa commemoravit se eum ad ecclesiam Messanensem transtulisse; Potthast 19593. B. archiepiscopus Messanensis testis sub testamento Beatricis reginae Siciliae a. 1266, Iun. 30; Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 165. A. 1266, Sept. 30 demum papa eum capitulo Messanensi aliisque commendavit; Lib. II, 119; Iordan 362; cf. p. 647, not. 2.* 2) *Cf. p. 562, lin. 18. A. 1265, Iul. 8 papa in favorem B. abbatis Casinensis scripsit; Lib. I, 126; Iordan 127.* 3) *Cf. n. 569 et 611.* 4) *De abiuratione P[etri] de Vico Potthast 19254; cf. 19312 et 19260.*

Wlodizlao electo Salzburgensi[1].

Considerantes multiplices et graves afflictiones, angustias et pressuras, quas venerabilis frater noster Ulricus quondam Salzburgensis archiepiscopus a tempore, quo fuit ad archiepiscopatum ipsum translatus[2], ex causis variis est perpessus, et quod numquam archiepiscopatus eiusdem plenam possessionem nancisci vel de eius redditibus et bonis gaudere neque sibi aut aliis proficere potuit ex eodem, et quod idem menses vacuos et noctes laboriosas sibi enumerans querebatur se in vacuum (Iob 7, 3.) cucurrisse, cum duris fatigatus molestiis, variis turbationum inundationibus quateretur, (Phil. 2, 16.) et quod ex hoc, quia lasso requies non dabatur, tandem ipsius archiepiscopatus regimini per procuratorem ad hoc specialiter destinatum in manibus nostris cessit: ei super huiusmodi tribulationibus debito compatimur et contribulamur affectu, dignum et debitum reputantes, ut apertis visceribus pietatis manum eidem gratie misericorditer porrigamus, ei nostre provisionis munere taliter consulendo, ut idem a suis angustiis relevatus in apostolice sedis benignitate respiret. Cum itaque, sicut exhibita nobis predicti Ulrici petitio continebat, idem occasione debitorum, in quibus Romane ecclesie tenebatur, excommunicationis vinculo fuerit innodatus[3], nos, volentes super hoc benigne agere cum eodem, mandamus, quatinus dictum Ulricum ab huiusmodi excommunicationis vinculo sine qualibet difficultate auctoritate nostra per te vel per alium iuxta ecclesie formam absolvens eumque per omnia loca, in quibus expedierit, publice denuntians et denuntiari faciens absolutum, ac etiam cum eo super irregularitate, siquam sic ligatus celebrando divina incurrit, dispensans, ipsum Secoviensi ecclesie, de qua fuit ad predictum archiepiscopatum translatus et quam felicis recordationis Alexander papa predecessor noster sibi una cum eodem archiepiscopatu de fratrum suorum consilio tamdiu retinendam concessit, donec plenam possessionem archiepiscopatus ipsius foret pacifice assecutus, eadem auctoritate preficias in episcopum et pastorem, eique providens de eadem ipsum pacifica eiusdem possessione gaudere sibique a subditis suis obedientiam et reverentiam debitam et devotam facias exhiberi. Volumus etiam et mandamus, ut ecclesiam de Piber[4] Secoviensis diocesis, quam, sicut accepimus, prefatus Ulricus pretextu concessionis a felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro de speciali gratia sibi facte una cum predicta Secoviensi ecclesia tenuit et etiam adhuc tenet, auctoritate predicta commendes eidem, ab eo, quoad vixerit, cum predicta Secoviensi ecclesia per huiusmodi concessionis gratiam licite retinendam, — constitutione generalis concilii seu qualibet alia contraria[a] non obstante, aut quod Warnerus vicarius ecclesie sancti Georgii tue diocesis seu quicunque alius super provisione sibi de dicta ecclesia facienda litteras apostolicas impetravit, quas quoad eandem ecclesiam de Piber decernimus nullius existere firmitatis, vel si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari seu extra certa loca trahi non possint per litteras apostolicas, que plenam et expressam de indulto huiusmodi seu de

---

a) *ita H. et Iord.*; gratia *Mo.*

1) *Hic filius quondam Henrici II ducis Silesiae et Annae amitae Otacari regis Bohemiae erat. Capitulum Pataviense eum in episcopum postulaverat, sed Clemens loco eius Petrum canonicum Wratislaviensem ecclesiae Pataviensi a. 1265, Nov. 24 praefecit; Lib. I, 174; Potthast 19464; Iordan 175. Wladislaum a. 1265, Nov. 10 ecclesiae Salisburgensi praefecit; Lib. I, 172; Potthast 19443; Iordan 173. Cf. Herm. Altah. Ann. SS. t. XVII, p. 403; Ann. S. Rudberti Salisb. SS. t. IX, p. 797; Ottokars Österr. Reimchron. 8612 et sequ. in Deutsche Chron. t. V, p. 113; BFW. 11967 et 11968.* 2) *Cf. n. 464.* 3) *Cf. n. 514. Adhuc a. 1265, Aug. 27 papa excommunicatum eum appellaverat; Lib. I, 141; Potthast 19325; Iordan 142. Sept. 1 absoluti cessionem recepit eique, sicut infra legitur, providit; Potthast 19331.* 4) *Prope Voitsberg, ex occ. civ. Graz; cf. v. Zahn, UB. des Herzogth. Steiermark t. II, p. 555, n. 444 et Potthast 20347.*

toto tenore ipsius de verbo ad verbum non fecerint mentionem, aut quavis alia dicte sedis indulgentia generali seu etiam speciali sub quacunque verborum forma vel expressione concessa, de qua cuiusque toto tenore specialem et expressam oporteat in nostris litteris mentionem fieri et per quam effectus presentium quomodolibet impediri valeat vel differri —; contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Perusii, III Kalendas Decembris, anno I°[1].

649.

Clemens IV papa [Radulfo] episcopo Albanensi legato facultatem concedit absolvendi Ianuenses, Pisanos et Venetos in regno Siciliae morantes, excommunicatos pro eo, quod Manfredo auxilium praestiterint. *1266, Mart. 4.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 72; Lib. II, 41. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9648; Iordan 285.

. . episcopo Albanensi, apostolice sedis legato[a] [2].

Cum te, de cuius circumspectione[b] plene confidimus, ad regnum Sicilie, commisso in illo tibi plene legationis officio, destinemus, absolvendi per te vel per alium aut alios iuxta formam ecclesie cives Ianuensis, Pisane et Venetiarum civitatum in regno commorantes eodem ab excommunicationis sententiis, quas incurrerunt prestando consilium, auxilium et favorem Manfredo quondam principi Tarentino, iniuncto eis quod de iure fuerit iniungendum, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem.

Dat. Perusii, IIII Nonas Martii, anno II°[3].

650.

Clemens IV papa eidem scribit C[arolum] regem Siciliae magnam regni partem suo addixisse imperio hostibus effugatis, sed Manfredum cum Sarracenis Luceriae aliisque ei se opponere adhuc velle. Mandat, ut in legatione sua crucem contra Manfredum praedicet. *1266, Mart. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 73; Lib II, 53. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9649; Iordan 297.

. . episcopo Albanensi, apostolice sedis legato[c].

Immensis oppressionibus et immanibus afflictionibus ecclesiarum et incolarum regni Sicilie, quibus malitia in ipso regnantium omnem humanitatem excedens in-

---

a) Eidem *R.* b) *sequitur in R.:* etc. ut in superiori proxima usque: destinemus. c) Eidem *R.*

1) *Cf. Potthast 19532, 19538, 19539. De 4000 marcarum argenti [cf. n. 514] a Wladizlao ecclesiae Romanae solvendis cf. epistolam Clementis IV sub a. 1266, Oct. 11 ap. Hauthaler, l. c. p. 290, n. 87.* 2) *A. 1266, Febr. 15 ei in regno Siciliae plenae legationis officium concessum est; Lib. II, 13; Posse p. 42, n. 520; Iordan 257. Sequuntur in Reg. mandata et auctoritates ei commissa.* 3) *Apparet hanc epistolam et sequentem compositas esse, antequam papa Manfredum Febr. 26 apud Beneventum victum esse comperisset. Num litterae Caroli de victoria sua missae iam Mart. 3 Perusium venerint et nihilo minus epistolae nostrae Mart. 4 et 5 ex quadam negligentia perfectae sint, id quod Winkelmann ap. BFW. 9649 et 9650 suspicatur, dubium nobis est. Arbitramur potius litteras Caroli, quas papa 'III Kal. instantis mensis Martii' se recepisse narravit [Potthast 19563], Febr. 27 scriptas et eodem die, quo ad curiam allatae essent, scil. Mart. 5, legatum Franciae de iis certiorem factum esse. Litteras Caroli a. 1268, Aug. 23 in campo Palentino [prope Albam] scriptas Clemens non ante Aug. 26 'prope nonam' Viterbii recepit; Potthast 20445.*

humaniter attrivit et fere ad nichilum redegit eosdem, mater ecclesia materno affectu compatiens, ad eripiendum ipsum de impiorum manibus diversis temporibus institit et multipliciter laboravit. Et licet non fuerit hactenus ex alto concessum, ut multiplici eius instantie variisque laboribus optatus responderet effectus, eadem tamen ecclesia solite pietatis officium prosequens ceptis non destitit, sed ad subveniendum regni eiusdem necessitatibus omnibus quibus potuit modis insistens, tandem, ad consumandum quod pio gestabat in pectore, regnum ipsum, quod ad eam specialiter pertinet, carissimo in Christo filio nostro C. regi Sicilie illustri, exquisitis sollicite ac adhibitis condicionibus utilibus admodum regno, ecclesiis et incolis memoratis, provida deliberatione concessit, non indigne sperans, immo supponens indubie, quod cum in regem ipsum, multa strenuitate preditum et de Christianissimo ac piissimo editum genere, favor ad ecclesias et ad subditos humanitas iure quodam hereditario deriventur, idem rex catholicus, recolende memorie progenitorum suorum gesta prosequendo magnifica et laudabilia ipsorum imitando vestigia, non solum ipsius regni liberationi viriliter et potenter intenderet, sed et favorabiliter predictas ipsius regni foveret ecclesias et incolas eosdem humane tractaret. Circa hec autem, virtute Altissimi piis eiusdem annuente votis ecclesie, spei iam res optata succedit. Idem namque princeps inclitus, huiusmodi negotium personaliter et potenter aggrediens, magnam ipsius regni partem suo addixit imperio hostibus effugatis[1]. Sed Manfredus quondam princeps Tarentinus, adhuc a suis iniquitatibus non desistens, Sarracenorum Lucerie, quibus potissime innititur, aliorumque infidelium et sue malitie complicum fultus auxilio, eidem regi se opponere satagit et conatur pro viribus eius prosperum impedire processum. Nos igitur, regi prefato modis omnibus quibus possumus assistere cupientes, ut, memorati Manfredi suorumque complicum et fautorum conatibus adversis elisis summotisque impedimentis aliis, pia et laudanda predicti regis intentio directa feliciter deducatur celeriter ad optate consumationis eventum, tibi, quem ad prefatum regnum, commisso in illo tibi de fratrum nostrorum consilio plene legationis officio, destinamus, per apostolica scripta mandamus, quatinus adversus Manfredum, fautores et alios supradictos, in tam pio negotio se regi opponentes eidem, in terris tue legationi subiectis per te ac alios viros ydoneos, tam seculares quam regulares, predices verbum crucis et eam volentibus recipere largiaris, concessa illis, qui in personis propriis et expensis, ac eis, qui in propriis personis sed in expensis alienis in subsidium dicti regis contra Manfredum, fautores et alios proficiscentur eosdem, illis etiam, qui in expensis suis in huiusmodi subsidium mittent ydoneos bellatores, necnon et eis, qui aliqua de facultatibus suis illuc mittent, iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum illa suorum venia peccatorum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, que succurrentibus Terre Sancte in generali concilio est concessa.

Dat. Perusii, III Nonas Martii, anno II°[2].

651.

Clemens IV papa Carolo regi Siciliae destinat [Radulfum] episcopum Albanensem legatum, ut coram eo restitutiones ecclesiis regni Siciliae faciendae fiant secundum articulum, de quo in collatione regni inter ecclesiam et regem concordatum sit. — [Radulfo] legato de eadem re scribit. *1266, Mart. 7.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 73—74; Lib. II, 54 et 55. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 42, n. 523 = I; BFW. 9652; Iordan 298, 299.

---

1) *Apud S. Germanum Febr. 9, quo facto multa castra regni Carolo se reddiderunt; Capasso n. 509; BF. 4770d.* 2) *De nota chronologica cf. p. 656, not. 3.*

I.

Carolo regi Sicilie illustri, Provincie et Andegavie comiti.

Nosti, fili carissime, quod in conventionibus inter apostolicam sedem et te habitis in collatione regni Sicilie tibi facta, quoad articulum de restitutionibus ecclesiis, personis ecclesiasticis et aliis faciendis, continetur inter cetera quedam conventio in hec verba[1]:

'Ne autem super hiis rebus restituendis ingeri possit aliqua difficultas, deputabuntur a Romano pontifice aliqui viri discreti, ad quorum mandatum et arbitrium iurium et rerum immobilium et mobilium que extant restitutio plena fiet, ita quod ea, de quorum dominio vel proprietate seu possessione notorium fuerit, ad huiusmodi mandatum et arbitrium mox reddentur. In dubiis vero per ipsos de plano absque iudicii strepitu veritas diligentius inquiretur. Sufficiet autem vocari camerarium vel procuratorem seu ballivum, in cuius iurisdictione vel ballivia seu territorio bona, de quibus agetur, consistent, ad videndum iurare testes, qui in huiusmodi inquisitione deponent.'

Ut igitur huiusmodi conventio, prout communis utilitas et tui regni tranquillitas exigunt, observetur, serenitatem regiam monemus, rogamus et hortamur attente, quatinus omnibus camerariis, procuratoribus et ballivis tuis, quos habes vel habebis in civitatibus, castris et locis aliis regni eiusdem, que iam tuis mandatis obediunt queve in posterum obedire continget, iniungas, ut coram venerabili fratre nostro . . episcopo Albanensi, apostolice sedis legato, cui inquisitionem super restitutione predicta per se vel per alium seu alios faciendam commisimus, et subdelegando seu subdelegandis ab eo, quotiens ab eodem episcopo vel eis fuerint vocati, compareant ad videndum iurare testes, quos in inquisitionibus huiusmodi continget admitti, quodque inquisitoribus ipsis favorabiliter, quotiens requisiti fuerint, omni quo poterunt presidio favoris assistant et restituenda restituant iuxta arbitrium eorundem.

Dat. Perusii, Nonis Martii, anno II°.

II.

episcopo Albanensi, apostolice sedis legato.

In conventionibus inter apostolicam sedem et carissimum in Christo filium nostrum C. regem Sicilie illustrem habitis in collatione regni Sicilie sibi facta etc. ut in superiori proxima usque: observetur, te inquisitorem super hiis duximus auctoritate presentium deputandum, mandantes quatinus huiusmodi officium inquisitionis per te vel per alium aut alios, quos ad hoc ydoneos esse putaveris, diligenter exercens, testes, qui in inquisitionibus, quas te vel eos, quibus id commiseris, facere propter hoc continget, admittendi fuerint, recipias, quotiens videris expedire, ipsosque, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere, invocato ad hec, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; contradictores etc. — non obstante si aliquibus, quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint, a sede apostolica sit indultum, et qualibet alia eiusdem sedis indulgentia, cuiuscunque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua plena et expressa seu de verbo ad verbum mentio in nostris litteris sit habenda[2].

---

1) *Cf. n. 646, § 17.* 2) *Cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 162, n. 53.*

652.

Clemens IV papa confirmat ordinationem cum Carolo rege Siciliae ante collationem regni Siciliae a. 1265, Iun. 21 de senatu Urbis habitam. 1266, Apr. 2.

Clem. IV Reg. Vol. I, 116; Lib. II, cur. 1. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 42, n. 526; BFW. 9662.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quanto maiora maiori consilio indigent et cum maturiori sunt providentia peragenda, tanto circa ea, ne vacillent in posterum vel cavillationi subiaceant aut quomodolibet possint in dubium revocari, maior est cautele discretio adhibenda, ut qualibet ambiguitate vel obscuritate summota sic lucida sint et clara, sic auctoritate, cui refragari non liceat, communita, ut debitum robur firmitatis obtineant nec sit fas vel facile contra ea agere vel venire. Sane, licet carissimus in Christo filius noster Karolus Sicilie rex illustris dudum, antequam ipsius regni Sicilie collationem seu concessionem et investituram a dilectis filiis nostris Anibaldo Basilice Duodecim Apostolorum presbytero, Riccardo Sancti Angeli, Iohanne Sancti Nicolai in Carcere Tulliano et Iacobo Sancte Marie in Cosmidin diaconis cardinalibus auctoritate nostra, que super hoc specialiter ipsis cardinalibus a nobis concessa fuerat, reciperet[1], dum adhuc in comitatu suo Provincie moraretur, presentibus dilecto filio nostro S[imone] tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali et venerabili fratre nostro B[artholomeo] archiepiscopo Cusentino ac dilecto filio magistro Petro notario nostro[2], nostram ordinationem super senatus articulo[3] acceptasset et fecisset ac complevisset omnia in eadem ordinatione contenta, que tunc facienda et complenda imminebant eidem, et super acceptatione huiusmodi suas litteras predicto exhibuisset legato, prout etiam ipse Karolus coram prefatis cardinalibus et pluribus aliis fidedignis constanter asseruit et publice confessus extitit ac insuper infrascripti tenor indicat instrumenti: quia tamen huiusmodi littere propter viarum discrimina non potuerant ad sedem apostolicam pervenire, idem Karolus, postmodum existens in Urbe, ad habundantem cautelam et omne tollendum dubium, et ut omnia fierent clare, simpliciter, explicite ac aperte, omni prorsus protestatione et obscuritate sublatis, ordinationem prefatam[a] de novo per singulos eius articulos coram ipso distincte ac per ordinem lectos scienter, sponte ac libere acceptavit et etiam approbavit, iurans tactis sacrosanctis evangeliis et sub fide prestiti iuramenti promittens se facturum et per omnia impleturum ea, que in ordinatione huiusmodi continentur, prout in publico instrumento exinde confecto, ipsius Karoli et predicti archiepiscopi Cusentini ac venerabilis fratris nostri Bertrandi Avinionensis episcopi sigillis pendentibus communito, plenius continetur. Nos igitur, ut nulla super hiis possit dubitatio exoriri, sed predicta eo validiori vigeant firmitate, quo fortius apostolico fuerint munimine roborata, quod super premissis a prefato rege ante factam sibi concessionem regni predicti ac etiam postmodum in Urbe prefata factum est, ratum habentes et firmum, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Tenores autem ordinationis et instrumenti predictorum de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari. Tenor quidem ordinationis prefate talis est:

---

a) ordinatione prefata *R.*

1) *Cf. n. 646.* 2) *Cf. p. 640 et Potthast 19077.* 3) *Hanc ordinationem Clemens IV a. 1265, Febr. 26 pronuntiavit et condicionibus, quas de collatione regni Siciliae definivit, annexuit; Lünig, Cod. Italiae dipl. t. II, p. 964; Potthast 19038. Ordinatio ap. Winkelmann, Acta Imp. ined. t. II, p. 732, n. 1046 eadem est. Tenor infra propositus cum utroque instrumento ad verbum concordat.*

'Nobilis[1] vir Karolus Andegavie ac Provincie comes prestito iuramento promittat, quod dabit operam bona fide, ut Romanis non iuret regere Urbem ad vitam.

Item quod finito triennio, a die quo fiet ei regni Sicilie concessio computando, vel si infra triennium ipsum totum predictum regnum vel maiorem eius partem, cui minor non possit resistere, acquisierit, vel si forte, quod absit, illud acquirere non poterit et de hoc liquido constiterit, senatum omnino dimittet, illum extunc per se vel per alium nullatenus resumpturus, nec procuraturus quomodolibet, quod senatum ipsum quivis alius perpetuo ad vitam habeat, aut quod ad illum aliquis etiam usque ad certum tempus absque licentia Romani pontificis assumatur.

Item quod dabit operam bona fide, ut idem senatus ad dispositionem et ordinationem Romane ecclesie revertatur, cives scilicet Romanos ad hoc, sicut melius et honestius poterit, inducendo.

Item quod dum senatum tenuerit, nichil scienter in terris ipsius ecclesie, demaniis scilicet et feudis, in eiusdem ecclesie vel suorum preiudicium faciet contra ecclesiam ipsam et ecclesiasticam libertatem; et si ipse vel sui quicquam tale fecerint, id sine more dispendio revocabit.

Huiusmodi autem iuramentum prestabit idem comes in presentia fidedignarum personarum, quarum tres vel due ad minus sint pontificali predite dignitate, dabitque super hiis, videlicet super iuramento et promissione huiusmodi, suas patentes litteras, sigillis tam suo quam huiusmodi trium vel duorum pontificum sigillatas, in quibus utique litteris nomina personarum, coram quibus dictum iuramentum prestabitur, exprimentur; ac se nichilominus per easdem litteras obligabit ad infrascriptas penas, quas incurrat, si contra premissa vel eorum aliquod fecerit, videlicet[2] quod preter reatum periurii, quod incurret, eo ipso idem excommunicationis et terra sua ubilibet constituta interdicti sententiis subiaceant; quas utique sententias si dictus comes per mensem sustinuerit, eo ipso cadat a iure senatus, et si postea de facto senatum tenere contenderit seu intromiserit se de illo, cadat similiter eo ipso ab omni iure, quod erit ei in regno Sicilie acquisitum. Duplicentur[3] autem huiusmodi littere ad cautelam propter viarum discrimina et sic duplicate assignentur dilecto filio nostro S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato, si presens fuerit, vel alii persone, quam ad hoc duxerimus deputandam, ita quod earundem litterarum altere deferantur vel mittantur ad nos et relique nostro et ecclesie Romane nomine in aliquo tuto loco fideliter deponantur, inibi ad opus nostrum et ipsius ecclesie conservande.'

Instrumenti vero predicti tenor talis est:

'In[4] nomine Domini amen. Nos Karolus filius regis Francie, Dei gratia alme Urbis senator illustris, Andegavie, Provincie et Folkalkerii comes ac marchio Provincie, notum esse volumus universis, quod licet nos nuper in comitatu nostro Provincie existentes, in presentia venerabilium patrum dominorum S. tituli Sancte Cecilie presbyteri cardinalis, apostolice sedis legati, et B. archiepiscopi Cusentini necnon providi viri magistri Petri domini pape notarii, nuntiorum eiusdem sedis, acceptaverimus ordinationem a sanctissimo patre nostro et domino, domino C. divina providentia sacrosancte Romane et universalis ecclesie summo pontifice, super senatus articulo factam, cuius ordinationis tenor inferius est insertus, ac fecerimus et compleverimus omnia contenta in ordinatione predicta, que tunc nobis facienda et complenda imminebant, et super acceptatione huiusmodi et hiis omnibus nostras patentes litteras pre-

---

1) *Cf. diffinitionem Urbani IV p. 581, lin. 26: 'Secunda forma hec est'; et Winkelmann, l. c. t. II, p. 734, n. 1048.* 2) *Cf. p. 581, lin. 20.* 3) *Cf. Potthast 19076 et 19077.* 4) *Muratori, Antiqu. t. VI, p. 106 citat hoc instrumentum.*

dicto legato duxerimus exhibendas, quia tamen propter viarum discrimina huiusmodi nostre littere nondum potuerunt ad sedem apostolicam pervenire, nos, ad habundantem cautelam et omne tollendum dubium, et ut omnia fiant clare, simpliciter, explicite et aperte, omni prorsus protestatione et obscuritate sublatis, predictam ordinationem tenore presentium acceptamus et etiam approbamus. Tenor autem ordinationis eiusdem talis est:

"Nobilis vir Karolus Andegavie ac Provincie comes prestito iuramento promittat, *etc. ut p. 660, lin. 1—34 usque:* conservande."

Iuramus igitur tactis sacrosanctis evangeliis et sub fide prestiti iuramenti promittimus, quod dabimus operam bona fide *etc. mutatis mutandis ut p. 660, lin. 2—16 usque:* sine more dispendio curabimus revocare. Obligamus etiam nos ad infrascriptas penas, quas incurramus et incurrere volumus ipso facto, si contra premissa *etc. mutatis mutandis ut p. 660, lin. 23—28 usque:* acquisitum. Huiusmodi autem acceptationem, approbationem, iuramentum, promissionem, obligationem et omnia premissa facimus in presentia venerabilium patrum dominorum Anibaldi Basilice Duodecim Apostolorum presbyteri, Riccardi Sancti Angeli, Iohannis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano et Iacobi Sancte Marie in Cosmedyn diaconorum cardinalium, ac Bartholomei archiepiscopi Cusentini, Bertrandi episcopi Avinionensis [1], et fratris Paparoni electi Fuliginatis, necnon coram discretis viris magistris Iordano cantore Carnotensi, germano predicti domini Iohannis cardinalis, Gaufrido de Bellomonte cancellario Baiocensi, et Andrea de Spiliato domini pape capellanis, ac Bernardo de Littera canonico Ambianensi, Iohanne de Braysilva marescallo et Roberto de Baro familiaribus nostris, testibus ad hoc vocatis et rogatis. In cuius rei testimonium, munimen perpetuum et cautelam presens publicum instrumentum per subscriptum notarium exinde fieri et tam nostro quam predictorum archiepiscopi et episcopi sigillis fecimus sigillari et etiam duplicari et sic duplicatum assignavimus cardinalibus supradictis, ita quod huiusmodi instrumentorum alterum deferatur vel mittatur ad dominum papam et reliquum ipsius domini pape et ecclesie Romane nomine in aliquo tuto loco fideliter deponatur, inibi ad opus eiusdem domini pape et ipsius ecclesie conservandum.

Actum Rome in claustro interiori ecclesie sancte Marie de Capitolio, anno Domini MCCLXV°, die Dominico XI Kalendas Iulii, indictione VIII[a], pontificatus domini Clementis pape IIII anno primo [2].

Et ego Alexander de Verulis, publicus apostolice sedis auctoritate notarius, qui predictis omnibus interfui, de mandato prefati domini comitis presens publicum instrumentum propria manu scripsi et in publicam formam redegi meoque signo signavi rogatus.'

Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Perusii per manum magistri Michaelis sancte Romane ecclesie vicecancellarii, IIII Nonas Aprilis, indictione VIIII[a], incarnationis Dominice anno MCCLXVI°, pontificatus vero domini Clementis pape IIII anno secundo [3].

---

1) *De hoc cf. etiam Potthast 19267, 19296, 19298, 19316 et saepius a. 1265.* 2) *A. 1265, Iun. 3 papa Carolum 'senatorem Urbis' iam appellaverat; Potthast 19177, 19178.* 3) *Papa eodem tempore postularit, ut Carolus dignitatem senatoris deponeret; cf. Potthast 19633 et 19696, et Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 134, n. 46 et 48; sed cf. n. 49.*

653.

Clemens IV papa O[ttobono] S. Adriani diacono cardinali legato nuntiat se negotium inter Alfonsum et Ricardum in Romanorum regem electos vertens usque ad a. 1267, Ian. 7 suspendisse, eique mandat, ut Ricardum citet. *1266, Apr. 30.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 118; Lib. II, cur. 5. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 139, n. 115; BFW. 9675.

O. Sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato.

In negotio imperii, in quo carissimi in Christo filii nostri A. rex Castelle ac Legionis illustris et Riccardus in Romanorum regem electi ius sibi per electiones, quas de se celebratas asserunt, vendicant, a felicis recordationis Urbano papa predecessore nostro dudum sub certa forma citatio emanavit, ut iidem electi coram eodem predecessore per procuratores idoneos certo termino comparerent. Et demum[1] in huiusmodi termino venerabilis frater noster Martinus Legionensis episcopus et dilecti filii magistri Iohannes Alfonsi capellanus noster, archidiaconus Compostellanus, et Radulfus de Podio Bonizi, comparentes coram predecessore ipso pro nominato rege, a quo super hoc sufficiens mandatum habebant, inter alia petierunt eundem regem ad suscipiendum de ipsius predecessoris manibus imperii diadema vocari et iuxta petitiones alias porrectas ab ipsis et tunc in eorundem predecessoris et fratrum presentia repetitas in negotio predicto procedi, adverse partis absentia non obstante. Verum dilecti filii magister Guillelmus Roffensis archidiaconus et Guillelmus de Corneria capellani nostri ac Robertus de Baro, qui alias pro eodem electo huiusmodi negotium fuerant prosecuti, quibusdam exhibitis pro ipso excusatoriis litteris eiusdem electi absentiam, cuius causas, turbationem videlicet regni Anglie ac alias, dicebant esse notorias, excusantes allegabant multimodis eo absente ac taliter impedito non esse in dicto negotio procedendum. Predictus autem predecessor, hiis et aliis, que fuerunt hinc inde proposita, plenius intellectis et cum predictis fratribus plena deliberatione discussis, deliberavit cum eisdem fratribus tunc in dicto negotio processum suum, quo ad ea que premissa citatio continebat, ex premissis et aliis iustis causis et evidentibus sustinendum[a]. Et ideo iuribus partium et ipso negotio in omnibus et per omnia in eo statu in quo tunc erant omnino manentibus, terminum usque ad annum computandum a festo beati Andree apostoli tunc venturo proximo[2] prorogavit.

Et licet in termino ipso per eundem predecessorem taliter prorogato et etiam post ipsum nominatus magister Radulfus notarius, nuntius et procurator regis predicti, comparuerit coram nobis, petens instanter, sicut et alias petierat, per nos in negotio ipso procedi, nos tamen, diligentius attendentes, quod etsi finitus esset a dicto predecessore omnis numerus edictorum, decens tamen est et iuri consonum[3], quod unum saltem a nobis emanet edictum, providimus non esse ad presens in prefato negotio procedendum, illudque usque ad diem Veneris post festum epyphanie Domini proximo venturum immediate sequentem[4] suspendimus ac predictis electis diem ipsam duximus iuxta prescriptum modum, in prorogatione dicti termini per prefatum predecessorem ut predicitur facta contentum, pro peremptorio termino assignandam. Quocirca manda-

---

a) *i. e.* suspendendum; *v. infra et p. 624, not. b.*

1) *Cf. n. 631.* 2) *A. 1265, Nov. 30.* 3) *Ricardus a. 1265, Sept. 6 demum ex captivitate baronum Angliae liberatus erat; BF. 5433g. A. 1265 tempore verno Clemens Alfonsum inducere studuit, ut negotio imperii resignaret; cogitabat 'de tertio ad exaltationem fidei assumendo'; Potthast 19170; BFW. 9520.* 4) *A. 1267, Ian. 7.*

mus, quatinus prefatum R. in Romanorum regem electum per te vel per alium seu alios ex parte nostra peremptorie citare procures, ut usque ad predictam diem per se vel procuratorem idoneum ad premissa sufficienter instructum apostolico se conspectui representet. Diem autem citationis et formam et quicquid inde feceris nobis per tuas patentes litteras harum seriem continentes studeas intimare.

Dat. Viterbii, II Kalendas Maii, anno II°[1].

654.

Clemens IV papa Carolo regi Siciliae declarat eum condiciones de negotio regni Siciliae firmatas, quoad prosecutionem negotii et numerum bellatorum, implevisse. — Eidem, cum homagium coram nominatis cardinalibus praestiterit, declarat eum condicionem quoad homagium implevisse. *1266, Mai. 15.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 118; Lib. II, cur. 6 et 7. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 43, n. 530 et 531; BFW. 9683 et 9684.

I.

Carissimo in Christo filio Carolo regi Sicilie illustri.

In condicionibus inter ecclesiam Romanam ac te super negotio regni Sicilie habitis tuoque iuramento firmatis inter cetera continetur, quod ad partes istas tenebaris accedere infra certum terminum ac prosequi dictum negotium et habere ad id determinatum militum, balistariorum et aliorum bellatorum numerum, certis equis et aliis armis et rebus bellicis stipatorum[2]. Unde, cum idem negotium sit per Dei gratiam feliciter consumatum, nos condiciones huiusmodi te implevisse, quoad dicti prosecutionem negotii dictorumque instructionem et numerum bellatorum, auctoritate presentium de fratrum nostrorum consilio declaramus. Nulli ergo — nostre declarationis etc.

Dat. Viterbii, Idibus Maii, anno secundo.

II.

Eidem.

In condicionibus etc. ut in superiori proxima usque: continetur, quod personale homagium pro eodem regno prestare Romano pontifici tenebaris[3]. Unde, cum venerabili fratri . . episcopo Albanensi et dilectis filiis nostris Anchero tituli Sancte Praxedis presbytero, R[iccardo] Sancti Angeli, G[ottifredo] Sancti Georgii ad Velum Aureum et Matheo Sancte Marie in Porticu diaconibus[a] cardinalibus, a nobis habentibus super hoc speciale mandatum, homagium predictum prestiteris[4]: nos, prestationem sic factam ratam et firmam habentes, te per hoc in persona tua implevisse condicionem huiusmodi auctoritate presentium de fratrum nostrorum consilio declaramus. Nulli ergo — nostre declarationis etc.

Dat. Viterbii, Idibus Maii, anno secundo.

---

a) *ita R.*

1) *In eundem modum Alfonsum citavit; Raynaldi Ann. eccl. a. 1266, § 36; sine nota chronologica. — A. 1266, Mai. 8 legatum monuit, ut citationem Ricardi cum omni diligentia faceret; nam negotium imperii modis omnibus terminandum esse, cum multi laborarent ad Conradinum praeficiendum eidem; Potthast 19623.* 2) *Cf. n. 646, § 26 et 27.* 3) *Cf. n. 646, § 3.* 4) *A. 1266, Ian. 6, cum Carolus a praefatis cardinalibus coronam regni reciperet. Instrumento eorum forma homagii inserta est; Raynaldi Ann. eccl. a. 1266, § 2—4.*

655.

Clemens IV papa [Radulfo] episcopo Albanensi legato mandat, ut [Iohanni de Montefusculo] episcopo Nolano super eo, quod tunc episcopus Anglonensis coronationi quondam Manfredi coactus interfuerit, provideat. *1266, Mai. 29.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 75, Lib. II, 64. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 44, n. 514; BFW. 9691; Iordan 308.

.. episcopo Albanensi, apostolice sedis legato[a].

Sua nobis venerabilis frater noster .. Nolanus episcopus petitione monstravit, quod licet ipse, tunc Angelensis[b] episcopus[1], tempore, quo quondam Manfredi olim principis Tarentini coronatio de facto presumpta extitit[2], ad civitatem Panormitanam, non ut prelatus, sed tanquam familiaris nobilis viri .. comitis Acerrarum[3] de ipsius mandato quadam necessitate coactus, pro eo scilicet quod ipse fuerat et consanguinei sui erant homines ligii dicti comitis, illuc accesserit, non tamen coronationi predicte interfuit, sed remotus a loco extitit, ubi dicta coronatio facta fuit. Postmodum autem dicto Manfredo sic coronato ad Panormitanam ecclesiam, ut missam ibidem celebrari vel potius, quantum in eo erat, profanari faceret, accedente, dictus episcopus, tunc in eadem existens ecclesia nec valens inde egredi propter custodes ad custodienda ipsius ecclesie hostia deputatos, qui neminem exire dictam ecclesiam permittebant, remansit ibi taliter interceptus; et cum sibi simplicis clerici habitum deferenti quedam capa serica fuisset per .. Barensem archiepiscopum[4] destinata ac ipse illam recipere pluries renuisset, demum ex parte dicti Manfredi sub pena capitis fuit iniunctum eidem, ut capam ipsam indueret et cum predictis prelatis celebrationi misse huiusmodi interesset, sicque idem episcopus per talem metum coactus, eadem capa indutus, celebrationi predicte interfuit, nullatenus tamen alias in celebratione ipsa immiscuit se divinis, nec litteris confectis super predicta coronatione subscripsit neque sigillum suum apposuit in eisdem nec fidelitatis eidem prestitit iuramentum. Porro felicis recordationis Alexander papa predecessor noster, sibi per fidedignos, qualiter idem episcopus Panormi tempore dicte coronationis fuerat, sed coronationi predicte ut predictum est non interfuerat, veritate narrata, ipsum excommunicatum non reputans, sed, sicut indicat ipsius gratiosa translatio, benigne ad gratiam apostolice sedis admittens, eum ad Nolanam ecclesiam tunc vacantem de plenitudine potestatis et gratia transtulit speciali. Quare pro parte ipsius episcopi fuit nobis humiliter supplicatum, ut eum ad gratiam nostram et eiusdem sedis admittere ac nostrarum litterarum oraculo declarare ipsum in temporalibus et spiritualibus libere administrare ac executione pastoralis officii uti posse de benignitate apostolica curaremus. Quocirca mandamus, quatinus, si tibi constiterit ita esse et aliud canonicum non obsistat, dicto episcopo super hiis tua circumspectio, prout expedire viderit, auctoritate nostra providere procuret.

Dat. Viterbii, IIII Kalendas Iunii, anno II°[5].

---

a) Eidem *R.* b) Angeleñ *R.; leg.* Anglonensis.

1) *Cf. n. 238.* 2) *A. 1258, Aug. 10; BF. 4670a; cf. Capasso p. 172, n. 310.* 3) *Thomae, de quo cf. etiam Capasso p. 308, not. 2; Potthast 19593, 19676 et 19704; Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 282, n. 94.* 4) *Henricum Filangerium.* 5) *De eodem episcopo cf. etiam Raynaldi Ann. eccl. a. 1274, § 62 et indicem episcopatuum in regno Siciliae vacantium; Giornale arcadico di scienze, lettere ed arti a. 1852, p. 186—191. Hic index, cuius notitiam V. Cl. K. Hampe debemus, inter pugnam in campo Palentino a. 1268, Aug. 23 factam et mortem Clementis IV, Nov. 29, compositus, alios quoque episcopos citat, qui coronationi Manfredi interfuerunt. De Luca episcopo Treventino cf. Lib. II, 62; Potthast 19644. A. 1268, Ian. 9 papa commemoravit fratrem Leonem olim abbatem Terrae Maioris Civitatensis diocesis, qui coronationi*

656.

Clemens IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato mandat, ut cum Henrico nato Henrici III comitis Luxemburgensis et Beatrice nata Balduini filii [Margaritae] comitissae Flandrensis super matrimonio ad sedandas inimicitias contracto dispenset, ita tamen ut subsidium a Balduino pro negotio Angliae exhibendum in succursum Terrae Sanctae convertatur. *1266, Aug. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 92; Lib. II, 115. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 44, n. 549; BFW. 9724; Iordan 358.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Sua nobis dilectus filius nobilis vir Henricus comes Lucemburgensis crucesignatus petitione monstravit, quod cum Henricus laicus natus eius ad sedandas graves inimicitias, inter ipsum comitem ex parte una et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrensem ac Balduinum[1] natum eius ex altera dudum exortas, cum Beatrice nata ipsius Balduini matrimonium contraxisset, nos ad ipsius comitis supplicationem dilecto filio nostro O[ttobono] Sancti Adriani diacono cardinali, apostolice sedis legato, nostris dedimus litteris in mandatis, quod cum Henrico et Beatrice predictis auctoritate apostolica dispensaret, ut — non obstante quod ipsi sibi adinvicem quarto consanguinitatis gradu attinent, — possent in contracto inter se matrimonio licite remanere, ita quod iidem comes et B. predicto cardinali ad intrandum regnum Anglie congruum subsidium exhiberent, cum a cardinali requisiti essent eodem[2]. Quare predictus comes nobis humiliter supplicavit, ut cum ad te facilius possint habere recursum quam in Angliam propter hoc proficisci[3], Henrico ac Beatrici predictis providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum igitur idem comes signo vivifice crucis assumpto proponat in Terre Sancte subsidium proficisci, nos eum propter hoc intendentes gratia prosequi et favore, mandamus, quatinus si ex separatione matrimonii huiusmodi posset scandalum suscitari, cum ipsis super hoc auctoritate nostra dispensare procures, ita tamen quod dictus B. eidem terre secundum tue discretionis arbitrium competens subsidium largiatur[4].

Dat. Viterbii, Nonis Augusti, anno II°.

Manfredi interfuisset, ab episcopo Albanensi legato amotum esse: Lib. III, 122. De Gravinensi episcopo fautore Manfredi cf. Potthast 19836; de Iacobo archiepiscopo Sipontino Martène, Thes. t. II, p. 439, n. 424; Potthast 19927; uterque in indice illo citatus est.

1) *De Avesnis.* 2) *Cf. n. 639.* 3) *A. 1267, Febr. 23 papa praedictis Henrico et Beatrici scripsit: sicut Balduinus de Avesnis in praesentia sua constitutus proposuisset, Urbanum IV ad instantiam [Theobaldi II] comitis Barrensis concessisse, ut aliquis ex filiis comitis Luceburgensis aliquam mulierem quarto consanguinitatis gradu sibi attinentem matrimonialiter sibi copularet, quod factum esset, sed papam decessisse, antequam litterae factae essent: postmodo se O[ttobono] cardinali legato mandasse, ut comite Luceburgensi et Balduino negotio regni Angliae subsidium praestantibus cum eis dispensaret: qui negotio eodem expedito id recusasset; Clemens eis significat se cum eis ad preces Balduini dispensare; Lib. III, 1. A. 1263, Oct. 26 Urbanus IV Iohanni nato Balduini de Avenes, cum pro sedandis discordiis natam comitis Lucelburgensis sibi copulare intenderet, scripsit se ad preces reginae Franciae et comitis Barrensis cum eis de quarto consanguinitatis gradu dispensare; Lib. III, cur. 11. A. 1266, Nov. 8 Clemens IV de pace componenda inter Barrensem et Luceburgensem comites, inter quos gravis guerra orta esset, mandatum dedit; Potthast 19873. Cf. etiam Lib. II, 116; Iordan 359.* 4) *Cf. etiam Lib. II, 108 [Potthast 19769] et Lib. IV, 50; et Potthast 19777, 19778, 19780.*

657.

Clemens IV papa publicat [primum] processum, quem habuit contra Conradinum, quia imperium ambire diceretur et regem Siciliae se denominaret. Inserta est epistola, quam papa de eadem re principibus Alamanniae [a. 1266, Sept. 18] misit.

1266, Nov. 18.

Clem. IV Reg. Vol. I, 121; Lib. II, cur. 17. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 141, n. 16; BFW. 9740.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Quam perpenso consilio, quam iusto iudicio felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster quondam Fridericum olim Romanorum imperatorem, suis exigentibus culpis enormibus et manifestis excessibus, imperialis honore solii, regno Sicilie, ducatu Apulie ac principatu Capue incommutabili diffinitione, generali concilio super hoc congregato Lugduni[a] approbante, privarit, in omnem terram exisse ac in fines orbis terre credimus divulgatum. Nec minus patere credimus, qualiter idem Fridericus, licet sic iuste, sic exacta maturitate depositus, sententie privationis huiusmodi late in eum pertinaciter parere contempnens, predicta regnum et imperium post eandem sententiam temere detinuit occupata, qualiter post ipsum quondam Conradus natus ipsius idem regnum presumptione temeraria occupavit[1], qualiter eodem C. sublato de medio ad idem regnum iterum occupandum predo impudentior insurrexit, videlicet quondam Manfredus olim princeps Tarentinus, eiusdem Friderici ut dicitur filius de dampnabili commixtione susceptus; quem licet legitime successionis expertem reddiderint illegitime nativitatis initia, suum tamen habuerunt eiusdem sui patris vitia successorem. Hii quidem omnes et singuli, tante presumptionis, immo tam presumptuose occupationis iniuria non contenti, suam in persecutionem ecclesie dilatavere nequitiam, et tam Fridericus quam Manfredus[2] predicti, ad aliam terram ipsius ecclesie manus temerarias nequiter extendentes, eandem ecclesiam precipue in suis fidelibus diutius afflixerunt. Sed misericors dominus, ecclesie ipsius miseratus angustias eique post dire ac dure persecutionis ipsorum tyrampnidem pacem parans, eisdem omnibus et aliis eiusdem Friderici filiis successive miserabili sorte succisis, immo se, ut fertur, sine misericordia et humanitate cedentibus[3], domum ipsius Friderici, tanti hactenus nominis, sic personis habundantem[b], adeo in radice arefecit et ramis, quod de illa unica sola scintilla remansit, Conradinus videlicet memorati Conradi filius, etatis adhuc tenere, sed malitie, sicut fida relatione didicimus, premature. Cuius profecto paterna congauderemus affectione profectibus, si a predecessorum suorum inviis sano consilio devians virtutum semitas consultius sequeretur, si eundem Fridericum avum suum, merito suis exigentibus meritis, immo demeritis reprobatum, in suis non satageret vitiis imitari, nec ausu temerario moliretur infringere, que memoratus predecessor exigente iustitia contra eundem avum, multis spectata oculis, multis probata sensibus, multis insuper in tuto locata consensibus, in eodem ut premisimus concilio diffinivit. Sed ecce iam prodit in publicum non transfusa cum semine progenitorum iniquitas[4], sed ad nepotem improvidum per avite potius magnitudinis ambitum, cuius illi semper refricatur memoria, temere propagata. Ecce nimis prepropere tumidus adolescens

a) Lugduñ *R.* b) habundā *R.*

1) *Attendas id solum Conrado IV crimini datum esse; cf. infra.* 2) *Conradum IV non nominat; v. BF. 4631, sed cf. etiam supra n. 163.* 3) *Cf. p. 497, not. 2.* 4) *Ergo Conradum IV inter iniquos habere non videtur. Verba sumpta sunt ex epistola principibus Alamanniae directa; v. p. 669, lin. 3.*

ultra seipsum erigitur. Iam ambire fertur imperium[1]; iam sibi Sicilie regnum intitulans, se regni eiusdem regem denominat[2], et cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Tuscis, Marchianis et Apulis, precipue de regno predicto profugis, quos de regno ipso sola conscientia et propria malitia effugavit, fraudulentis se implicando commerciis[3], in Urbe, Lombardia, Tuscia et per alia loca diversa litteras suas disseminat sub sui expressione nominis et intitulatione premissa typario regie maiestatis impressas, sicut nos litterarum Conradini eiusdem inspectio fide docuit oculata, per quas commovere populum et turbare pacem ecclesie nititur, in nostrum, ecclesie ipsius et carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris preiudicium et discrimen.

Nos itaque, non personam persequentes, sed odio perfecto ipsius odientes malitiam [Ps. 138, 22] et perversorum suorum conatuum initiis occurrentes, presente hac fidelium multitudine de fratrum nostrorum consilio eidem Conradino districte precipimus, ut a premissis prorsus abstineat, districtius inhibentes, ne similia usurpet aut presumat ulterius, solerter advertens, quante sit temeritatis quantaque coertione dignum legum sanctio censeat falso nedum regium nomen assumere, sed etiam simplicis magistratus, et potestatem ecclesie diligenter attendens, que, sicut eundem avum iusto iudicio nudavit imperio, regno Sicilie ceterisque premissis, sic et eum, immo multo facilius, regni Ierosolimitani[4] honore aliisque dignitatibus, bonis et iuribus, si qua habet, proculdubio nudare poterit et iustitia suadente nudabit, nisi consilio sibi meliore provideat et sedis apostolice beneplacitis se coaptet. Prohibemus insuper universis et singulis Christi fidelibus, ne predicto Conradino ut regi Sicilie scribant, nec ab ipso litteras velut a rege aut sub premissis intitulatione, denominatione vel impressione recipiant, neve in eum ut in Sicilie regem intendant, nec cum armis vel sine armis, facto vel verbo aut[a] alias quomodolibet ad turbandam ecclesie Romane pacem vel contra predictum regem Sicilie prestent ei consilium, auxilium vel favorem. Specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcumque locorum Italie prohibemus expresse, ne ipsius Conradini dominio vel regimini se supponant aut eum vel pro eo seu in favorem ipsius alium in potestatem vel rectorem, quocumque nomine censeatur, admittant, vel ei aut alii pro ipso seu[b] in favorem ipsius dominium aut posse aliquod in se, districtus aut terras suas quocumque ingenio aut machinatione concedant, nec societatem, coniurationem aut fedus aliquod ineant cum eodem aut alio in auxilium vel favorem ipsius. Qui vero contra premissa vel aliquod premissorum per se vel per alium quocumque dolo, arte vel machinatione fecerint, cuiuscumque sint preminentie, dignitatis aut status, excommunicationis sententia, quam in eos exnunc ferimus, ipso facto se noverint innodatos. Aperte quoque predicimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis inferioris gradus prelatis, quod, si contra premissa venire presumpserint, nos eos omni ecclesiastice dignitatis honore privabimus, prout nobis facti qualitas et iustitia suadebit. Reliquos vero clericos, non prelationis officium sed forsan dignitates, personatus aut alia quevis ecclesiastica beneficia obtinentes, et obtentis privare curabimus et inhabiles reddere ad alia obtinenda. Laicis vero cuiuscumque preminentie, dignitatis aut status, et precipue temporali iurisdictione ecclesie Romane subiectis, denuntiamus expresse, quod, si huiusmodi nostram inhibitionem, contra eam per se vel per alium temere veniendo, non curaverint exacta diligentia observare, nos, non

---

a) aut *postea additum.* b) seu *postea additum.*

1) *Cf. n. 440 et 521 et Potthast 19170 et 19623.* 2) *Conradinus inde a morte patris 'Ierusalem et Siciliae regem, ducem Sueviae' semper se appellaverat.* 3) *Cf. BF. 4803b et Potthast 19843; cf. Hampe, Konradin, dissert. Berolin. a. 1893, p. 7.* 4) *Cf. Rodenberg, Inn. IV u. d. Kgr. Sicilien p. 20; sed neque Urbanus IV neque Clemens IV Conradinum 'regem Ierosolimitanum' unquam appellaverunt.*

intendentes preterire tam grandis temeritatis audaciam impunitam, ipsos omnibus feudis et aliis, que ab ecclesiis ecclesiasticisve personis obtinent, privare curabimus et vassallos eorum, siquos habent, a fidelitatis iuramento, quo tenentur eisdem, penitus absolvemus et, personis ipsorum citra periculum mortis et mutilationis expositis, sic exponemus bona etiam eorundem, ut illa liceat[a] cuilibet occupare. Civitates quoque, communitates et universitates quaslibet, que prefatam prohibitionem nostram violare quocumque dolo, ingenio, arte vel machinatione temptaverint, volumus interdicti ecclesiastici sententie, quam exnunc in eas ferimus, subiacere.

Ceterum, quia memoratus Conradinus, suis ut predicitur terminis non contentus, ambitionem suam ad imperium obtinendum extendit, nos, volentes ipsius ambitum freno repressionis accommode cohibere, omnibus et singulis principibus Alamannie, vocem habentibus[1] in electione regis Romanorum in imperatorem postmodum promovendi, super hoc litteras nostras direximus subter annexi tenoris, quoad aliquos verbis mutatis aliquibus, prout personarum qualitas exigebat. Tenor autem predictus talis est:

'Clemens episcopus servus servorum Dei venerabili fratri . . archiepiscopo Coloniensi[b] salutem et apostolicam benedictionem.

1. Cor. 3, 11. Fundata domus Domini super immobile fundamentum, quo secundum apostolum aliud ponere nemo potest, a columpnis stabilibus sub decenti locatis ordine pulchritudinem recipit et splendorem, quarum implent officium, qui prelationis ecclesiastice ministerium assecuti spirituale sustinent edificium et venustatem[c]. Inter hos sane, quanto in credita tibi provincia locum obtines celsiorem, quanto pondus structure sustines amplioris, tanto te decet quantitate maiori in omnibus et per omnia stabiliri, ut nec nutes nec devies a rectitudine tui status, ne dilapsus in partem alteram eo ruas periculosius, quo tecum plures traheres ad ruinam. Verum ad iusti pariter et honesti soliditatem propositi preter commune debitum, quo te Deo vehementer astrictum intelligis, cuius, in ministerii tui sorte vocatus in partem sollicitudinis, vicem geris, accumulata te nichilominus beneficia obligant, que cum aliis prelatis Alamannie a sede nosceris apostolica recepisse, cuius larga benivolentia largitasque benivola tibi et illis hactenus semper affuit, et quasi fons indeficiens vobis et vestris ecclesiis gratiarum fluenta communicans, vos instruxit consiliis, roboravit auxiliis, vallavit presidiis et privilegiis honoravit. Iustum est igitur et conveniens pietati, ut ad matrem levetis oculos universi et cura pervigili studeatis eius obviare periculis, que, si sua vel vestra dixerimus, sua tamen rectius dicemus et vestra, cum dolente capite non sit in membris sanitas nec maternis infixi visceribus matre possint quiescere laborante. Ceterum quantum ecclesiam flagellaverit, quantum concusserit, quot pro bonis ei mala reddiderit domus impii quondam Friderici olim Romanorum imperatoris, nedum ecclesiis et principibus Alamannie notum existit, sed et mundo notorium universo. Unde iusto dampnatus iudicio et tam imperii quam regni Sicilie iure pariter et honore privatus, diem miserabiliter claudens extremum, sui tenuem reliquit memoriam, cum[2], sublatis e medio filiis, in domo tanti nominis unica scintilla remanserit, etatis scilicet adhuc tenere, premature tamen malitie, prout fida relatione didicimus, Conradinus, cuius congauderemus profectui, si suis contentus iuribus reprobatum avum pro meritis nollet in suis vitiis imitari nec ausu temerario moliretur infringere, que contra eundem avum

---

a) *corr. ex* libeat. b) *Eandem epistolam archiepiscopo Maguntino directam edidit Schannat, Vindemiae literariae t. I, p. 207 ex codice Mogunt.; archiepiscopo Bremensi ap. Sudendorf, Registr. t. I, p. 111, n. 61 ex authentico bullato; Potthast 19815.* c) venustant *Sud.*

1) *Sed cf. not. b: archiepiscopo Bremensi. Neque hunc neque alios ut 'vocem in electione habentes' papa alloquitur.* 2) *Cf. p. 666, lin. 31 et sequ.*

exigente iustitia felicis recordationis predecessor noster Innocentius multis conspecta oculis, multis comprobata sensibus approbante sacro concilio diffinivit. Sed iam ecce prodit in publicum non transfusa cum semine patris iniquitas, sed avite potius ambitu magnitudinis, cuius ei sepe memoria refricatur, ad nepotem improvidum temere propagata: sicque multum preproperе tumidus adolescens iam se scribit regem Sicilie, et cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Marchianis et Tuscis, Apulis etiam atque Siculis, fraudulentis se commerciis implicat, potestatem ecclesie non considerans, que, sicut avum eius nudavit imperio suis exigentibus meritis atque regno Sicilie, sic et eum iure ac honore regni Ierosolimitani aliisque dignitatibus, bonis et iuribus, siqua habet, privare poterit, nisi sibi consilio meliori provideat et sedis apostolice beneplacitis se coaptet.

Porro non sine magna cordis amaritudine nuper accepimus, quod nonnulli ex hiis principibus et prelatis, ad quos ius pertinet eligendi Romanorum regem in imperatorem postmodum promovendum, in eam devenerunt audaciam, ut super electione Conradini eiusdem ad imperium occultos audeant et apertos inire tractatus, sue salutis immemores, hostes iustitie et quietis publice turbatores, cum deberent non solum attendere, quod assumere ineligibilem nulli licet, verumetiam diligenter advertere, quomodo nunc eis personam quamlibet etiam omni exceptione maiorem liceret eligere, maxime pendente duarum electionum negotio coram nobis, que fuerunt de carissimis in Christo filiis nostris . . rege Castelle et Riccardo comite Cornubie in Romanorum regem electis[a] per eos, ad quos ius eligendi pertinet, in discordia celebrate. Hunc autem esse probat ineligibilem etatis infirmitas, que inhabilem eum efficit ad honores, cumque, etiam si legitimum terminum attigisset, eum tamen eligi non deceret, qui de persecutoribus ecclesie manifestis, tam veteribus quam modernis, trahens originem, iusta posset hac sola ratione repelli, quam tamen aggravat ipsius manifesta temeritas, qua se parat, ut evidentibus patet indiciis, ad Romanam ecclesiam contra se merito provocandam. Quocirca, cum officio nostre servitutis incumbat fraudibus et malitiis perversorum occurrere, ne, quod absit, neglecta valeant incendia vires sumere, que in ipsis initiis levius extinguuntur, nos in omnes et singulos, cuiuscumque dignitatis vel excellentie, archiepiscopalis etiam vel episcopalis aut alterius ecclesiastice vel secularis, existant, cuiuscumque sint gradus, condicionis vel ordinis sive sexus, qui per tractatus publicos vel occultos seu quoscumque alios modos procurabunt dicti Conradini promotionem in Romanorum regem vel imperatorem aut huiusmodi tractatibus consenserint vel hoc procurantibus dabunt consilium, auxilium vel favorem, et in omnes, qui ad id procurandum vel agendum convenerint, excommunicationis sententiam promulgamus, et anathematis eos vinculo innodantes, terras eorum ecclesiastico subicimus interdicto. Siqui vero ad ipsius electionem processerint, si principes fuerint, eos et heredes eorum perpetuo omnibus feudis et honoribus, que ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis obtinent, et tam eos quam posteritatem eorum usque ad quartam generationem iure eligendi Romanorum regem apostolica auctoritate privamus, et insuper eorundem filios clericos usque ad quartam generationem reddimus prorsus inhabiles ad dignitates vel beneficia ecclesiastica obtinenda. Si vero electores huiusmodi prelati fuerint, ipso facto depositi ac nudati remaneant omni dignitate archiepiscopali et episcopali et omni ecclesiastico beneficio sine spe restitutionis aut gratie aliquo tempore obtinende. Omnes etiam, qui predicto Conradino astiterint vel eidem impenderint consilium, auxilium vel favorem contra carissimum in Christo filium nostrum Carolum, verum regem Sicilie a sede apostolica constitutum, in quo novum et nobile opus ecclesie favor divine dextere signis evidentissimis comprobavit, ex-

a) *loco* in Rom. reg. electis *ap. Sud. et Scha.* viris illustribus et magnificis.

communicationis sententia innodamus. In omnes quoque, qui cum eodem Conradino vel pro ipso aut in eius auxilium contra ecclesiam vel prefatum Carolum Sicilie regem in regnum Sicilie seu quecumque illius loca vel in Italiam seu quascumque Italie regiones vel partes accedere aut inibi dictum Conradinum iuvare presumpserint, excommunicationis sententiam proferentes, terras ipsorum ecclesiastico supponimus interdicto, contra eos gravius processuri, prout excessus meruerit eorundem. Licet autem de tue devotionis et fidei puritate firmam geramus fiduciam, quod in hiis et aliis tue providebis saluti et te nostris beneplacitis coaptabis, quia tamen calcar adhibitum equum admissum magis excitat quam molestet, fraternitati tue per apostolica scripta in virtute obedientie firmiter precipiendo mandamus, quatinus a predictis laqueis et periculis non solum tibi caveas, sed et alios, ne in ea possint incidere, reddas sollicite cautiores, et has nostras sententias totumque presentium tenorem in tuis civitate, diocesi et provincia, convocatis clero et populo, facias singulis mensibus vel, si expedire videris, pluries publicari[a].'

Ut autem huiusmodi noster processus ad omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in huius maioris ecclesie Viterbiensis civitatis appendi sive affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod nec idem Conradinus nec alii, quos processus ipse contingit, possint excusationem pretendere, quod ad eos non pervenerit aut ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum vel occultum, quod tam publice omnibus publicatur[1].

Actum Viterbii in cathedrali ecclesia, XIIII Kalendas Decembris, anno secundo.

658.

Clemens IV papa, postquam querelas Lucanorum delatas super eo, quod Pisani auxilio quondam Manfredi guerram sibi intulissent, et excusationem Pisanorum recensuit, arbitrium suum profert de pace vel treuga inter eos ineunda et captivis a Pisanis restituendis. *1267, Ian. 31.*

Clem. IV Reg. Vol. 1, 111; Lib. II, 162. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 45, n. 564; BFW. 9759.

Ad futuram rei memoriam.

Dilecti filii Andreas Tartagni, Gerardus Afferra, Lambertescus et Gerardus de Barga[2], syndici et ambaxatores . . potestatis, consilii et communis Lucanorum, in nostra et fratrum nostrorum proposuerunt presentia constituti, quod, civitate, civibus et communi Lucanis in sedis apostolice devotione ac sub ipsius protectione consistentibus, commune Pisanum contra inhibitiones varias, primo per quondam magistrum Gualonem eiusdem sedis notarium et legatum in Tuscia[3] et postmodum per felicis recordationis Urbanum papam[4] predecessorem nostrum factas eisdem, ne contra dictum

---

a) Dat. Viterbii, XIIII Kal. Oct. pont. n. a. secundo *add. Sud. et Scha.*

1) *A. 1266, Dec. 17 papa G[uidoni] tit. S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali legato [cf. n. 641] mandavit, ut hunc processum in legatione sua publicaret; Lib. II, cur. 18; Posse p. 146, n. 17.* 2) *Ex sept. civ. Lucca.* 3) *Cf. sub n. 572. Gualo a. 1265, Mart. 7 mortuus iam erat; Lib. 1, 10; Potthast 19053. De eodem et Pisanis cf. etiam Potthast 18700, quae epistola sub Sept. non a. 1263, ut ap. BFW. 9363, sed potius a. 1262 ponenda videtur; cum paulo post epp. n. 555 et 556 scripta esse vix possit et praeterea Sept. a. 1263 inter Pisanos et Lucanos gravis guerra fuerit; v. infra.* 4) *Cf. n. 555 et 556.*

commune Lucanum exercitum congregarent neve castra, terras vel bona communis eiusdem invadere aut contra dictam civitatem Lucanam presumerent hostiliter procedere quoquomodo, rupto pacis federe, quod inter dicta communia per ipsorum syndicos initum fuerat et ab ipso communi Pisano ratum habitum et sponte firmatum, contemptisque variis excommunicationum sententiis in cives Pisanos propter hoc eiusdem sedis auctoritate prolatis, quondam Manfredo olim principi Tarentino et ipsius nuntiis dampnabiliter adherentes, cum militia eiusdem Manfredi dictam civitatem Lucanam et ipsius districtum diversis invadentes vicibus[1], occupaverunt castra et terras eiusdem communis Lucani et que ipsum commune[a] pro sui defensione tenebat. Insuper quamplures Lucanos et Guelfos ceperunt et adhuc presumunt detinere captivos. Quare iidem syndici et ambaxatores Lucani supersedentes aliis questionibus, suo tamen in omnibus salvo iure, petebant, ut captivos eosdem liberari et sibi restitui mandaremus.

Sane dilecti filii Gerardus de Fasciano, Petrus Ingordi et Franciscus Fraxie, syndici, ambaxatores et nuntii . . potestatis, consilii et communis Pisanorum, asserentes quod civitas Pisana nunquam dicto Manfredo adheserat[2] nec ei fidelitatem fecerat aut societatem vel confederationem aliquam inierat cum eodem seu in aliquo eidem fuerat obligata nec ipse Manfredus eisdem, quodque super hoc eadem civitas multotiens obtulerat se paratam stare mandatis ecclesie et adhuc etiam offerebat, si posset contrarium reperiri, ad petitionem Lucanorum non litem contestandi animo responderunt dictum commune Pisanum, inter ipsos et Lucanos guerra durante, ad restitutionem captivorum petitorum aliquatenus non teneri, cum nullos ex eis contra prohibitionem aliquam dicte sedis, sed aliquos se defendendo in suo territorio et districtu, reliquos vero, postquam commune Lucanum a sedis predicte devotione recesserat et adheserat memorato Manfredo[3], cepissent. Siquidem, prout ipsorum habebat assertio, Pisanis ipsis in suo ut predicitur districtu et territorio existentibus et habentibus secum aliquos Theotonicos, quos suis stipendiis, non alienis conduxerant, licet paucos, Lucani cum Guelfis et aliis eorum sequacibus dictum Pisanum territorium intrantes hostiliter bellum iniere cum ipsis; sed Pisani, defensioni proprie insistentes, illos converterunt in fugam et ex ipsis aliquos captivarunt[4]. Postmodum vero, cum iam Lucani a devotione sedis predicte recedentes et adherentes memorato Manfredo, ita quod etiam nonnulla castra et terras, que iidem Lucani tenebant, ipsius in Tuscia vicario[5] assignarant et potestatem receperant ab eodem, propter quod dictus vicarius, favens Lucanis eisdem, Pisanis prohibuit et amicis ipsorum, ne hostiliter in terras Lucanorum intrarent[b]: iidem Pisani Castrum Castellionis[6], situm in dicto Pisano territorio, quod tamen prefati

---

a) comne *R.* b) *scriptor quibus verbis inceperit non attendit.*

1) *A. 1263, Sept. 11 et postea et iterum a. 1264; Chron. Pisana ap. Ughelli t. X, p. 123 et Muratori, SS. t. VI, p. 194 B; cf. Ptolomaei Luc. Ann. ap. Muratori, SS. t. XI, p. 1283.* 2) *Sed cf. adhuc BF. 4761 et Potthast 19045, 19480 et 19486. A. 1266, Apr. 13 papa magistro Helyae capellano suo canonico Belvacensi mandavit, ut cum Pisani et Aretini nuper de reversione sua syndicos ad sedem apostolicam misissent, qui de parendo ecclesiae iuramentum in praesentia sua praestitissent, ad civitates eorum se conferret; receptis cautionibus in iuramentis promissis eosdem absolvendi ei facultatem concessit; Lib. II, cur. 4; Posse p. 42, n. 528; cf. Potthast 19593 et 19604. A. 1266, Apr. 15 Pisani pro mandatis ecclesiae observandis 30 000 librarum deposuerunt; Chron. Pis. l. c. Sed civitas ecclesiae reconciliata non est; cf. Potthast 19752, 19809, 19923; Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 189, n. 55. A. 1267, Ian. 29 papa Carolo regi Siciliae nuntiavit Pisanos ad ecclesiae gremium nuper rediisse; Potthast 19925; cf. 19926.* 3) *Cf. n. 572 et BF. 4754a sub a. 1264, Aug. 14. Lucani a. 1266 paulo ante Apr. 30 ad mandatum ecclesiae redierunt; Potthast 19617; cf. 19507.* 4) *Autumno a. 1263; cf. not. 1.* 5) *Guidoni Novello comiti palatino Tusciae; de castris cf. Ptolom. Luc. l. c. p. 1284.* 6) *Ad fl. Auxeris [Serchio], ex sept. et occ. civ. Pisanae.*

Luçani de facto et iniuriose tenebant, expugnantes [1], aliquos ex predictis captivis in huiusmodi expugnatione ceperunt. Ex hiis autem memorati Pisanorum syndici et ambaxatores allegabant, quod nec quoad primam nec quoad secundam captionem intentionem Lucanorum allegate pro ipsis predicte sedis prohibitiones aut protectio adiuvabant, cum in prima captione ipsi se defendendo in suo territorio, ut superius est expressum, contra prohibitiones predictas non venerint, que ipsos contra Lucanos hostiliter procedere, non contra illos se defendere prohibebant, et Lucani, recedendo a devotione ipsius sedis et persecutori eius ut predicitur adherendo, protectionis privilegium, et quodcunque aliud ab eadem sede habuerant, secunde captionis tempore amisissent.

Nos itaque, hiis et aliis que partes voluerunt proponere intellectis, quia pacem servari desideramus in Tuscia, cuius ad nos tuitio pertinet, isto presertim tempore quo Romanum fluctuat imperium in incerto [2], cum eisdem fratribus nostris deliberatione prehabita, de ipsorum consilio memoratis syndicis et ambaxatoribus nomine communium, potestatum, consiliorum et civium predictorum ac ipsis communibus, potestatibus, consiliis et civibus per eosdem syndicos et ambaxatores auctoritate apostolica et quacunque alia id possit valere mandamus, ut infra mensem, salvis mutuis questionibus mediante iustitia decidendis, pacem faciant et ad nostrum firment arbitrium sub hac forma, videlicet quod neutra predictarum civitatum alteri guerram faciat, sed ius suum libere valeat prosequi coram nobis. Quod si forsan in pacem huiusmodi non convenerint, saltem treuguam ineant quadriennio duraturam et arbitrio nostro firmandam. Et si horum alterutrum factum fuerit, supradicti potestas, consilium et commune Pisani omnes carceratos seu captos, quos habent de civitate ac districtu Lucanis, reddant liberos et abire permittant. Ceterum, si nec in pace convenerint nec in treuguam, ne Lucani protectionis apostolice fructu omnimode careant, Pisanis eisdem supradicto modo precipimus sub debito nobis ab eis prestiti iuramenti, quod captivos omnes, quos habent de predicta civitate ac districtu Lucano, illos scilicet quos nec in districtu Pisano, nec postquam Lucani ad mandata supradictorum principis vel vicarii seu nuntiorum eius venerant, captivarunt, liberos restituant et in sua libertate dimittant. Quod si Pisani aliquos reddere forte noluerint, onus eis probationis imponimus, per quam ei, quem ad hoc ipsis deputabimus auditorem, fidem legitime faciant se illos vel in Pisano districtu vel postquam Lucani dicto M. adheserant captivasse, Lucanis nichilominus coram auditore ipso, si contrarium probare voluerint, audiendis. Illud autem eisdem partibus denuntiamus expresse, quod pars illa, que pacem vel treuguam recusaverit facere ut est dictum, nostra gratia se reddet indignam, et si guerram alteri parti movere presumpserit, contra ipsam spiritualiter et temporaliter, prout nobis expedire videbitur, procedemus. Nulli ergo — nostri precepti et denuntiationis etc.

Dat. Viterbii, II Kalendas Februarii, anno secundo [3].

659.

Clemens IV papa episcopo Lunensi declarat: homines castrorum Lunensis sedis, qui quondam Manfredo faverint et quorum castra a filiis quondam Bernardi marchionis Malaspinae vicarii Manfredi in Pisanos translata sint, per absolutionem Pisanorum ab excommunicatione absolutos non esse. *1267, Mart. 1.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 133; Lib. III, 4. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9763.

1) *A. 1264, Iul. 16; Chron. Pis. et Ptolom. Luc. l. c.* 2) *Cf. infra n. 662.* 3) *Cf. Potthast 19928 et 19929.*

. . episcopo Lunensi.

Significasti nobis, quod homines castrorum et villarum ad sedem Lunensem spectantium propter favorem impensum ab eis quondam Manfredo olim principi Tarentino et eius fautoribus latam per sedem apostolicam in tales excommunicationis sententiam incurrerunt[1]. Sane quondam Bernardo marchione Malaspina[2], qui pro ipsius Manfredi vicario in illis partibus se gerebat, olim castra et villas huiusmodi per violentiam occupante, nobiles viri Ysnardus[3] frater ac Iacobinus filius et heredes ipsius marchionis, eo sublato de medio, nonnulla de castris et villis eisdem in . . potestatem et commune Pisanos de facto, cum de iure non possent, presumpserunt transferre, sicque dicti potestas et commune illa contra iustitiam detinent occupata in tuum preiudicium et eiusdem sedis Lunensis non modicum detrimentum. Verum quia nos potestatem et commune iamdictos ac homines de ipsorum districtu a sententia, per sedem apostolicam in ipsos pro eo quod olim civitatem impugnavere Lucanam et propter alios excessus eorum prolata, nuper absolvi fecimus[4]: prefati homines dictorum castrorum et villarum ad eandem sedem Lunensem spectantium, que memorati potestas et commune adhuc detinent taliter occupata, pretextu absolutionis huiusmodi a predicta excommunicationis sententia, quam pro favore impenso dictis Manfredo et fautoribus incurrerunt, se malitiose reputant absolutos, quamquam alias non sint exinde absoluti. Quare humiliter petebas a nobis, ut providere super hoc per condigne declarationis oraculum curaremus. Verum licet apud recte sapientes declaratio super hoc oportuna non esset, pro illorum tamen malitiosa pertinacia elidenda eos in casu premisso declaramus non esse aliquatenus absolutos.

Dat. Viterbii, Kalendis Martii, anno III°.

660.

Clemens IV papa publicat [secundum] processum contra Conradinum habitum, quem citat, ut infra a. 1267, Iun. 29 per se vel per procuratorem conspectui apostolico se praesentet responsurus. *1267, Apr. 14.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 206; Lib. III, cur. 17. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 147, n. 18; BFW. 9771.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Quia Conradinus, nepos olim Friderici quondam Romanorum imperatoris, ad obtinendum Romanum imperium conatus sue presumptuose ambitionis extendens sibique presumptione temeraria Sicilie regnum intitulans[a], se regem regni denominabat eiusdem, et cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Tuscis, Marchianis et Apulis, precipue de regno predicto profugis, se fraudulentis commerciis implicans, ac in Urbe, Lombardia, Tuscia et per alia loca diversa *etc. ut supra p. 667, lin. 5—11 usque:* occurrentes, in festo dedicationis basilice apostolorum Petri et Pauli transacto novissime pontificatus nostri anno secundo, in hac maiori ecclesia Viterbiensi, presente tunc multitudine copiosa fidelium *etc. ut p. 667, lin. 12 — p. 668, lin. 8 usque:* subiacere.

---

a) intulans *R.*

1) *Cf. n. 567.* 2) *Hic fuisse videtur nobilis vir Bernabo vel Bernardus, quem papa a. 1265, Aug. 5 ad gratiam Caroli regis trahere studuit; Potthast 19302.* 3) *De hoc cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 118, not. 3; cf. etiam Potthast 20282.* 4) *Cf. p. 671, not. 2.*

Verum memoratus Conradinus, nequaquam a progenitorum suorum iniquitate degenerans, sed ut de radice colubri se regulum probet egressum, licet illis impar viribus, licet potentia insufficiens, licet in premissis omni iure deficiens, illorum tamen nequitiam, ipsam perversis quibus potest imitando conatibus, prosequens, precepta, inhibitiones et comminationes huiusmodi temerario ausu contempsit: et a premissis nequaquam abstinens, vicarios suos in Tuscia dicitur ordinasse[1], ac Sicilie se regem intitulans, litteris utitur sub intitulatione ac impressione predictis. Et ut terram in preiudicium dicti regis commoveat, scandala suscitet, ecclesie pacem turbet, inanis nominis gloriam usurpando pro Sicilie rege se gerit, tanquam rex Sicilie dicti regni partitur officia, officiales instituit[2], multos sollicitat, aliquos promissionibus allicit, privilegia nonnullis indulget, quampluribus etiam dona in eodem regno concedit, sicut nos inspectio litterarum et privilegiorum huiusmodi, que ad manus nostras pervenerunt, instruxit.

Attendentes itaque quod ad cohibendam tante presumptionis audaciam non oportet nos esse sola prohibitione contentos, sed et penam transgressoribus iustam inferre, universas et singulas inhibitiones, denuntiationes, comminationes et sententias supradictas de fratrum nostrorum consilio innovantes, omnes illos, qui contra easdem inhibitiones, denuntiationes et comminationes temere veniendo in prefatas sententias inciderunt, et specialiter Podii Bonizi[3] et Sancti Miniati[4] castrorum incolas Vulterane diocesis[5], qui spretis predictis nostris inhibitionibus et denuntiationibus eiusdem Conradini fautores et nuntios receperunt, denuntiamus prefatas sententias incurrisse, ipsos nichilominus de novo excommunicationis et castra predicta interdicti sententiis supponentes, contra eos, nisi memoratos fautores et nuntios infra quindecim dies post instantem festivitatem resurrectionis Dominice[6] de predictis castris eiecerint, eos nunquam receptaturi seu recepturi decetero, et a prefati Conradini favore omnino destiterint, gravius temporaliter et spiritualiter, prout expediens fore putabimus, processuri. Prefato quoque Conradino iterato de ipsorum fratrum consilio, presente hac fidelium multitudine, districte precipimus, ut a premissis omnino abstinens similia nullo unquam tempore attemptare presumat. Alioquin ipsum exnunc excommunicationis sententia innodamus, nichilominus peremptorie citantes eundem, ut infra instans festum beatorum apostolorum Petri et Pauli, quod sibi pro peremptorio termino assignamus, per se vel per procuratorem ydoneum cum pleno et sufficienti mandato apostolico se conspectui representet, responsurus super predictis excessibus et nostris ac eiusdem ecclesie beneplacitis pariturus. Alioquin contra eum extunc — ipsius absentia non obstante — gravius, prout suadebit iustitia et expedire viderimus, procedemus.

Ut autem huiusmodi noster processus *etc. ut p. 670, lin. 15—21 usque:* publicatur. Actum Viterbii in cathedrali ecclesia, XVIII Kalendas Maii, anno tertio.

---

1) *A. 1267, Apr. 10 papa commemoravit G[uidonem] Novellum, Conradum Trincia et Conradum Capetia cum multis aliis pro Conradino in Tuscia laborare; Potthast 19984; cf. 19988, 20017.* 2) *Cf. BF. 4816a.* 3) *Ex sept. et occ. civ. Senensis. A medio mense Iul. a. 1267 Carolus rex castrum obsedit et Nov. 30 cepit; Ann. Plac. SS. t. XVIII, p. 524; Ann. vet. Mutin. et Cron. di Bologna ap. Muratori, SS. t. XI, p. 69 et t. XVIII, p. 279. Dec. 1 castrum captum esse referunt Ptolom. Luc. Ann. ap. Muratori, SS. t. XI, p. 1285. Cf. Potthast 20103, 20171, 20209, 20221; Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 104, not. 2 et p. 115, n. 27; cf. etiam BF. 4854b.* 4) *Non multum a sinistra ripa Arni fl. inter civ. Pisanam et Florentinam.* 5) *A. 1266, Iul. 23 papa [Alberto] episcopo Vulterano scripsit: sicut ex parte cleri et omnium personarum civitatis et diocesis Vulteranae sibi expositum esset, multos ex eis pro vitandis periculis personarum et rerum fautoribus quondam Manfredi celebrasse, eis communicasse et collectas, tallias et alia onera persolvisse, sed propter exactiones et guerras, quae in illis partibus diutius durassent, pauperes sedem apostolicam adire non posse; mandavit, quomodo contra eos procedendum esset; Lib. II, 105; Iordan 348.* 6) *Infra Mai. 1.*

661.

Clemens IV papa [Alfonso] regi Castellae et Legionis, in Romanorum regem electo, a. 1268, Mart. 26 terminum praefigit, quo cum dictis testium, quos super negotio imperii produci contigerit, conspectui apostolico per procuratores se praesentet; addit decretum de productione testium. — Idem Ricardo scribit. 1267, Mai. 9.

Clem. IV Reg. Vol. I, 201; Lib. III, cur. 4. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1267, § 22, V. Cl. Monaci contulit cum Regestis et cum altero exemplari Ricardo directo, quod dudum Lib. III, cur. 10 reperitur.
Potthast, Reg. 20002; BFW. 9775; legitur etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VII, p. 562, n. 111.

. .[a] regi Castelle ac Legionis illustri, in Romanorum regem electo.

Licet nos assidue grandium negotiorum multitudo circumstrepat, licet sollicitudines varie pectus nostrum quasi familiariter incursantes ipsarumque iugis anxietas ad expedienda que imminent officii nostri debitum multipliciter interpellent, expeditionem tamen negotii, quod de regimine tractatur imperii, eius et illud prosequentium qualitas et instantius exigit et ad illam tanto vehementius angimur, tanto amplius anxiamur, quanto gravius intenditur universo fere populo Christiano in ipsius dilatione periculum, quanto maiora ex[b] eiusdem imperii ordinatione celeri commoda speraremus. Attendimus siquidem, immo palpamus cotidie innumera et immensa discrimina, que, te ac carissimo in Christo filio nostro R.[c] in Romanorum regem electo asserentibus ius vobis in ipso imperio per electiones varias acquisitum, eiusdem imperii fluctuatio ingerit, dum matri ecclesie imperialis defensionis suffragium ex huiusmodi fluctuatione subtrahitur et ab ipsius persecutoribus non sine fidei Christiane discrimine in ipsam securius insultatur, dum iniuriose ipsius iura imperii violenti diripiunt et, eius subditis se iniuriis impetentibus mutuis et libere debachantibus in se ipsos, super hiis solitum secularis iudicii remedium non habetur. Hec, fili carissime, aliaque non facile commemoranda pericula, que ipsius imperii tamdiu dilata provisio sumministrat, instanti nos interpellatione sollicitant et mentem nostram instantia frequentis sollicitationis infestant, ut ad expediendum finaliter et celeriter dictum negotium plenis studiis intendamus.

Nuper itaque in prefixo ad hec a nobis termino[1] pro[d] memorato R. electo dilecto filio nobili viro Henrico, ipsius R. primogenito, et quibusdam aliis nuntiis et procuratoribus suis, pro te vero dilecto filio magistro Radulfo de Podio Bonizi comparentibus coram nobis, cum varia fuissent hinc inde proposita tam in facto consistentia quam in iure, tandem procuratoribus prefati R. electi ad fundandam intentionem suam varia exhibentibus munimenta et allegantibus dictum magistrum Radulfum seu alium pro parte tua non esse ad impediendam[e] petitionem ipsorum aliquatenus admittendum, cum de tuo nequaquam interesse constaret, utpote cum idem magister solis assertionibus nudis insisteret, nec ad probanda que asserebat litteras vel aliquid aliud exhiberet, prefatus magister, replicans quod forma citationis emisse a nobis ipsum tuo nomine ad probandum tunc temporis aliquid non artabat, presertim cum alias tempore felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri de iure tuo, quod etiam asserebat esse notorium, per decretum electionis tue ac alias diversas litteras ut

a) Riccardo in regem Romanorum electo *2*. b) ex *ad 2 manus altera in margine addidit*. c) . . rege Castelle ac Legionis illustri *2*. d) pro te dilecto filio nobili viro Henrico primogenito tuo *2*. *Ita infra quoque verba ep. 2 secundum inscriptionem competenter mutata sunt.* e) impediendum *2*.

1) *A. 1267, Ian. 7; cf. n. 653.*

dicebat facta fuerit[a] plena fides, nichilominus nobis mandantibus, ut diceret, si vellet amplius de dicto tuo iure docere, dixit se assertiones suas, super quibus etiam articulos certos exhibuit[1], in Alamannia, Francia, Ispania et Italia necnon et in nostra curia probaturum infra dilationes tanto et tali negotio congruentes.

Nos autem, licet mirati fuerimus te tante discretionis principem ad tam arduum negotium nuntium sic nude misisse, videlicet super iure tuo nullam probationis speciem exhibentem, nichilominus tamen in paterna dulcedine tibi deferre volentes, articulos predictos necnon et alios, quos pars altera similiter obtulit, duximus admittendos, tam tibi quam parti eidem primum diem post festum annuntiationis beate Virginis primo venturum[2] terminum peremptorium de fratrum nostrorum consilio prefigentes, in quo cum dictis testium, quos super eisdem articulis produci continget et omnibus aliis actis, rationibus, munimentis et iuribus vos apostolico conspectui per procuratores ydoneos presentetis. Nos enim extunc, sive huiusmodi procuratores miseritis sive non, sive probande intentioni vestre dederitis operam sive id forsan omiseritis, cum nolimus fieri predictum negotium in grandem totius orbis pernitiem immortale, ad ipsius expeditionem finaliter, prout suadebit iustitia et expedire videbimus, divina favente clementia procedemus.

Ne autem ratione producendorum testium vobis detur decetero[b] petende ulterioris dilationis occasio, volumus, quod in Alamannia apud Frankenefort, in Francia Parisius, in Ispania in civitate Burgensi, in Italia Bononie et nichilominus in predicta curia nostra coram illis, quos ad hoc duxerimus deputandos, in vigilia festi Omnium sanctorum primo venturi[3], quam peremptorium terminum, ut extunc productio testium hinc inde incipiat, assignamus, tam tu quam pars altera ad producendos testes, quos producere volueritis, et ad videndum iurare, quos produci continget, studeatis per procuratores ydoneos comparere[4].

Dat. Viterbii, VII Idus Maii, anno tertio[5].

662.

Clemens IV papa [Carolo] regi Siciliae in ea parte Tusciae, quae Romano imperio subiaceat nunc vacanti, paciarii sive pacis servatoris officium committit, ita ut si imperatorem vel regem Romanorum a sede apostolica approbatum regnare contigerit, hoc officio non utatur amplius ultra mensem. — Eundem hoc officium tantummodo usque ad triennium obtinere vult. *1267, Iun. 4.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 202; Lib. III, cur. 5 et 6. Epistolam I V. Cl. Schellhass, ep. II V. Cl. Monaci ex Regestis descripserunt.

Potthast, Reg. 20028; BFW. 9785; sed Lazeri solus ep. I, Raynaldus, Lünig, Rousset et Del Giudice ep. II praebuerunt; ep. I etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, l. c. n. 108.

I.

Regi Sicilie illustri.

Nuper nobis, fili carissime, intimasti, quod tu, dudum intelligens ex fideli relatu multorum, quod tam nostri quam tui pessimi proditores in Tuscie partibus se re-

---

a) fuerat *2.* b) ulterius *2.*

1) *Hos articulos edidit Fanta in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VI, p. 95, ubi p. 101—102 etiam electionis decretum et litterae per nuntios Alfonsi et principum Alexandro IV missa commemorata sunt, quae Viterbii praesente parte adversa lecta essent.* 2) *A. 1268, Mart. 26. Alfonsus de brevitate huius termini postea conquestus est; Potthast 20149.* 3) *A. 1267, Oct. 31.* 4) *Cf. n. 665.* 5) *Altera epistola regi non grata ap. Potthast 20031; cf. 20032, 20051 [BFW. 9792], 20052.*

ceperant et a multis ibidem recepti tam apertis quam occultis tractatibus cum malitie sue consciis et consortibus exaltationem inimicorum Romane ecclesie, matris tue, necnon et eiusdem ecclesie ac tuorum fidelium exterminium procurabant et in eam iam proruperant presumptionis insaniam, ut Conradinum, nepotem quondam Fr. olim Romanorum imperatoris, regem Sicilie nominare presumerent et nominari ab aliis facerent[1] ac eiusdem Conradini litteras et privilegia sub sigillo et nomine regiis circumferrent et venturum ipsum in partes Italie publice predicarent, tu, predicte ecclesie matris tue iniuriam tuam omnino reputans et propriam nichilominus equanimiter ferre non valens, memor etiam obsequiorum multorum, que a Tuscis, nostris ac tuis fidelibus et devotis, quorum sanguis ab emulis in predictis tractatibus querebatur, te recepisse dicebas, ad nostram presentiam accessurus[2], tuam in partes Tuscie premisisti militiam[3], non ut imperii partes invaderes, sed ut tantis malis occurreres, inimicos nostros ac tuos contereres et amicorum paci ac totius provintie provideres. Receptus autem primum a civibus Florentinis[4] pacifice et postmodum a Lucanis, Pistoriensibus[5], Pratensibus ac quibusdam aliis et ab eisdem ad tempus in potestatem assumptus[6], geris in votis te in omnibus nostro beneplacito coaptare et sic loca in predictis partibus tuo commissa et committenda regimini in omni tranquillitate regere, ut cuique sua servetur iustitia, cuique status suis debitus meritis conservetur, purgetur heretica pravitas, predonum cohibeatur audacia, eadem sancta mater honoretur ecclesia et fidelium pia devotio nutriatur. Verum quia hoc ipsum nequit, prout extimas, solide fieri, nisi civitates saltem et loca celebria eiusdem provintie stabiliantur in pace, nobis humiliter supplicasti, ut, cum ad presens vacet imperium, cuius ad nos, dum vacat, pacifica conservatio noscitur pertinere[7], in quo nichil vendicas tibi iuris nec quicquam, ut supradictum est, occupare per usurpationem in eodem intendis, tibi conservationem pacis in Tuscia, ecclesie Romane terra dumtaxat excepta, concedere dignaremur, ita quod tam eos, qui te receperunt, quam alios possis inducere et acquiescere nolentes cogere ad pacem ipsius provintie iurandam et fideliter conservandam ac nostros et tuos inimicos penitus abiurandos, sicque cessent violentie, cessent guerre, cessent aggressiones itinerum, spoliationes ecclesiarum et pauperum, et quilibet iure suo contentus ius sibi dicere non presumat, sed siquam sibi fieri putat iniuriam, eam sub competenti iudice prosequatur; possis etiam turbatores pacis compescere et pro tali presumptione punire, a suis nichilominus ordinariis, si ad eos recursus habitus fuerit, prout iustitia permiserit, puniendos, si cum pacis turbatione crimen commiserint iure vel consuetudine coercendum; possis etiam pariter cum eisdem pro contemptus qualitate punire illos, qui tam pium prestare noluerint iuramentum, et alia facere, que ad dicti solidationem negotii, ad honorem Dei et Romane ecclesie atque tuum nec non et utilitatem fidelium videris expedire.

Nos igitur, tam paci predicte provintie providere volentes quam elisis hostium viribus et eorundem machinationibus fraudulentis elusis statum tuum et Tuscorum fidelium undique roborari, votis tuis benivolum prebentes assensum, pacis, quam in ea parte Tuscie, que Romano imperio subiacet nunc vacanti, iurari volumus et manda-

1) *Cf. p. 674, not. 1.* 2) *A. 1267, Apr. 25 Viterbii erat; BFW. 9776; cf. Potthast 20003, 20005. Iterum ibi erat Mai. 23; Martène, Thes. t. II, p. 472 D; Potthast 20015.* 3) *Cf. Potthast 19904, 19923, 19984, 19988.* 4) *Cf. Hartwig, Florent. Gesch. 1250—1292, Zeitschr. f. Geschichtswissensch. 1889, t. I, p. 47.* 5) *A. 1266, Apr. 7 papa O[ctaviano] S. Mariae in Via Lata diacono cardinali scripsit Pistorienses petivisse, ut ab excommunicationum, privationum et interdicti sententiis absolverentur, quibus pro eo, quod quondam Manfredo fidelitatis iuramento praestito contra ecclesiam adhaesissent et civitatem Lucanam contra praedecessorum suorum et suam prohibitionem impugnassent, astricti essent, eique absolutionem sub certis condicionibus commisit; in eundem modum pro civitate Pratensi; Lib. II, cur. 3; Posse p. 42, n. 527.* 6) *Cf. Potthast 20003, 20005 et 20015.* 7) *Cf. p. 672, lin. 11.*

mus, te de fratrum nostrorum consilio constituimus servatorem[1], precipientes districte omnibus constitutis in Tuscie partibus, qui iam annum quartum decimum exegerunt, quod ad illius seu illorum monita vel mandata, quos ad hoc duxerimus deputandos, iurent pacem servare et contra pacem iurare nolentes vel eandem temere violantes te et vices tuas gerentem iuvare fideliter ac potenter, nullumque principem vel magnatem nulliusve militiam, dum vacabit imperium, recipere, qui nostrum aut tuum statum pacificum aut ipsius pacem provintie seu cuiuslibet partis eiusdem velit concutere seu turbare. Tibi vero concedimus liberam potestatem tam iurare nolentes quam eandem infringere presumentes pro presumptione huiusmodi puniendi, quos tamen a suis iudicibus ordinariis propter hoc eximi nolumus, quominus ab eis puniri valeant, si forsitan crimen aliud cum pacis fractione concurrerit, quod eisdem iudicibus puniendum mediante iustitia videatur. Dictum autem paciarii sive pacis servatoris officium et omnia suprascripta cum omnibus, que ad huiusmodi solidationem negotii pertinebunt, que tibi committimus per te vel per alium aut alios, quos ad[a] hoc deputare volueris, exercenda, ea tibi lege concedimus, quod si forsitan imperatorem vel regem Romanorum a sede apostolica approbatum regnare contigerit, tu extunc eodem officio non utaris amplius ultra mensem. Et si contrarium forte feceris, eo ipso personam tuam excommunicationis, terram vero interdicti sententiis, quas propter hoc exnunc ferimus, decernimus subiacere. Porro per hec vel horum aliquid conventionibus inter nos et te in concessione regni Sicilie olim initis[2] in nullo volumus derogari, sed ille nichilominus in suo perpetuo robore perseverent.

Dat. Viterbii, II Nonas Iunii, anno III.

II.

Eidem.

Cum te in partibus Tuscie Romano subiectis imperio nunc vacanti pacis constituerimus per nostras sub certa forma litteras servatorem, in eisdem tibi paciarii seu pacis servatoris officium committentes, dictum officium et omnia in eisdem tibi concessa litteris ceteraque ad huiusmodi solidationem negotii pertinentia ea te lege volumus tantummodo usque ad triennium[3] obtinere, quod si forsan imperatorem vel regem Romanorum a sede apostolica approbatum infra predictum tempus regnare contigerit aut per sedem eandem predictum tibi officium interdici, tu amplius eodem officio ultra mensem post interdictum huiusmodi non utaris. Et si contrarium feceris, eo ipso personam tuam excommunicationis, terram vero interdicti sententiis, quas propter hoc exnunc ferimus, decernimus subiacere.

Dat. Viterbii, II Nonas Iunii, anno III°[4].

---

a) ad — exercenda *in loco raso.*

1) *Iam Apr. 10 Florentinis nuntiaverat se in partibus eorum Carolum constituendum duxisse paciarium generalem; Potthast 19984. Mai. 23 suo in Francia legato scripsit: 'regem vacante imperio capitaneum Tusciae proponimus constituere'; Potthast 20015. Cf. Schirrmacher, l. c. p. 554, not. 18.* 2) *Cf. n. 646, § 4, 8, 15.* 3) *Propter hanc temporis definitionem, quam in ep. I recipi papa noluit, haec ep. exarata est.* 4) *Eodem die Carolus rex solemniter promisit se ea, quae 'in variis apostolicis litteris' de hac re confectis continerentur, observaturum esse; Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 45, n. 5; cf. Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. t. I, p. 332, n. 23 et ibidem t. II, p. 99: 'Item tres littere'; epistolae enim papales instrumento Caroli insertae erant. Eodem die papa laicis Tusciae Romano subiectae imperio de eadem re scripsit; Lib. III, cur. 7; Potthast 20029. Iun. 15 Ricardo itemque Alfonso in Romanorum regem electis scripsit se Carolum non imperii vicarium, sicut quidam mentirentur, sed pacis servatorem constituisse; Potthast 20049; BFW. 9791. A. 1268, Apr. 17 papa Carolum vicarium imperii in partibus Tusciae constituit; P. 20270, falso sub Febr. 15; cf. Posse p. 48, n. 602 et BFW. 9897; cf. Potthast 20271 et 20331.*

663.

Clemens IV papa universis marchionibus, comitibus, potestatibus ceterisque per partes Tusciae Romano subiectas imperio mandat, ut Iohanni de Braysilva marescalco regni Siciliae, vicario C[aroli] regis paciarii Tusciae, intendant. **1267, Iun. 5.**

Clem. IV Reg. Vol. I, 203; Lib. III, cur. 8. Exemplar, quod Theiner, Cod. dipl. dom. temp. t. I, p. 169, n. 316 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.
Potthast, Reg. 20030; BFW. 9787.

Universis[a] marchionibus, comitibus et aliis magnatibus necnon potestatibus, capitaneis ceterisque rectoribus et consiliariis ac universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum ceterisque per partes Tuscie Romano subiectas imperio constitutis.

Cum carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem illustrem in partibus Tuscie Romano subiectis imperio nunc vacanti pacis constituerimus per nostras sub certa forma litteras servatorem, eique in eisdem partibus commiserimus paciarii seu pacis servatoris officium exercendum per se vel per alium aut[b] alios, quos ad hoc duceret deputandos, idemque rex dilectum filium Iohannem de Braysilva, regni Sicilie marescalcum, suum in premissis vicarium deputarit: volumus et vobis universis et singulis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus memorato marescalco, vicario regis eiusdem, in omnibus tanquam persone regis ipsius pareatis humiliter et efficaciter intendatis, ut per hoc paternis monitionibus ad observandam pacem exhibentes vos in promptitudine parendi paratos, et pacis placeatis auctori et patris commonentis gratiam vobis exinde non immerito vendicetis.

Dat. Viterbii, Nonis Iunii, anno III°.

664.

Clemens IV papa S[imoni] tituli S. Caeciliae presbytero cardinali legato mandat, ne a monasterio Liessiensi decimam, ecclesiis regni Franciae pro subsidio regni Siciliae impositam, exigat, cum monasterium in imperio situm sit. — Idem pro Hannoniensi. S. Auberti Cameracensis, Viconiensi et de Cantiprato monasteriis. **1267, Iun. 30.**

Clem. IV Reg. Vol. I, 154; Lib. III, 48. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

S. tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali, apostolice sedis legato.

Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Liessiensis[1] ordinis sancti Benedicti Cameracensis diocesis fuit propositum coram nobis, quod felicis recordationis Urbanus papa predecessor noster prelatos, capitula, collegia et conventus ceterasque personas ecclesiasticas regulares et seculares, exemptas et non exemptas, per terras ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem . . comitissam Flandrie ratione dominii et feudorum suorum pertinentes in eadem et Tornacensi diocesibus constitutas, inter alios regni Francie et quarundam aliarum provinciarum prelatos et clericos per suas sub certa forma litteras requisivit, ut pro subsidio regni

a) Eisdem *R.; antecedit Lib. III, cur. 7; Potthast 20029.* b) aut aut *R.*

1) *Liessies in Hanonia prope Avesnes.*

Sicilie decimam omnium proventuum suorum ecclesiasticorum exhibere curarent[1], te super hoc per alias litteras ipsius predecessoris executore concesso, nosque postmodum tibi per nostras iniunximus litteras, quod non solum comitatum Flandrie sed etiam comitatum Haynonie et cetera loca, que ad predictam comitissam ratione dominii et feudorum suorum pertinent et sunt infra Cameracensem et Tornacensem dioceses constituta, intelligebamus sub huiusmodi terrarum ipsius comitisse vocabulo comprehendi[2]. Sane tu ab eisdem abbate et conventu decimam quorundam proventuum suorum ecclesiasticorum exigis auctoritate huiusmodi litterarum. Porro idem monasterium Liessiense, licet sit in eadem Cameracensi diocesi, tamen non in terra ipsius comitisse neque in regno Francie, sed in imperio situm existit, sicque manifeste apparet, quod predicti abbas et conventus per easdem litteras, que ad predictum monasterium Liessiense minime se extendunt, ad solutionem decime proventuum suorum ecclesiasticorum aliquatenus non tenentur. Quare dicti abbas et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi propter hoc ad sedem apostolicam appellarint, providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque, nolentes predictos abbatem et conventum super hoc indebite aggravari, mandamus, quatinus si est ita, [eos][a] ad solutionem huiusmodi decime de proventibus suis ecclesiasticis ubicunque consistentibus aliquatenus non compellas.

Dat. Viterbii, II Kalendas Iulii, anno III°.

In eundem modum eidem legato. Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Hannoniensis[3] ordinis sancti Benedicti Atrebatensis diocesis etc. ut in superiori usque: pertinentes in Cameracensi et Tornacensi diocesibus constitutas etc. usque: litterarum. Porro idem monasterium Hannoniense, licet sit in terra ipsius comitisse, non tamen in predictis Cameracensi vel Tornacensi diocesibus neque in eodem regno Francie, sed in dicta diocesi Atrebatensi et in imperio situm existit etc. usque: ad predictum monasterium Hannoniense minime etc. usque: compellas.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem legato. Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii sancti Auberti Cameracensis ordinis sancti Augustini etc. usque: pertinentes in Cameracensi et Tornacensi diocesibus constitutas etc. usque: litterarum. Porro idem monasterium sancti Auberti in civitate Cameracensi et non in terra ipsius comitisse neque in regno Francie, set in imperio situm existit etc. usque: ad predictum monasterium sancti Auberti minime etc. usque: compellas.

Dat. ut supra.

In eundem modum eidem legato. Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Viconiensis[4] ordinis Premonstratensis Atrebatensis diocesis etc. usque: pertinentes in Cameracensi et Tornacensi diocesibus constitutas etc. usque: litterarum. Porro idem monasterium Viconiense, licet sit in terra ipsius comitisse, non tamen in predictis Cameracensi vel Tornacensi diocesibus neque in eodem regno Francie, set in dicta diocesi Atrebatensi et in imperio situm existit etc. usque: ad predictum monasterium Viconiense minime etc. usque: compellas.

Dat. ut supra.

---

a) eos *deest R.*

1) *Cf. n. 594.* 2) *Sub a. 1265, Apr. 11; Potthast 19090.* 3) *Hasnonium, non multum a sinistra ripa Scaldis ex sept. et occ. civ. Valenciennes in terra Ostrevant, de qua olim inter dominos de Dampetra et de Avesnis, filios Margaritae comitissae, controversia erat; cf. Martène, Thes. t. I, p. 1092; Sattler, Flandr.-Holl. Verwickl., dissert. Gotting. a. 1872, p. 76.* 4) *Ex sept. et or. monasterii Hasnoniensis, in sinistra ripa Scaldis fl.*

In eundem modum eidem legato. Ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii de Cantiprato iuxta Cameracum ordinis sancti Augustini etc. usque: pertinentes in Cameracensi et Tornacensi diocesibus constitutas etc. usque: litterarum. Porro idem monasterium de Cantiprato in suburbio civitatis Cameracensis et non in terra ipsius comitisse neque in eodem regno Francie sed in imperio situm existit etc. usque: ad predictum monasterium de Cantiprato minime etc. usque: compellas.

Dat. ut supra.

665.

Clemens IV papa, cum decreverit, ut in quaestione, quae inter [Alfonsum] regem Castellae et R[icardum] in Romanorum regem electos de imperio Romano verteretur, testes producendi in Alamannia apud Frankenefort, in Francia Parisius, in Hispania in civitate Burgensi, in Italia Bononiae et apud curiam papalem inde a vigilia festi Omnium Sanctorum examinarentur, variis personis mandat, ut id exequantur. 1267, Sept. 17, 26, 28.

Clem. IV Reg. Vol. I, 205—206; Lib. III, cur. 12—16. Epistolas ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 47, n. 588 et 589; BFW. 9821.

I.

Raymundo Atgerii canonico Andeliacensi[1] Rothomagensis diocesis, capellano nostro.

Inter carissimos in Christo filios nostros . . regem Castelle ac Legionis illustrem et R. in Romanorum regem electos super Romano imperio, in quo sibi asserunt ius per electiones varias acquisitum, mota olim apud sedem apostolicam questione, tandem in prefixo ad hoc a nobis partibus termino pro memorato rege Castelle dilectus filius magister Rodulfus de Podiobonizi, pro dicto vero R. electo dilectus filius nobilis vir Henricus primogenitus eius et quidam alii nuntii ac procuratores ipsius apostolico se conspectui presentarunt: et cum varia fuissent hinc inde proposita tam in facto consistentia quam in iure, demum, procuratoribus prefati R. electi ad fundandam intentionem suam varia exhibentibus munimenta dictoque magistro R. nonnulla suis assertionibus proponente coram nobis pro parte regis eiusdem, nobis quoque dicto magistro mandantibus, ut diceret, si vellet amplius de regis iure prefati docere, dixit se assertiones suas, super quibus etiam articulos certos exhibuit, in Alamannia, Francia, Ispania et Italia necnon et in nostra curia probaturum infra dilationes tanto et tali negotio congruentes. Nos igitur articulos predictos et alios, quos pars altera similiter obtulit, duximus admittendos, utrique partium primum diem post festum annuntiationis beate Virginis primo venturum[2] terminum peremptorium de fratrum nostrorum consilio prefigentes, in quo cum dictis testium, quos super eisdem articulis produci contingeret, et omnibus aliis actis, rationibus, munimentis et iuribus se coram nobis per procuratores ydoneos presentarent. Ne vero ratione producendorum testium daretur eisdem partibus petende ulterioris dilationis occasio, volumus[a], quod in Alamannia apud Frankenefort, in Francia Parisius, in Ispania in civitate Burgensi, in Italia Bononie et nichilominus in predicta curia nostra coram illis, quos ad hoc duxerimus deputandos,

a) voluimus *infra in ep. III, quod melius.*

1) *Les Andelys ad Sequanam fl. supra civ. Rotomagensem.* 2) *A. 1268, Mart. 26; cf. n. 661.*

in vigilia festi Omnium Sanctorum primo venturi[1], quam peremptorium terminum, ut extunc productio testium hinc inde incipiat, duximus assignandum, utraque pars ad producendos testes, quos producere voluerit, et ad videndum iurare, quos produci contigerit, studeat per procuratores ydoneos comparere. Ideoque mandamus, quatinus ad eandem civitatem Burgensem te personaliter conferens, testes, quos eedem partes vel altera earum, si reliqua forsan comparere neglexerit, coram te duxerint producendos, super eisdem articulis utriusque partis, quos tibi sub bulla nostra fecimus exhiberi, vel illius, que comparere curaverit, prudenter recipere ac iuxta interrogatoria, que tibi duxerint exhibenda, diligenter examinare procures, dicta testium eorundem redigi faciens in publica munimenta; proviso quod si dicte partes vel earum altera ibidem in predicto termino non curaverint comparere, proponas inibi publice citationis edictum, ut infra quindecim dies post citationem huiusmodi super premissis coram te comparere procurent, tuque interim, absentem expectans, testes presentis, siqua fuerit, iuxta prescriptam formam recipere ac examinare nichilominus non postponas. Si autem infra terminum dictorum quindecim dierum non venerint, eas amplius non expectes; testes autem etc.[2].

Dat. Viterbii, XV Kalendas Octobris, anno III°.

II.

Magistris Helye canonico Parisiensi et Raymundo de Caturco[3] capicerio ecclesie Aurelianensis, Parisius commorantibus.

Inter carissimos in Christo filios nostros . . regem Castelle ac Legionis illustrem et R. in Romanorum regem electos etc. ut in superiori proxima usque: Ideoque mandamus, quatinus testes, quos eedem partes vel altera earum, si reliqua forsan comparere neglexerit, coram vobis in Parisiensi civitate a predicto ad id constituto termino duxerint producendos, super eisdem articulis utriusque partis, quos vobis sub bulla nostra mittimus interclusos, vel illius etc. usque: post citationem huiusmodi, quos amplius nequaquam exponi volumus[a], super premissis coram vobis comparere procurent, vosque interim, partem expectantes absentem, testes presentis, siqua fuerit, iuxta prescriptam formam admittere ac examinare sollicite studeatis, depositiones omnium testium predictorum fideliter in scriptis redactas una cum articulis et interrogatoriis prelibatis sub vestris sigillis inclusas ad nostram quantocius presentiam transmittatis; testes autem etc.

Dat. Viterbii, VI Kalendas Octobris, anno III°.

III.

Magistro Fredolo de Sancto Boneto canonico Magalonensi[4], capellano nostro.

Inter carissimos in Christo filios nostros . . regem Castelle ac Legionis illustrem et R. in Romanorum regem electos etc. ut in tertia superiori usque: voluimus, quod in Alamannia apud castrum de Frankenefort Maguntine diocesis, in Francia Parisius etc. usque: Ideoque mandamus, quatinus ad predictum castrum de Frankenefort te personaliter conferens, testes, quos eedem partes etc. usque: non expectes; testes autem etc.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Octobris, anno III°.

---

a) *I. e. citationem prorogari papa non vult; cf. finem ep. antecedentis.*

1) *A. 1267, Oct. 31.* 2) *Cf. ep. V.* 3) *Cahors.* 4) *E mer. civ. Montpellier.*

IV.

Eidem.

Super questione, que inter carissimos in Christo filios nostros . . regem Castelle ac Legionis illustrem et R. in Romanorum regem electos de Romano imperio vertitur coram nobis, receptionem et examinationem testium hinc inde apud castrum de Frankenefort Maguntine diocesis certo producendorum termino tibi duximus per nostras sub certa forma litteras committendas. Ne vero quovis eventu executio tanti negotii valeat impediri, discretioni tue committendi super hoc vices tuas dilecto filio magistro Iohanni de Parma dicto de Palaxono scriptori et familiari nostro, canonico ecclesie Mantuane, si de te humanitus aliquid evenire contigerit, propter quod huiusmodi executioni commode intendere non valeres, et faciendi sibi dictum negotium prosequenti de necessariis provideri ac contradictores etc. usque: compescendi plenam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Octobris, anno III°.

V.

Magistro Raymundo Atgerii canonico Andeliacensi Rothomagensis diocesis, capellano nostro[1].

Super questione, que inter carissimos in Christo filios nostros . . regem Castelle ac Legionis illustrem et R. in Romanorum regem[a] electos etc. ut in superiori proxima usque: hinc inde apud civitatem Burgensem certo producendorum termino etc. usque: vices tuas dilecto filio magistro Bernardo Iacobi scriptori nostro, canonico Mimatensi[2], si de te aliquid humanitus etc. usque: facultatem.

Dat. Viterbii, IIII Kalendas Octobris, anno III°.

666.

Clemens IV papa [quartum] processum contra Conradinum, qui Veronam cum militia intrare praesumpserit, et nominatos fautores eius habitum publicat.

1267, Nov. 18.

Clem. IV Reg. Vol. I, 206; Lib. III, cur. 18. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 150, n. 19; BFW. 9838.

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.

Quia[b] Conradinus, nepos olim Friderici quondam Romanorum imperatoris, ad obtinendum imperium *etc. ut p. 673, lin. 32—39 usque:* subiacere.

Cumque prefatus Conradinus, precepta, inhibitiones et comminationes huiusmodi presumptuose contempnens et nequaquam abstinens a premissis, suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse *etc. ut p. 674, lin. 6—16 usque:* universas et singulas inhibitiones, denuntiationes, comminationes et sententias memoratas de predictorum fratrum consilio in die cene Domini nuper preterito pontificatus nostri anno tertio in hac eadem Viterbiensi ecclesia, presente tunc multitudine fidelium copiosa, [innovantes][c], omnes illos, qui

a) reges *apogr.* b) Quiua *R.* c) innovantes *deest R.*

1) *Cf. ep. I.* 2) *Mende in Gallia.*

contra easdem inhibitiones, denuntiationes et comminationes temere veniendo in sententias prefatas inciderant, ac specialiter Podii Bonizi et Sancti Miniati castrorum incolas Vulterane diocesis *etc. ut p. 674, lin. 20—34 usque:* Alioquin extunc — ipsius non obstante absentia — procederemus gravius contra eum, prout videremus expediens ac iustitia postularet.

Et quia eiusdem Conradini presumptuosa temeritas fautorumque suorum manifestis indiciis revelata malitia ipsos nobis tam ex causis premissis quam ex aliis de turbatione status Italie reddebant manifesta ratione suspectos, nos de ipsorum fratrum consilio in festo ascensionis Dominice transacto novissime[1] in eadem Viterbiensi ecclesia, multitudine ibi presente fidelium, eidem Conradino ingressum Italie curavimus inhibere districtius[2], eo tamen salvo, quod si ad nostram presentiam infra terminum, quem ad hoc sibi duxeramus ut predicitur prefigendum, personaliter et pacifice venire vellet, mandatis apostolicis pariturus, et super hoc nos precertificaret tempore oportuno, ita studeremus providere negotio, quod securus eidem ac nostris et ecclesie fidelibus non suspectus ad sedem eandem pateret accessus. Quod si aliter contra mandatum nostrum et sedis ipsius Lombardiam vel alias partes Italie intrare vel capitaneum aut militiam seu aliam quamcumque gentem illuc destinare presumeret, nos tam ipsum Conradinum quam omnes illos, qui cum eo venirent taliter vel pro ipso, necnon et omnes illos, qui eum aut venientes pro eo reciperent seu ad ipsorum[a] adventum vel transitum eis per se vel per alium darent consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum, extunc excommunicationis sententia duximus innodandos.

Cum autem idem Conradinus prefatas nostras inhibitiones, comminationes et sententias contempnendo non solum a predictis, sibi tam sollempniter, tam manifeste ac seriose prohibitis, abstinere contempserit, se falso ac temere gerendo pro rege Sicilie, utendo sigillo, intitulatione ac denominatione premissis et cum persecutoribus ecclesie ac regis Sicilie predictorum se in diversis mundi partibus in eorundem ecclesie ac regis preiudicium et pacifici status Italie turbationem variis factionibus implicando, verum etiam contemptui contemptum accumulans et suos graves excessus gravioribus aggravans, in tantam proruperit aperte presumptionis audaciam, quod Veronensem civitatem[b] cum militia, elapso dudum dicte citationis termino, intrare presumpsit[3], se ultra velle progredi comminans et ad regni eiusdem invasionem intendere nimis presumptuose proclamans: nos, debita meditatione pensantes quod impunitas ausum parit, ausus excessum, ac intendentes ausibus eius tam gravibus antidotum debite repressionis opponere condigneque castigationis penam suis excessibus adhibere, presertim cum ex premissis liquido pateat, quod in eo malitia etatis terminos non solum prevenit, sed excedit, eundem Conradinum, pro eo quod non solum a prohibitis sibi non abstinens, sed similia, immo etiam prioribus longe peiora committens, inhibitiones, comminationes et sententias predictas contempnere non expavit, contra eas taliter et alias etiam multipliciter veniendo, sicut facti evidentia publicat et communis notitia publice protestatur, ipsum de predictorum fratrum consilio denuntiamus latam in eum per nos ut premittitur excommunicationis sententiam incurrisse, de novo nichilominus ex eisdem causis excommunicantes eundem, ac omnes et singulos, siqui se ad prestandum ei super premissis imperio sive regno auxilium, consilium vel favorem

a) ad ipsorum *iterum scriptum punctis deletum est.* b) *In margine manus saec. XIII exeunt. annotavit:* hic attende, quod Corradinus adhuc erat Verone, quando fuit privatus regno Ierosolimitano, ut infra patet.

1) *A. 1267, Mai. 26. Hic tertius processus fuit contra Conradinum habitus, de quo instrumentum non superest.* 2) *A. 1267, Iul. 8 papa [Philippo] archiepiscopo Ravennati in Lombardia, Romaniola, marchia Tervisina etc. plenae legationis officium commisit; Lib. III, 56; Potthast 20072; cf. 20074, 20112, 20344.* 3) *A. 1267, Oct. 21; BF. 4838b.*

iuramenti vinculo astrinxerunt, denuntiantes iuramento huiusmodi non teneri et ab observatione ipsius eos nichilominus absolventes, et si forsan in huiusmodi propositi seu obligationis prosecutione persistiterint, exnunc excommunicantes eosdem. Memorato insuper Conradino expresse ac districte mandamus, ut infra mensem computandum exnunc de Verona et tota Italia cum omni sua gente omnino discedat, nec de imperio vel Italia et specialiter de regno Sicilie aut aliqua parte ipsius, in quo[a] eum, sicut per sententiam felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri contra eundem avum ipsius latam in concilio Lugdunensi evidenter constat, declaramus aperte ius aliquod non habere, se decetero per se vel per alium aliquatenus intromittat aut aliquid in hiis, que ad imperium vel regnum predicta pertinent, contra easdem inhibitiones nostras quomodolibet attemptare presumat. Alioquin ipsum regno Ierosolimitano[1] et omni iure, siquod habet in eo[b], apostolica exnunc auctoritate privamus et vassallos eius ubilibet constitutos ab omni iuramento fidelitatis absolvimus, siquo tenentur eidem.

Omnes vero et singulos, qui eidem Conradino in predictis prestiterint auxilium, consilium vel favorem, et specialiter . . ducem Bawarie[2], . . comitem Tyroli[3], Bosum de Dovaria[4], Manfredum Malet, qui se comitem camerarium nominabat[5], et Conradum Trinza[6], quos notorium est ipsi Conradino in predictis assistere ipsumque fovere, . . potestatem etiam, . . capitaneum, consiliarios ac singulos officiales et cives predicte civitatis Veronensis, qui licet per syndicum ad hoc specialiter et legitime ordinatum nostris et ecclesie mandatis parere iuraverint, tamen eundem Conradinum[c] cum gente sua [receperunt][d], ceterosque marchiones, comites, barones et alios, cuiuscumque sint dignitatis aut status, qui eius nuntios seu litteras contra predictas inhibitiones nostras veniendo ausu temerario receperunt seu alias prestiterunt ei consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis[7], ipsam autem civitatem Veronensem et cetera castra, civitates et loca, que predictas nostras inhibitiones contra ipsas faciendo hactenus contempserunt, interdicti declaramus sententiis subiacere ac nichilominus de novo ex eisdem causis ac exigente aucta eorum ex tanti temporis continuatione perfidia similibus sententiis innodamus. Specialiter autem terram memorati ducis et districtum eiusdem civitatis Veronensis, nisi infra duos menses prorsus a Conradini eiusdem in premissis favore desistant, ecclesiastico exnunc supponimus interdicto. Cives vero et incolas predicte civitatis Veronensis et omnes marchiones, comites, barones[e] et alios quoslibet, cuiuscumque sint dignitatis aut status, qui eundem Conradinum aut eius capitaneum vel militiam seu quamcumque aliam gentem pro ipso decetero in aliqua

---

a) qua *R.* b) *In margine manus saec. XIII exeunt. annotavit:* Processus, per quem privatur Corradinus regno Ierosolimitano, dum esset adhuc Verone, ut ex superioribus patet, et nichil occupasset, nisi verbo nomen regium, quo ad regnum Sicilie, et attende privationis modum et causam. c) *eadem, ut videtur, manus annotavit:* sequitur absolutio vassallorum a iuramento fidelitatis. d) receperunt *deest R.* e) *in margine:* not.

1) *Cf. p. 667, not. 4.* 2) *Ludowicum II. A. 1267, Dec. 21 papa Carolo regi scripsit contra duces Bavariae suo tempore processurum se esse; Potthast 20194. Ludowicus dux a. 1268, Ian. in Germaniam rediit; BF. 4848a; cf. Potthast 20282.* 3) *Meinhardum comitem Goritiae et Tyroli, qui Elisabeth matrem Conradini in matrimonium duxerat. Albertus frater eius a. 1267, Iul. 20 Gregorium de Montelongo patriarcham Aquilegiensem ceperat; BFW. 12029, 12033. A. 1267, Aug. 12 papa decano et capitulo Aquilegiensibus inhibuit, ne si patriarcha captus de medio tolleretur, ad electionem procederent; Lib. III, cur. 9; Posse p. 46, n. 584; cf. Potthast 20136 et 20145 [cf. BFW. 9825]; cf. etiam BF. 4848a et BFW. 12048.* 4) *Cf. Ann. Placent. SS. t. XVIII, p. 522 et sequ.* 5) *Cf. BF. 4840, 4841; Del Giudice, Cod. dipl. t. I, p. 207; t. II, p. 2, not. et p. 204.* 6) *Cf. p. 674, not. 1.* 7) *Cum Conradinus Veronae esset, archiepiscopus Ravennas legatus [cf. p. 684, not. 2] excommunicavit eum, Veronam, Papiam, Pelavicinum et suos; Ann. Mantuani, SS. t. XIX, p. 25; cf. Hormayr, Geschichte der Grafsch. Tirol p. 407, n. 186.*

parte Italie contra easdem nostras sententias, inhibitiones seu comminationes receperint, omnibus privilegiis[a], indulgentiis et gratiis quibuscumque ab apostolica sede obtentis exnunc apostolica auctoritate privantes, ipsos manere decernimus omni officio et honore privatos, ita quod nullus eorum in potestatem, capitaneum seu rectorem aut ad alia quecumque officia vel honores possit assumi, et si aliqui eorum assumpti fuerint, sententie late per ipsos, si iudices, et instrumenta confecta, si tabelliones fuerint, vel si quecumque officia gesserint, omnia, que per ipsos vel eorum auctoritate seu ministerio in iudicio vel extra fieri seu geri contigerit, carere decernimus omni robore firmitatis et nullius penitus esse momenti. Et nichilominus personas eorum citra mortis et mutilationis periculum, necnon et bona mobilia exponimus[b] impune ab omnibus ac libere capienda. Predictos insuper Veronenses monemus et eis districte precipimus, ut infra mensem dictum Conradinum et gentem suam repellentes, ab ipsius prorsus favore desistant. Alioquin civitatem Veronensem pontificali dignitate, clericos vero ipsius incolas quibuslibet dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis obtentis privare curabimus et reddere inhabiles ad alia obtinenda, prout facti suadebit qualitas et viderimus expedire, adversus alia etiam castra, civitates et loca Italie, que dictos Conradinum vel capitaneum seu gentem suam ut premittitur contra nostras inhibitiones, comminationes et sententias deinceps receperint, ad similes privationum penas, prout expediens fore putabimus, processuri[1].

Ut autem huiusmodi noster processus *etc. ut p. 670, lin. 15—21 usque:* publicatur.

Actum in prefata maiori ecclesia Viterbiensi, in die dedicationis basilice beatorum apostolorum Petri et Pauli, pontificatus nostri anno tertio[2].

667.

Clemens IV papa R[oberto] episcopo Avinionensi concedit, ut ecclesia eius, infra fines imperii Romani constituta, quadam constitutione imperiali ad successionem feudorum spectante non teneatur. *1267, Dec. 9.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 178; Lib. III, 111. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9845.

R. episcopo Avinionensi.

Tuis[3] et ecclesie tibi commisse procurandis profectibus eo promptiori affectu libenter intendimus, que te claris tuis exigentibus meritis necnon et eandem ecclesiam speciali quadam dilectione sincerius in caritatis nostre visceribus continemus. Sane, sicut petitionis habebat series, que pro parte tua nobis nuper extitit presentata, quidam nobiles, milites et alii laici partium illarum nonnullas villas, terras, possessiones et alia temporalia, que a longis retroactis temporibus largitione imperiali ad Avinionensem ecclesiam infra Romani fines constitutam imperii pervenerunt, in feudum

---

a) *in margine litteris cursivis quoddam verbum, fortasse* privilegia, *scriptum est.* b) *In margine manus illa saec. XIII exeunt. annotavit:* Expositio personarum et bonorum.

1) *A. 1267, Oct. 26 G[uidoni] tit. S. Laurentii in Lucina presbytero cardinali legato scripsit ad partes Alamanniae generalem legatum destinare se cogi, existente in ianuis Conradino, qui Tridentum veniens transire desideraret Veronam, eique mandavit, ut adventum legati venturi praeveniret; Potthast 20150. Sed alius legatus missus non est; cf. Potthast 20222, 20319, 20480; et Posse p. 48, n. 608.* 2) *Nov. 26 rectoribus fraternitatis Romanae sententias contra Conradinum, Pisaños, Senenses et fautores eorum Nov. 18 latas transmisit, mandans ut eas in Urbe publicarent; Potthast 20175.* 3) *Ad verbum eandem concessionem Clemens B[ertrando] episcopo praedecessori Roberti a. 1265, Nov. 28 iam fecerat; Lib. I, 176; Iordan 177.*

noscuntur ab eadem ecclesia obtinere. Verum in quodam privilegio imperiali constitutione cavetur, ut in feudis, que de bonis huiusmodi orirentur, illis, qui ea pro tempore obtinerent, non nisi filii vel nepotes eorum aut alii ab ipsis per rectam descendentes lineam absolute vel patres aut matres eorum ad vitam suam duntaxat succedant, ita quod post patrum et matrum ipsorum obitum feuda eadem ad prefatam ecclesiam totaliter devolvantur. Unde contingit interdum, quod prefati nobiles, milites et laici eiusdem ecclesie feudatarii, non habentes aliquos, ad quos iuxta privilegii tenorem predicti huiusmodi bona, que habent in feudum, debeant devenire, hoc pretextu ad procurandum bona eadem, sicut foret expediens, non curant intendere, per quod ipsi ecclesie detrimentum non modicum noscitur imminere. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum eidem ecclesie utile plurimum videatur, quod circa feuda ipsa successionis iure habenda cum predictis feudatariis aliter ordinetur, tibi et ipsi ecclesie de oportuno dignaremur super hoc remedio subvenire. Nos igitur, tuis supplicationibus inclinati, ut — constitutione non obstante predicta — super hiis cum prelibatis feudatariis de tui capituli aut maioris partis eorum consensu componere auctoritate nostra valeas ac etiam ordinare, prout utilitati eiusdem ecclesie melius videris expedire, fraternitati tue auctoritate presentium duximus concedendum; proviso ut illud, quod ratione compositionis sive ordinationis huiusmodi ad te perveniet, in emptionem possessionum aliquarum seu alias in ipsius ecclesie utilitatem integre convertatur.

Dat. Viterbii, V Idus Decembris, anno III°.

668.

Clemens IV papa Henricum electum Trevirensem propter crimina, quae narrat, ab officio et beneficio suspendit. *1267, Dec. 19.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 186; Lib. III, 134. Exemplar, quod Martène, Thes. t. II, p. 548, n. 570 edidit, cum Regestis collatum a V. Cl. Monaci, contulimus cum illo, quod Gestis Trev. SS. t. XXIV, p. 444 insertum est.

Potthast, Reg. 20191; Görz, Mittelrhein. Reg. t. III, p. 525, n. 2318; BFW. 9850; legitur haec ep. etiam ap. Berardum de Neapoli, qui ei annotavit: 'Ipse Clemens fecit istam'; Kaltenbrunner in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VII, p. 35 et 563, n. 124.

Ad perpetuam rei memoriam.

A via rectitudinis plures ducit in devium, plures a patrum terminis trahit in exterminium effrons malitia prelatorum, qui de sua presumentes potentia, dum peccandi sibi pro libito vendicant libertatem, a subditorum animis Dei prorsus timorem abigunt, qui non esse timendum extimant, quod a suis vident pastoribus non timeri. Verus ergo vicarius Ihesu Christi, cui cura debet esse de omnibus, cum sit datus a Domino super omnes ecclesias speculator, licet in tanta nequeat multitudine populi Christiani singulorum vultus agnoscere, debet saltem diligenter attendere et fideliter indagare presidentium famam et vitam, ne cum tandem ad manum venerit numerantis, Ierem. 33, 13.
ab eodem grex perditus requiratur, tanquam gregem ipse perdiderit, dum ab eius custodia furem vel mercennarium non amovit. Hinc est, quod felicis memorie Urbanus papa predecessor noster, cum ad eius pervenisset auditum, quod Henricus Treverensis electus, palleo non obtento archiepiscopum in suis litteris se nominare presumens, in Reni flumine theloneum sive pedagium motu proprio instituerat, et hoc ipso ligatus excommunicationis sententia, divina celebrabat officia, immo, quantum erat in ipso, potius prophanabat, erat insuper symonia, periurio, sacrilegio, homicidio et criminibus aliis irretitus, bona Treverensis ecclesie dilapidans et consumens, inquisitionem super

premissis omnibus primo venerabilibus fratribus nostris . . Warmaciensi[1] et . . Spirensi[2] episcopis et dilecto filio . . abbati de Rodequirke[3] Premonstratensis ordinis sub certa forma commisit[4]; quorum processus sibi exhibitos[5] predecessor idem reputans defectivos, idem negotium fratribus Willelmo et Rorico de ordine fratrum Minorum iterato commisit[6]; qui licet diu iuxta datam sibi peritiam magis forte fideliter quam prudenter in negotio laborassent, quia tamen iuris apices in omnibus non attenderant, nos eorundem processum nobis exhibitum de fratrum nostrorum consilio iustitia cassavimus exigente, predicentes eidem electo tunc in nostra presentia constituto[7], quod inquisitionem contra ipsum ab eodem predecessore commissam per nos vel alios, prout videremus expediens, prosequi volebamus. Cumque postmodum super certis articulis sibi traditis respondisset[8], nunc a nobis, nunc ab aliis, quibus hoc interdum commisimus, requisitus, a nonnullis ecclesie Treverensis canonicis sepe fuimus excitati, ut responsiones ipsius discuteremus ad plenum, cum per eas, ut firmiter asserebant, ab eiusdem iugo pestifero dicta posset ecclesia liberari. Sane licet id distulerimus multo tempore, negotiorum undique confluentium impediti concursu, responsiones tandem colligentes easdem et quasdam excusationes ab eodem oblatas tam super articulis in rescripto dicti predecessoris nostri contentis quam super aliis, que nostro tempore postmodum emerserunt, collationem cum fratribus nostris habuimus diligentem.

Et quidem, ut, omisso quod se non habens palleum archiepiscopum nominaverat, quod licet esset erroneum, simplicitati vel errori scriptoris poterat imputari, a theloneo, quod imposuisse dicitur, sumamus initium, ex confessione liquet ipsius, quod uno anno illud vendiderat et magnum pretium inde perceperat: quod utique novum esse videtur non posse ambigi, nisi concessione seu privilegio principis aut continuata perceptione a tempore, cuius non extet memoria, valeat excusari. Quod si novi pedagii fuit impositor, latas dudum contra tales a Romanis pontificibus et annis singulis innovatas sententias[9] non evasit. Nec iuvare se poterat, ut videtur, litteris bone memorie H[ugonis] tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, a quo vel cuius auctoritate fuerat absolutus[10]; qui licet sedis apostolice penitentiarius generalis existeret et a sententiis posset absolvere generalibus, si aliud non obstaret, ab hac tamen nequivit absolvere, cum super ea facta esset per nostrum predecessorem, ut diximus, certis personis commissio specialis, pro qua etiam mandabatur citari, ut veniret ad curiam pro meritis recepturus, cum nec generalis legatus in causis commissis alii specialiter quicquam possit, et regulariter in omni iure generi per speciem derogetur[11]. Sed nec absolutio fratris Martini penitentiarii minoris[12] eidem utilis videbatur, ratione consimili, non obstante quod eius littera continebat se de dicti predecessoris nostri speciali mandato ab omni eum excommunicationis sententia absolvisse, cum de mandato non constet, et etiam si constaret, huiusmodi generalitas illam specialem sententiam non includeret, de qua non extitit cogitatum, nisi de speciali commissione predicta facta fuisset mentio in mandato. Sed nec ad istam sententiam, de qua agimus, absolutio potest extendi, super quam absolventis intentio minime ferebatur, cum prorsus incredibile, quin etiam detestabile videatur, ut ligatus pro certa pecunie quantitate, quam papali debebat camere[13], a tali sententia absolutus, si predictam pecuniam certa die non solveret, non in illam solummodo, sed in alias relaberetur sententias, sicut habet series littere

1) *Eberhardo.* 2) *Henrico II.* 3) *Rothenkirchen Maguntinae dioc., in Nassovia.* 4) *A. 1261, Nov. 22; Potthast 18157.* 5) *Cf. BFW. 11909 sub a. 1262, Mai. 23.* 6) *Cf. supra n. 530.* 7) *A. 1263, Dec. 6 iter ad curiam proficiscendi aggressus fuerat; Gesta Trev., SS. t. XXIV, p. 435; cf. Görz, l. c. t. III, p. 493, n. 2182.* 8) *A. 1267, Ian. 5; cf. ap. Martène, Ampl. coll. t. IV, p. 476 et sequ. acta processus contra electum apud curiam habiti.* 9) *Cf. n. 587 et 588.* 10) *BFW. 9267 et 9284 sub a. 1261, Dec. 21 et a. 1262, Mai. 27.* 11) *Corp. iur. canon. c. 2 X [Lib. I, tit. XXX] de officio legati.* 12) *A. 1262, Ian. 27; Martène, Ampl. coll. t. IV, p. 471.* 13) *Cf. p. 476, not. 7.*

fratris Martini predicti. Unde rectus non patitur intellectus, quod de aliis sententiis senserit quam de illis, que in eum fortasse pluries ob dictam pecuniam, quam se soluturum iuraverat, prout dicitur, fuerant promulgate. Ex quo videtur posse concludi ulterius, quod nec ab illis efficaciter extitit absolutus, si de aliis tacuit, cum talis absolutio prodesse nequeat, cum obrepticia sit censenda; quam etiam veritatem intelligens nullatenus exhibere deberet. Quod vero ad defensionem dicebatur ipsius: latam contra impositores sententiam eum non tangere, cum decessor ipsius dictum pedagium percepisset, et sic non iste impositor dici poterat, sed impositoris successor: satis validum et ad eius defensionem sufficiens aliqui reputabant, cum nec nominis dicatur impositor, quicumque nominat alium suo nomine, sed qui primus imposuit ipsum nomen. Ad quod poterat responderi, quod de factis licitis et illicitis non est dandum iudicium uniforme. Que enim licite predecessor obtinuit, quodam iure continuo ad eius transeunt successorem, unde et una persona in talibus extimantur. Ubi vero de illicitis agitur seu delictis, decessorem cum successore non unam personam dicimus, sed capita potius singulorum inspicimus qui delinquunt, et[a] idcirco promissoris, qui vim promisit non facere, vis alia dicitur quam heredis, nec est proprie continuitas in illicitis. Unde vitiosa possessio alteri vel ei altera non accedit. Sane quotquot primo succedant novum ponentes pedagium, cum scelus proprium prosequantur, impositores utique sunt censendi. Nam in Machabeorum hystoria de pueris legimus Alexandri, quod imposuerunt sibi diademata ipsi et filii eorundem post ipsos; quod profecto sic debet intelligi, quod cum in regnis per violentiam occupatis ius aliquod non haberent, novam singuli committebant iniuriam, et ideo singuli sibi diademata imponebant. Hoc etiam satis approbat canon antiquus, qui episcopis prohibet ex usu etiam gravamen seu servile officium imponere subditis, evidenter insinuans, quod precedens usus illicitus prosequentem usum huiusmodi impositorem non prohibet nominari. Civili rursus cautum est sanctione, quod licet exercitor pro magistri delicto, quem non ipse sed alius preposuerat, teneatur interdum ignorans, si tamen scit et patitur, ipse adeo eum imposuisse videtur, ut secundum communem et celebrem intellectum non quasi pro imposito ab alio teneatur, sed potius a se ipso. Si ergo, ut dicit, percipiebat novum pedagium predecessor, successor utique, qui scivit et passus est percipi, imposuisse dicendus est verius quam impositum percepisse.

1. Mac. 1, 10.

Secundo videbatur idem electus pernitiose fuisse negligens, cum per sex annos et amplius[1] in pallei, quod instanter petere debuisset, petitione cessasset, et hoc ipso iuxta sacrorum canonum sanctiones dignitate commissa carere debebat[2]; qui licet felicis recordationis Alexandri et Urbani temporibus predecessorum nostrorum se id per suos petisse nuntios speciales assereret, addens quod etiam vacante ecclesia idem petierat a collegio cardinalium, confessus est tamen, quod nostro tempore non petierat, quia a fratribus nostris aliquibus ei dictum extiterat, ut dicebat, quod, contra ipsum inquisitione pendente, nullomodo daretur eidem.

Tertio videbatur inexcusabilis, qui, prout confessus est coram nobis, Phylippum quondam Metensem episcopum confirmavit et consecrari mandavit[3], quem negare non poterat pati intolerabilem in litteratura defectum, cum id esset in partibus illis notorium, nec eum latere poterat, qui decanus Metensis ecclesie fuerat multo tempore, in qua idem Phylippus erat canonicus cum eodem. Nec sufficere videbatur ad excusationem ipsius, quod non ipse examinaverat, sed examinandum commiserat personis providis et discretis[4], cum patenter indigni examinandi non sint, sed a limine potius

a) Nec *Gesta Trev.*

1) *Cf. p. 467, not. 1.* 2) *Cf. Corp. iuris canon. c. 1, dist. 100 [Decreti pars I].* 3) *Cf. n. 577.* 4) *Cf. Martène, Ampl. Coll. t. IV, p. 479.*

repellendi; nec excusat negotiorum instantia, quam allegat, cum ipsius defectum tam patulum, quamvis plenarie sibi notum, deprehendere facile in transcursu etiam potuisset et aliis in iudicio publicare. Quanti similiter reatus existat indignos ecclesiis collegiatis preficere, satis indicat generale concilium, dum testatur nichil magis ecclesiis Dei officere[1]; ex quo sequitur nichil superioribus artius evitandum, nichil in transgressoribus acrius puniendum.

Quarto vero reperiebatur culpabilis, quia cum per sex annos et amplius sacerdos fuerit, nec unam missam, prout habet eius confessio, celebravit; quod quam gravis sit culpe, satis indicat generale concilium, quod tam graviter illos arguit ac etiam puniendos ostendit, qui vix celebrant ter vel quater in anno[2]; et quod dixit ab initio se excusans, quod non celebraverat, quia palleum non habuerat, frivolum esse liquet, cum ante receptum palleum, licet quedam pontificalia non debuerit exercere, bene tamen et libere poterat celebrare. Sed non prodest, quod addidit, quod habebat conscientiam aliquantulum scrupulosam, quia eo peccavit gravius, quod sibi salutari remedio non providit.

Quinto constabat per confessionem ipsius, quod, memorato Urbano predecessore nostro altare quoddam in Urbeveteri consecrante[3], ipse inter episcopos alios assistentes eidem una cum eis consecrationis peregit officium, quod sibi videbatur inhibitum, palleo nondum habito, cum non sit ratio, cur cum alio debeat alibi consecrare, qui in sua existens diocesi vel provincia presumere talia non deberet.

Sexto reus periurii videbatur, quia per publicum instrumentum sigillo roboratum eiusdem evidentius apparebat, quod certam quantitatem argenti in transacto iam dudum termino quibusdam Senensibus mercatoribus solvere debuisset, quibus adeo satisfacere non curavit, quod etiam eisdem conquerentibus coram nobis contendere quam cedere maluit, cum eis litem in iudicio contestatus. Sed ad sui defensionem proposuit, quod contractus huiusmodi extitit simulatus, condicionalis etiam et non purus, facti processum in hunc modum proponens. Dixit siquidem, quod licet dictum contineat instrumentum se fuisse confessum, quod sexcentas marcas receperat a mercatoribus antedictis, nullam prorsus receperat nec spe future numerationis sibi faciende istud confessus fuerat, immo cum alio tractatum habuerat, quod a rege Riccardo dari sibi duodecim milia marcarum argenti efficaciter procuraret[4], que predecessori suo idem rex dare voluerat; et si hoc ut predictum est ille cum quo tractaverat procuraret, tunc idem electus sexcentas marcas dare debebat eidem per manus mercatorum dictorum; et ideo se dictis mercatoribus obligavit in sexcentis marcis predictis, quas tamen nec ipsi mercatores dare illi tertio nec ipse electus mercatoribus tenebantur, donec essent premissa per illum tertium efficaciter procurata. Verum continetur in instrumento predicto, quod si marcas predictas in termino prefixo non solveret, nec palleum nec consecrationem peteret nec reciperet, donec esset predicta quantitas persoluta, et ad omnia supradicta complenda iuramento proprio se astrinxit. Ex hiis autem grandis obiectio contra eum videbatur insurgere. Nam si que asserit non probaverit, cum stare oporteat instrumento, convincitur de periurio manifeste. Si vero probaverit quod proponit, commisisse videtur evidentissime symoniam, quam committi testantur canones, sive detur seu promittatur vel recipiatur pecunia, ut spirituale quid fiat[a]. Cum igitur iste contraxerit mutuum sub condicione saltem, ut dicit, et donec solvisset, ad non recipiendam consecrationem et palleum non petendum se iuramento

---

a) sive etiam ut non fiat *add. Gesta Trev.*

1) *Corp. iuris canon. c. 44, X [Lib. I, tit. VI], de elect.* 2) *Corp. iuris canon. c. 9, X [Lib. III, tit. XLI], de celebr. miss.* 3) *A. 1264; cf. p. 688, not. 7.* 4) *Cf. BF. 5401 et Martène, Ampl. Coll. t. IV, p. 503.*

astrinxerit, censendus est symoniacus, ut videtur; nec proderit, si dicatur, quod defecit conditio, et idcirco contractus habendus est pro infecto. Nam in contractibus conditionalibus et potest suspendi obligatio et pure symonia committi, sicut in usurariis iudicamus. Nam et qui promittit pecuniam, si ecclesia sibi detur, et qui stipulatur usuram, si sors soluta sibi non fuerit certa die, reus est criminis, etiam si condicio non existat; nec est in casu huiusmodi symonia solius intentionis, que deletur per penitentiam, cum sit hec intentio non occulta sed certis pactionibus denudata.

Septimo dicebatur, quod excommunicationem incurrerat, quia . . abbatem Sancti Mathie[1] et duos eius monachos sacerdotes in castro eius captivos nec liberaverat nec procuraverat liberari. Ad quod responderat se fecisse quod poterat, quia . . officiali Treverensi et . . priori fratrum Predicatorum ac . . guardiano fratrum Minorum in Confluentia mandaverat, quod monerent eum qui castrum tenebat, ut eos redderet, alioquin denuntiarent excommunicatum eundem et comminarentur eidem, quod feudis, que a Treverensi tenet ecclesia, privaretur. Ex hiis vero suam malitiam satis detegere videbatur; nec enim fideliter fecerat, que facere debuisset. Nam licet habeat communis opinio, quod dictus abbas, quem ipse reputat inimicum, captus fuit saltem in favorem ipsius, et ipse electus plus non fecerit: cum tamen et comminationem exequi per alium potuisset et excommunicasse et excommunicationis aggravasse sententiam multis modis, non caret scrupulo[a] societatis occulte, tam manifesto facinori desinens obviare.

Hiis igitur et aliis que ad presens discuti poterant diligenter inspectis, licet multis prudentibus videretur, quod nos contra memoratum electum procedere gravius valeremus: quia tamen aliqua de facto proposuit, que eum in aliquo forsitan relevarent, ut eo iustius quo et certius in negotio procedamus, ad aliqua infra certum probanda terminum eum admittere proponentes, prout requiret iustitia et equitas suadebit, ne in ipsius manibus Treverensis ecclesia interim naufragetur, ab officio et beneficio eum suspendimus, summam aliquam taxaturi, que eidem ad prosecutionem negotii de redditibus sepefate Treverensis ecclesie ministretur per eos, quibus administrationem eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus committemus, potestatem nobis plenam et integram reservantes ex hiis, de quibus iam liquet, contra eundem electum nullis aliis probationibus aut processibus expectatis, quando et quotiens nobis expedire videbitur, ad alia procedendi etiam graviora, in allegationibus iuris eidem iuxta factum, de quo constiterit, audientia minime deneganda.

Dat. Viterbii, XIIII Kalendas Ianuarii, anno III°[2].

669.

Clemens IV papa [Alberto] episcopo Ferrariensi mandat, ut excommunicationem latam in Caesenates pro eo, quod exercitu congregato civitatem Saxenatem occupaverint, observari faciat. *1268, Ian. 18.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 195; Lib. III, 153. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 47, n. 598; BFW. 9858.

---

a) scripulo *R.*

1) *Theodericum; cf. Gesta Trev. SS. t. XXIV, p. 444 et Potthast 19584.* 2) *Cf. Gesta Trev. SS. t. XXIV, p. 448 et BFW. 9895 et 10617a et sequ.*

.. episcopo Ferrariensi.

Sua nobis venerabilis frater noster G[ratia] episcopus Saxenas[1] petitione monstravit, quod .. potestas, consiliarii et commune civitatis Cesenatis, Dei timore ac reverentia a se prorsus abiectis, congregato generali exercitu ad civitatem Saxenatem, in qua prefatus episcopus et ecclesia Saxenas iurisdictionem obtinet temporalem, hostiliter accedentes, eisdem episcopo et ecclesie ac hominibus civitatis Saxenatis predicte dampna gravia irrogarunt, in ipsa ecclesia et eius cimiterio turpia scelera committendo, ac nichilominus civitatem eandem temere occupantes, ipsam detinent occupatam in eorundem episcopi et ecclesie preiudicium et gravamen; propter quod nominatus episcopus in prefatos potestatem et consiliarios ac homines civitatis Cesenatis eiusdem et in omnes illos, qui eis super premissis dederunt consilium, auxilium et favorem, quia ab eo diligenter moniti de predictis eisdem episcopo et ecclesie satisfacere non curarunt, cum hec adeo essent notoria, quod nulla possent tergiversatione celari, auctoritate ordinaria excommunicationis sententiam exigente iustitia promulgavit. Quare dictus episcopus a nobis humiliter petiit, ut eandem sententiam robur faceremus firmitatis debitum obtinere. Quocirca mandamus, quatinus sententiam ipsam, sicut rationabiliter est prolata, facias auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam appellatione remota inviolabiliter observari. Et si postquam eandem sententiam tibi constiterit rite latam, prefati potestas, consiliarii et homines ac alii supradicti eam per duos menses sustinuerint animo indurato, ipsos extunc singulis diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis, ubi et quando expedire videris, excommunicatos publice nunties ac ab aliis usque ad satisfactionem condignam nuntiari facias et ab omnibus artius evitari.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Februarii, anno tertio.

670.

Clemens IV papa [Otakaro] regi Bohemiae, qui contra infideles Galandiae, Getvesiae et Letowiae profecturus petivit, ut de terris subiciendis metropolis statueretur et Olomucensis ecclesia dignitate archiepiscopali praesigniretur, respondit se votis eius sine praeiudicio ecclesiae Maguntinae annuere non posse, sed super hiis provisurum esse, prout expedire viderit. *1268, Ian. 20.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 189; Lib. III, 141. Exemplar, quod Boczek, Cod. dipl. Moraviae t. IV, p. 1 edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 20230; BFW. 9860.

.. regi Boemie illustri[a].

Significavit nobis regia celsitudo, quod tu in brevi contra infideles in Galandia[2], Getvesia[3], Letowia et aliis adiacentibus provinciis existentes, qui dilectos filios fratres hospitalis Sancte Marie Theutonicorum et alios Christi fideles in Pruscie partibus constitutos incessanter affligunt, iuxta conventionem inter te ac fratres ipsos habitam[4]

---

a) Eidem *R.; antecedit Potthast 20246.*

1) *Guido praedecessor eius a. 1265, Sept. 1 occisus erat; cf. Lib. I, 183 et 184; Potthast 19501 et 19502; Iordan 184 et 185; Ann. Caesenates ap. Muratori, SS. t. XIV, p. 1103 sub a. 1266, ind. IX. A. 1266, Febr. 20 papa Gratiam electum Saxenatem, a [Philippo] archiepiscopo Ravennati ecclesiae vacanti praefectum, confirmavit; Lib. II, 1; Potthast 19550; Iordan 245.* 2) *In meridionali parte prov. Ostpreussen.* 3) *Alias Iatwesonia e mer. et or. prov. Ostpreussen; cf. t. II, p. 508, n. 684.* 4) *A. 1267, Sept. 19; quam conventionem papa a. 1268, Ian. 31 confirmavit; Lib. III, 144; Potthast 20252.*

proponis in manu forti procedere ac illos divina favente clementia convertere ad cultum fidei Christiane, quodque venerabilis frater noster . . Olomucensis episcopus[1] signo vivifice crucis assumpto tecum se conferre proponit ad ipsum negotium fidei promovendum. Quare nobis devota precum instantia supplicasti, ut, cum in regno Boemie, marchionatu[a] Moravie, Austrie ac Stirie ducatibus tibi subiectis nulla sedes archiepiscopalis existat, licet antiquitus in Moravia sedes huiusmodi fuisse dicatur, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Salzeburgensi[2] committere curaremus, ut si dictas Letowiam, Galandiam et Getvesiam vel ex eis tantum de predictorum infidelium manibus eripi Domino permittente contingeret, quod possit exinde metropolis statui congruenter, Olomucensem ecclesiam archiepiscopali dignitate presignire curaret ac alias in terris eisdem ecclesias erigeret cathedrales, que ipsi Olomucensi ecclesie tanquam metropolitane subessent. Profecto, fili carissime, tuum in hac parte desiderium, quod ex zelo magne devotionis prodire percipimus, dignis in Domino laudibus commendamus. Sed quia dicta Olomucensis ecclesia subiecta est, sicut te ignorare non credimus[b], Maguntine, votis tuis super hoc annuere sine ipsius ecclesie Maguntine preiudicio nequiremus. Nichilominus autem propter hoc in tam laudabili proposito non tepescas, quinimmo prosequens fortitudinis spiritum, quem assumpsisse videris, contra prefatos infideles sperans de superne clementie virtute procedas. Nam si fuerit tibi ex alto permissum, quod de predictis terris tantum conquirere valeas, quod ad statuendum metropolim sufficere dinoscatur, super hiis providere curabimus, prout tuis iustis desideriis congruere ac utilitati partium illarum viderimus expedire[3].

Dat. Viterbii, XIII Kalendas Februarii, anno III°.

671.

Clemens IV papa universitatem Guelforum Senensium excludit a sententiis, quas a. 1267, Nov. 18 in cives Senenses intrinsecos tulerit pro eo, quod Conradinum in praesidium suum evocaverint et Carolo regi Siciliae, promotori pacis Tusciae, se opposuerint.

1268, Febr. 12.

Clem. IV Reg. Vol. I, 193; Lib. III, 149. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 48, n. 601; BFW. 9874.

Universitati Guelforum Senensium.

Meretur devotionis vestre constantia sub favoris apostolici gratia confoveri, cuius indempnitatibus eo benignius precavemus, quo decentius esse conspicimus, ut ipsam oportunis presidiis favorabiliter prosequamur. Sane in festo dedicationis Basilice Apostolorum Principis proximo preterito[4] processibus nostris olim erga cives Senenses intrinsecos habitis, studiis quoque atque laboribus apostolicis, que pro eorum salute per nos et diversos nuntios nostros adhibere curavimus, in maiori ecclesia Viterbiensi coram fidelium multitudine recensitis, attendentes quod ipsi dampnabiliter in arcum Ps. 77, 57.
conversi perversum iuramenta et promissiones, que de parendo mandatis nostris sub

---

a) marchiatu *R.* b) credimus *alia tinctura in margine additum.*

1) *Bruno; cf. Perlbach, Preuss. Reg. n. 762.* 2) *Wladislao.* 3) *De expeditione regis contra paganos Prusciae a. 1267, Dec. — a. 1268, Ian. facta cf. Ottokars Österr. Reimchron. 9591 et sequ. in Deutsche Chron. t. V, p. 126 et Perlbach, Preuss. Reg. n. 763—764. A. 1268, Ian. 25 Clemens episcopo Olomucensi concessit, ut terras Galandiae et Getvesiae, cum a rege acquisitae essent, in spiritualibus regeret, donec sedes apostolica super his aliter provideret; Lib. III, 142; Potthast 20239; cf. Lib. III, 139 et 140; Potthast 20229 et 20246.* 4) *A. 1267, Nov. 18; cf. p. 686, not. 2 et n. 678.*

certis penis pecuniariis exhibuerant et fecerant, penitus violarunt, et gravibus suis excessibus graviorem accumulando malitiam ad seminis dampnati reliquias oculos dirigentes, Conradinum, nepotem quondam Fr. dudum Romanorum imperatoris, missis ad eum nuntiis in suum presidium evocarunt, quodque carissimum in Christo filium nostrum C. Sicilie regem illustrem, destinatum a nobis ad partes Tuscie tanquam pacis publice promotorem[1], contumaciter noluerunt admittere, immo eidem se temere ac pertinaciter opponentes regem ipsum et nos in eodem rege multipliciter offendere presumpserunt et pro posse offendere conabantur: nos, ne remaneret tanta eorum temeritas impunita, ipsos, quos pro eo, quod ut premittitur mandatis nostris parere contempserant, dudum excommunicationis vinculo duximus innodandos quique favendo Conradino predicto in sententiam latam in ipsum et fautores ipsius inciderant, de fratrum nostrorum consilio excommunicatos denuntiantes, ipsos ex predictis causis excommunicavimus iterato, personas eorum citra mortis sive mutilationis periculum et bona eorum mobilia, sive in Francia sive in Anglia vel alibi ubicunque fuerint, exponentes impune ac libere ab omnibus capienda. Indulgentias vero et quascunque gratias a sede apostolica per quoscunque Senenses obtentas necnon et litteras eis super debitorum recuperatione concessas revocavimus, illis solis profuturis eisdem, quas infra tres menses extunc obtinerent per sedis apostolice gratiam innovari. Cum autem illam devotionis promptitudinem et fidei efficaciam circa eandem Romanam ecclesiam habere studueritis, eam ostendendo per effectum operis locis et temporibus oportunis, quod vos devotos et fideles eiusdem ecclesie non immerito reputamus, vestris supplicationibus inclinati, vos et singulos vestrum tanquam ecclesie predicte devotos ab huiusmodi sententiis et processibus de certa scientia penitus excludentes ac denuntiantes vos eisdem sententiis non esse ligatos, decernimus, quod privilegia, indulgentie ac gratie necnon et littere super debitorum vestrorum recuperatione vobis ab eadem sede concesse — sententiis et processibus supradictis nequaquam obstantibus — in priori robore ac firmitate vobis in ecclesie Romane persistentibus devotione perdurent. Nulli ergo — nostre exclusionis, denuntiationis et constitutionis etc.

Dat. Viterbii, II Idus Februarii, anno III°.

672.

Clemens IV papa, cum Conradinus Papiam se transtulerit versus Urbem et regnum Siciliae profecturus et aliqui de Campania, Maritima, marchia Anconitana, ducatu Spoletano, patrimonio b. Petri in Tuscia et aliis locis cum Galvano Lancea, Conrado de Antiochia, Iohanne de Marerio et aliis proditoribus coniurationes inierint, sententias contra fautores Conradini latas innovat. *1268, Febr. 28.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 246; Lib. IV, cur. 1. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 155, n. 20; BFW. 9878.

Ad futuram rei memoriam.

Dira vulnera sevis manibus tyrannorum ecclesie Romane suisque dudum inflicta fidelibus, nondum remedia plene consolidationis adepta, in medio nostrorum viscerum cum doloris acerbitate sentimus, eoque fit nobis illorum dolor acerbior, quo pestilentium impietas, quietis impatiens, recentes plagas veteribus superinfligere satagens, ferventiori conatu pacificum statum ipsius ecclesie dictorumque fidelium nititur per-

---

1) *Cf. n. 662.*

turbare. Non enim non sentiri nec oblivionis possunt subiacere defectui persecutiones innumere, quibus quondam Fridericus et eius dampnata progenies, in eandem ecclesiam et terram ipsius dampnabili temeritate crassantes, illam, que tamquam mitis et benigna mater dictum Fridericum oportunis temporibus foverat et promoverat diligenter ut filium seque pro ipso in plenitudine liberalitatis effuderat, sibi pro bono malum et pro dilectione odium rependendo longis temporibus immaniter afflixerunt; ipsorumque durante tyrannide, quantum in regno Sicilie salutis cultu postposito discrimen successerit animarum, spoliatis ecclesiis, eiectis earum prelatis et in exilium traditis, innocentum effuso sanguine direptisque substantiis devotorum, gesta preterita, que perpetuam sui reliquere memoriam, manifestant; cumque ipsi velut infelices et in ruinam positi super innocentes elatis cornibus exultarent, demum non advertentes, quod omnis iniquitas in se reversa colliditur, de doli et nequitie semine fructum mestitie collegerunt. Nam Deus, ultionum dominus, auditis oppressorum clamoribus, eorum afflictiones ex alto respiciens, eandem ecclesiam ab ipsius Friderici et filiorum eius rabie, ipsis de medio quo decuit fine sublatis, misericorditer liberavit, regno predicto per ministerium carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris, suffragante sibi divine potentie dextera et apostolice sedis auxilio, erepto de manibus impiorum.

Verumtamen de stirpe colubri nuper erumpens regulus adolescens, Conradinus videlicet, maledictionis alumpnus, qui veluti ramusculus pestilens malitiam suam de nequam arboris radice contraxit, suo spiritu vel alieno seductus et se regem Sicilie fatua et falsa fictione denominans, contra nostram prohibitionem expressam presumpsit intrare Veronam et exinde transtulit se Papiam [1] ac ulteriorem progressum versus Urbem aut regnum predictum, sicut accepimus, comminatur. Et licet ipsum ac omnes illos, qui ei prebuerunt aut prebent vel prebebunt consilium, auxilium vel favorem, excommunicationis sententia duxerimus innodandos et loca, in quibus eum recipi contingeret, ecclesiastico supposuerimus interdicto [2]: quia tamen, quod est horrendum auditu, nostris est auribus intimatum, quod aliqui de Campania, Maritima, marchia etiam Anconitana, ducatu Spoletano, patrimonio beati Petri in Tuscia et aliis locis, tam adiacentibus quam remotis, cum viris pestilentibus et dampnatis Galvanno Lancee [3], Conrado de Antiochia [4], Iohanne de Marerio [5] et nonnullis aliis [6] proditoribus memorati regis et nostris coniurationes, pacta, societates et confederationes inire non vitato proditionis crimine presumpserunt, se ad vexationem eorundem regis et regni suorumque fidelium accingentes, dignum duximus apostolice manum auctoritatis apponere contra eos, ut penas suis condignas reatibus pertimentes a tanti erroris devio retrahantur vel, si obstinati fuerint, dampnum perpetuo defleant, quod suis culpis exigentibus meruerunt.

Unde cum eundem regem, strenuum nostri redemptoris athletam et indefessum eiusdem ecclesie pugilem, sicut nostri pupillam oculi custodire ac idem regnum, quod a nobis et eadem ecclesia tenet in feudum, plenis defendere studiis intendamus, in omnes illos, qui regnum ipsum invaserint vel invadi procuraverint ab aliis aut invasoribus impendere presumpserint consilium, auxilium vel favorem publice vel occulte, latas olim in eos et terras eorum excommunicationis et interdicti sententias confirmantes et eas auctoritate presentium innovantes, nichilominus excommunicamus et anathematizamus eosdem eorumque terras simili subicimus interdicto, ab eorum quoque sub-

1) *Papiam venit a. 1268, Ian. 20; BF. 4848h.* 2) *Cf. n. 666.* 3) *Cf. infra n. 675.* 4) *De hoc cf. Potthast 19593, 19601, 19689; BF. 4842 et 9808 et Saba Malasp. ap. Muratori, SS. t. VIII, p. 835 B.* 5) *Cf. Potthast 20282, 20286.* 6) *Henricum fratrem Alfonsi regis Castellae senatorem Urbis non nominat; cf. infra n. 675.*

iectione suos subditos eximentes, ipsos a iuramento, quo eis astricti tenentur, absolvimus, quandiu in sua malitia perdurarint et donec ad apostolice sedis arbitrium satisfecerint de commissis. In eos vero, qui eiusdem ecclesie sunt subiecti dominio temporali, preter penas predictas animadvertere gravius intendentes, ipsos, tanquam reos lese maiestatis et eiusdem ecclesie proditores ab omnibus terris eiusdem ecclesie in perpetuum relegatos, bonorum suorum omnium amissione mulctamus, ea nostro et ipsius ecclesie dominio applicantes. Personas autem eorum, quas ubilibet in terris ecclesie inveniri contigerit, omnibus Christi fidelibus citra mortis vel mutilationis periculum exponimus capiendas, contra posteritatem eorum clericos etiam, eorundem filios et nepotes, ad beneficiorum suorum tam habitorum quam habendorum privationem auctore Domino processuri, prout decere viderimus et crediderimus expedire.

Dat. Viterbii, III Kalendas Martii, anno quarto.

673.

Clemens IV papa potestati, consilio et communi castri Ripaetransonis, Firmanis indevotis pro posse resistentibus, confirmat absolutionem poenarum, quas olim pro favore quondam Manfredi incurrerint. *1268, Febr. 29.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 221; Lib. IV, 18. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 48, n. 604; BFW. 9879.

.. potestati, consilio et communi castri Ripetransonis Firmane diocesis.

Cum a nobis petitur etc. usque: effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius noster S[imon] tituli Sancti Martini presbyter cardinalis, tunc marchie Anconitane rector et in illis partibus apostolice sedis legatus[1], attendens devotionem, quam ad Romanam gerebatis ecclesiam, et quod vos civibus Firmanis eiusdem ecclesie indevotis[2] resistebatis pro posse quodque receperatis a civibus ipsis occasione huiusmodi devotionis plurima dampna rerum et dispendia personarum, vos et castrum vestrum necnon et singulares personas eiusdem castri a condempnationibus, bannis, mulctis et sententiis quibuscunque, que incurreratis pretextu rebellionis adversus eandem ecclesiam favendo quondam Manfredo olim principi Tarentino seu occasione alicuius monitionis vel etiam castri Marani[3], absolvit de gratia speciali, decernens vos ad solutionem bannorum, penarum, mulctarum et condempnationum huiusmodi ullo unquam tempore aliquatenus non teneri, prout in litteris inde confectis sigillatis sigillo eiusdem cardinalis plenius dicitur contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem cardinali factum est ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo — nostre confirmationis etc.

Dat. Viterbii, II Kalendas Martii, anno IIII°[4].

---

1) *Hunc post a. 1267, Iun. 22 officio fungentem non invenimus; Compagnoni, La reggia Picena p. 135. Officium eius [cf. n. 638] per ep. Potthast 20072 expirasse videtur; cf. p. 684, not. 2.* 2) *De his cf. infra n. 681.* 3) *Cf. Capasso n. 291 et Regesta Firmana p. 433, n. 309 et 310.* 4) *De eodem castro Ripaetransonis cf. etiam Lib. II, 142; Potthast 19884; Iordan 385.*

674.

Clemens IV papa [quintum] processum contra Conradinum et fautores eius habitum publicat. *1268, Apr. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 246; Lib. IV, cur. 2. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1268, § 4, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 20309; BFW. 9890.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Dudum ad apostolice sedis perlato notitiam, quod Conradinus, nepos quondam Friderici olim Romanorum imperatoris, inconsulte nimis et temerarie ambitionis spiritu concitatus non solum ad obtinendum Romanum conabatur imperium, sed et sibi regnum Sicilie intitulare non veritus, sub eiusdem regni titulo sibi nomen regium ascribebat, quodque cum aliquibus inimicis ecclesie diversarum Italie partium scelestas iniens factiones, suas per civitates et loca varia sub premissa intitulatione typario regie maiestatis impressas litteras destinando, turbare pacem ecclesie ac populum commovere in nostrum et ipsius ecclesie ac carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Sicilie illustris discrimen et preiudicium nitebatur: nos in festo dedicationis Basilice beatorum apostolorum Petri et Pauli pontificatus nostri anno secundo in hac maiori ecclesia Viterbiensi, presente tunc multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio eidem Conradino districte precepimus, ut a premissis penitus abstineret, districtius inhibentes, ne similia ulterius presumeret aut quomodolibet usurparet. Prohibuimus etiam universis *etc. ut p. 667, lin. 20 — p. 668, lin. 8 usque:* subiacere[a].

Cumque prefatus Conradinus, precepta, inhibitiones et comminationes huiusmodi presumptuose contempnens et nequaquam abstinens a premissis, suos in Tuscia diceretur vicarios ordinasse *etc. ut p. 683, lin. 33 — p. 684, lin. 2 usque:* ac specialiter incolas castri Sancti Miniati Lucane diocesis[1], qui spretis *etc. ut p. 684, lin. 3—21 usque:* duximus innodandos.

Demum vero in festo dedicationis Basilice Principis Apostolorum, pro eo quod idem Conradinus prefatas nostras inhibitiones *etc. ut p. 684, lin. 22—32 usque:* proclamans, alias contra inhibitiones, comminationes et sententias predictas temere veniendo: nos de fratrum eorundem consilio Conradinum eundem in hac eadem ecclesia denuntiavimus latam in eum per nos ut premittitur excommunicationis sententiam incurrisse *etc. ut p. 684, lin. 41 — p. 685, lin. 14 usque:* tenebantur eidem.

Omnes vero et singulos, qui eidem Conradino in predictis prestarent auxilium, consilium vel favorem, et specialiter Ludovicum ducem Bavarie, . . comitem Tyroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, qui se comitem camerarium nominabat, et Conradum Trinza, quos notorium erat ipsi Conradino in predictis assistere ipsumque fovere, ceterosque marchiones, comites, barones et alios, cuiuscumque forent dignitatis aut status, qui eius nuncios seu litteras contra predictas inhibitiones nostras veniendo temerario ausu receperant seu alias prestiterant eidem auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis, civitates vero, castra et cetera loca, que predictas nostras inhibitiones contra ipsas veniendo contempserant, interdicti declaravimus sententiis subiacere ac nichilominus de novo ex eisdem causis, exigente proculdubio aucta eorum ex tanti temporis continuatione perfidia, similibus sententiis duximus innodandos. Specialiter autem terram memorati Ludovici ducis Bavarie, nisi dux ipse infra duos menses[b] exinde computandos prorsus a Conradini eiusdem in premissis favore

---

a) *cf. p. 683, lin. 30.* b) *in margine legitur:* not̄.

1) *De castro Podii Bonizi cf. p. 674, not. 3.*

desisteret, ecclesiastico extunc supposuimus interdicto. Omnes vero marchiones *etc. ut p. 685, lin. 32 — p. 686, lin. 11 usque:* libere capienda, aliis etiam civitatibus et locis Italie, que dictos Conradinum vel capitaneum seu gentem suam contra prefatas nostras inhibitiones, comminationes et sententias deinceps reciperent, comminantes aperte nos ad similes privationum penas, prout foret expediens, processuros.

Ps. 57, 8. Verum prefatus Conradinus, ut ad nichilum deveniat velut aqua decurrens, ad
Ps. 57, 5. sententias, monitiones et comminationes nostras sicut aspis surda suas prorsus aures obturans, nec premissis inhibitionibus acquievit nec expavit sententias nec monitionibus paruit nec perversitatis sue propositum comminationibus immutavit: sed in precipitium preceps ruens et premissis excessibus, illos pro viribus continuando, institit et quos potuit nichilominus novos adiecit. Siquidem contra predictas inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias ingressus Italiam cum armatis, Papiam venire presumpsit[1]: et in tantam furoris prorupit audaciam, quod aliquas partes imperii necnon et devotorum ecclesie in Lombardia terras aggredi temerarie presumptionis conamine attemptavit, licet in ipsis sui conatus initiis et temeritatis sue iam pro parte stipendia et arras confusionis extreme, quam proculdubio furibundus insequitur, exinde reportarit. Nos itaque, memoratum Conradinum denuntiantes ex causis premissis in excommunicationis et alias latas in eum sententias incidisse, de novo nichilominus ex eisdem causis de fratrum ipsorum consilio excommunicamus eundem. Denuntiamus insuper eum regno Ierosolimitano[2] et omni iure, siquod habebat in illo, apostolica auctoritate privatum et vassallos eius constitutos ubilibet ab omni iuramento fidelitatis, siquo tenebantur ei, penitus absolutos, et terram eius ecclesiastico supponimus interdicto. Insuper, presente hac fidelium multitudine, dictum Conradinum aperte monemus sibique districte precipimus, ut infra mensem ex nunc[a] computandum, quem pro peremptorio sibi termino assignamus, humiliter ad nostra et ecclesie mandata redire procuret. Alioquin extunc ipsum de predictorum fratrum consilio reddimus omni tempore ineligibilem et prorsus inhabilem ad regnum quodlibet vel imperium obtinendum, et nichilominus omnibus feudis et iuribus quibuscunque, siqua forsan a quibuslibet tenet ecclesiis, privamus eundem.

Porro supradictas inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias innovantes, omnes et singulos, qui contra eas quocumque modo venerint[b], et specialiter predictos Ludovicum ducem Bavarie, . . comitem Tyroli, Bosum de Dovaria, Manfredum Malet, Conradum Trinza, qui ab ipsius non destitere favore, Fredericum preterea carissimi in Christo filii nostri . . regis Castelle germanum, qui prefato Conradino favendo insulam Sicilie, terram memorati Caroli Sicilie regis, invasit[3], cum omnibus suis complicibus, necnon Willelmum de Parisius[4] ceterosque, qui se contra eundem Sicilie regem cum Sarracenis Lucerie[5] erexerunt, ac omnes alios, qui citra Farum quamcumque terram eiusdem regis Sicilie invaserunt, omnesque complices et in hoc fautores eorum, item Guidonem Novelli, Galvanum et Fredericum Lancea, Conradum de Antiochia et Iohannem de Marerio, pro eo quod eidem Conradino favent aperte et dictum regem pro viribus impugnare conantur, ceterosque, cuiuscunque sint preminentie, dignitatis aut status, qui contra premissas inhibitiones, monitiones, commina-

---

a) nunc *in loco raso.* b) *corr. ex* venirent.

1) *A. 1268, Ian. 20; cf. BF. 4848h et sequ.* 2) *Cf. p. 685, not. 1.* 3) *Cf. Potthast 20128, 20142, 20171; Saba Malasp. ap. Muratori, SS. t. VIII, p. 837 et sequ.; Barthol. de Neocastro, Hist. Sic. ap. Muratori, SS. t. XIII, p. 1021; Del Giudice, Don Arrigo infante di Castiglia p. 169.* 4) *Cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 329.* 5) *Saraceni a. 1268, Febr. 2 rebellarunt; Ann. Cavenses, SS. t. III, p. 194; cf. Potthast 19946 et 19947, quae epp., ut Winkelmann [BFW. 9876] demonstravit, ad a. 1268, neque vero 1267 pertinent; cf. 20220, 20266, 20282.*

tiones vel sententias venire temere presumpserunt, denuntiamus in premissas excommunicationis et alias contra fautores eiusdem Conradini latas[a] sententias incidisse, ac de novo ex eisdem causis excommunicamus eosdem. Civitates insuper, castra et loca omnia, que Conradinum aut eius capitaneum vel militiam seu quamcumque aliam gentem pro ipso receperunt hactenus vel alias predictas nostras inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias contempserunt, veniendo temere contra eas, et specialiter predictum Sancti Miniati castrum ac civitatem Grosseti, que non est dubium dicto Conradino favere, declaramus interdicti sententie subiacere, ipsorumque castri et civitatis incolas eiusdem Conradini fautores excommunicationis vinculo innodamus. Civitates etiam, castra et loca, que decetero ipsum Conradinum, capitaneum, militiam vel quamlibet gentem suam recipere presumpserint, exnunc simili supponimus interdicto, contra ea spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout facti suadebit qualitas et viderimus expedire. Predictas vero excommunicationis sententias prohibemus absque speciali mandato nostro, nisi forsan in mortis articulo, relaxari; quo casu, nisi absolutionis beneficium obtinentes infra duos menses, postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan inibi fuerint, recedentes nostro se conspectui curaverint presentare, satisfacturi de suis excessibus, pro quibus huiusmodi sententias incurrerunt, et nostris beneplacitis parituri, eo ipso in easdem sententias relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus *etc. ut p. 670, lin. 15—21 usque:* publicatur.

Actum in palatio nostro Viterbiensi, in die cene Domini, pontificatus nostri anno IIII°.

675.

Clemens IV papa declarat: cum Romani Galvano Lancea Conradini vexillis explicitis Urbem ingredienti pomposo fastu occurrissent, Henricum natum quondam Ferdinandi regis Castellae, senatorem Urbis, et Guidonem de Montefeltro, vicarium eius, et officiales eorum et cives sententias contra fautores Conradini latas incurrisse; monet Henricum, ut infra mensem post festum resurrectionis satisfaciat. 1268, Apr. 5.

Clem. IV Reg. Vol. I, 248—249; Lib. IV, cur. 3. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1268, § 21, cum Regestis contulit et ex eis supplevit V. Cl. Schellhass.

Potthast, Reg. 20310; Posse, l. c. p. 48, n. 609; BFW. 9891.

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.

Visceribus matris ecclesie gravi diebus istis inquietudine concitatis et turbationis insolite vulnere lacessitis, contra cor nostrum[b] impellimur novum cogitare consilium, quod extrema necessitas exigit, coacte[c] benivole voluntatis, quam dilectio paterna conservat, terminos preterire. Licet enim ipsius matris fecunditas cunctos populos Christiane fidei professores uberum suorum lacte reficiat sitque de illorum salubri statu sollicita, cives tamen Romanos potissime, quos peculiares filios divina sibi dispositio statuit, gerit specialius in intimo gremio caritatis et eos, quos semper amplis sublimare consuevit honoribus, potiori affectione prosequitur et in eorum salute plenius delectatur, sicut predecessorum nostrorum Romanorum gesta pontificum beneficiorum largitione gratuita, privilegiorum concessione munifica, spiritualium et temporalium honorum exhibitione largiflua et prerogativa multarum ac grandium dignitatum clara

---

a) latas *superscr.* b) nostrum *repetitum est.* c) *altera manus corr. ex* coacta; *legendum videtur* coacti.

demonstratione testantur. Decens profecto fuisse censemus et debitum Urbem et Urbis incolas gratiis muniri magnificis et donis sublimibus decorari, quam apostolorum sanguine consecratam superna clementia statuit caput orbis, constitutis inibi sedis apostolice precipuis fundamentis. Hii sunt incole, soliti sedem ipsam veneratione debita colere, fructus ei devotionis impendere ac in adversitatibus ferventer assistere veluti vigiles et indefessi libertatis ecclesiastice defensores, cuius promovendo negotium temporibus oportunis proprium agi commodum reputabant. Inde fit, quod quanto filiis matris liberalitate maiorum incrementa munerum provenerunt, tanto gravius et indecentius veritatis iudicio cernitur, si per eos honori compensetur obprobrium et pro beneficiis rependantur offense, a quorum gratiis manum mater provida non subduxit, quinimmo novas liberaliter adicit et munit robore confirmationis antiquas.

Inter alia quoque, nec mirum, grandis et miranda causa nobis turbationis emersit ac doloris perfodit aculeo mentem nostram, quod cum Conradinum, dampnati stipitis surculum, hostem ecclesie manifestum, omnesque fautores, consiliarios et adiutores ipsius excommunicationis sententia publice duxerimus innodandos, quod ad cunctorum fidelium, maxime Romanorum, potuit notitiam pervenire, Galvanus Lancea[1], maledictionis filius ab olim viam dampnationis ingressus, eiusdem Conradini vexillis explicitis et erectis Urbem ingrediens, usque Lateranum a Romanis pomposo fastu sibi occurrentibus obviam habita comitiva pervenit, multiplicis honoris exhibitione preventus[2]: cuius iidem Romani debuerant adventum, ne contagione macularentur ipsius, potius aspernari. Et quidem, cum tam detestabilis et horrendus excessus, nobis et fratribus nostris odibilis, innotuisset tam senatori quam civibus, ipsi, non ut decuit penitentes erroris, sed excedendo lascivius patrantes graviora prioribus, prefatum Galvanum ad eorum ludos, ut ipsis illuderet, venientem non solum pari, sed maiori fastu, sicut accepimus, receperunt et munificentius honorarunt. Quis igitur admirari sufficeret urbem tam magnificam, tantis dotatam viris prudentibus, viris devotione conspicuis, viris alti consilii, sic improvide, sic indevote, sic inconsulte dilapsam, ut non solum vitare despiciat divine maiestatis offensam aut dicte matris iniuriam et discrimen, verum etiam fame proprie, cuius gloria inextricabilem per hoc probatur recipere maculam, dispendium non advertit, ducta miserabiliter in errorem sub quodam vehiculo cecitatis. Huius nempe talis eversio non minus quam dampnum ecclesie nos incitat ad dolendum, cum vertatur in paterne sinceritatis angustiam status oberrantium filiorum.

Verum ipsi Romani, predictis insolentiis non contenti, quosdam alios eiusdem nuncios Conradini suas, ut audivimus, litteras deferentes honorifice recipere postmodum ac eis in Capitolio congregare consilium non vitarunt, solemni eis audientia prestita super his, que proponere voluerunt. Hec quidem propositio, sicut est verisimile, illusione non caruit; nam ille quondam Fredericus coluber tortuosus, de cuius venenosa radice Conradinus iam prodiisse videtur in regulum cuiusque doctrinam eius ministri dolosis fictionibus imitantur, adulationibus, promissionibus et fellitis versutiis fideles evertere nitebatur et in agro mentium illorum proditionis zizaniam seminabat; et munitus Sathane furentis astutia, sepe movebat in Urbe discidium, sponsam Christi ponere satagens in ruinam, cuius sanguinem, illius satiatus angustiis, ad eius exterminium sitiebat. Non autem credimus, quod enormes iniurias, irreparabilia dampna, cuiuslibet extimationem excedentia pretii, et atroces offensas, que dictus Fredericus Romanis hostiliter intulit, prout anguste obsidionis opprobrium et multorum meniorum, castrorum ac turrium memorialis subversio representat, preter innumera scelera, quibus ad iram contra se ac posteritatem suam Dominum provocavit, illa pro-

1) *De hoc cf. Potthast 19593, 19762, 19765, 19895; BFW. 9754.* 2) *A. 1267, Oct. 18; Potthast 20147; cf. 20165.*

positio contineret: nam et proponentes forte minus audacter pulpitum conscendissent, et audientium animi non tanta suscepissent iocunditate sermonem. Est et alia turbationis causa, doloris similis et angustie non minoris; nam quamvis interdum inter ecclesiam et Romanos ex aliquibus casibus contigerit exoriri discordiam et etiam guerrarum scandala suscitari, tamen extitit inauditum, quod ad capitalem persecutorem ecclesie Urbis incorrupta constantia declinaret, quinimmo, ad pacem devote suspirans, ad matris ubera celeri et filiali reditu properabat, ut in brevi conversa non videretur ad invia divertisse. Absit enim, quod talis filia tanta respergeretur infamia, ut, etsi non actu vel proposito, presumptione saltem posset notari crimine matricide.

Nos igitur, quibus universalis ecclesie regimen est Domino disponente commissum, quique, matris gestantes ubera, patris tenemur exercere verbera circa filios delinquentes, ut virga paterne correctionis ab invio retrahat, quos mundi vana conditio nonnumquam precipitio studio deceptionis exponit, nolentes confusionem ipsius ecclesie conniventibus oculis pertrasire[a], ne reorum culpas nostras facere videamur, tam nobilem virum Henricum natum clare memorie Ferdinandi regis Castelle, senatorem Urbis[1], et Guidonem de Montefilitro[2], eius in Urbe vicarium, quam ceteros officiales eorum et omnes, qui voluntarii dictis Galvano et aliis Conradini nuntiis occurrerunt vel receperunt eosdem, excommunicationis, quas in fautores eiusdem Conradini et eos specialiter, qui nuncios ipsius litterasve reciperent, promulgavimus hactenus, denunciamus sententias incurrisse; et nichilominus tam eosdem cives Romanos quam quoslibet alios a iuramento, si quo[b] eidem Henrico tenentur, quamdiu idem Henricus in huiusmodi perversitate perstiterit, absolvimus et manere decernimus absolutos.

Monemus insuper memoratum Henricum, ut infra mensem post instans festum resurrectionis Dominice[3] humiliter ad nostra et eiusdem ecclesie mandata redeat, domosque nostras ecclesie sancti Petri de Urbe et alia bona nostra et ipsius ecclesie Romane, que occupata detinet[4], libere ac in pace dimittat; ab omni quoque offensa dilectorum filiorum nostrorum Iohannis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Mathei Sancte Marie in Porticu diaconorum cardinalium et magistri Iordani eiusdem cardinalis Iohannis fratris, capellani nostri, cantoris[c] Carnotensis, abstinere procuret, de premissis suis excessibus et offensis prefatis cardinalibus et capellano illatis[5] satisfacturus plenarie ac nostris et eiusdem ecclesie beneplacitis pariturus: alioquin extunc gravius contra ipsum spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus, preununtiantes eisdem senatori et civibus nos tulisse dudum sententias interdicti, quas et hodie duximus innovandas, in omnes civitates, terras et loca, que dictum Conradinum aut eius masnadam recipient[6]: quibus Urbs prefata, si, quod absit, alterutrum fecerit, subiacebit. Et si, quod Deus avertat, in illas inciderit, coget nos excessus insolitus insolitam penam exequi ac interdictum huiusmodi facere firmiter observari.

Quocirca universis collegiis totique clero monasteriorum, ecclesiarum et aliorum locorum ecclesiasticorum Urbis Cisterciensis, Predicatorum, Minorum et aliorum ordinum auctoritate apostolica in virtute obedientie districte precipimus, quatinus si Urbs

---

a) *ita R.* b) quod *R.* c) cancellarii *in ep. n. 684; falso cf. p. 661, lin. 19.*

1) *A. 1267, Iul. 26 papa eum senatorem primo appellarit; Potthast 20091; cf. 20073 [falso sub Iul. 9; legas Iun. 7; Posse n. 579 et BFW. 9789] et Del Giudice, Don Arrigo infante di Castiglia p. 29.* 2) *Montefeltre.* 3) *Scil. infra Mai. 8.* 4) *Cf. Potthast 20174 et 20200.* 5) *Cf. Saba Malasp. Lib. III, 20; Muratori, SS. t. VIII, p. 834; Potthast 20165 et 20171.* 6) *A. 1267, Dec. 1 Henricus et Romani cum Gibellinis Tusciae foedus fecerant; Ficker, Forsch. z. Reichs- u. Rechtsgesch. Italiens t. IV, p. 456, n. 450—452; cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 95, n. 18.*

memorata predictum interdictum ex premissis incurrerit, extunc organa sua sine dilatione suspendant et interdictum ipsum artissime postpositis omnibus causis vel occasionibus quarumlibet excusationum observent — non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscunque religionibus, ecclesiis aut personis ab eadem sede concessis, per que nullum contra premissa cuiquam volumus presidium adhiberi.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in superiori proxima usque: continentes eundem, in maioris Viterbiensis ecclesie appendi etc. usque: publicabunt, ita quod iidem senator et vicarius ac alii, quos processus ipse etc. usque in finem[1].

676.

Clemens IV papa declarat Pisanos sententias in fautores Conradini promulgatas incurrisse; sed eos monet, ut infra mensem ad mandata ecclesiae redeant; aliоquin gravius in eos processurum se esse. *1268, Apr. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 249; Lib. IV, cur. 4. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 48, n. 610; BFW. 9891.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Frequenter universis Christi fidelibus publice ac expresse prohibere curavimus, ne Conradino, nato quondam Conradi olim Fr. quondam Romanorum imperatoris filii, sicut regi Sicilie scriberent nec ab ipso litteras velut a rege Sicilie vel sub regia ratione regni Sicilie, intitulatione vel denominatione reciperent, nec cum armis vel sine armis, facto vel verbo aut alias quomodolibet ad turbandam ecclesie Romane pacem vel contra carissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie regem illustrem prestarent ei auxilium, consilium vel favorem. Specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus et universitatibus castrorum, villarum et quorumcunque locorum Italie duximus prohibendum, ne ipsius Conradini dominio vel regimini se supponerent aut eum vel pro eo seu in favorem ipsius alium in potestatem admitterent vel rectorem, quocunque nomine censeatur, vel ei sive alii pro ipso seu in favorem eius dominium aut posse aliquod in se, terras aut districtus suos quocunque ingenio aut machinatione concederent, nec societatem, coniurationem seu fedus aliquod inire presumerent cum eodem seu alio in auxilium vel favorem ipsius. Illos vero, qui contra premissa vel aliquod premissorum per se vel per alium quocunque dolo, arte vel machinatione facerent, cuiuscunque forent preminentie, dignitatis aut status, excommunicationis sententiam, quam extunc in eos tulimus, incurrere voluimus ipso facto. Et nichilominus tam personis ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscunque forent dignitatis, preminentie seu status, varias penas, si non observarent prohibitionem huiusmodi, comminantes, civitates, communitates et universitates quaslibet, que prefatam prohibitionem nostram violare quocunque dolo, ingenio vel machinatione temptarent, voluimus interdicti sententie subiacere. Predicto quoque Conradino, quem et fautores suos tam ipsius presumptuosa temeritas quam fautorum eorundem apertis indiciis reserata malitia ex causis variis de turbatione Italie reddebant manifesta ratione suspectos, ingressum Italie, et ne in ipsam capitaneum, militiam seu aliam quamcunque gentem destinare presumeret, curavimus districtius inhibere; et si secus faceret, tam ipsum quam omnes, qui cum eo venirent taliter vel pro ipso, necnon et illos etiam, qui eum aut venientem pro ipso reciperent seu ad ipsorum adventum vel

---

1) *A. 1268, Apr. 3 Carolo regi Siciliae indulsit, ut nisi Henricus senator infra festum ascensionis [Mai. 17] ad mandata ecclesiae rediisset, regimen Urbis ad decennium recipere posset, non obstante iuramento olim praestito; Potthast 20306; cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 208, n. 67.*

transitum eis per se vel per alium darent consilium, auxilium vel favorem publicum vel occultum, extunc excommunicationis sententia duximus innodandos, sicut in variis processibus contra eundem Conradinum de fratrum nostrorum consilio publice ac sollempniter habitis plenius continetur.

Verum quia civitas, cives et commune Pisani, antique persecutionis, cui cum eodem Fr. contra Romanam ecclesiam institere diutius, non obliti et contumacie ad ipsius ecclesie mandata consuete nequaquam immemores[1], sed illarum adhuc prosecutores assidui, predictas nostras inhibitiones, comminationes et sententias contempnentes, in predictum Conradinum velut in Sicilie regem intendere ipsique nuntios et litteras ut Sicilie regi mittere ac ab ipso tanquam a rege Sicilie sub premissis intitulatione ac denominatione recipere, sicut etiam ambaxiatores seu syndici communis ipsius in nostra et predictorum fratrum presentia confessi fuerunt, et alias eidem favendo multipliciter ipsum ad veniendum contra eosdem ecclesiam et regem Sicilie in Italia incitare sibique ad hoc pecuniarium etiam prestare subsidium aliaque promittere temeritate dampnabili presumpserunt, prefatum quoque regem de predictorum fratrum consilio destinatum per nos in Tusciam paciarium, hoc est pacis publice servatorem, admittere sibique in pacis observatione parere contumaciter recusarunt[2] ipsumque ac nos in ipso in omnibus in quibus poterant pro posse offendere sunt conati: nos in festo dedicationis Basilice Principis Apostolorum pontificatus nostri anno tertio[3] in hac maiori ecclesia Viterbiensi, presente multa numerositate fidelium, tam civitatem eandem quam potestatem, capitaneum ceterosque, quorum consilio eadem civitas regebatur, et omnes alios, quorum consilio vel assensu predicta facta fuerunt, contra predictas nostras inhibitiones et comminationes temere veniendo, prefatas excommunicationis et interdicti sententias declaravimus incurrisse, ipsos nichilominus potestatem, capitaneum, consiliarios et alios Pisanos predictos ac civitatem et commune prefatos de novo similibus sententiis innodantes, et universis Christi fidelibus districtius inhibentes, ne quis eorum, cuiuscunque foret dignitatis aut status, in dicta civitate Pisana vel districtu ipsius, donec in huiusmodi obstinatione persisterent, potestarie, capitanie vel aliud quodcunque assumeret officium aut societatem iniret cum eadem civitate seu communi eiusdem, et siqui forsan assumpserant vel societatem inierant cum eisdem, infra mensem extunc computandum officium dimitterent et societatem dissolverent ipsique renuntiarent expresse ac omnino recederent ab eadem. Alioquin eos extunc excommunicationis sententia duximus innodandos. Et si aliqua quecunque officia gererent, omnia, que per ipsos vel ipsorum auctoritate seu ministerio in iudicio vel extra iudicium fieri seu geri contingeret, nullius penitus esse momenti ac omni carere decrevimus robore firmitatis.

Cumque predicti commune de parendo nostris et ecclesie mandatis super hiis, pro quibus alias prefati cives excommunicati et civitas interdicta fuerant, per suos sollempnes syndicos ad hoc constitutos specialiter iuravissent[4], nos memoratos potestatem et alios, per quos eadem civitas regebatur, necnon et ipsum commune citavimus, ut infra unum mensem computandum extunc, quem eis pro peremptorio assignavimus termino, per sollempnes syndicum vel syndicos ad hoc specialiter constitutos, plenum et legitimum de recipiendo et adimplendo nostra et ecclesie predicte mandata mandatum habentes, apostolico se conspectui presentarent, predicentes aperte quod extunc —

1) *Cf. n. 658.* 2) *Cf. Potthast 19988, 20103, 20171, 20188; cf. p. 701, not. 6. Attendas Carolum regem 'paciarium' neque vero 'vicarium imperii' in partibus Tusciae appellatum esse; cf. p. 678, not. 4.* 3) *A. 1267, Nov. 18.* 4) *A. 1268, Ian. 22 papa commemoravit Pisanos cum Carolo rege pacem fecisse; Potthast 20232; cf. 20221. Sed bellum statim iterum exarsit; Potthast 20282 = 19953; cf. epistolam regis in Ann. Placent. Gib. SS. t. XVIII, p. 525.*

eorum absentia non obstante — mandata daremus et contra eos procederemus gravius, prout nobis expediens videretur. Quia vero memorati cives et commune Pisani indultum eis ut premittitur et lapsum postea tempus non emendationi sed continuationi suorum excessuum, immo multiplicationi et aggravationi potius deputarunt, dictoque Conradino faventes ac adherentes apertius et memorato regi Sicilie se manifestius opponentes, syndicum vel syndicos iuxta premissam formam ad nostram contempserunt presentiam destinare: nos de predictorum fratrum consilio potestatem, capitaneum et alios Pisanos eosdem excommunicationis, civitatem vero et commune predictos interdicti denuntiamus sententias incurrisse. Illos etiam, qui post predictam nostram inhibitionem in eadem civitate Pisana vel districtu ipsius potestarie, capitanie vel aliud quodcunque officium assumpserunt aut societatem inierunt cum civitate seu communi predictis quive officium tempore ipsius inhibitionis assumptum dimittere vel societatem initam cum eisdem dissolvere ipsique renuntiare ac omnino recedere ab eadem infra tempus eis ut predicitur ad hoc prefixum contumaciter non curarunt, excommunicationis sententia innodatos denuntiamus ac omnia, que per ipsos vel ipsorum auctoritate seu ministerio in iudicio vel extra iudicium post predictum tempus elapsum pretextu alicuius officii fieri seu geri contigerit vel continget in posterum, nullius penitus esse momenti. Et nichilominus tam in ipsos quam in predictos potestatem, capitaneum, consiliarios, officiales et cives civitatis predicte de novo ex eisdem causis similes sententias promulgamus.

Licet autem ipsorum contumacia et culpis exigentibus manifestis possemus, prout series premissi processus indicat, et mandata exnunc dare et gravius procedere contra eos, nos tamen, non penam sed salutem desiderantes eorum, comminationis solum ad presens arcum intendimus, ut sic forsitan convertantur; et ideo ipsos, hac fidelium multitudine presente, monemus, ut infra mensem, quem eis pro peremptorio termino assignamus, studeant humiliter ad nostra et ecclesie mandata redire. Alioquin extunc pignora, que dederunt pro mandatis nostris et ecclesie observandis, decernimus irrevocabiliter retinenda. Bona vero ipsorum mobilia fidelibus ab ipsis impune ac libere occupanda et personas eorundem civium citra mortis et mutilationis periculum exponentes, eos universos et singulos inhabiles reddimus ad officia publica et honores; et tam ipsos quam civitatem et commune predictos omnibus privilegiis, libertatibus et immunitatibus ubilibet eis competentibus omnique iure, siquod ipsis contra ecclesiam, commune ac alios Lucanos competit ratione castrorum seu terrarum vel in ipsis castris aut terris, que iidem ecclesia, commune aliive Lucani possident vel quocunque tempore hactenus possederunt [1], decernimus ipso facto privatos. Statuimus insuper, ut nisi dicti cives et commune Pisani infra tempus eis ad hoc proxime assignatum ad nostra et ecclesie predicte mandata redierint, captivos Lucanorum et Florentinorum, quos habent aut huiusmodi contumacia durante in futurum habebunt, libere, nulla eis ex iure scripto vel consuetudine retentione competente, necnon et omnia, que ab ipsis vel pro ipsis sub quolibet colore vel titulo exegerunt, reddere teneantur. Nosque nichilominus contra eos tam ad privandum Pisanam ecclesiam pontificalis dignitatis honore [2] quam alias gravius spiritualiter et temporaliter, prout qualitas facti suaserit et expedire viderimus, procedemus. Predictas vero excommunicationis *etc. ut p. 699, lin. 13—19 usque:* relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in tertia superiori proxima usque: publicabunt, ita quod iidem Pisani et alii, quos processus ipse etc. usque in finem.

Actum in palatio nostro Viterbiensi, in die cene Domini, pontificatus nostri anno IIII°.

---

1) *Cf. 658.* 2) *Cf. sub n. 685.*

677.

Clemens IV papa idem fere de Papiensibus, fautoribus Conradini, publicat.
1268, Apr. 5.

Clem. IV Reg. Vol. I, 250; Lib. IV, cur. 5. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.
Posse, l. c. p. 48, n. 611; BFW. 9891.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Frequenter universis Christi fidelibus etc. ut in superiori proxima usque: plenius continetur.

Verum perfidi Papienses, quorum per evidentiam facti eminet offirmata multi temporis assiduitate perfidia, monitiones, inhibitiones, comminationes et sententias huiusmodi contempnentes, dicto Conradino favorem et alias et maxime in suo ad civitatem Papiensem adventu non solum ab eis solitum prestiterunt, immo potius illi communiter et sollempniter extra suum etiam territorium occurrentes, ipsum et societatem ipsius usque ad dictam civitatem deducere et in ipsam regali more inducere[1] ibique tenere, non erubescentes adorare ydolum et in similitudinem vituli suam Ps. 105, 20. gloriam commutare, in nimie temeritatis et superbie spiritu presumpserunt, suorum enormitatem excessuum alias ex variis circumstantiis multipliciter aggravantes; propter quod civitatem et cives eosdem, quos non est dubium penas statutas et latas in dicti Conradini fautores sententias incurrisse, denuntiamus interdicti et excommunicationis sententiis subiacere, ac nichilominus de novo in ipsos ex predictis causis similes sententias promulgamus.

. . potestatem[2] [quoque][a], . . capitaneum, consiliarios, officiales et commune Papienses et ceteros, per quos eadem civitas regitur, monemus, hac multitudine presente fidelium, ut infra unum mensem humiliter ad nostra et ecclesie mandata redire procurent. Alioquin exnunc omnes et singuli de ipsorum episcopatu et districtu a iuramento, quo eis iure, consuetudine vel usu quocunque tenentur, eo ipso sint penitus absoluti, nec aliquis de civitate vel districtu predictis eis obediens vel adherens vel alius in civitate ac districtu eisdem possit ad potestariam seu quodcunque officium vel honorem assumi, nec ipsa civitas vel eius universitas aut commune seu ad officia assumpti taliter iurisdictionem seu iurisdictionis usum habeant vel ipsam valeant quomodolibet exercere. Illorum quoque sententie necnon et alia omnia, que per ipsos pretextu officiorum huiusmodi acta vel gesta fuerint, sint inania, cassa et irrita et omni careant robore firmitatis. Ceterum eisdem Papiensibus aperte predicimus, quod nisi infra predictum tempus ad nostra et ecclesie mandata redierint, nos contra eos tam ad privandum Papiensem ecclesiam pontificalis dignitatis honore quam alias gravius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Predictas vero excommunicationis sententias etc. ut in superiori usque: relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in quarta proxima superiori usque: publicabunt, ita quod cives et commune Papienses predicti ac alii, quos processus ipse etc. usque in finem.

a) quoque *add. ex ep. n. 687.*

1) *A. 1268, Ian. 20.* 2) *Conradinus Mastinum de La Scala civem Veronae, qui cum eo venerat Papiam, constituerat rectorem; Ann. Placent. Gib., SS. t. XVIII, p. 524.*

678.

Clemens IV papa idem fere de Senensibus, fautoribus Conradini, publicat.
1268, Apr. 5.

Clem. IV Reg. Vol. I, 250; Lib. IV, cur. 6. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 612; BFW. 9891.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Si turbationum repetantur initia, que in partibus Tuscie radicate partes finitimas invaserunt aliasque in concepta prius malitia solidarunt, Senensis civitas non solum quasi earum particeps, sed potius velut infausta promotrix et infesta prosecutrix occurrit. Ipsa siquidem quondam Manfredum olim principem Tarentinum, hostem ecclesie manifestum, per suos satellites induxit in Tusciam[1] et in contumeliam apostolice sedis ac imperii extunc sub regiminis incertitudine fluctuantis iniuriam occasionem prebuit malis innumeris, que nondum finem forsitan habuissent, nisi Dominus Manfredum eundem per ecclesie Romane providentiam et carissimi in Christo filii nostri C. Sicilie regis illustris ministerium succidisset. Et licet, Manfredo predicto Domino disponente sublato, cives Senenses, ad consilium sanius vere vel simulate conversi, per suos sollempnes syndicos nostris se beneplacitis exponentes absolutionis a nobis beneficium postularint[2], nosque, summopere salutem sitientes eorum et intentionem ipsorum dubiam interpretantes in melius, dilectum filium magistrum Bernardum Languisselli capellanum nostrum, archidiaconum Lanterasii in ecclesia Tholosana, ad eos duxerimus destinandum, qui de speciali nostro mandato, iuramentis et aliis cautionibus, penalibus etiam, receptis ab eis de nostris et ecclesie parendo mandatis, personas excommunicatas absolvit et latam in civitatem eandem ac districtum ipsius interdicti sententias relaxavit[3]: tamen dicti cives, quamquam aliqua de mandatis nostris impleverint, quedam tamen, que idem archidiaconus nostro nomine ac mandato fecit eisdem[4], observare penitus noluerunt, illis non solum verbo contradicentes sed et facto contrarium prosequentes; propter quod in penam viginti milium marcarum argenti, quam, si nostris non parerent mandatis, promiserant, bis[5] eos non est dubium incidisse. Cumque pro summa utilitate ipsorum ad reintegrandam unitatem in civitate predicta pacem inter intrinsecos cives civitatis ipsius et concives eorum, quos exiticios[a] appellabant, piis affectibus niteremur, et creati tam ab intrinsecis quam ab extrinsecis syndici in certam formam pacis in nostra presentia convenissent, quam ad utriusque partis concordem instantiam duximus confirmandam[6]: tandem intrinseci prefati, velut homines infideles in arcum conversi perversum, predictam pacem recusaverunt penitus observare, et extrinsecorum amicos, qui eorum scelestis actibus et iniquis consiliis assentire nolebant, multipliciter persequentes, ipsorum etiam bona nequiter occupando, novos sibi rectores et perfidos elegerunt, destitutis fidelibus, per quos eadem civitas antea regebatur[7]. Nec hiis contenti, gravibus suis excessibus graviorem accumulantes

---

a) extrinsecos *ap. Gebauer p. 606; cf. infra n. 686.*

1) *Cf. n. 491.* 2) *A. 1266, Apr. 5; Tommasi, Hist. di Siena t. II, p. 35, ut videtur ex ipso instrumento; sed Apr. 5 papa Viterbium nondum venerat, sed erat Perusii. Cf. Potthast 19623.* 3) *A. 1266, Mai. 17; Tommasi p. 36.* 4) *Potthast 19692, quae ep. a. 1266, Mai. 24 data est; Tommasi p. 38. Eadem videtur esse ep. ap. Posse p. 45, n. 566.* 5) *Cf. Martène, Thes. t. II, p. 351C; Potthast 19692.* 6) *Primum arbitrium de pace reformanda papa a. 1266, Aug. 2 pronuntiavit, quod Aug. 17 Senis lectum et acceptatum est; Tommasi p. 39 et 40; cf. Cod. dipl. d'Orvieto p. 252, 253; BFW. 9720, 9721. Alteram compositionem, inter partes a. 1267, Mai. 13 factam, papa Mai. 30 confirmavit; Lib. III, 41; Potthast 20025; Posse p. 46, n. 575. Cf. supra n. 671.* 7) *Cf. Tommasi p. 41 et Cronica Sanese a. 1267; Muratori, SS. t. XV, p. 35.*

malitiam, ad seminis dampnati reliquias oculos dirigentes, Conradinum, quondam Fr. olim Romanorum imperatoris nepotem, missis ad eum nuntiis in suum presidium evocarunt. Regem quoque prefatum destinatum a nobis de fratrum nostrorum consilio ad easdem partes Tuscie paciarium[a], hoc est pacis publice servatorem, admittere contumaciter denegantes, se illi temere ac pertinaciter opponere ipsumque regem et nos in eodem multipliciter offendere pro viribus presumpserunt[1].

Propter quod nos in festo dedicationis Basilice Principis Apostolorum pontificatus nostri anno tertio[2] in hac maiori ecclesia Viterbiensi eosdem cives Senenses intrinsecos, quos pro eo, quod ut premittitur mandatis nostris parere contempserant, dudum antea duxeramus excommunicationis vinculo innodandos quosque favendo Conradino predicto in sententiam latam in fautores ipsius non est dubium incidisse, de ipsorum fratrum consilio excommunicatos publice denuntiavimus, iterato ex eisdem causis excommunicantes eosdem et personas eorum citra mortis et mutilationis periculum ac bona mobilia, sive in Francia sive in Anglia vel alibi ubicumque forent, nichilominus exponentes ab omnibus impune ac libere capienda[3], ac insuper aperte predicentes eisdem, quod si forsan in malitia sua persisterent nec infra mensem extunc ad nostra et ecclesie mandata redirent, ad privandum Senensem ecclesiam honore cathedre, clericos vero filios, fratres et propinquos eorum omnibus beneficiis iam obtentis et ad reddendum ipsos inhabiles ad alia obtinenda, prout videremus expediens, procedere curaremus. Extunc autem omnia privilegia, indulgentias et quascunque gratias a sede apostolica per quoscunque Senenses obtentas necnon et litteras eis super debitorum recuperatione concessas revocanda duximus et penitus irritanda, illis solis profuturis eisdem, que exinde infra tres menses per eandem sedem obtinerent forsitan innovari. Preterea universis Christi fidelibus curavimus districtius inhibere, ne quis *etc. similibus verbis ac p. 703, lin. 27—35 usque:* carere decrevimus omni robore firmitatis et nullius penitus esse momenti.

Verum quia memorati Senenses intrinseci in sua malitia obdurati non solum contempserunt ad nostra et ecclesie mandata redire, verum etiam memorato regi Sicilie se postmodum opposuerunt apertius et dicto Conradino faventes plus solito[4] eidem manifestius adheserunt: nos ipsos propter hec de predictorum fratrum consilio denuntiamus excommunicationum sententiis innodatos. Illos etiam, qui post *etc. similibus verbis ac p. 704, lin. 9—26 usque:* ad nostra et ecclesie mandata redire procurent. Alioquin exnunc omnia bona eorum mobilia, licet ea dudum duxerimus exponenda, in omnibus Christianorum regnis et regionibus regibus et baronibus crucesignatis, singulis videlicet in demaniis suis, exponimus, per eos in sue peregrinationis subsidium convertenda. Sed et non crucesignati ea libere capiant, sibi pro parte dimidia, reliqua vero Terre Sancte subsidio applicanda. Personas etiam ipsorum, a nobis ut premittitur citra periculum mortis et mutilationis expositas, iterato similiter in premissum casum exponimus, per capientes ad redemptionem pecuniariam compellendas. Civitatem quoque et commune Senenses omnibus privilegiis, iurisdictione ac districtu esse decernimus ipso facto privatos. Et ipsos insuper propter dampna nobis et ecclesie Romane ab ipsis illata et ipsorum contumaciam et contemptum tanto[b] continuatos tempore teneri decernimus in viginti milibus marcarum argenti, ad quas eos nichilominus eidem ecclesie condempnamus. Statuimus quoque, ut nullus Senensium ad potestariam vel aliquod aliud officium publicum aut honorem possit assumi et, si

---

a) Tuscie et paciarium *R.; cf. n. 676.* b) tantos *R.*

1) *Cf. Potthast 20100, 20103, 20115, 20171, 20188. A. 1267, Dec. 1 foedus cum Romanis fecerunt; cf. p. 701, not. 6.* 2) *A. 1267, Nov. 18.* 3) *Cf. etiam p. 562, not. 3 et n. 671.* 4) *Cf. etiam BF. 4851 et 4852.*

assumptus fuerit, ea, que pretextu huiusmodi officii vel honoris egerit, sint cassa et irrita et omni careant robore firmitatis; et nichilominus assumentes et assumpti sint eo ipso excommunicatione ligati. Nullus preterea eisdem Senensibus iuramento vel pacto quolibet obligetur. Ipsi vero possint omnibus obligari, et quicunque se licite obligaverint, teneantur. A premissis autem eos tantum exiticios[a] Senenses excipi volumus, qui sue devotionis testimonium per litteras apostolicas exhibebunt. Ceterum eisdem Senensibus aperte predicimus, quod nisi infra predictum tempus ad nostra et ecclesie mandata redierint, nos contra eos tam ad privandum Senensem ecclesiam pontificalis dignitatis honore et ipsam Florentino episcopatui uniendam quam alias gravius spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Predictas vero excommunicationis sententias etc. ut in tertia proxima superiori usque: relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. usque: publicabunt, ita quod cives et commune Senenses predicti etc. ut in illa Conradini per totum usque in finem.

679.

Clemens IV papa idem fere de Veronensibus, qui adhuc gentem Conradini recipiant et ei transitum praebeant, publicat. *1268, Apr. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 251; Lib. IV, cur. 7 [6 iterum ex errore scriptum est]. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 49, n. 613; BFW. 9891.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Nuper in festo dedicationis Basilice Principis Apostolorum pontificatus nostri anno tertio[1] . . potestatem, . . capitaneum, consiliarios, officiales et alios cives Veronenses, pro eo quod licet per syndicum ad hoc specialiter et legitime ordinatum nostris et ecclesie mandatis parere iurassent, tamen contra monitiones, inhibitiones et comminationes nostras super hoc sollempniter factas et publice temere veniendo, Conradinum, olim Fr. quondam Romanorum imperatoris nepotem, temerario ausu receperant ipsique alias prestiterant et prestabant auxilium, consilium et favorem, excommunicationis, civitatem autem Veronensem interdicti sententiis per nos latis declaravimus subiacere, ac nichilominus eos de novo similibus sententiis ex eisdem causis duximus innodandos. Predictos insuper cives et omnes incolas civitatis ipsius, qui eundem Conradinum aut eius capitaneum vel militiam seu quamcumque aliam gentem pro ipso de cetero in aliqua parte Italie contra easdem nostras inhibitiones et comminationes receperant, omnibus privilegiis, indulgentiis et gratiis quibuscunque ab apostolica sede obtentis extunc apostolica auctoritate privantes, ipsos manere decrevimus omni officio et honore privatos, ita quod nullus eorum in potestatem, capitaneum seu rectorem vel ad alia quecunque officia vel honores posset assumi. Et si aliqui eorum forent assumpti, sententie late per ipsos *etc. similibus verbis ac p. 686, lin. 5—9 usque:* momenti. Et nichilominus personas eorum citra mortis et mutilationis periculum necnon et bona mobilia exposuimus impune ab omnibus ac libere capienda. Predictos quoque Veronenses monuimus et eisdem districte precepimus, ut infra mensem extunc computandum dictum Conradinum et gentem suam repellentes prorsus desisterent a favore ipsius. Alioquin civitatem eandem pontificali dignitate, clericos vero

---

a) exinde *Gebauer.*

1) *A. 1267, Nov. 18; cf. p. 685.*

ipsius incolas quibuslibet dignitatibus et beneficiis obtentis privaremus et redderemus inhabiles ad alia obtinenda, prout facti suaderet qualitas et expediens videremus.

Quia vero iidem potestas, capitaneus, consiliarii, officiales et cives, precepta nostra, monitiones, comminationes et sententias contempnentes, nec predictum Conradinum et gentem suam infra prefixum eis ut predicitur terminum repellere nec ab ipsius favore desistere curaverunt, immo et recipiendo adhuc gentem suam et prebendo illi transitum[1] et alias multipliciter favere nituntur eidem: nos tandem civitatem Veronensem interdicti, predictos vero potestatem, capitaneum, consiliarios, officiales et cives excommunicationis declaramus sententiis subiacere, et non solum privilegiis, indulgentiis et gratiis quibuscunque fore privatos, sed etiam alias penas enumeratas superius incurrisse, potestatem et reliquos predictos de novo nichilominus ex eisdem causis excommunicationis sententia innodantes et tam civitatem ipsam quam districtum ipsius ecclesiastico supponentes districtius interdicto.

Aperte quoque memoratos potestatem, capitaneum, consiliarios, officiales et commune Veronenses monemus, hac multitudine presente fidelium, ut infra duos menses humiliter ad nostra et ecclesie mandata redire procurent. Alioquin exnunc omnes et singuli de ipsorum episcopatu et districtu a iuramento, quo eis iure, consuetudine vel usu quocunque tenentur, eo ipso sint penitus absoluti, nec aliquis de civitate vel districtu predictis eis obediens vel adherens vel alius in civitate ac districtu eisdem possint ad potestariam seu quodcunque officium vel honorem assumi, nec ipsa civitas vel eius universitas aut commune vel ad officia assumpti taliter iurisdictionem seu iurisdictionis usum habeant vel ipsam valeant quomodolibet exercere. Ipsorum quoque sententie ceteraque, siqua per ipsos pretextu officiorum huiusmodi acta vel gesta fuerint, sint inania, cassa et irrita et omni careant robore firmitatis.

Licet autem secundum premisse comminationis edictum ad privationem episcopalis dignitatis et benefitiorum singularium personarum possemus et eorum contumacia exigente deberemus non indigne procedere contra ipsos, nos tamen, experiri volentes, si vel nunc saltem nostris monitionibus acquiescant, processum nostrum quoad hoc duximus sustinendum, contra ipsos, nisi infra premissum tempus ad nostra mandata redierint, et quoad privationem huiusmodi et alias, prout qualitas facti suaserit et expedire viderimus, gravius spiritualiter et temporaliter processuri. Predictas vero excommunicationis sententias etc. ut in quarta proxima precedenti usque: relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in illa Conradini usque: publicabunt, ita quod predicti cives et commune Veronenses et alii, quos processus ipse etc. usque in finem.

680.

Clemens IV papa Raynerium de Paczis et Scarcalupum de Safena et complices eorum, qui in episcopum Silvensem et socios eius immaniter irruerint et eos paucis exceptis trucidaverint, excommunicatos nuntiat, multas alias poenas contra eos publicans.

1268, Apr. 5.

Clem. IV Reg. Vol. I, 252; Lib. IV, cur. 8. Epistolam ex Regestis descriptam a V. Cl. Monaci contulimus cum illo exemplari, quod Schirrmacher, Die letzten Hohenst. p. 633, n. 30 ex codice Petri de Vinea Wratislaviensi Bibl. Elisabeth n. 47, f. 47a edidit.

Schirrmacher, l. c.; Posse, l. c. p. 49, n. 614; BFW. 9892.

---

1) *Conradinum ergo eo tempore milites ex Germania venientes subsecuti videntur.*

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.

Nefandum et horribile facinus preteritis diebus in Tuscie partibus a viris sanguinum perpetratum voce publica non sine mentis amaritudine recensentes, ad illud puniendum, cum pena gravior vix sufficiat ad vindictam, eo ferventiori attentione procedimus, quo tanti patratio sceleris in Dei maiorem contumeliam et offensam, apostolice sedis iniuriam et plurimorum scandalum redundavit. Cum enim bone memorie .. Silvensis episcopus[1] et dilecti filii .. decanus[2] et .. archidiaconus Salamantini, quondam[a] Arnaldus miles et nonnulli alii de comitiva et familiis eorundem, clerici et laici, per Tusciam transitum facerent ad eandem sedem pro certis negotiis accessuri, dampnationis filii Raynerius de Paczis[b] [3] et Scarcalupus de Safena[c] et multi satellites complices eorundem, equites et pedites, illorum presentientes adventum, positis secus iter insidiis, Dei timore postposito et debito prorsus humanitatis excluso, in episcopum et alios predictos immaniter irruerunt et eos paucis exceptis, quorum aliqui evaserunt fuge presidio, quidam vero, qui affecti vulneribus fuerunt, quasi mortui derelicti et aliqui captivati, spoliis eorum depredationi miserabiliter deditis, cede crudelissima trucidarunt[4].

Ut igitur [pro][d] tam pernitioso et detestabili crimine, sicut extitit severitatis qualitate gravissimum, sic patratores ipsius dure premat asperitas ultionis et penarum onera transeant posteris in exemplum: castra, villas et loca predictorum malefactorum et alia, in quibus se tempore patrati criminis receptarunt, perpetuo municipii et universitatis iure privamus, ita quod deserta iaceant, hominum habitationem nullis unquam temporibus habitura, ipsaque remaneant nichilominus in perpetuum ecclesiastico supposita interdicto; nec aliquis sacerdos aut clericus in illis remanere presumat vel quicquam ad ecclesiasticum ordinem pertinens exercere. Habitare quoque presumentibus in locis eisdem nostra taliter animadversione dampnatis in vita vel in morte, nisi locorum ipsorum habitationem abiurent, sacramenta ecclesiastica non prestentur, et iura dictarum ecclesiarum aliis assignentur ecclesiis, prout diocesani locorum vel alii, ad quos spectaverit, duxerint ordinandum. Dictos autem sacrilegos et generaliter omnes alios, qui ad hoc dederunt opem vel operam, consilium vel favorem, denuntiamus excommunicationis sententie subiacere ac nichilominus excommunicamus et anathematizamus eosdem; nec ab aliquibus absolvi valeant in mortis articulo, nisi dictorum locorum habitationem loquela vel saltem nutu, si loqui non poterunt, duxerint abiurandam. Quod si eos absolvi contigerit et sic absoluti ad eadem loca redire presumpserint, vel etiam si sanitate recepta sedi apostolice se non presentaverint infra mensem, satisfacturi de dampnis et iniuriis iuxta mandatum Romani pontificis, ipso facto in predictam sententiam relabantur. Nullus quoque penitentiarius noster vel alius, cui data fuerit potestas a nobis vel predecessoribus nostris ab inicctione manuum absolvendi, possit tales absolvere vel aliquem de predictis sine mandato vel licentia sedis apostolice speciali. Prefatos insuper cedis actores et successores eorum omnibus iuribus, que obtinent in predictorum locorum ecclesiis et aliis quibuscunque, sive sint advocatie sive patronatus, apostolica auctoritate privamus. Cetera vero eorum bona immobilia, quibus similiter privamus eosdem, si forsan ab imperio vel aliquibus aliis tenentur in feudum, eis, nisi et ipsi fuerint participes criminis, maneant confiscata; quorum malefactorum personas citra mortis et mutilationis periculum et bona mobilia eorundem quibuslibet fidelibus exponimus impune ac libere capienda.

a) quidam *Sch.* b) Pazzis *Sch.* c) Squarcialupus de Sofena *Sch.* d) pro *add. Sch.*

1) *Garsia.* 2) *Petrus, qui vulneratus et captus est; Potthast 20200; cf. infra sub n. 688.* 3) *In superiore valle Arni prope Montevarchi.* 4) *Factum est a. 1267 paulo ante Dec. 28; cf. Potthast 20200.*

Preterea omnes, qui malefactores eosdem receperint vel qui eis in quocunque negotio scienter dederint consilium, auxilium vel favorem, hiis dumtaxat exceptis que ad salutem vel conversionem pertinerent ipsorum, excommunicationis sententia innodamus. Ceterum fratres, filios et nepotes eorundem et omnes ex eis ex quocunque latere descendentes usque ad quartam generationem, si clerici fuerint, privamus ecclesiasticis beneficiis habitis et reddimus inhabiles ad habenda, statuentes ut qui nondum clericali sunt insigniti caractere, militie clericalis ordinis nullatenus ascribantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in illa Conradini usque: publicabunt, ita quod Raynerius de Paezis et Scarcalupus de Safena predicti ac alii, quos processus ipse etc. usque in finem.

681.

Clemens IV papa contra Firmanos contumaces excommunicationis et interdicti sententias aliasque poenas promulgat, eos monens, ut infra festum pentecostes veniant absolute ad mandata ecclesiae. *1268, Apr. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 252; Lib. IV, cur. 9. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 615; BFW. 9891.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

In festo dedicationis Basilice Principis Apostolorum pontificatus nostri anno tertio [1] contra civitatem et commune Firmanos, potestatem, capitaneum, consiliarios ceterosque, per quos tunc temporis regebantur, et cives civitatis eiusdem [2] propter diversos ipsorum excessus notorios et contumacias manifestas ad interdicti et excommunicationis sententias necnon et ad indictiones penarum et comminationes varias de fratrum nostrorum consilio exigente iustitia sub certa forma duximus procedendum, inter cetera peremptorium eis terminum assignantes, infra quem ad nostra et ecclesie mandata redirent, et predicentes aperte nos contra eos, si nostris in hoc monitis non parerent, gravius spiritualiter et temporaliter processuros. Verum ipsi, rebellionis solite pertinaciam prosequentes, ad nostra et eiusdem ecclesie redire mandata iuxta premissum nostri processus edictum contumaciter non curarunt: propter quod predictos potestatem, capitaneum, consiliarios ac alios, per quos dicta civitas regitur, et cives ipsius excommunicationis, civitatem vero et commune predictos ex predictis causis interdicti denuntiamus sententiis subiacere. Et nichilominus tam ex eisdem causis quam aucta etiam ex continuatione ipsorum contumacia exigente in eos [a] de novo similes sententias promulgamus, civitatem et cives eosdem omni iure communitatis sive universitatis omnique imperio et iurisdictione tam in civitate ipsa quam extra necnon et districtu temporali privantes et manere decernentes ipso facto privatos. Bona etiam ipsorum mobilia fidelibus universis exponimus ab ipsis impune ac libere occupanda, personas eorundem civium citra mortem et mutilationem nichilominus exponentes. Eosdem insuper civitatem et cives privilegiis, libertatibus et gratiis apostolicis universis privamus et privatos esse volumus similiter ipso facto, nichilominus statuentes ut nullus ipsorum civium ad potestariam vel aliquod aliud officium publicum aut

a) eis *R.*

1) *A. 1267, Nov. 18.* 2) *Cf. p. 554, not. 1. Post mortem Manfredi ecclesiae se submisisse non videntur. Primi, quoad scimus, fuerunt, qui Conradinum advocarunt; Potthast 19843; cf. 19902. De capite eorum Laurentio Teupoli Veneto cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 99, not. 2 et Schirrmacher, l. c. p. 543, not. 22.*

honorem alicubi vel alius in civitate ipsa possint assumi. Et si aliquis contra constitutionem huiusmodi ad ea fuerit assumptus, illa, que pretextu sic suscepti officii vel honoris egerit, sint cassa et irrita omnique careant robore firmitatis. Et nichilominus assumentes et assumpti sint eo ipso excommunicatione ligati.

Ceterum memoratos Firmanos, qui, Dei timore postposito iuramentorum plurium religione contempta, fidelitate, quam Romane debebant ecclesie, pluries violata, proditionibus pluribus involuti, Romanam ecclesiam matrem suam et dominam et dilectum filium nostrum S[imonem] tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, cum in Marchia rector esset et legationis officio fungeretur[1], quibus potuerunt iniuriis affecerunt, monemus denuo, hac presente fidelium multitudine, quatinus infra festum pentecostes venturum proximo[2] ad nostra veniant absolute mandata. Quod si non fecerint, eos maiestatis reos publice nuntiantes, in confusionem ipsorum civitatem Firmanam extunc honore et nomine civitatis et ecclesiam Firmanam honore et dignitate episcopali privamus, eandem sedem vel in aliquam partem diocesis translaturi vel eam cum sua diocesi ecclesie alteri subiecturi, prout nobis de nostrorum fratrum consilio magis videbitur expedire. Predictas vero excommunicationis sententias etc. ut in sexta superiori proxima[a] usque: relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in illa Conradini usque: publicabunt, ita quod cives et commune Firmani predicti ac alii, quos processus ipse etc. usque in finem[3].

682.

Clemens IV papa contra cives Civitatis Castelli contumaces excommunicationis et interdicti sententias promulgat, eis, nisi infra mensem ad mandata ecclesiae redierint, privationem dignitatis episcopalis comminans. *1268, Apr. 5.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 252; Lib. IV, cur. 10. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 616; BFW. 9891.

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.

Tanquam obstinati filii cives Civitatis Castelli, qui civitatem ipsam hoc tempore detinent, in superbie spiritu sic animos offirmarunt, ut nec Deum nec sedem apostolicam reverentes nostra et eiusdem sedis mandata despiciant pertinaciter, in rebellione solita persistendo[4]. Licet autem ipsos excommunicaverimus publice ac civitatem ipsam et districtum eius ecclesiastico supposuerimus interdicto eosque privilegiis, gratiis, iuribus et iurisdictionibus suis privaverimus, diversis aliis processibus habitis contra eos, ipsi tamen, hec omnia contempnentes, dampnabiliter in sua contumacia perseverant. Intendentes igitur ut ipsis, quos habita erga illos hactenus nostra

---

a) *n. 676.*

1) *Cf. p. 696, not. 1.* 2) *Mai. 27.* 3) *A. 1268, Mai. 4 papa [Manfredo] electo Veronensi, ducatus Spoletani et marchiae Anconitanae rectori, scripsit se syndicis Firmanorum, si parati venirent ecclesiae stare mandatis, conductum dedisse; Potthast 20338; 20339 eadem epistola fuisse videtur; cf. 20390. Cf. Regesta Firmana p. 436, n. 328 et 331.* 4) *Cf. n. 529. A. 1265, Iul. 1 cives excommunicati erant; Potthast 19244. A. 1265, Sept. 24 papa, cum capitulum ecclesiae Castellanae vacantis propter inhibitionem ab Urbano IV de celebrandis electionibus promulgatam [cf. n. 537 et 567; inhibitio specialis capitulo Castellano ab Urbano IV a. 1264, Mart. 14 facta in Urb. Vol. II [cameralia], f. 117', ep. 2] et a Clemente IV approbatam eligere non posset, Nicolaum quondam abbatem S. Severi Urbevetani eidem ecclesiae praefecit; in eundem modum inter alios populo civitatis et diocesis Castellanae spiritum consilii sanioris; Lib. I, 150; Iordan 151; cf. Potthast 19324.*

benignitas ad veritatis semitam non reduxit[1], sententiarum aggravatio et penarum asperitas tribuat intellectum, et eosdem processus ac sententias innovantes, . . potestatem, . . capitaneum, consiliarios, iudices et quoslibet officiales dicte civitatis ex premissis causis denuo excommunicationis sententia innodamus et civitatem ac districtum predictos simili subicimus interdicto, personas eorum citra mortis et mutilationis periculum ac bona ipsorum mobilia fidelibus exponentes impune ac libere capienda. Eis quoque predicimus, quod nisi infra unum mensem exnunc computandum ad nostra et ecclesie mandata redire curaverint, ad privationem episcopalis dignitatis ecclesie Castellane propter eorum obstinatam malitiam, prout expedire viderimus, auctore Domino procedemus.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in premissa littera Conradini etc. usque: publicabunt, ita quod cives et commune Civitatis Castelli predicti ac alii, quos processus ipse etc. usque: publicatur.

Actum in palatio nostro Viterbiensi, in die cene Domini, pontificatus nostri anno quarto.

683.

Clemens IV papa [sextum] processum contra Conradinum et fautores eius habitum publicat. *1268, Mai. 17.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 253; Lib. IV, cur. 11. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. BFW. 9905.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Dudum ad apostolice sedis perlato notitiam, quod Conradinus, nepos quondam Fr. olim Romanorum imperatoris, etc. prout continetur supra in II° capitulo[a] usque: in festo ascensionis Dominice pontificatus nostri anno predicto in hac eadem Viterbiensi ecclesia etc. usque: seu ministerio huiusmodi officiorum pretextu in iudicio vel extra etc. usque: processuros[b].

Cum autem postmodum idem Conradinus, predictis inhibitionibus, monitionibus, comminationibus sententiisque contemptis, ingressus Italiam cum armatis Papiam venire[2], aliquas etiam partes imperii necnon et terras devotorum ecclesie in Lombardia invadere temerarie presumptionis conamine attemptasset: nos in die cene Domini nuper transacta[3] in platea eiusdem Viterbiensis ecclesie, magna inibi multitudine fidelium congregata, ipsum Conradinum denuntiavimus ex causis premissis in excommunicationis et alias latas in eum sententias incidisse, de novo nichilominus ex eisdem causis de ipsorum fratrum consilio excommunicantes eundem; ac insuper ipsum regno Ierosolimitano et omni iure, siquod habebat in illo, apostolica auctoritate privatum *etc. ut p. 698, lin. 21 — p. 699, lin. 12 usque:* prout facti qualitas suaderet et expediens videremus.

Quia vero crescit assidue memorati Conradini presumptuosa temeritas, et sue temerarie presumptionis audacia ipsum iam in eam instigavit insaniam, quod, premissis nostris monitionibus, prohibitionibus, comminationibus et sententiis omnino contemptis, postmodum Pisas cum sua qualicunque quam habet gente processit[4]: nos,

---

a) *n. 674.* b) *cf. p. 698, lin. 5.*

1) *Cf. Potthast 19976; BFW. 9768; cf. Potthast 20223.* 2) *A. 1268, Ian. 20; BF. 4848h.* 3) *Apr. 5.* 4) *A. 1268, Apr. 7; BF. 4850g.*

ipsum exigentibus contumacia et culpis ipsius denuntiantes de fratrum eorundem consilio ineligibilem et prorsus inhabilem ad quodlibet regnum vel imperium obtinendum omnibusque feudis et iuribus, siqua tenebat ab ecclesiis, quibuscunque privatum necnon in omnes et singulas sententias et penas eidem indictas superius incidisse, premissas sententias latas in eum, prohibitiones quoque, comminationes et monitiones universas et singulas ex eisdem causis nichilominus innovamus. Dictos preterea L. ducem Bavarie, . . comitem Tyroli, Bosum de Dovaria, Fredericum dicti regis Castelle germanum, Manfredum Malet, Conradum Trinza, Guillelmum de Parisius, Guidonem Novelli, Galvanum et Fredericum Lancea, Conradum de Antiochia, Iohannem de Marerio ceterosque, cuiuscunque sint preminentie, dignitatis aut status, et specialiter predictorum civitatis Grosseti[1] et castri Sancti Miniati cives et incolas, qui premissis monitionibus, comminationibus vel sententiis non parentes nec ad nostra et ecclesie mandata redire nec ab ipsius Conradini favore desistere curaverunt, denuntiamus latis in ipsos, velut eiusdem Conradini fautores, excommunicationis sententiis subiacere, et insuper eos de novo excommunicationis sententia innodamus. Predicta quoque necnon et alia civitates, castra et loca, que dictum Conradinum aut eius capitaneum vel militiam seu aliam quamcunque gentem receperunt postmodum pro eodem seu alias easdem inhibitiones, monitiones, comminationes et sententias contempserunt contra eas temere veniendo, declaramus supposita et de novo ex predictis causis ecclesiastico districte supponimus interdicto. Porro universis et singulis Christi fidelibus, et specialiter patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus et quibuslibet aliis ecclesiarum prelatis et personis ecclesiasticis sub pena degradationis et privationis dignitatum, officiorum et quorumlibet beneficiorum necnon communitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et quorumcunque locorum, marchionibus quoque, ducibus, comitibus, baronibus et singulis quibuslibet personis sub pena privationis omnium, que a quibuscunque tenent ecclesiis, generaliter edicimus et districtius inhibemus, ne cum memorato Conradino aut alio pro ipso seu in favorem ipsius societatem, colligationem vel quecunque federa contrahant vel contracta observent. Nos enim, societatem, colligationem et federa huiusmodi, etiam si sint iuramentorum vel penarum adiectione seu quocunque alio vinculo roborata, de potestatis plenitudine dissolventes et carere statuentes omni robore firmitatis, universos et singulos, qui se ad eorum observationem quomodocunque seu quantumcunque sollempniter astrinxerunt, ad ea observanda decernimus non teneri nec ipsos pro eo, quod illa non servaverint, posse de reatu periurii vel ratione penarum aut quarumcunque promissionum vel conventionum adiectarum in eis in iudicio vel extra impeti seu aliquatenus molestari. Simili quoque prohibemus edicto, ne quis [memorato Conradino][a] vel alii pro eo in aliqua parte Italie obediat vel intendat, seu ad ipsum vadat, nuntium vel litteras ei mittat sub quocunque velamine aut recipiat ab eodem, neve sibi, genti vel nuntiis suis fodrum ministret, equos vel arma vel naves sub venditionis titulo aut quocumque alio colore concedat, nec ab ipso Conradino vel alio pro eo stipendia quecumque recipiat vel pro receptis servitium promissum exhibere presumat, nec alias quomodolibet eis vel eorum alicui aut alii etiam pro Conradino predicto prestet auxilium, consilium vel favorem publicum vel occultum. Alioquin in omnes, qui contra predictas inhibitiones nostras vel ipsarum aliquam temere venire quocunque modo presumpserint, cuiuscumque fuerint dignitatis vel status, exnunc excommunicationis sententiam de fratrum eorundem consilio promulgamus, alias contra ipsos gravius spiritualiter et temporaliter, prout excessus

---

a) memorato Conradino *deest R.*

1) *Cf. n. 686 et BF. 4857a.*

dictaverit qualitas et expedire viderimus, processuri. Predictas vero excommunicationis sententias *etc. ut p. 699, lin. 13—19 usque:* relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus *etc. ut p. 670, lin. 15—21 usque:* publicatur.

Actum in ecclesia Viterbiensi, in die ascensionis Domini, pontificatus nostri anno quarto[1].

684.

Clemens IV papa Henricum senatorem Urbis, germanum [Alfonsi] regis Castellae, publice monet, ut de excessibus suis infra festum SS. Petri et Pauli satisfaciat; alioquin eum excommunicatum esse. *1268, Mai. 17.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 254; Lib. IV, cur. 12. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 617; BFW. 9906.

Ad notitiam presentium et memoriam futurorum.

Notum est omnibus non solum Christicolis sed etiam aliarum diversarum populis nationum, quod excellens prosapia generis carissimi in Christo filii nostri . . regis Castelle ac Legionis illustris, apud Deum et Romanam ecclesiam inclita devotione prefulgens, Romanos pontifices et sedem apostolicam semper filialibus studiis honoravit ac defendere studuit decorem et privilegium ecclesiastice libertatis, nec ab hiis idem rex et progenitores sui manum retraxerunt vel animum, quin circa talia devota et assidua fuerint operatione constantes, prout eorum gesta prelucida manifestant. Turbamur igitur nec indigne dolemus, quod de tam clara et excellenti progenie filius exasperans descendisse conspicitur, Henricus videlicet senator Urbis, regis prefati germanus, qui a clarissimis proprii generis actibus declinans in devium assumpto senatorie Urbis officio prefatam ecclesiam et suos non ut tenetur extollit honoribus, sed potius gravaminibus afficit ac lacessere gravibus iniuriis non veretur; propter quod in die cene Domini proximo preterito[2], quibusdam de suis excessibus in hac Viterbiensi ecclesia narratis in publico, qui honeste dissimulari vel equanimiter tolerari non poterant, tam ipsum et Guidonem de Montefiltro eius in Urbe vicarium quam ceteros officiales eorum et omnes, qui voluntarii Galvano Lancee ac aliis Conradini nuntiis ad Urbem accedentibus occurrerunt[a] vel receperunt eosdem, excommunicationis *etc. similibus verbis ut p. 701, lin. 18—34 usque:* procedere curaremus.

Ipse vero, contra dictam ecclesiam et propriam salutem vultum obfirmans et, quantum in eo est, in gloria sui generis ponere maculam non abhorrens, non solum quod non paruit monitis et preterita non correxit, sed de malo labens in peius deteriora commisit. Inter alia enim, sicut accepimus, diversos clericos cepit seu capi fecit et sub custodia detineri, ac non sine tam inclite Urbis iniuria pariter et infamia nonnulla deposita diversorum Christi fidelium de sacris edibus Urbis seu locis eis adiacentibus extraxit seu fecit extrahi[3], licet ex lege divina et humana ubilibet tuta manere debeant sub securitatis privilegio singulari. Unde quia premissa redundant in divine maiestatis offensam et predicte sedis iniuriam ac enorme dispendium ecclesiastice libertatis, eundem senatorem, presente hac fidelium multitudine, monemus

a) occurerunt *R.*

1) *A. 1268, Apr. 13 guardiano fratrum Minorum Perusinorum mandaverat, ut fideles diocesis Perusinae ad crucem contra Conradinum sumendam exhortaretur: Potthast 20318. Alibi quoque contra eum crucem praedicatam esse non invenimus.* 2) *A. 1268, Apr. 5; cf. n. 675.* 3) *Cf. Potthast 20334 et Saba Malasp. ap. Muratori, SS. t. VIII, p. 836.*

sibique precipimus, ut infra festum apostolorum Petri et Pauli proximo futurum[1] tam de commissis circa clericos et deposita predicta quam de prefatis domibus nostris ac offensis et dampnis illatis cardinalibus et capellano predictis et ceteris, de quibus alium terminum sibi prefiximus, sicut superius est expressum, plenam satisfactionem impendat et a qualibet offensa predictorum cardinalium et capellani, ecclesiarum etiam et cleri Urbis prorsus abstineat. Alioquin exnunc in eum excommunicationis sententiam promulgamus, quam extunc eo ipso incurrat, si premissa neglexerit vel contempserit adimplere aut similia duxerit perpetranda.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. ut in superiori proxima usque: publicabunt, ita quod predictus Henricus et ceteri officiales eius et alii, quos processus ipse contingit etc. usque in finem[2].

685.

Clemens IV papa promulgat Pisanos sententias contra fautores Conradini latas incurrisse, eosque monet, ut infra festum SS. Petri et Pauli redeant praecise ad mandata ecclesiae; alioquin se eos omni iure, si quod in insula Sardiniae habeant, privare et gravius contra eos processurum esse. *1268, Mai. 17.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 254; Lib. IV, cur. 13. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 618; BFW. 9906.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Frequenter universis Christi fidelibus publice ac expresse prohibere curavimus, ne Conradino, nato quondam Conradi olim Fr. quondam Romanorum imperatoris filii, etc. prout continetur supra capitulo IIII°[a] usque: favorem, aliis nichilominus diversis inhibitionibus, monitionibus, sententiis et penis adiectis, sicut in variis processibus contra eundem Conradinum de fratrum nostrorum consilio publice ac sollempniter habitis plenius continetur.

Verum quia civitas, cives et commune Pisani, antique persecutionis etc. usque: expediens videretur[b]. Quia vero memorati cives et commune Pisani, postmodum dicto Conradino faventes ac adherentes apertius et memorato regi Sicilie se manifestius opponentes, syndicum vel syndicos iuxta premissam formam ad nostram contempserunt presentiam destinare: nos in die cene Domini nuper preterito pontificatus nostri anno quarto, presente tunc multitudine copiosa fidelium, de predictorum fratrum consilio predictos potestatem, capitaneum et alios Pisanos excommunicationis *etc. similibus verbis ut p. 704, lin. 8—42 usque:* prout facti suaderet qualitas et videremus expediens, processuros.

Cum autem predicti cives et commune Pisani, premissis nostris monitionibus, inhibitionibus, comminationibus et sententiis contemptibiliter vilipensis, graves et solitos suos continuantes excessus, immo quasi continue graviores et insolentiores prioribus committentes, memoratum Conradinum et gentem suam postea[c] manifeste receperint[3]: nos ipsos sententias et penas omnes superius eis indictas de fratrum nostrorum consilio denuntiamus, presente hac fidelium multitudine, incurrisse, ac nichilominus ex eisdem causis omnes et singulas premissas[d] sententias innovamus, venerabili fratri nostro Frederico episcopo Pisano manifeste ac districte mandantes, ut cum Pisana

---

a) *n. 676.* b) *p. 704, lin. 2.* c) postea *superscr.* d) premissas *superscr.*

1) *Iun. 29.* 2) *Sub a. 1268, [Iul. 14] papa novam sententiam contra Henricum promulgavit; Winkelmann in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. XIV, p. 103, n. 18; BFW. 9923.* 3) *A. 1268, Apr. 7.*

sedes ab olim archiepiscopali sit dignitate privata[1], idem episcopus se nec archiepiscopum nec pontificem vel alio quocumque nomine generali prelatum, sed aperte ac simpliciter Pisanum episcopum nominare presumat, nec in sigillo seu alias archiepiscopalibus insigniis vel denominatione seu intitulatione utatur. Alioquin excommunicationis sententie, quam exnunc in ipsum, si secus egerit, ferimus, se noverit subiacere. Predictos quoque cives ac commune Pisanos aperte monemus, ut infra instans festum beatorum apostolorum Petri et Pauli[2], quod eis pro peremptorio assignamus termino, ad nostra et eiusdem ecclesie redeant precise mandata, satisfacturi plenarie de suis excessibus et nostris ac eiusdem ecclesie beneplacitis parituri. Alioquin ipsos exnunc omni terra et iure, siqua forsan habent in insula Sardinie[3] vel aliqua parte ipsius, apostolica auctoritate privamus et manere decernimus ipso facto privatos, contra ipsos gravius spiritualiter et temporaliter processuri, prout qualitas facti suaserit et viderimus expedire. Predictas quoque sententias excommunicationis prohibemus absque speciali mandato nostro nisi forsan in mortis articulo relaxari, statuentes ut absolutionis in huiusmodi casu beneficium obtinentes infra duos menses, postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan inibi essent, recedentes etc. usque: in prefate Viterbiensis ecclesie appendi etc. usque: publicabunt, ita quod eadem civitas et alii, quos processus ipse contingit etc. usque: publicatur.

Actum in ecclesia Viterbiensi, in die ascensionis Domini, pontificatus nostri anno IIII°.

686.

Clemens IV papa promulgat Senenses in sententias contra fautores Conradini latas incidisse, eosque monet, ut infra festum SS. Petri et Pauli ad ecclesiae mandata praecise redeant; alioquin se eos omni iure, si quod habeant contra comitem Aldebrandinum de Pitiliano dictum Rubeum et vassallos eius ratione castrorum et terrarum et specialiter civitatis Grosseti, privare et gravius contra eos processurum esse. 1268, Mai. 17.

Clem. IV Reg. Vol. I, 255; Lib. IV, cur. 14. Epistolam, quam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci, contulimus cum illo exemplari, quod Gebauer, Leben Kaiser Richards p. 606 edidit. Potthast, Reg. 20369; Posse, l. c. p. 49, n. 619; BFW. 9906.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Si turbationum repetantur initia, que in partibus Tuscie radicate partes finitimas invaserunt aliasque in concepta prius malitia solidarunt, Senensis civitas non solum quasi earum particeps sed potius velut infausta promotrix et infesta prosecutrix occurrit. Notum est siquidem ipsam quondam Manfredum olim principem Tarentinum, hostem ecclesie manifestum, per suos satellites induxisse in Tusciam in contumeliam apostolice sedis ac imperii extunc sub regiminis incertitudine fluctuantis iniuriam et occasionem malis innumeris prestitisse. Et licet Manfredo predicto etc. prout continetur supra capitulo VI°[a] usque: presidium evocarunt. Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie regem illustrem destinatum a nobis de fratrum nostrorum consilio etc. usque: manifestius adheserunt[b]: nos in die cene Domini pontificatus nostri anno quarto

a) *n. 678.* b) *p. 707, lin. 30.*

1) *Hanc privationem Urbanus IV eis comminatus erat in ep. Potthast 18700, de qua cf. p. 670, not. 3. A. 1273, Iun. 20 Gregorius X civitati Pisanae dignitatem archiepiscopalem restituit; Potthast 20748; epistola in Arch. della soc. Romana di storia patria t. VI, p. 246 publicata eadem est.* 2) *Iun. 29.* 3) *Cf. Potthast 19752, 19913, 20090, 20110.*

in platea eiusdem Viterbiensis ecclesie, tunc presente multitudine copiosa fidelium, ipsos propter hoc de predictorum fratrum consilio denuntiavimus excommunicationum sententiis innodatos. Illos etiam, qui post *etc. similibus verbis ac p. 707, lin. 31 — p. 708, lin. 10 usque:* prout putaremus expediens, procedere curaremus.

Quia vero prefati Senenses intrinseci, dictis nostris processibus non sine multa temeritate contemptis, et ad nostra et ecclesie mandata redire et ab ipsius Conradini favore desistere contumaciter non curarunt: nos cives ipsos ex causis predictis excommunicationis, civitatem vero Senensem et commune ipsius denuntiamus de predictorum fratrum consilio interdicti sententiis subiacere, ac in omnes et singulas penas superius indictas eisdem, quas quidem sententias necnon prohibitiones et comminationes premissas nichilominus innovamus, suis contumacia et culpis exigentibus incidisse, ipsos de novo ex causis premissis eisdem sententiis innodantes, et manifeste predicentes eisdem, quod nisi sibi sano consilio providentes infra instans festum beatorum apostolorum Petri et Pauli[1], quod pro peremptorio eis termino assignamus, humiliter ad nostra et ecclesie mandata precise redierint, satisfacturi plenarie de suis excessibus et nostris beneplacitis parituri, nos extunc cives ipsos et commune Senenses omni iure, siquod ipsis contra dilectum filium nobilem virum comitem Aldebrandinum de Pitiliano[2] dictum Rubeum vel vassallos ipsius quocumque titulo competit ratione castrorum seu terrarum, que idem comes vel dicti vassalli possident seu ipsi vel predecessores dicti comitis hactenus quocunque tempore possederunt, et specialiter ratione civitatis Grosseti[3] seu in ipsa civitate, castris et terris, apostolica auctoritate privamus et manere decernimus ipso facto privatos, alias contra ipsos gravius spiritualiter et temporaliter processuri, prout excessus qualitas exiget et viderimus expedire. Predictas vero excommunicationum sententias etc. usque: relabantur.

Ut autem huiusmodi noster processus etc. usque: publicabunt, ita quod eadem civitas et alii, quos processus ipse etc. usque: publicatur.

Actum in ecclesia Viterbiensi, in die ascensionis Domini, pontificatus nostri anno quarto.

687.

Clemens IV papa promulgat Papienses sententiis contra fautores Conradini latis subiacere, praedicens, nisi infra festum SS. Petri et Pauli ad mandata ecclesiae humiliter redierint, se gravius contra eos processurum esse. *1268, Mai. 17.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 255; Lib. IV, cur. 15. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 49, n. 620; BFW. 9906.

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum.

Frequenter universis Christi fidelibus *etc. ut fusius legitur p. 702, lin. 15 — p. 703, lin. 4 usque:* plenius continetur.

Cum autem perfidi Papienses *etc. similibus verbis ut p. 705, lin. 8—16 usque:* aggravantes, nos in die cene Domini transacta novissime in hac eadem Viterbiensi ecclesia, presente multitudine numerosa fidelium, civitatem et cives eosdem, quos non

1) *Iun. 29.* 2) *Non multum a flumine Fiora, ex occ. lacus Vulsiniensis; cf. Cod. dipl. d'Orvieto p. 252 et 253, et Ann. Senenses a. 1265 [id est 1266], SS. t. XIX, p. 231.* 3) *Quam civitatem Senenses a. 1266, Mart. 12 ceperant; ibid.; a. 1266, Mart. 3 in Notis hist. Sen., Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. 2. Erg.-Bd. p. 583; cf. Cronica Sanese ap. Muratori, SS. t. XV, p. 35, et supra p. 714, lin. 11.*

est dubium *etc. ut p. 705, lin. 17—35 usque:* prout fore putaremus expediens, procedere curaremus.

Quia vero memorati Papienses, monitionibus, inhibitionibus, comminationibus et sententiis supradictis contemptibiliter obauditis, non solum ad nostra et ecclesie mandata redire vel a dicti Conradini favore desistere non curarunt, immo etiam solitos prosequentes seu etiam aggravantes excessus, Conradinum ipsum et gentem suam deducere dictamque gentem ad eandem civitatem Papiensem iterum redeuntem[1] recipere ibique tenere ac honorare multipliciter presumpserunt: nos cives ex causis predictis excommunicationis, civitatem vero et commune prefatos denuntiamus de fratrum eorundem consilio interdicti sententiis subiacere ac in omnes et singulas penas superius indictas eisdem, quas quidem sententias necnon prohibitiones et comminationes premissas nichilominus innovamus, suis contumacia et culpis exigentibus incidisse, ipsos de novo ex causis premissis eisdem sententiis innodantes, et manifeste predicentes eisdem, quod nisi sano sibi consilio providentes infra instans festum apostolorum Petri et Pauli[2], quod eis pro peremptorio termino assignamus, humiliter ad nostra et ecclesie mandata redierint, satisfacturi plenarie de suis excessibus et nostris ac ipsius ecclesie beneplacitis parituri, nos exnunc episcopum Papiensem, qui pro tempore fuerit, honore celebrandi cum palleo ac faciendi deferri coram se crucem in sua diocesi apostolica auctoritate privamus, alias contra dictos cives et commune Papienses gravius spiritualiter et temporaliter processuri, prout expedire putabimus et facti qualitas suadebit. Predictas vero excommunicationis sententias etc. prout continetur supra capitulo XI°[a] usque: publicabunt, ita quod eadem civitas et alii, quos processus ipse etc. usque: publicatur.

Actum in ecclesia Viterbiensi, in die ascensionis Domini, pontificatus nostri anno IIII°.

688.

Clemens IV papa [Alfonso] regi Castellae et Legionis, in Romanorum regem electo, nuntiat se ei et Ricardo super causa imperii a. 1269, Iun. 1 terminum assignasse et terminum testium producendorum a. 1268, Dec. 18 statuisse. *1268, Mai. 18.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 256; Lib. IV, cur. 16. Exemplar Raynaldi, Ann. eccl. a. 1268, § 42, cum Regestis contulit et ex eis supplerit V. Cl. Monaci.

Potthast, Reg. 20348; Posse, l. c. p. 49, n. 625; BFW. 9907; legitur haec ep. etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VII, p. 562, n. 112.

. . regi Castelle ac Legionis illustri, in Romanorum regem electo.

Quanto ex celeri decisione negotii, quod de imperii Romani regimine agitur coram nobis, maiora considerabamus vitari discrimina quantoque amplius post assumptum apostolatus apicem ad accelerandum ipsius ordinationem imperii propositum et desideria nostra dreximus, tanto proculdubio molestior nobis occurrit et gravior quevis differende huiusmodi decisionis et ordinationis occasio, utpote non solum proposito tam utili obvia et eisdem votis nostris adversa, quin etiam emula pacis ecclesie, totius eiusdem imperii ac specialiter principum Alamannie quieti et profectibus invidens, grandium discordiarum parens et gravium procuratrix insidiosa discriminum ac nutrix infesta. Verum quicquid interdum multiplex consideratio suggerat, quicquid subministret affectus,

a) *n. 683.*

1) *A. 1268, Apr. 6; Ann. Placent., SS. t. XVIII, p. 526; cf. BF. 4850h.* 2) *Iun. 29.*

in rationis tamen iudicio sedulo commonemur circa ea precipue, in quibus iudicis partes exequimur, potius obsecundare iustitie quam nostris desideriis indulgere. Sane[1] dudum super eodem negotio diversis articulis per dilectum filium magistrum R[adulfum] de Podiobonizi procuratorem tuum, se admitti ad probandum eosdem in Alamannia, Francia, Yspania et nichilominus in curia nostra tuo nomine cum instantia postulantem, oblatis, nos, illis et aliis, quos dilectus filius magister G[uillelmus] de Corneria capellanus noster, procurator carissimi in Christo filii nostri R. in Romanorum regem electi, eius nomine obtulit, de fratrum nostrorum consilio, prout facti qualitas suasit, admissis, tam tibi quam ipsi R. electo primam diem post festum annuntiationis novissime preteritum[2] terminum peremptorium duximus prefigendum, in quo cum dictis testium, quos super eisdem articulis produci contingeret, et omnibus aliis actis, rationibus, munimentis et iuribus vos curaretis apostolico conspectui per procuratores ydoneos presentare. Ad tollendam quoque occasionem, ne dilatio peteretur ulterior, loca in predictis provinciis et nichilominus vigiliam festivitatis Omnium Sanctorum[3], ut exinde tam inibi quam in curia nostra productio testium hinc inde inciperet et in eisdem locis et curia per procuratores compareretis ydoneos coram personis ad hoc deputandis a nobis ad producendum testes, quos producere velletis, et videndum iurare, quos contingeret ab alterutra parte produci, duximus assignanda, prout in litteris nostris confectis exinde plenius continetur.

Licet autem in predictis locis et curia persone per nos deputate parate fuerint in predicta vigilia et postmodum etiam diutius expectantes testes recipere, siquos aliquis procurator tuus vel partis alterius producere voluisset, nemine tamen ad hoc pro alterutra partium comparente, memoratus magister G. demum, exacto dicto termino in primo die post premissum annuntiationis festum prefixo, se nomine memorati R. in Romanorum regem electi coram nobis et eisdem fratribus representans et petitionem repetens frequenter ipsius electi nomine iteratam, petebat instanter predictum negotium finaliter absque ulteriori dilatione decidi, ad hoc rationibus utens variis et diversas persuasiones inducens. Exadverso vero dilecti filii magistri Iohannes archidiaconus Compostellanus, Iohannes Legionensis et Petrus Salamantinus decani, capellani nostri, procuratores tui, proponere curaverunt, quod cum prefatus magister R., qui supradictum terminum receperat et apud se tam predictas nostras litteras quam omnem aliam instructionem ipsius negotii ad productionem testium pertinentem habebat, infirmitate gravissima occupatus et postmodum in predicto castro Podiibonizi non solum eiusdem infirmitatis incommodis sed etiam subita et longa obsidione detentus[4], te super huiusmodi processu per nos cum ipso in eodem negotio habito instruere, sic evidenti necessitate vetante, nequiverit, tibi contumacia vel negligentia de testibus vel aliis monimentis in termino non productis imputari non poterat nec debebat, presertim cum bone memorie . . Silvensis episcopus[5], qui citra eundem terminum pro parte tua cum nonnullis instrumentis ad fundandam intentionem tuam spectantibus ad sedem apostolicam accedebat, in Tuscia in manus quorundam nefandissimorum incidens, ab eis fuerit immaniter interemptus, predictis instrumentis, que secum deferebat, amissis[6]. Propter quod iidem procuratores, asserentes impedimenta proximo allegata esse notoria et dilationem sufficientem ad probandum premissos pro te oblatos articulos concedendam fore multipliciter allegantes, ipsam sibi tuo concedi nomine instantissime petierunt, memorato magistro Guillelmo multa in contrarium replicante.

Nos itaque, omnibus que fuerunt ab utraque parte proposita diligenter auditis et cum eisdem fratribus perpensa examinatione discussis, licet desiderii nostri suasio

---

1) *Cf. n. 661 et 665.* 2) *A. 1268, Mart. 26.* 3) *A. 1267, Oct. 31.* 4) *Cf. p. 674, not. 3.* 5) *Garsia; cf. n. 680.* 6) *Cf. Potthast 20200.*

et iustitie rigor, in deliberationis nostre scrutinio confligentes, deliberantium iudicium alternarent, cum ecclesie, imperii ac principum predictorum nobis admodum votiva tranquillitas verisimiliter ex ipsius imperii ordinatione speranda viam omnino precludi quibuslibet dilationibus suaderet, iustitie vero auctoritas proculdubio non contempnenda suggereret, quod cum terminus alias, ut premittitur, ad probandum articulos iam admissos cum cause cognitione concessus per casus fortuitos et inopinatos eventus, quibus non potest diligentia humana resisti, frustratus debito fuisset effectu, non erat ad probationem eorundem articulorum nova saltem de bono et equo dilatio deneganda; quantumcumque inviti protractionem eiusdem negotii patiamur, eligentes tamen in tanto negotio potius obtemperare iustitie quam cum alicuius preiudicio annuere votis nostris, dilationem nomine tuo petitam decrevimus concedendam, ac tam tibi quam prefato R. electo a Kalendis Iunii proximo futuri usque ad unum annum de ipsorum fratrum consilio peremptorium terminum, in quo cum dictis testium producendorum super alterutrius partis articulis et omnibus aliis actis, munimentis et iuribus per procuratores ydoneos apostolico vos conspectui presentetis, duximus prefigendum, insuper statuentes ut in predictis provinciis, videlicet in Alamannia apud Franchenefort, in Francia Parisius, in Yspania in civitate Burgensi, in Italia Bononie ac etiam in predicta curia nostra coram illis, quos ad hoc duxerimus deputandos, octavo die ante festum nativitatis Dominice primo venturum[1], quem peremptorium terminum, ut extunc productio testium utrinque incipiat, assignamus, tam tu quam altera pars ad producendum testes, quos producere volueritis, et videndum iurare, quos produci continget, per procuratores curetis ydoneos comparere, scituri pro certo, quod elapso eiusdem anni termino, cum nostre intentionis sit et plenis desideremus affectibus dispendiis, que undique de ipsius imperii fluctuatione insurgunt, occurrere et ecclesie, imperii ac principum predictorum tranquillo statui providere, — non obstante cuiusquam vestrum absentia, seu si ad probandam intentionem suam alteruter non intendat — ad finalem decisionem huiusmodi negotii sine diffusioris more periculo, prout permiserit iustitia et utilitas suaserit, divina favente clementia procedemus.

Dat. Viterbii, XV Kalendas Iunii, anno quarto[2].

689.

Clemens IV papa notum facit: duabus electionibus in ecclesia Herbipolensi celebratis, de Boppone praeposito et Bertholdo de Hennenberc canonico Herbipolensibus, [Wernerum] archiepiscopum Maguntinum metropolitanum Bertholdum confirmasse et consecrasse; se hanc confirmationem, utpote post appellationem factam, cassare.

1268, Mai. 24.

Clem. IV Reg. Vol. I, 224; Lib. IV, 27. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Schellhass. Berardus de Neapoli ap. Kaltenbrunner, l. c. t. VII, p. 563, n. 122; cf. n. 123.

Ad perpetuam rei memoriam.

Herbipolensi ecclesia destituta pastore[3] due in ea electiones, una videlicet de Boppone[4] preposito et alia de Bartoldo de Hennemberch canonico eiusdem ecclesie[5], fuerunt in discordia celebrate. Presentatis igitur electionibus huiusmodi venerabili

---

1) *A. 1268, Dec. 18.* 2) *De electione novi regis Romanorum, ad quam nonnulli principes electores non multo post procedere voluerunt, cf. Potthast 20497.* 3) *A. 1266, Aug. 8 ecclesiam vacasse narrant Ann. Herb. min. in SS. t. XXIV, p. 828 et Michael Herb. ap. Böhmer, Fontes t. I, p. 466.* 4) *De Trimberc, qui adhuc a. 1266, Dec. 1 praepositum se appellavit; Mon. Boica t. XXXVII, p. 432, n. 373. A. 1267, Oct. 19 electiones celebratae iam erant; ibid. n. 374.* 5) *Cf. Michael Herb. l. c.*

fratri nostro . . Maguntino archiepiscopo loci metropolitano et utraque parte suam electionem ab eo confirmari[a] petente et reliquam infirmari, litis contestatione habita, in negotio huiusmodi factis quoque hinc inde positionibus et responsionibus ad easdem, idem prepositus et pars, que ipsum elegerat, ab eodem archiepiscopo asserentes ex causis variis indebite se gravari, ad sedem apostolicam appellarunt. At predictus archiepiscopus, huiusmodi appellatione contempta electionem celebratam de dicto Bertoldo pro sua voluntate confirmans, eundem Bertoldum ordinavit in presbyterum et in episcopum consecravit[1]. Sane procurator dicti prepositi ac eiusdem partis, que ipsum elegerat, iuxta constitutionem felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri super hoc editam[2] propter hoc ad sedem ipsam accedens, a nobis cum instantia postulavit, ut quicquid circa eundem Bertoldum post appellationem predictam per eundem archiepiscopum factum extitit, cassaremus et irritaremus, immo denuntiaremus cassum et irritum ac nullius existere firmitatis. Porro nos dilecto filio magistro Petro Rostandi capellano nostro et palatii nostri generali auditori causarum commisimus, ut audiret, que dictus procurator vellet proponere coram eo. Idem autem capellanus, partem adversam in audientia publica pluries et peremptorie citari faciens, eam post terminum in constitutione ipsa statutum diutius expectavit. Cumque pro dicta parte nullus compareret coram eo legitimus procurator, ipse illa, que dictus procurator predictorum prepositi et partis, que ipsum elegerat, proponere voluit coram eo, diligenter audiens, ea postmodum in fratrum nostrorum presentia fideliter retulit coram nobis; nosque illis plene discussis, cum aperte liqueret huiusmodi negotium fore per appellationem predictam ad eandem sedem legitime devolutum et apud eam tractari debere, memorato procuratore pro parte sua ipsum prosequente negotium, in eo exigente prefate partis alterius contumacia procedentes, quia invenimus, quod idem archiepiscopus post appellationem predictam, per quam dictum negotium erat ad eandem sedem legitime devolutum, prefatam electionem celebratam de dicto Bertoldo de facto, cum iamdictum negotium a iurisdictione sua omnino foret exemptum, confirmaverat et eidem B. munus consecrationis impenderat, citata predicta parte ipsius Bertoldi in audientia publica de mandato nostro peremptorie ad diffinitivam sententiam audiendam et ea absente per contumaciam, de ipsorum fratrum consilio confirmationem electionis predicte celebrate de dicto Bertoldo post predictam appellationem a prefato archiepiscopo ut premittitur attemptatam, et quicquid idem Bertoldus pretextu confirmationis huiusmodi pontificalis officii ratione presumpsit seu velut Herbipolensis episcopus attemptavit, denuntiamus cassa et irrita et nullius esse firmitatis et nichilominus, quatenus de facto processerunt, cassamus et etiam irritamus, decernentes per cassationem, irritationem et denuntiationem huiusmodi prefato B. in iure, si quid ei ex predicta de ipso celebrata electione quesitum fuit, nullum preiudicium generari, sed — ipsis non obstantibus — illud in eo statu, in quo tempore predicte appellationis emisse fuerat, nichilominus remanere. Nulli ergo — nostre denuntiationis, cassationis, irritationis et constitutionis etc.

Dat. Viterbii, VIIII Kalendas Iunii, anno IIII[3].

---

a) confirmari ab eo *R.*

1) *Hoc factum est ante a. 1267, Dec. 2, si charta Bertholdi episcopi Herb. data IV Non. Dec. pont. a. I, quam Lang, Reg. Boica t. III, p. 293 sub a. 1267 proposuit, Bertholdi de Hennenberc neque vero Bertholdi de Sternberc fuit, qui postea successit. Lang annos Domini, quos in instrumentis invenit, in Regestis suis repetere non solet.* 2) *Inter decretales Innocentii IV editas in conc. Lugdunensi a. 1245 cap. IV.* 3) *Cf. Michael Herb. l. c.*

690.

Clemens IV papa episcopis Tusciae excessus Conradini narrat eisque mandat, ut processus contra eum et fautores eius habitos publicent. *1268, Aug. 6.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 256; Lib. IV, cur. 17. Exemplar, quod Posse, l. c. edidit, cum Regestis contulit V. Cl. Monaci.

Posse, l. c. p. 157, n. 21; BFW. 9927.

Universis episcopis per Tusciam constitutis.

Quam[1] perpenso consilio, quam iusto iudicio felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster quondam Fridericum olim Romanorum imperatorem, suis exigentibus culpis enormibus et manifestis excessibus, imperialis honore solii et regno Sicilie incommutabili diffinitione, generali concilio congregato Lugduni approbante, apostolice sedi, prout spectabat ad ipsam, eiusdem regni dispositione servata, privarit: in omnem terram exisse ac in fines orbis terre credimus divulgatum. Nec minus patere credimus, quod licet idem Fridericus, sic iuste, sic exacta maturitate predictis imperio et regno privatus, in sua pertinacia sententie privationis huiusmodi parere contempnens, eadem imperium et regnum detinuerit occupata, licet post ipsum quondam Conradus natus ipsius et demum olim Manfredus, eiusdem Fr. ut dicitur filius, idem regnum presumptione temeraria occuparint, nos tamen oportunitate captata, tractatum de regno predicto per felicis recordationis Urbanum papam predecessorem nostrum inceptum de fratrum nostrorum consilio prosequentes, regnum ipsum carissimo in Christo filio nostro Carolo Sicilie regi illustri sub certis condicionibus tam ecclesie quam incolis regni eiusdem accomodis duximus concedendum. Qui divino fretus auxilio, celeriter de dicto Manfredo triumphans, regnum ipsum non solum feliciter sed mirabiliter acquisivit. Quia vero Conradinus memorati Conradi filius, quamquam ei ex premissis aperte liquere debeat, quod in regno predicto nec iuris alicuius colorem pretendere nec ius sibi possit aliquod vendicare, tamen, que tam memoratus predecessor Innocentius de privatione quam nos de concesssione huiusmodi eiusdem regni deliberatione provida fecisse dinoscimur, infringere ausu temerario satagens, predictum regnum sibi tanquam proprium intitulabat, pro ipsius se rege gerebat, scribendo et nominando se regem Sicilie, distribuendo et concedendo regni eiusdem officia[2], varias concessiones faciendo in ipso et nonnullis in eo privilegia concedendo; item quia cum aliquibus inimicis ecclesie, Lombardis, Marchianis et Apulis, illicitis commerciis se immiscens et scelestas iniens factiones, turbare pacem ecclesie ac in nostrum, ecclesie ipsius et memorati regis preiudicium et discrimen commovere populum nitebatur, quamplures sollicitans, multos promissis alliciens et nonnullos concessionibus diversis inducens; item quia sue presumptionis ambitum ad imperii Romani culmen extendens, obtinere idem imperium nitebatur[3], super quo adeo processit sue presumptionis temeritas, quod suos in Tuscia vicarios ordinavit[4]: frequenter ipsum publice ac sollempniter de fratrum nostrorum consilio monuimus sub pena excommunicationis, quam, si secus faceret, extunc tulimus in eundem, ut a premissis penitus abstineret nec similia ullo unquam tempore attemptaret.

Item citavimus eum, ut infra certum terminum, quem sibi peremptorium duximus assignandum, per se vel per procuratorem ydoneum apostolico se conspectui presentaret, responsurus super dictis excessibus et nostris ac eiusdem ecclesie beneplacitis pariturus; alioquin extunc procederemus gravius contra eum, ipsius absentia non obstante[5].

---

1) *Cf. n. 657.* 2) *Cf. p. 674.* 3) *Cf. n. 657.* 4) *Cf. p. 674.* 5) *Cf. p. 674.*

Item quia ipsius Conradini suorumque fautorum aperte reserata malitia ipsos de turbatione Italie reddebat manifeste suspectos, eidem ingressum Italie duximus districtius inhibendum, publice predicentes quod, si ad nostram presentiam infra predictum terminum vellet venire pacifice, mandatis apostolicis pariturus, nos ita provideremus negotio, dummodo nos oportuno precertificaret tempore, quod securus sibi et nostris *etc. ut supra p. 684, lin. 14—21 usque:* duximus innodandos.

Item quia idem Conradinus, contra inhibitiones et precepta nostra temere veniendo ac se gerendo multipliciter pro rege Sicilie, Veronam cum militia venire presumpsit[1], eum denuntiavimus predictas excommunicationis sententias incurrisse, de novo excommunicantes eundem.

Item omnes et singulos[2], qui se ad prestandum eidem Conradino super premissis imperio sive regno auxilium, consilium vel favorem iuramenti vinculo astrinxerunt, denuntiantes iuramento huiusmodi non teneri et ab observatione ipsius eos nichilominus absolventes, si forsan in huiusmodi propositi seu obligationis prosecutione persisterent, ipsos excommunicationis sententie, quam extunc tulimus, decrevimus subiacere.

Item quia idem Conradinus mandato nostro sibi facto ex causis legitimis, ut infra certum tempus de Verona et tota Italia cum omni sua gente discederet nec de imperio vel Italia et specialiter de regno Sicilie, in quo eum, sicut premisimus, constat et nos nichilominus declaravimus ius aliquod non habere, se intromitteret, parere contempsit, ipsum regno Ierosolimitano[3] privavimus et omni iure, siquod habebat in illo, et vassallos eius ubilibet constitutos ab omni iuramento fidelitatis absolvimus, siquo tenerentur eidem.

Item quia postmodum, contemptis nostris premissis monitionibus, inhibitionibus et preceptis Papiam veniens et aliquorum devotorum ecclesie terram invadens, iterato monitus a premissis desistere et ad nostra mandata infra tempus specialiter ei ad hoc prefixum redire contumaciter non curavit, ipsum de predictorum fratrum consilio reddidimus omni tempore ineligibilem et prorsus inhabilem ad regnum quodlibet vel imperium obtinendum; et nichilominus privavimus eum omnibus feudis et iuribus quibuscumque, siqua forsan a quibuslibet ecclesiis obtineret[4].

Item ipsius Conradini crescente malitia eoque contra monitiones, inhibitiones et precepta nostra Pisas temere veniente, universis et singulis Christi fidelibus, et specialiter patriarchis *etc. ut p. 714, lin. 21—35 usque:* aliquatenus molestari.

Item simili prohibuimus edicto *etc. ut p. 714, lin. 36—42 usque:* publicum vel occultum.

Item in omnes illos, qui *etc. ut p. 714, lin. 43 — p. 715, lin. 2 usque:* relabantur, adicientes[5] expressius, quod a predictis omnibus et singulis sententiis latis in eos, qui prefato Conradino prestiterint consilium, auxilium vel favorem, neminem excipi volumus, etiam si episcopali, archiepiscopali vel patriarchali aut alia qualibet dignitate fungatur, sed eas sic firmiter et inviolabiliter observari, quod absolvendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi forsan in mortis articulo, ut dictum est, tam omnibus nostris penitentiariis quam aliis quibuslibet confessoribus, sive generalibus sive specialibus, seu familiaribus[a] quarumcumque vel quantumcumque sublimium personarum ubilibet consistentium adimimus potestatem, etiam si a nobis vel ab aliquo predecessorum nostrorum sub quacumque verborum forma generalem vel specialem aut liberam absolvendi aliquem

---

a) seu familiaribus *in marg.*

1) *Cf. p. 684.* 2) *Cf. p. 684—685.* 3) *Cf. p. 698.* 4) *Cum Conradinus Papiam venisset, papa id a. 1268, Apr. 5 comminatus est; cf. p. 698. Sententiam promulgavit Mai. 17; cf. p. 714.* 5) *Quae sequuntur, in ep. n. 683 non leguntur.*

vel aliquos a sententiis hominis vel canonis seu alias quomodolibet relaxandi obtinuerint facultatem. Siquis autem sine nostro speciali mandato a nobis obtinendo deinceps contrarium forte presumpserit, tam absolventem[a] a predictis sententiis seu relaxantem easdem quam huiusmodi absolutionem vel relaxationem recipientem, in quacumque dignitate, preminentia, statu vel ordine fuerint constituti, ex hac causa excommunicationis vinculo innodamus, relaxationem etiam huiusmodi sententie nobis similiter reservantes, mortis articulo dumtaxat excepto; et tunc, nisi sanitate recepta infra tempus competens iuxta locorum distantiam ad nostram presentiam venerint, suum humiliter recogniturі reatum et nostris beneplacitis pariturі, relabantur in easdem sententias ipso facto. Ab hiis vero mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut si solum ratione prestiti favoris in huiusmodi sententias forsan inciderint, possint per suos diocesanos iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium obtinere.

Licet autem premissos processus, frequenti, publica et sollempni denuntiatione vulgatos, ad communem omnium credamus notitiam devenisse, ne tamen aliqui possint ignorantiam malitiose causari, volumus et fraternitati vestre presentium auctoritate districte precipiendo mandamus, quatinus singuli vestrum, in vestris sermonibus processum huiusmodi publicantes, eundem Conradinum ac fautores ipsius diebus Dominicis et festivis pulsatis campanis et candelis accensis excommunicatos[b] publice nuntietis et faciatis ab aliis per omnes ecclesias vestrarum civitatum et diocesum nuntiari, ad maiorem facti evidentiam in ecclesiis ipsis etiam singulis non feriatis diebus mane ac sero pulsari campanas propter hoc nichilominus facientes.

Dat. Viterbii, VIII Idus Augusti, anno quarto.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis constitutis per provinciam Lombardie.

In eundem modum universis archiepiscopis et episcopis[c] per Alamanniam constitutis.

In eundem modum archiepiscopis et episcopis per regnum Sicilie constitutis.

In eundem modum patriarche Aquilegensi[1] et eius suffraganeis[2].

691.

Clemens IV papa I[ordano] SS. Cosmae et Damiani diacono cardinali, Campaniae Maritimaeque rectori, scribit de rebellione Matthaei domini castri Maranulae, qui cum galeis Pisanorum Gaietanos impugnaverit, eos a fidelitate C[aroli] regis Siciliae pro posse avertens. Mandat, ut Gaietanis super eo, quod cum castro Maranulae etiam eius ecclesiam matricem diruerint, provideat. *1268, Oct. 26.*

Clem. IV Reg. Vol. I, 240; Lib. IV, 80. Epistolam ex Regestis descripsit V. Cl. Monaci. Posse, l. c. p. 51, n. 644; BFW. 9941.

I. Sanctorum Cosme et Damiani diacono cardinali, Campanie Maritimeque rectori.

Ex parte . . capitanei et civium civitatis Gaiete fuit reverenter expositum coram nobis, quod cum Matheus et alii quondam domini ac homines castri Maranule[3] Gaietane diocesis, fidelitatis prestite carissimo in Christo filio nostro C. illustri Sicilie

a) *in marg.* not. b) excommunicatum *R.* c) et episcopis *superscr.*

1) *Gregorio de Montelongo.* 2) *Cf. aliam publicationem, quam papa sub [Iul. 14] mandavit, ap. BFW. 9923; cf. p. 716, not. 2.* 3) *Ex sept. loci Mola di Gaeta; cf. Del Giudice, Cod. dipl. t. II, p. 329.*

regi non sine nota proditionis obliti, civitatem et cives ipsos cum galeis Pisanorum[1] hostium dicti regis impugnare nequiter presumpsissent, eos a fidelitate ipsius regis avertentes pro posse, idemque rex . . iustitiario Terre Laboris suis dedisset litteris in mandatis, ut palatia, turres et domos dominorum et hominum eorundem, muros quoque et menia ipsius castri et quicquid edificii esset in eo protinus sic dirui faceret, quod nec lapis super lapidem ibi penitus remaneret, tandem capitaneus et cives predicti de mandato . . capitanei regii Suessani, cui dictus iustitiarius commiserat super hoc, prout ex dictis litteris poterat, vices suas, castrum ipsum eiusque turres, domos et etiam matricem ecclesiam funditus diruerunt. Quare pro parte capitanei et civium civitatis predicte humiliter petebatur a nobis, ut eos ab excommunicationis sententia, quam pro dirutione ipsius ecclesie incurrerunt[a], absolvi de benignitate apostolica mandaremus. Nos itaque, de tua circumspectione probata confisi, presentium tibi auctoritate committimus, quatinus ab eisdem capitaneo et civibus sufficienti cautione recepta, prout tibi videbitur, quod super dirutione ipsius ecclesie nostris et ecclesie Romane mandatis, que ipsis per nos aut alios faciemus, precise parebunt, de absolutione postulata tam eis quam etiam clericis civitatis predicte super eo, quod illis tali excommunicatione ligatis participasse dicuntur, iuxta formam ecclesie impendenda necnon de dispensatione iamdictis clericis oportuna, si forsitan irregularitatem exinde contraxerunt, vice nostra per te vel alium provideas, prout secundum Deum videris expedire.

Dat. Viterbii, VII Kalendas Novembris, anno IIII°[2].

---

a) incurerunt *R.*

1) *Cf. Saba Malasp. ap. Muratori, SS. t. VIII, p. 840 et Del Giudice t. II, p. 171, not. 2.* 2) *De aliis locis et nobilibus regni, qui Conradino faverant, cf. Potthast 20481; Del Giudice t. II, p. 170 et sequ.; Winkelmann, Acta Imp. ined. t. I, p. 593, n. 752.*

ADDITAMENTUM.

692.

Innocentius IV papa Alberico de Romano omnia bona Ezelini fratris eius concedit, nisi idem usque ad proximas Kalendas Augusti coram se comparuerit mandatis suis pariturus.
1250, Iul. 3.

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 4, ep. 13, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertz descripsit. BFW. 8227.

Innocencius episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberico de Romano salutem et apostolicam benedictionem.

Cum Ezelinus de Romano frater tuus multis ex causis et probabilibus argumentis de heresi iam dudum habitus sit suspectus, nos ad inquisicionem contra ipsum per viros religiosos duximus procedendum; quibus super hoc inquirentibus dilligenter et comperto, quod digne in hac parte suspectus reputari debebat, tandem ipse ad sedem apostolicam nuncios destinavit, quibus venerabillem fratrem nostrum . . episcopum Sabinensem[1] concessimus auditorem, coram quo ad iurandum in ipsius Ezelini [anima][a] se obtulere paratos, quod idem E. de Deo et catholica fide credebat, secundum quod Romana tenet ecclesia et docet esse credendum. Set quoniam a dicto episcopo vel a nobis purgacio huiusmodi admissa non extitit, cum de tanto crimine non per nuntium set per propriam personam prestanda esset purgatio coram nobis, certum sibi prefiximus terminum, quo apostolico se conspectui presentaret, facturum super hiis quod ordo exigeret racionis, oblata sibi de securitate persone in veniendo et redeundo plenaria cautione. Unde quia nec in eodem termino nec post ipsum venire vel mittere procuravit, qui plurium est alias excommunicacionum laqueis irretitus, et quod de fide catholica male sentiat, certa racione suspectus, ipsum anathematis vinculo exigente iustitia duximus innodandum[2], alium ei terminum[3] assignantes, quo in nostra compareret presentia, super premissis mandatis ecclesie pariturus, denunciato publice quod, nisi ad terminum ipsum id faceret, extunc procederemus gravius contra ipsum iuxta canonicas et legittimas sanctiones. Quia igitur venire seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, dampnabili obstinacione despexit et iam non solum per annum set per biennium vilipensis ecclesie clavibus prefatum sustinuit anathema, cum non debeamus de ipso ulterius canonicum differe[b] iuditium, quem tam longum diffugium et tam dura pertinatia tanti criminis reum reddunt: prefatum Ezelinum tanquam hereticum reputantes, decrevimus ipsum de fratrum nostrorum conscilio promulgatis adversus hereticos sanctionibus subiacere, nisi usque ad Kalendas

---

a) causa *cod.; cf. t. II, p. 381, lin. 16.* b) *ita cod.*

1) *Guillelmum.* 2) *A. 1248, Apr. 16; cf. t. II, p. 381, n. 542.* 3) *A. 1248, Iun. 24; ibid.*

Augusti proximo venturas coram nobis comparere curaret, nostris et ecclesie precise pariturus beneplacitis et mandatis [1]; quem siquidem terminum sibi ex multa benignitate sedis apostolice duximus indulgendum, cum eum salvari velimus pocius quam perire. Ut itaque tua semper grata et prompta remuneretur devotio, quam iugiter in ecclesie adhibuisti negociis et eiusdem E. semper puniatur indevota temeritas ac labores impii iustus edat, omnia bona, que ad ipsum E. legittime pervenerunt, quibus ad presens merito reddit se indignum, tibi — non obstantibus aliquibus vendictionibus, donacionibus seu alienacionibus Fr. quondam imperatori, eciam tunc non excommunicato, sive familiaribus eius aut quibuscumque aliis personis per eundem E. factis, postquam ipsi F. excommunicato adhesit, aut testamento vel quavis ultima voluntate, in qua alteri quam tibi bona predicta duxerit relinquenda, seu quod per iam dictum F. sibi bona tua adiudicari optinuit —, si prefatus E. usque ad Kalendas predictas coram nobis non comparuerit, nostris super hoc pariturus beneplacitis et mandatis, extunc de speciali gratia concedimus auctoritate presencium et donamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrę concessionis et donacionis *etc. usque:* incursurum.

Data Lugduni, V Nonas Iulii, pontificatus nostri anno octavo[a] [2].

693.

Innocentius IV papa duci et communi Venetorum promittit, si ecclesiam ad pacem cum Conrado IV venire contigerit, se eos nominatim in ipsa pace positurum esse.

1252, Aug. 13.

Epistolam ex Libro Pactorum [Arch. Veneti] Lib. I, fol. 332 Pertz descripsit.
BFW. 8511.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobili viro duci et communi Venetorum salutem et apostolicam benedictionem.

Ex dispositione divini consilii sępius providetur, quod scandala in regno ecclesię oriantur, ut qui probati sunt fiant exprobratis reprobis manifesti, quia, sicut pęnam debitam infideles et reprobi, sic[b] fideles et electi digna pręmia consequentur, utrisque diversis meritorum stipendiis inferendis. Cum enim vestra devotio ita claruerit probata in necessitate, qua probantur devoti, ut non tam devoti quam speciales filii ecclesię sitis merito reputandi, qui turbationis instanti tempore in fide stabiles et efficaces in opere vos, sicut convenit, exhibentes, pro ecclesię devotione ipsius hostibus restitistis: nos, pro hoc cupientes vos prosequi gratia et favore, scire vos volumus, quod si Romanam ecclesiam ad pacem cum nobili viro Conrado nato [quondam Friderici][c] olim imperatoris venire contigerit [3], vos nominatim in ipsa pace ponemus, si tunc temporis ex parte vestra fuerimus requisiti.

Data Perusis[d], Idus Augusti, pontificatus nostri anno decimo[e].

---

a) *'Bulla plumbea pendens'* PERTZ. b) sicut *cod.* c) in dicta fratre *cod.* d) *sic!* e) *'Io. de Varago — ex aut. Innocentii IV iussu Raynerii Zeno anno 1253, Dec. 2, ind. XII'* PERTZ.

1) *Idem iam a. 1250, Mart. 24 promulgaverat; cf. Potthast 13943 et 13949; BFW. 8219.* 2) *Cf. supra n. 113 et 281.* 3) *Sed Aug. 13 papa cum Conrado IV non amplius tractasse videtur; cf. Potthast 14680—14682 et Rodenberg, Inn. IV u. d. Kgr. Sicilien p. 125 et sequ.*

694.

Alexander IV papa praeceptori et fratribus ordinis Theutonicorum in Bozano et Legemmos Tridentinae diocesis confirmat ecclesiam de Slanders Curiensis diocesis, eis a Friderico II ante depositionem eius donatam. *1257, Nov. 9.*

Ex authentico bullato Arch. ordinis Theutonicorum Vindobon.; cf. v. Pettenegg, Die Urk. des Deutschordenscentralarchivs zu Wien t. I, p. 83, n. 317. Damus apographum, quod in apparatu Monum. Germ. invenimus.
BFW. 9127.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis preceptori et fratribus hospitalis sancte Marie Theotonicorum in Bozano et Legemmos[1] Tridentine diocesis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita siquidem nobis vestra petitio continebat, quod quondam Fredericus Romanorum imperator ante latam depositionis sententiam in eundem ius patronatus ecclesie de Slandres[2] Curiensis diocesis, tunc ad ipsum pertinens, vobis pia et provida liberalitate donavit, prout in publico instrumento confecto exinde plenius dicitur contineri. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod ab eodem Frederico super hoc provide factum est, ratum et firmum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis *etc. usque:* incursurum.

Dat. Viterbii, V Idus Novembris, pontificatus nostri anno tertio[3].

695.

Alexander IV papa Tervisinos, qui quantumcunque afflicti ad complacendum ecclesiae solliciti fuerint, cum civitate et bonis sub protectione sua suscipit. *1260, Febr. 11.*

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 1, ep. 1, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertz descripsit.
BFW. 9219.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis potestati[4], conscilio et comuni Tervisii salutem et apostolicam benedictionem.

Speciali gratia vos illa de causa potissime prosequi delectamur, quia quantumcumque per hostes ecclesie oppressi et aflicti fueritis, tamen ad complacendum ipsi ecclesie corde solliciti extitistis. Hinc est, quod nos, vestris supplicationibus annuentes, personas et civitatem vestras persistentes in fide ac devotione sedis apostolice cum omnibus bonis, que impresenciarum rationabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nullus vos et eandem civitatem, quandiu in huiusmodi devocione manseritis, super eisdem temere impedire aut

1) *Lengmoos.* 2) *In Vintschgau ex occ. civ. Meran.* 3) *Cf. v. Pettenegg n. 316 et 318.*
4) *Marco Badoario; cf. Rolandini chron., SS. t. XIX, p. 143 et sequ.*

molestare presumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis *etc. usque:* incursurum.

Data Anagnie, III Idus Februarii, pontificatus nostri anno sexto[a].

696.

Alexander IV papa Tervisinis confirmat publicationem bonorum quondam Ezelini de Romano in civitate et districtu eorum consistentium. *1260, Iul. 1.*

Epistolam ex Cod. Trevisano f. 2, ep. 4, ubi a. 1318, Apr. 3 registrata est, Pertz descripsit. BFW. 9235.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. potestati[1], conscilio et comuni Tervisinis[b] salutem et apostolicam benedictionem.

Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petencium precibus favorem benivolum impertiri. Sane nobis significare curastis, quod vos bona, que fuerunt condam Ezelini de Romano[2], Dei et ecclesie inimici de heresi per sedem apostolicam condempnati, in civitate ac districtu vestro consistencia publicastis iuxta canonicas sanctiones. Unde, cum bona ipsa possideatis pacifice ac quiete, nobis humiliter supplicastis, ut publicationem huiusmodi confirmare de benignitate solita curaremus. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, quod a vobis super hoc provide factum est, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes, ne quis vos super bonis predictis per litteras a sede apostolica impetrandas, que de confirmacione huiusmodi plenam et expressam non fecerint mencionem, seu alias molestare presumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis et inhibicionis *etc. usque:* incursurum.

Data Anagnie, Kalendis Iulii, pontificatus nostri anno sexto[c].

---

a) *'Bulla plumbea filo serico adpendens'* PERTZ. b) Tervisine *cod.* c) *'Bulla plumbea, filum sericum'* PERTZ.

1) *Marco Badoario.* 2) *Mortui a. 1259, Oct. 1; cf. p. 464, not. 4.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 5 ad ep. n. 6 annotes: 'Rigaldus clericus natus quondam Arnoldi de Lustenges auctoritate litterarum Innocentii IV ad ius canonicatus Metensis, quamvis in fratrem receptus esset, non pervenit; propter quod Alexander IV a. 1257, Iun. 12 mandavit, ut ei, qui per se et suos ecclesiae multipliciter fructuosus esse posset, de praebenda, quam cito vacaret, provideretur; Lib. III, 375'.

P. 5, lin. 42 post 'Berger 5351' addas 'Bernoulli, Acta pont. Helvetica t. I, p. 325, n. 537'.

P. 7, lin. 15 post 'Berger 4824' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 326, n. 539'.

P. 19, lin. 18 loco magnaminiter *legas* magnanimiter.

P. 21, lin. 23 post 'Berger 5398' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 330, n. 547'.

P. 31, lin. 3 loco 'laudabililer' legas 'laudabiliter'.

P. 31, lin. 27 post 'Berger 5004' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 333, n. 551'.

P. 42, lin. 30 post 'Berger 5074' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 337, n. 557'.

P. 43, lin. 44 loco 'eidem' legas 'episcopo Constantiensi'; de epistola citata cf. etiam Bernoulli, l. c. t. I, p. 328, n. 542.

P. 44, not. 2 addas: 'A. 1255, Ian. 15 Alexander IV eidem administrationem ecclesiae Fuliginatis, quam Raynerius et Petrus cardinales ei concessissent, confirmavit; Lib. I, 60'.

P. 51, lin. 13 loco '4285 et 4286' legas '5285 et 5286'.

P. 61, lin. 14 post 'Berger 5310' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 340, n. 562'.

P. 63, lin. 25 post 'Berger 5087' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 341, n. 564'.

P. 64, lin. 34 post 'Böhmer-Ficker 924' addas '3706 et 3709'.

P. 69, lin. 25 post 'Berger 5130' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 342, n. 565'.

P. 72, lin. 25 post 'Berger 5137' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 342, n. 566'.

P. 81, lin. 31 post 'Berger 5199' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 343, n. 567'.

P. 92, lin. 12 loco initia *legas* inita.

P. 102, lin. 12 post 'I et IV' addas: 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 345, n. 570 et 571 = II et III'.

P. 112, not. 4: In notis chronologicis epistolarum ad Henricum electum Tarentinum pertinentium duo menda esse arbitramur. Verba 'Dat. ut supra' epistolae Lib. IX, 240 non Apr. 29, sed diem multo anteriorem, ante Mart. 1 [cf. Lib. IX, 186], indicare videntur; et in Lib. IX, 186 'Mai. 25' corrigendum est in 'Mart. 25'. Cf. Berger 5623, 5631.

P. 114, lin. 30 loco 'Petrum' legas 'Marcum Ziani'.

P. 117, n. 136 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 348, n. 576.

P. 117, not. 1 corrigas: 'Epistolas sub Lib. IX, 167 capitulo et clero civitatis et diocesis Adriensis et potestati, consilio et communi civitatis Adriensis directas a. 1252, Mart. 27 datas esse docet Berger 5603'.

P. 122, not. 4 addas: 'A. 1252, Iul. 11 Innocentius IV episcopo Astunensi [Ostunensi] mandat, ut quendam abbatem in civitate Cupersana electum, si conveniat, confirmet; Lib. X, 13; Berger 5870. — Aug. 21 Iacobum abbatem de Petra Ficta Perusinae diocesis ecclesiae Cathacensi praeficit; Lib. X, 85; Berger 5944. — Sept. 8 electo Beneventano mandat, ut Iohanni archipresbytero Beneventano de episcopatu Frequentino et 'Raynaldo' Zottonis [cf. p. 123, lin. 37] de episcopatu Vicano, si idonei sint, provideat, non obstante quod in ecclesia Frequentina quidam laicali fultus potentia intrusus asseratur; Lib. X, 111; Berger 5970'.

P. 127, n. 146 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 349, n. 579.

P. 127, lin. 41 loco 'Lib. IX, 373' legas 'Lib. IX, 372; cf. Bernoulli, l. c. t. I, p. 347, n. 575'.

P. 130, n. 150 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 350, n. 580.

P. 134, n. 157 annotes: 'De pecunia a communi Placentino ad mandatum Gregorii IX Ianuae deposita cf. Potthast 10903 et BFW. 7281'.

P. 138, n. 161 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 352, n. 582.

P. 146, lin. 32 loco Decembris *legitur ap. Berger 6153* Octobris.

P. 153, lin. 19 loco et Gera *legas* de Gera.

P. 163, not. 1 legas: 'De clausula quidam alii *cf. Decretales Innocentii IV in concilio Lugdunensi editas c. 1'.*

P. 164, lin. 7 loco frater *legas* fratres.

P. 168, n. 202 commemoravit Bernoulli, l. c. t. I, p. 358, n. 593.

P. 170, not. 5 addas: 'Eodem die papa de eadem re [Ulrico] episcopo Secowensi scripsit; Quellen u. Erörterungen z. bayer. u. deutschen Gesch. t. V, p. 125'.

P. 178, lin. 6 addas: 'Magister Albertus hoc exemplum sedi apostolicae postmodo restituisse videtur; cf. n. 446. Reperitur enim in inventario a. 1339 ap. Denifle, Archiv f. Litteratur- u. Kirchengesch. d. M. A. t. II, p. 100: Item alia littera apostolica eiusdem domini pape [Innocentii IIII] super conditionibus regni Sicilie'.

P. 180, not. 3 addas: 'De Salpia et Trisancto cf. etiam Lib. IX, 409; Berger 5847'.

P. 181, not. 4 addas: 'Aliae epistolae Innocentii IV civibus Adriae hoc tempore missae ap. Bindi, Monum. degli Abruzzi p. 285; cf. Capasso n. 78'.

P. 182, not. 3 addas: 'Iam a. 1252, Iul. 11 papa Iacobo archiepiscopo Tranensi gratiam fecerat; Prologo Le carte del capitolo di Trani p. 243, n. 118'.

P. 196, lin. 6 post 'n. 25' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 361, n. 600'.

P. 201, not. 2 corrigas: 'Statutum Innocentii a. 1253, Nov. 3 editum iuri oppositum erat, quia ministeria et beneficia ecclesiastica, antequam vacaverunt, aliquibus tributa sunt; Corpus iuris canon. c. 2 X [Lib. III, tit. VIII], De concessione praeb.'

P. 210, n. 246 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 363, n. 604.

P. 211, lin. 6 post '15189' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 364, n. 605'.

P. 227, not. 1 loco 'Nordhausen' legas 'Nörten ex sept. civ. Göttingen'.

P. 230, lin. 30 post '443' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 366, n. 609'.

P. 231, n. 264 addas 'Potthast, Reg. 15259'.

P. 232, lin. 33 post '1843' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 367, n. 610'.

P. 245, lin. 24 loco Alamania *legas* Alamanie.

P. 253, n. 282: Epistolam ediderunt Trouillat, Monuments de l'évêché de Bâle t. I, p. 599, n. 418 et Bernoulli, l. c. t. I, p. 369, n. 614.

P. 255, lin. 36 post '1849' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 371, n. 615'.

P. 257, not. 4: Bertholdi, qui in Reg. 'dictus de Bwagir' appellatus est, nomen verum erat: 'Bertholdus dictus Swagir'; Bernoulli, l. c. t. I, p. 369, n. 613, not. a.

P. 259, lin. 15 post 'n. 272' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 376, n. 621'.

P. 260, n. 289 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 376, n. 622.

P. 267, lin. 6 post '1862' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 381, n. 629'.

P. 268, lin. 37 loco '15465' legas '15466'.

P. 269, n. 301 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 383, n. 633.

P. 293, ep. 322 praebent Specimina palaeogr. Regest. Rom. pont. tab. 22.

P. 304, lin. 5 deleas 'Potthast, Reg. 15554', quod addas lin. 33 post verba 'Lib. XII, cur. 46'.

P. 336, lin. 17 loco 'Potthast 15570' legas 'Potthast 15670'.

P. 340, n. 376 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 391, n. 644.

P. 341, n. 377: Bernoulli, l. c. t. I, p. 392, n. 645 nomina inscriptionis ita supplevit: Nobilibus viris I[acobo] Molendinario, U[lrico] Sculteto, B[urchardo] de Hottingen, H[enrico] Brunoni, C[onrado] Wellen[o], C[onrado] Wicen[o] militibus ceterisque de Turego ecclesie Romane devotis Constantiensis diocesis.

P. 346, lin. 24 post '15725' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 393, n. 646'.

P. 361, not. 5 addas: 'De procurationibus Petro S. Georgii ad Velum Aureum diacono cardinali debitis, quae apud certas personas Verdenses et Bremenses et electum Lundensem depositae eidem cardinali solutae non sunt, cf. etiam Finke, Westfäl. U. B. t. V, p. 275, n. 591 et 592'.

P. 391, n. 433 edidit Bernoulli, l. c. t. I, p. 397, n. 655.

P. 392, not. 1 addas: 'De Burchardo abbate Augiensi cf. etiam epistolam Alexandri IV a. 1258, Mart. 7 datam; Lib. IV, 106; Bernoulli, l. c. t. I, p. 407, n. 671'.

P. 402, lin. 15 loco 'Lib. XII' legas 'Lib. III'.

P. 405, lin. 37 loco 'miit' legas 'misit'.

P. 407, lin. 11 loco Iohannem et Ambliono *legas* Iohannem de Ambliono.

P. 421, lin. 1 loco et Doadola *legas* de Doadola.

P. 456, lin. 5: In epistola de absolutione Papiensium missa loco Maii *Ficker [BFW. 9187] legi vult* Martii, *cum in instrumento not. 1 citato notam chronologicam recte scriptam esse credat; id quod nos acceptamus, quia epistola in Regestis inter alias mensis Febr. a. 1259 reperitur.*

P. 456, lin. 35 loco 'Umbriacensem' legas 'Umbriaticensem'.

P. 462, n. 501: argumentum epistolae proposuit Bernoulli, l. c. t. I, p. 413, n. 679.

P. 468 deleas ea, quae not. 3 scripsimus, et loco eorum ponas 'Eccl. S. Mariae in monte, S. Wichberti in valle Quedlinburc sitae erant; Schmidt, U. B. d. Hochst. Halberst. t. I, p. 452, n. 505'.

P. 470, not. a legas: 'singulare principium *corrigendum est; cf. p. 641, lin. 13'.*

P. 474, lin. 8 post '9260' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 418, n. 688'.

P. 479, lin. 43 loco 'Portecurvo' legas 'Pontecurvo'.

P. 480, lin. 37 addas: 'Legitur haec epistola Alfonso regi Castellae directa etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner in Mitth. d. Inst. f. österr. Gesch. t. VII, p. 557, n. 9'.

P. 483, lin. 6 addas. 'Legitur haec epistola regi Aragonum directa etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, l. c. t. VII, p. 558, n. 23'.

P. 494, lin. 30 loco 'Bruiatensi' legas 'Brivatensi; hodie, ut videtur, Brioude'.

P. 507, lin. 38 loco 'Lib. III, cur. 2' legas 'Lib. III, cur. 3'.

P. 510, lin. 38 addas: 'Haec exempla, quae sigillata erant, magister Albertus sedi apostolicae postmodo restituit; cf. inventarium a. 1339 ap. Denifle, Archiv f. Litteratur etc. t. II, p. 99'.

P. 515, lin. 35 loco confirmabitur *legas* consummabitur; *cf. p. 650, lin. 41.*

P. 523, lin. 12 post '9328' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 423, n. 691'.

P. 540, lin. 30 addas: 'Legitur haec epistola Ricardo directa etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, Mitth. d. Inst. t. VII, p. 558, n. 36'.

P. 545, lin. 9 addas: 'Legitur haec epistola Ricardo directa etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, Mitth. d. Inst. t. VII, p. 558, n. 34'.

P. 550, lin. 11 addas: 'Legitur haec epistola Ricardo directa etiam ap. Berardum de Neapoli; Kaltenbrunner, l. c. t. VII, p. 558, n. 37'.

P. 561, lin. 24 addas: 'Clemens IV a. 1266, Mai. 28 Marinum, qui munus consecrationis recipere neglexisset et propter constitutionem Alexandri IV, quod electi ecclesiarum cathedralium infra certum tempus consecrari deberent, ecclesiae Capuanae curam dimisisset, ob merita et nobilitatem natalium eidem ecclesiae de novo in archiepiscopum praefecit; Lib. II, 81; Iordan 325'.

P. 578, lin. 6 post '9407' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 441, n. 717'.

P. 583, lin. 38 post '9420' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 449, n. 729 et 730'.

P. 586, lin. 7 post '9421' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 450, n. 731'.

P. 591, not. 2 addas: 'De controversia inter Margaritam reginam Francorum et Carolum comitem Andegaviae vertente cf. etiam Winkelmann, Acta imp. inedita t. II, p. 733, n. 1047'.

P. 629, lin. 25 post '78' addas 'Bernoulli, l. c. t. I, p. 459, n. 746'.

P. 641, not. a addas: 'Hoc Regestorum folium praebent Specimina palaeogr. Regest. Rom. pont. tab. 31'.

P. 677, not. 2 addas: 'Carolus rex Siciliae a. 1267, Mai. 21 Viterbii instrumentum dedit, quod Clemens IV a. 1268, Iun. 5 confirmavit; Lib. IV, 35'.

P. 715, not. 1 addas: 'A. 1268, Aug. 22 Clemens IV papa [Godefrido] episcopo Reatino et viris religiosis ab eo deputatis mandavit, ut contra Conradinum crucem praedicarent, crucesignatis eas indulgentias largientes, quae laborantibus pro Terrae Sanctae subsidio concederentur; Naudé, Instauratio tabularii maioris templi Reatini; Roma 1640; p. 12. Quam epistolam V. Cl. K. Hampe debemus'.

INDEX NOMINUM.

Scripsit Karolus Hampe.

Maior numerus indicat paginam, minor lineas quinas.

D.

E.

F. V germanicum.

H.

S.

T.

U.

X. Z.

GLOSSARIUM.

admiratus 320, 15. 447, 20; ammiratia 320, 35.

affictus, *census*, 107, 30.

affidare 179, 1.

angaria 307, 20.

argenti defecati marca 15, 25; *v.* argentum Coloniense, Halberstadense; argentaria, argenteria 158, 30. 192, 1.

banci ius, *ad iurisdictionem pertinens*, 308, 15.

bannus, bannum 179, 5. 252, 30. 308, 15. 523, 40. 618, 35. 620, 30. 696, 25; *cf.* forbannire.

barbacana, *propugnaculum*, 403, 35.

bladum, *triticum, frumentum*, 392. 393, 1.

bulla, bullare: conceditur, ne quid solvatur pro bullis papalibus 354, 20; litterae iam scriptae, neque vero propter mortem papae bullatae 354, 20; *cf.* 665, 35; *cf. etiam* 653, 40.

burgesaticum bonum 308, 45.

camerarius 32, 20. 386, 40. 469, 1. 610, 25; minor camerarius civ. Maguntinae 32, 25; camerarius papae 125, 1. 492, 35. 493; in regno Siciliae: magnus camerarius, comes camerarius 287, 30. 310, 1. 697, 30; camerariatus 311, 1; camerarii 289, 40. 515, 40. 651, 1. 658.

campsores, *monetarii*, camerae apostolicae in Francia commorantes 476, 35; Colonienses 462. 502. 504.

capicerius 682, 15.

cardinales *v.* Ravennatis eccl. canonici.

cassarum, *ital. cassero, castrum, arx*, 158, 30.

cervisialis *v.* denarius.

citadantia, citadiantia 131, 20. 374, 5.

collector vicesimae 347, 5.

comertium, *tributum a mercatoribus pensitandum*, 312, 20.

comestabulus 307, 30. 308, 35. 309, 35; comestabulia 322, 25. 323, 1.

computum, *ratio*, 610.

confiscare 614, 1.

consulatus Siciliensis in Tunisy 306; consules artis lanae *v.* Florentia; consules mercatorum *v.* Perusium.

contile, *comitatus*, 341, 30.

contrata, *regio*, 120, 15.

INDEX INITIORUM.

Numeri numeros epistolis antepositos indicant. Epistolae aliis insertae verbo 'sub' notatae sunt.

INDEX EDITIONUM

EPISTOLARUM, QUAE IN HOC VOLUMINE INTEGRAE PROPOSITAE VEL IN ANNOTATIONIBUS COMMEMORATAE SUNT.

I.

INNOCENTII IV EPISTOLAE.

L = *Liber Regestorum cum numero epistolae;* **B** = *Berger, Registres d'Innocent IV;*
P = *Potthast, Regesta Pontificum;* pag. = *pagina nostrae editionis.*

L I	**B**	**P**	pag.
90	90	11120	109
L II			
627	1346	—	218
L III			
99	1459	—	6
126	1486	—	463
127	1487	—	463
214	1573	—	110
342	1690	—	6
L IV			
50	2045	—	331
746	2744	—	73
835	2833	—	198
894	2892	—	402
895	2893	—	402
898	2896	12448	328
898	2897	—	338
899	2898	12449	96
901	2901	—	96. 296
903	2903	—	310
904	2904	—	95
906	2906	—	327
cur 100	3016	—	123
cur 104	3020	—	123
L V			
27	3076	—	331
96	3145	—	23
97	3146	—	23
98	3147	—	143
99	3148	—	23. 288
116	3165	—	144
117	3166	—	144
123	3172	—	336
133	3182	—	336
147	3196	—	198
148	3197	—	198
226	3275	—	331
241	3290	—	331
274	3324	—	331
293	3343	—	322
299	3349	—	428
300	3350	—	428
309	3359	12724	92

L V	**B**	**P**	pag.
310	3360	—	198
322	3372	—	198
489	3539	—	198
496	3546	—	198
520	3570	—	198
531	3581	—	441
621	3670	—	331
785	3833	—	331
831	3879	—	331
862	3910	—	331
975	4022	—	123
982	4029	—	331
987	4036	—	96
L VI			
574	4564	—	6
L VIII			
10	4760	14015	1
24	4774	—	6
25	4775	—	6
36	4786	—	24
67	4815	—	158
74	4822	—	2
76	4824	—	7
77	4825	—	100
79	4827	—	3
80	4828	—	3
81	4829	—	3
88	4836	—	131
90	4838	—	8
92	4840	14066	71
94	4842	—	8
95	4843	14061	12
101	4849	14079	9
102	4850	—	9
107	4855	14083	10
109	4857	—	81
110	4858	14082	210
111	4859	—	25. 210
112	4860	—	24
113	4861	—	10
115	4863	14062	3
118	4866	—	11
136	4884	—	41

L VIII	**B**	**P**	pag.
143	4891	—	43
144	4892	—	12
160	4904	—	44
164	4908	—	24
165	4909	—	24
169	4913	—	80
170	4914	—	80
171	4915	14102	12
178	4922	—	6
183	4927	14121	15
188	4932	—	13
189	4933	—	13
190	4934	—	13
191	4935	—	14
198	4942	—	18
202	4946	—	13
204	4948	—	19
207	(4951)	—	17
218	4962	—	20
221	4965	14153	42
227	4971	—	90
229	4973	14112	15
255	4999	14166	23
258	5002	—	67
260	5004	—	31
262	5006	—	22
263	5007	—	32
265	5009	—	19
267	5011	—	16
268	5012	—	17
269—271	5013—5015	—	46
279	5023	14111	15
285	5029	—	34
286	5030	—	34
287	5031	14176	42
288	5032	14177	42
290	5034	—	33
292	5036	14116, 14170	35
293	5037	14117	36
295	5039	14169	36
296	5040	—	35

L IX	B	P	pag.
75	5511	14411	234
76	5512	—	234
77	5513	14446	199
80	5516	14473	138
81	5517	—	138
82	5518	14474	138
83	5519	14470	109
84	5520	14471	107
85	5521	—	110
89	5525	—	107
93	5529	14482	111
94	5530	—	122
100	5536	—	112
106	5542	—	122
107	5543	—	227
108	5544	14498	68
110	5546	—	227
111	5547	—	90
114	5550	—	115
115	5551	—	115
121	5557	14512	113
122	5558	14506	114
140	5576	—	123
141	5577	—	123
144	5580	14447	108
145	5581	—	108
148	5584	14438	105
149	5585	—	115
150	5586	—	129
151	5587	—	117
159	5595	—	123
160	5596	14532	115
166	5602	14547	117
167	5603	14548	117. 731
173	5609	14550	304
175	5611	—	117
176	5612	—	118
185	5621	14519	114
186	5622	—	112. 731
187	5623	—	731
188	5624	14554	123
194	5630	—	138
195	5631	—	731
198	5634	14560	135
199	5635	—	123
203	5639	—	123
205	5641	—	118
208	5644	—	302
209	5645	14557	119
210	5646	—	123
212	5648	—	123
214	5650	14570	125
222	5658	—	160
226	5662	14566	123
237	5673	14577	121
240	5676	—	112. 731
250	5686	—	160
254	5690	—	178
255	5691	—	178

L IX	B	P	pag.
256	5692	—	135
258	5694	14590 a	122
259	5695	—	178
261	5697	—	178
262	5698	14578	160
264	5700	—	178
266	5702	—	123
269	5705	14481	110
278	5714	—	118
285	5721	14616	163
289	5725	—	138
290	5726	—	123
291	5727	14606	135
292	5729	—	123
297	5734	—	129
307	5744	—	123
310	5747	—	28
312	5750	—	197
323	5761	14597	125
329	5767	—	28
334	5772	14641	113
335	5773	—	104
339	5777	—	134
342	5780	—	123
343	5781	—	122
cur 1	5783	14360	99
cur 2—	5784—	} —	99
cur 4	5786		
cur 5	5787	14412	149
cur 9	5791	14601	123
cur 10	5792	14608	124
cur 11	5793	14646	125
356	5794	—	83
363	5801	14361	113
364	5802	—	123
372	5810	—	127
377	5815	—	105
394	5832	—	152
395	5833	—	185
402	5840	—	113
409	5847	—	732
L X			
7	5864	14652	126
9	5866	—	127
10	5867	14660	182
13	5870	—	731
15	5872	14667	182. 380
16	5873	—	126
17	5874	14661	128
19	5877	—	112
23	5881	14659 a	126
26	5884	—	123
27	5885	—	123
28	5886	—	128
31	5889	—	130
32	5890	—	182
33	5891	—	130
36	5894	—	131
42	5900	—	131

L X	B	P	pag.
44	5902	—	312. 597
45	5903	—	146
47	5906	—	182
49	5908	—	132
50	5909	14684	131
51	5910	—	110
62	5921	14683	30
66	5925	—	132
67	5926	—	132
68	5927	—	133
69	5928	14692	129
72	5931	—	33
79	5938	—	134
85	5944	—	731
88	5947	—	138
90	5949	14707	139
94	5953	—	132
95	5954	14701	182
97	5956	—	258
98	5957	—	132
100	5959	—	8
106	5965	—	140
109	5968	—	129
110	5969	—	102
111	5970	—	731
122	5981	14716	139
124	5983	—	117
125	5984	—	196
128	5987	—	140
140	5999	14700 / 14730	141
143	6001	14731	22
147	6005	—	123
153	6010	—	121
159	6016	—	125
161	6018	14735	123
162	6019	—	123
164	6021	—	118
191	6048	—	134
193	6051	14740	142
202	6060	—	197
203	6061	—	142
210	6068	14766	129
221	6079	—	143
231	6089	14775	123
233	6091	—	150
238	6096	—	149
239	6097	—	149
242	6100	—	143
252	6109	14793 / 14796	144
258	6115	—	79
279	6136	—	38
292	6149	14799	147
293	6150	14807	148
295	6152	—	149
296	6153	—	146. 732
299	6156	14808	148
302	6159	14810	147

L XI	P	pag.
476	15239	228
477	15250	230
478	15259	231
490	15263	233
491	15248	229
492	15249	230
493	15260	232
494	15225	219
499	—	232
501	—	234
506	15264	158
517	—	193
521	15272	194. 232
527	15280	241
533	—	234
540	—	237
541	15296	230
546 a	15285	236
546 b	15288	237
548	—	257
549	15286 15287	237
550	—	216
563	—	158
566	15300	218
570	15313	238
578	—	218
579	15301	218
581	—	218
584	15327 15328	240
585	15319	239
591a—c	—	241
597 a	15214	216
597 c	15203	217
597 d	15202	212
597 e	—	217
605	—	249
606	15240	228
611	—	235
619	—	409
621	—	149
622	15349	237
623	15406	161
624	15350	250
632	—	253
636	15362	257
639	—	258
648	—	183
650 b	—	262
659	—	409
668	—	254
673	—	258
674 sqq	—	409
680	15389	260
687	—	202
692	—	259
713	15176	130
715	—	260

L XI	P	pag.
720	15415	239
722	—	254
736	15421	237
742	—	187
746	15427	218
747	15428	218
750	—	262
755	—	254
756	—	265
763	15361	267
765	—	261
770	—	255
772	—	287
781	15094	194
784	—	194
786	—	194
791	—	189
794	—	407
802	—	254
803	—	407
805	—	192
806	—	258
817	15169	194
819 — 821	—	195
822	—	190
835	—	191
839	15320	239
858	—	215
859	—	213
861	—	219
863	15398	239
873	—	267
875	15324	239
883	15370	239
cur 2	—	186
cur 3	—	189
cur 6	15220	218
cur 9	12899 15331	242
cur 10 — 12	—	245
cur 13	15334	245
cur 14—19	—	245
cur 20	15335	248
cur 21	—	249
cur 22	15336	249
cur 23	—	187
cur 24	—	187
cur 26	—	187
cur 30	15322	240
cur 31	—	240
cur 32	15318	240
cur 36	—	261
cur 37	—	263
cur 38	15412	264
cur 39	15413	264
cur 40	15411	264
cur 41	15429	264

L XI	P	pag.
cur 42	15432	264
cur 43	15419	263. 264
cur 44	15409	264
cur 45	15407	264
cur 46	15375	264
cur 47	15378	264
cur 48	15447	264
cur 49	15448	264
L XII		
9	15436	265
24	—	268
30	—	283
43	—	267
44	—	267
47	—	267
54	15467	218
55	—	218
56	—	261
62	15465	267
72 a	—	269
72 b	15469	268
73	—	269
74	—	269
75	—	269
78	—	24
83	—	269
86	15476	205
88	—	141
91 b	—	407
100	—	270
110	—	270
112	—	114
113	—	200
114	—	312
116	15479 15486	271
117	—	386
129	—	272
147	—	283
151	—	218
160	—	275
164	—	195
165	15504	218
172	15515	307
173	—	218
179	—	218
193	—	282
198	—	286
200	—	302
202	15493	272
205 a	15527	287
205 b	15528	289
205 c	15438	290
205 d	—	291
205 e	—	292
205 f	—	295
205 g	—	296
205 h	—	292
205 i	—	294

L XII	P	pag.
205 k	—	294
205 l	—	294
206	—	308
207	—	273
210	—	287
213	—	286
214	15512	158
216	—	178
223	—	273
224	—	273
225	—	282
226	15539	286
227	—	178
231	—	286
234	—	286
236	—	286
237	—	286
239	—	274
242	—	286
245	—	308
247	—	286
250	—	286
253	—	200
254	15555	286
255	—	302
258	—	286
260	—	286
262	—	308
263	15545 15495	287
264	—	300
266	—	270
267	15544	300
268	—	300
269	—	300
270	—	300
271	—	300
273	15546	286
276	15543	298
277	—	307
279	—	298
280	—	299
281	—	308
282	—	308
283	—	308
284	—	301
287	—	299
289	15551	302
290	—	300
291	—	307
292	—	308
293	—	257
295	—	300
298	—	287
299	—	287
301	—	300
303	15553	287
304	15556	287
305	—	300

L XII	P	pag.
306	—	300
307	—	300
308	—	303
309	—	294
310	—	372
311	—	287
312	—	309
313	—	309
314	—	272
315	—	272
316	15547	286
317	—	286
318	—	308
320	—	309
321	—	287
322	—	313
323	—	300
324	—	309
325	—	309
326	—	309
327	—	308
328	—	286
330	—	300
331	—	306
332	—	287
334	—	319
335	—	304
336	—	342
337	—	305
338	—	301
339	—	300
340	—	286

L XII	P	pag.
342	—	307. 360
343	—	306
344	—	306
347	—	308
348	—	308
349	—	308
350	—	303. 355
351	—	308
352	—	310
353	—	309
354	—	308
355	—	308
360	—	310
361	—	297
362–364	—	301
366	—	311
367	—	312
370	—	305
371	—	287
375	—	302
376	15557	287
378	—	309
381	—	287
382	—	309
383	—	309
384	—	291
384 b	—	267
385	—	272
386	—	272
387	14771 (?)	287

L XII	P	pag.
390	15560	313
391–393	—	309
396	—	287
398	—	300
401	15542	287
406	—	307
408	—	287
409	—	303
410	—	313
414	—	309
416	—	300
417	—	309
419	15563	312
422	—	302
434	—	296
436	—	286
439	—	286
448	—	270
449	—	135
460	—	373
461	—	373
462	—	258
466	15437	266
468	15442	266
cur 2	15440	266
cur 4	15460	266
cur 11	15506	277
cur 12	—	276. 277. 280
cur 13– cur 17	—	276. 277

L XII	P	pag.
cur 18	—	276. 277. 281
cur 19	—	276. 277. 282
cur 20	—	276. 277
cur 21	—	276. 277
cur 22	—	276. 277. 280
cur 23	—	276. 277
cur 24	—	278
cur 25	—	276
cur 26	—	278
cur 27	—	279
cur 28	—	276. 277. 280
cur 29 — cur 31	—	276. 277
cur 32	—	279
cur 33	—	280
cur 34	—	280
cur 35	—	277
cur 36	—	281
cur 37	—	285
cur 38	—	281
cur 39	—	282
cur 41 cur 42	15514	283
cur 43	—	307
cur 44	—	307
cur 45	—	307
cur 46	15554	304. 732
cur 47	—	304. 732

ALEXANDRI IV EPISTOLAE.

L = *Liber Regestorum cum numero epistolae*; **P** = *Potthast, Regesta Pontificum*: pag. = *pagina nostrae editionis.*

L I	P	pag.
s. num.	15596–15599	315
s. num.	15600	315
s. num.	15601	316
1	15603	317
3 et 4	15606	318
5	—	373
7	—	318
8	15607	348
9	—	342
10	—	347
16	—	328
20	15618	319
21	—	317
23	15623	318
25	—	318
30	—	322
32	—	329
33	—	318

L I	P	pag.
35	—	320
36 b	—	374
41	15631	318
43	—	360
45	—	322
50	—	318
51 a	15622 15624	321
51 b	15625	321
53	—	324
54	15639	325
55	—	325
60	—	731
67	—	329
79	—	373
84	—	333
85	—	329
91	—	335
92	—	333

L I	P	pag.
94	—	373
99	—	319
99 bis	—	323
100	—	323
102	—	335
104	—	375
105	—	319
110	15666	319
117	—	329
123	—	305
127	15670	336
130	—	340
133	15688	319
139 a	—	304
139 b	—	304
139 c	—	304
140	—	341
145	—	341
153	15700	346

L I	P	pag.
158	15690	345
159	—	329
164	—	375
165	—	362
170	15708	416
173	15718	321
174	—	360
175	—	375
178	—	335
179	—	335
181	—	348
184	—	305
190	15715	313
193	—	348
194	—	105
198 a	15639	325
198 b	—	326
198 c	—	326
198 d	15677	337

L III	P	pag.	L III	P	pag.	L IV	P	pag.	L V	P	pag.
71	—	394	410	—	402. 732	103	—	443	127	—	457
84	—	422	487	—	386	106	—	732	132 a	17510	456
97	—	414	496	16918	426	118	—	443	132 b	—	456
138	—	414	514	—	425	125	—	444	140 a	—	453
144	—	348	530	—	412	130	—	443	142	—	453
145	—	348	554	—	431	133	—	385	145	—	456
159	—	375	555	—	426	140	—	416	151 a	—	459
160		375	569	—	422	169	17323	466	151 b	—	458
161	—	422	595	17000	430	170 a	17331	445	180	—	412
162	—	422	615	16958	451	170 b	17332	446	203	17695	413
167	16740	413	617	—	420	173 a	17333	446	206	—	386
170	—	375	619	16998	427	173 b	—	448	217	—	463
177	—	415	625	—	430	173 c	—	446. 447	231	17724	464
185 b	—	348	660	—	416	173 d	17335	448	240 a	—	460
258	16784	416	688	17054	433	173 e	17336	448	240 b	17677	461
sub 258		417	698	—	433	209	17343	406	241		461
279	—	394	724	—	432	220	—	448	248	—	371
287	—	417	749	—	436	254	—	448	262		405
307	16782	431	750	—	435	286	—	420	263	—	461
312	—	335	761	17105	434	292	—	456	L VI		
314	—	422	777	—	418	303	—	449	10	—	371
323	—	420	L IV			320	—	463	21	17738	465
326	—	411	18	—	443	321	—	462	*sub* 21	17737	466
361	—	420	20	—	420	L V			33	—	467
364	—	451	21	—	420	4	—	450	60	—	467
372	—	309	22	—	419	6	17449	450	61 a	—	466
374	—	422	23	—	420	11	—	452	61 b	—	467
375	—	731	24	—	420	27	—	411	61 c	—	467
381	16730	•416	29	17122	436	30	—	411	76	17873	467
383	—	424	35	17154	437	32	17468	433	95	—	469
384 a	—	424	37	—	435	34	—	453	123 a	17948	471
395	—	422	39	—	502	49	17482	433	123 b	17949	471
396	—	421	43	—	437	59	17555	455	124 a	17947	469
397	—	422	44	—	430	79	—	456	124 b	17956	471
398	—	422	46	—	446	89	—	453	125	17957	471
400	—	423	62	—	440	99	—	451	132 a	—	471
402	—	422	64	—	441	107	17546	454	132 b	—	473
403	—	422	82	—	434	110	—	455	137	—	473
404	—	422	86	—	305	118	—	453	L VII		
405—	—	422	93	—	442	122	17573	456	10	—	566
408			100	—	442						

URBANI IV EPISTOLAE.

L = *Liber Regestorum cum numero epistolae;* **V** = *Volumen Regestorum cum numero folii et epistolae [cf. praefationem]:* **D** = *Dorez et Guiraud, Les Registres d'Urbain IV;* **P** = *Potthast, Regesta Pontificum;* pag. = *pagina nostrae editionis.*

L I	D	P	pag.	L I	D	P	pag.	L II	D	P	pag.
5	7	—	561	102	104	18346	486	9	147	18415	524. 441
18	20	—	474	107	109	18348	488	13	151	18428	496
19	21	18152	561	109	111	—	490			18709	
59	61	18239	479	123	125	—	491	17	155	18429	498
71	73	—	561	136	138	18337	615	28	166	18431	500
72	74	—	561	L II				37	175	—	494. 544
91	93	18272	480	2	140	18400	499	38	176	—	563
92	94	18283	483	6	144	—	492	39	177	—	561
98	100	18316	480	8	146	—	494	42	180	—	503

L II	D	P	pag.
46	184	—	503
47	185	—	503
48	186	—	503
55	192	18475	504
59-61	196 198	—	501
64	201	—	502
66	203	18461	494
70	207	—	527
77	214	—	508
81	218	—	561
85	222	—	509
87	224	—	559
115	252	—	544
116	—	18556	544
117	—	18557	544
118	—	18566	611
119	—	18560	611
128	—	—	522
131	—	18578	523
132	—	18567	510
133	—	18568	510
135	—	18579	523
137	—	—	544
138	—	—	524
139	—	—	525
140	—	—	494
142	—	—	529
145	—	18584? 18588	526
147	—	18586	538
148	—	18591	538
149	—	—	538
150	—	18590	529
156	—	18592	530
157	—	18593	530
159	—	—	537
160	—	18603	533
161	—	—	533
162	—	—	533
163 164	—	18558	533
165	—	18602	537
166	—	—	533
167	—	—	499
170	—	—	499
171	—	18589	571
172	—	—	571
173-175	—	—	532
176	—	—	532
177	—	—	532
178	—	—	540
179	—	18612	537
180	—	18613	537
181	—	—	539
182	—	—	539
183	—	18614	539
184	—	—	528
189 bis	—	18596	532
190	—	18616	480

L II	D	P	pag.
191	—	—	540
194	—	—	576
197	—	18599	576
199	—	—	542
201	—	—	540
202	—	—	540
203	—	18626	540
208	—	—	561
210	—	18625	550
212 213	—	18634	545
214	—	—	561
220	—	18619	540
221	—	18633	550
224	—	—	544
225	—	—	544
226	—	—	544
230	—	—	509
232	—	18594	531
235	—	18525	494
237?	—	18501	494
252?	—	18526	494
255	—	18564	494
L III			
5	—	18647	561
11	—	18656	567
12	—	—	567
13	—	—	544
14	—	—	544
16	—	—	553
19	—	18678	576
31	—	—	544
32	—	—	544
33	—	—	544
35	—	—	561
36	—	18702	605
40	—	—	553
50	—	—	544
51	—	—	553
53	—	—	553
54	—	—	553
59	—	—	561
60	—	—	561
62	—	—	557
66	—	—	544
68	—	—	544
86	—	19018	561
93	—	—	564
95	—	—	611
99	—	—	528
103	—	—	568
104	—	—	544
112	—	18807	568
114	—	—	544
115	—	—	562
121-124	—	—	544
125	—	18825	575
126	—	18823	576
127	—	18926	576

L III	D	P	pag.
128	—	—	561
129	—	—	561
130	—	18824	577
131	—	—	576
135	—	—	544
138	—	—	475
139	—	—	544
143	—	—	567
149	—	18818	573
150	—	18819	574
151	—	—	562
152	—	—	562
155	—	18869	523
156	—	18861	523
157	—	—	562
159	—	—	544
160 164	—	—	544
165	—	—	522
166	—	—	523
167	—	—	523. 598
172	—	18902	596
173	—	—	544
176	—	—	567
177	—	—	601
181	—	18717	583
183	—	—	576
199	—	18725	583
202	—	—	583
211	—	18724	583
233	—	18917	597
234	—	—	598
235	—	—	599
236	—	18918	598
237	—	—	598
238	—	—	598
239	—	—	598
240	—	—	601
241	—	18919	598
242	—	—	598
243	—	—	598
244	—	—	598
245	—	—	598
247	—	18572?	576
251	—	—	602
254	—	—	559
255	—	—	609
263	—	—	601
265	—	—	610
277	—	—	611
278	—	—	612
279	—	—	612
283	—	—	561. 614
285	—	18954	610
290	—	—	617
291	—	—	617
295	—	—	544
303	—	—	544
304	—	—	544
313	—	19000	477

V II	P	pag.
136	—	486
140	—	520
142	18705	532
142	—	555
142',1	—	550
143 ,1	—	477
143',3	18684	476
144 ,2	—	476
144',1	—	477
144',2	—	476
144',3	—	502
146 ,3	—	528
146',1	—	612
147	—	570
147 ,3	18930	604
V IV		
19',30	—	564
38 ,77	—	560. 562
46 ,98	—	561
46 ,99	—	567
49 ,106	—	562
62 ,144	—	576
62 ,146	—	562
65 ,156	—	562. 564
69 ,162	—	142
78 ,14	—	568
80 ,27	—	329
81 ,30	—	329
85 ,41	—	561
91 ,69	—	509
101 ,117	—	563
104',137	—	564
105 ,141	18800	611
111-112, 179-182	—	564
113 ,187	—	566
113 ,188	—	566
116 ,204	—	567
116 ,205	—	567
118 ,216	—	559
118 ,217	—	559
121 ,236	—	568
121 ,237	—	553

V IV	P	pag.
122 ,241	—	570. 571
123 ,244	—	568
124 ,257	—	568
124 ,259	—	568
124 ,260	—	568
125 ,266	—	577
129 ,290	—	577
130 ,291	—	475
130 ,295	—	576
131 ,302	—	623
138 ,346	—	620
139 ,350	18837	528
142 ,369	18840, 18841	571
145 ,389	—	494. 563
145 ,392	18834	475
145 ,396	—	509
148 ,412	—	568
149 ,417	—	568
150 ,424	—	578
153 ,450	—	568
157 ,473	—	475
158 ,483	—	564
161 ,502	—	569
161 ,504	—	581
166 ,535	—	567
171 ,573	—	577
172 ,582	—	577
174 ,592	—	567
174 ,594	—	608
177 ,622	—	562
178 ,630	—	605
180 ,637	—	611
183 ,660	—	567
184 ,665	—	617
185 ,678	—	476
187 ,697	—	610
191 ,731	18969	614
196 ,776	18964	625
196 ,779	—	577
198 ,791	—	567. 568
204 ,845	—	610
? ,869	18947	608

V IV	P	pag.
209 ,884	18956	610
212 ,912	—	612
214 ,928	—	613
216 ,944	—	613
216 ,947–949	—	623
217 ,958	—	612
224 ,1014 sqq	—	591
232 ,12	18714	561
234 ,20	—	561
236 ,29	—	568
243 ,66	—	556
250 ,101	—	570
250 ,102	—	570
256 ,127	—	567
257 ,132	—	561
260 ,143	—	561
261 ,150	—	561
263 ,157	—	570
266 ,167	—	617
278 ,215	18771	530
288 ,261	—	567. 630
ep. 1322	18729	509
292 ,276	—	565
292 ,279	—	568
295 ,292	—	577
298 ,305	—	506
299 ,311	—	506
301 ,1567	—	620
301 ,1569	—	571
303 ,1577	—	562
317 ,1662	—	567
322 ,1696	18961	608
322 ,1698	18960	608
323 ,1704-1706	—	567
324 ,1717	—	609
325 ,1721	—	620
327 ,1735	—	570
329 ,1752	—	604
331 ,1774	—	506
331 ,1775	—	613
332 ,1779	—	623
332 ,1780	—	623

CLEMENTIS IV EPISTOLAE.

L = *Liber Regestorum cum numero epistolae;* Cam. = *Cameralia Clementis IV cum numero epistolae;* **I** = *Iordan, Les Registres de Clément IV;* **P** = *Potthast, Regesta Pontificum;* pag. = *pagina nostrae editionis.*

L I	I	P	pag.	L I	I	P	pag.	L I	I	P	pag.
3	5	—	627	18	20	19087	617	77	79	—	630
4	6	—	628	37	39	—	630	83	85	—	562
5	7	—	561	38	40	19123	629	86	88	19183	633
6	8	—	628	54	56	19124	630	87	89	19220	633
7	9	—	629	55	57	—	630	89	91	19182	631
8	10	19060	629	74	76	—	629	95	97	—	631
9	11	—	629	75	77	—	629	96	98	—	632
10	12	19053	670	76	78	—	629	126	127	—	654

II[1].

INNOCENTII IV EPISTOLAE.

P	L	B	pag.
11120	I, 90	90	109
11363	I, 659	660	611
12448	IV, 898	2896	328
12449	IV, 899	2898	96
12597 a	—	—	2
12614	—	—	226
12724	V, 309	3359	92
12788	—	—	220
12798	—	—	246
12899	XI, cur 9	—	242
12943 c	—	—	349
12951	—	—	127
13003	—	—	221
13032 b	—	—	349
13060	—	—	331
13115	—	—	267
13276	—	—	112
13758	—	—	149
13840	—	—	53
13855	—	—	12
13882	—	—	304
13898	—	—	70
13920	—	—	234
13934	—	—	48
13943	—	—	728
13944	—	—	46
13948	—	—	46
13949	—	-	728
13950	—	—	408
13961	—	—	33
13962	—	—	33
13966	—	—	408
13983	—	—	81
13984	—	—	81
13988	—	—	81
13989	—	—	81
	L VIII		
14015	10	4760	1
14050	—	—	251
14054	—	—	7
14057	—	—	7
14061	95	4843	12
14062	115	4863	3
14066	92	4840	71
14079	101	4849	9
14082	110	4858	210

P	L VIII	B	pag.
14083	107	4855	10
14099	—	—	17. 25
14102	171	4915	12
14110	—	—	17. 25
14111	279	5023	15
14112	229	4973	15
14115	—	—	251
14116	292	5036	35
14117	293	5037	36
14121	183	4927	15
14133	—	(4951)	17
14134	349	5083	17
14139	—	—	32
14153	221	4965	42
14159	520	5253	93
14161 a	—	—	66
14162	cur 2	5270	25
14165	cur 73	5342	86
14166	255	4999	23
14169	295	5039	36
14170	292	5036	35
14171	cur 12	5280	38
14172	cur 12	5280	38
14175	cur 13	5281	38
14176	287	5031	42
14177	288	5032	42
14178—14180	cur 23—24 bis	5291—5293	46
14181	—	—	12
14182	—	—	220
14186	316	5060	45
14188—14191	317—320	5061—5064	46
14195	cur 15	5283	47
14197	342	5076	15
14198	cur 16	5284	50
14199	cur 17	5285	51
14200	cur 18	5286	51
14201	cur 19	5287	52
14202	cur 20	5288	52
14203	cur 21	5289	52
14204	cur 31	5300	53
14205	cur 32	5301	55
14206	cur 33	5302	55
14207	cur 34	5303	56
14208	cur 35	5304	57

P	L VIII	B	pag.
14209	cur 40	5309	57
14210	cur 37	5306	59
14211	cur 38, cur 39	5307, 5308	60
14212	cur 41	5310	61
14213	cur 36	5305	58
14214	343	5077	61
14215	cur 47	5316	62
14218	449	5186	65
14219	364	5098	64
14221	406	5141	158
14224	cur 58	5327	66
14228	cur 53	5322	69
14230	cur 50	5319	67
14231	cur 51	5320	68
14232	cur 52	5321	68
14233	486	5223	70
14234	487	5224	71
14235—14237	cur 54—56	5323—5325	71
14238	cur 57	5326	68
14239	402	5137	72
14240	406	5141	158
14241	492	5229	71
14242	—	—	71
14247	cur 60	5329	75
14248 a	—	—	80
14265	cur 66	5335	80
14278	—	—	20
14279 a	—	—	81
14280	cur 86	5337	83
14283	—	—	80
14285	—	—	80
14298	—	—	85
14300	488	5225	87
14302	cur 75	5344	93
14317	—	—	97. 321
14318—14325	—	—	97
14326	—	—	97. 101
14327	—	—	41. 97
14328	—	—	97
14329	cur 74	5343	89
14330	—	—	97. 357
14331	—	—	97
14332	—	—	89

1) *Cum neque omnes editores, unde epistolas suas sumpserint, indicaverint neque Regesta integra edita sint, nescimus, an nonnullae epistolae huius indicis in Regestis reperiantur, quibus id adscriptum non sit. Sed magnum earum numerum esse non credimus.*

ALEXANDRI IV EPISTOLAE.

URBANI IV EPISTOLAE.

CLEMENTIS IV EPISTOLAE.